poſ. & .Cy in l.ij C.eo.ti. aut in ipſa inueſtitura dicitur quòd ipſe ficta'bilis eſt conteſtius ſe habe- poſſeſſionem dictæ rei, vel quòd ambę parees et tempore inueſtiturę in ipſo fundo, & tunc præ itur facta traditio hæra materiam.l cũ res C. de proba. & quòd nota.inl.j in principio.& in de acqui poſ. Idem ſi dominus conſti re nomine ipſius emphyteutę.vt d.l. cum ſimi. †Sed nunquid per inſtru inueſtituræ probetur dominium, & poſ toris, videtur quòd non,per d.l.ad pro C.loc.& c.inter dilectos. de fi.inſtrum. ecundum Bar. ſic diſtinguì poteſt,aut dominus agit contra ipſum conductorem,vel em tam,& tunc cum ipſe non poſsit refferre l.q.vt ſupra dictũ eſt,erit fundata intentio ſaltẽ præſumptiue ex inſtrumẽto inueſti- agitur cõtra aliũ,& tunc aut aparet de teſtitura,& non de aliqua ficti,vel merce- ceptione,& tunc non probatur p eũ de do nec poſſeſsione ipſius locatoris, vt d.l.ad onẽ.cum ſi.aut probatur etiam de merce dis.vel ficti perceptione,& tunc aut conſtat,quòd ille quo,vel à qbis pcepit mercedẽ,vel fictum, & er vel erat de tẽtator ipſius rei tẽpore ſolutio ns, & tũc probatur de ipſius locatoris poſſeſsiõe &dominio,aut non probatur de detẽtione ſolue- ti,ſed alterius extranei,& tunc per hanc inueſti turam non probatur de ipſius dominio,vt plenè determinatur per gloſſam & Bart.in l.quãuis.§.ſi onductor.&l.qui vniuerſas.§.quod per colonum. de acquirend.poſ.& per glo.in c.bonæ.de apel. & in c.cum bertoldus.de regu. iur. in d.c.inter dilectos.in fi.& ſupra dixi in titu.de turbata poſ- ſeſsione. † Rurſum quia in ſuperioribus dixi in conductionis,& emphyteuſis in hæredes trãſi re tiam ſi de hærede non ſit expreſſum. argu.l. vim veritatis.C.loca.& l.ſi pactum.ff.de proba. quero quid erit in emphyteuſi eccleſiæ,an mor tuo emphyteuta ſine liberis,& per eum extraneis hæredibus inſtitutis ipſi extranei ſuccedant in iur emphyteutico. Reperio in hoc inter glo.& do contrarias opini.dixerunt quidam quod ſi ec cleſia dat perpetuo in emphyteuſim, quòd an ſie ri poſsit, dicetur infra quòd eo caſu ſolum de ſcendentes vſq; ad tertiam generationem tan tùm admittantur. Extranei verò penitus exclu duntur,niſi pactum ſit in contrarium, vt obſer uatur in practica,per tex.in authen.de alie.& em phyteu.col.x.§.licentia.coniuncto §.emphyteuſi. in authen.de non alie.col.ij.quam opini. ſequitur Specu.in titu.de lo.in ver.vij.quæritur.& ibi p Io. andre.in addi.& in c.in præſentia.extra de proba. idem ſequitur Bart.in l.ſi finita.§.de vec.de dam. infe & Bal.in l etiam.in principio.ff.ſol.ma.& l.in ſuam.eo.titu. Alij dicunt quòd ſi res eccleſiæ detur in perpetuum, porrigitur in deſcendentes vſque in infinitum, & ad extraneos tranſit pro pter ſignificationem huius verbi in perpetuum, vt in l.j.§.qui in petpetuum.ff.ſi ag.vecti. vel em phy.pe. & l. ſi quis prioris. §. j. ver& certum eſt C. de ſecun nup. & hanc partem ſequitur glo. in ſti.de loca.§. adeo. & in authen. quas actiones C. de ſac. ſan. ec. &in d.§. alienationes.& in authẽ. de non alie. §. ſin. & in authen. vt liber.de cætero. & idem tenet Iac.de Bel. & in d. §.alienationes.& Rica. malũ. & Nic.matãn d.l.etiam.& Bar.in authen.perpetua.C.de ſac. ſan.ec. & maximè quãdo in inueſtitura poſita ſunt illa verba communia. Ex quibus dederint &c. arg. in c.j. de feu. non ha ben. propr.nat. feud & in c.feudum. in fin. ſi de feud. fuerit controuer. Et prædicta locũ habent quando inueſtitura perpetua facta eſt cum debita ſolennitate, quæ requiritur in alijs alienationib' aliàs autem inueſtitura eſſet nulla, vt hodie determinatum eſt.in cle.j. extra de reb. ec.non alie.

6 †Sed quid dices ſi aliquis fuit inueſtit' de caſtro pro ſe, & pro filijs ſuis, & eo mortuo filij eius repudiata paterna hæreditate volunt tenere caſtrũ titulo, & ex cauſa inueſtiturę quæritur an poſsint: dic quòd ſic,quia hoc ius emphyteuſis tranſit in eos tanquam filios non tanquam hæredes ex prouiſione, & acquiſitione paterna. vt l quid dicitur. ff.de ver. obli.& no per doct.in l.ij.C. de cõtrahẽ. emp. Secus autem foret ſi pater fuiſſet inueſtitus pro ſe & hæredibus ſuis,vel pro ſe,& filijs. & hæredibus ſuis. quia tunc excluduntur, niſi hæreditatem adirent, quia acquiſitio eſt facta ipſis, non tanquam filiis ſimpliciter,ſed vt hæredibus,vt probatur in authen.de non alie. §. emphyteuſis verò. & ita determinat Barto.in l.iuſiurandi. §. ſi liberi. ff. de ope.li.& Spe. tit.de lo.§.ſi. ver. lxxviij.

7 †Sed quid erit ſi pater fuit inueſtitus pro ſe, & filijs ſuis maſculis, & fœminis, an omnes pariter ſuccedant in emphyteuſim. Dic quòd ſic, de iure communi, quo inſpecto fœminæ non differunt à maſculis in ſucceſsione. vt l. maximum vitium. C.de lib. præte. niſi l. municipalis, vel patriæ conſuetudo eas à ſucceſsione repelleret, quia tunc iſta copu & reſoluitur in vel, vt denotet potius ordinem quàm coniunctionem, & ſic ſolum admitterentur deficientibus maſculis. argumen.l.gallus.§.quidam rectè.ff.de li.& poſth. & idem ſequitur idem Bar. in d.l.vt iuſiur. §. ſi liberi. ff. de ope. lib. ſic dicimus in feudo, in quo talia verba reſolnuntur, & intelliguntur ordine ſucceſsiuo non coniunctiuo ſimiliter. vt in c.j. §. j. in titu. epiſco. vel Abba. & in c.j.§. filia. in titu. de ſuc. feud. Inde quæritur,' pater fuit inueſtitus pro ſe, & filijs ſuis maſculis, & fœminis, deinde ipſe pater filium maſculum hæredem vniuerſalem inſtituit, filiam verò dotauit in certa quantitate, quam iuſsit eſſe tacitam,

8 & contentam. † Quæritur an per hoc filia ſit excluſa à ſucceſsione ſuæ partis rei emphyteuticæ, videtur quòd ſic,per l. fœminæ, C. de ſec. nup. cum ſimilib. allega. per Specu.in titu. de loc. ver.vbi plenè tractat. ſed Barto. in d.§. ſi liberi. tenet contrarium, quia iſtud ſemel filiæ quæſitum ex prouiſione paterna, non poteſt per eum

1760

638

1760
XXV-5

TRUTINA
THEOLOGICA
THESIUM
QUESNELLIANARUM

P. DOMINICI VIVA
SOCIETATIS JESU.

TOMUS SECUNDUS.

PARS QUARTA.

COMISIÓN PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL
PALENCIA

TRUTINA
THEOLOGICA
THESIUM
QUERSNELLIANARUM
P. DOMINICI VIVA
SOCIETATIS JESU.
TOMUS SECUNDUS.
PARS QUARTA.

QUESNELLIANÆ
THESES
A S.S. D.N. PAPA
CLEMENTE XI.
CONFIXÆ

Ad Theologicam Trutinam revocatæ juxta pondus Sanctuarii.

EDITIO QUINTA

Sedulo expolita, ac nonnullis additionibus aucta.

AUCTORE

P. DOMINICO VIVA SOCIETATIS JESU

Sacræ Theologiæ Exprofessore in Collegio Neapolitano ejusdem Societatis.

TOMUS SECUNDUS TRUTINÆ THEOLOGICÆ

PARS QUARTA.

OPUS DICATUM

Eminentissimo, ac Reverendissimo Principi

GEORGIO
TIT. SS. XII. APOSTOLORUM
S.R.E. CARD. CORNELIO
EPISCOPO PATAVINO, COMITI SACCENSI, &c.

BENEVENTI, E Typographia Archiepiscopali. MDCCLIII.
SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

THESES

CLEMENTE XI.

Eminentiſſime, ac Reverendiſſime

PRINCEPS.



UM Theſes illas Queſnellianas, quibus peculiari diplomate SS. D. N. CLEMENS XI., pro ſua erga Gregem ſibi demandatum providentia, & paſtorali ſolicitudine, mature occurrendum putavit, ne forte lues, quæ inde erumpebat, paulatim ſerperet, manaretque in dies latius, cum Theſes, inquam, illas confutandas, oppugnandaſque ſuſcepiſſem, ſuſceptumque opus feſtinanter ſcilicet, neque ita pridem abſolutum eſſet, hanc Tibi Confutationem non ſine quadam audacia mittere meditabar; Tua tamen fretus benignitate jam mitto, PRINCEPS EMINENTISSIME: ſi tamen mitti dicenda eſt, quæ ſponte ſua venit, Tibique ultro ſe ipſa ſiſtit, ut in lucem antequam prodeat, tui Nominis ſplendore illuſtretur. Deliberandum enimvero diu non fuit cuinam potiſſimum e tot Principibus Viris, quorum nomine, ac

dignitate maxime celebratur Italia, nuncupanda foret: id quippe cogitanti unus occurrebas mihi, cui nuncupationem operis hujus a me deberi jure ac merito intelligerem. Cum enim Scriptoribus duæ omnino ſint cauſæ, cur ſuis quiſque lucubrationibus in lucem edendis Ampliſſimorum Virorum nomen inſcriptum velit; altera quidem, ut ſuum erga illos cultum, atque obſervantiam declarent, altera vero, ut ſibi, ſuoque Operi Patronos illos adſciſcant, utraque ſcilicet impellebar ego, ut hanc meam Antiqueſnellianam Trutinam Tibi uni ſacrarem. Nam ad primam quod attinet, cuinam diſſertationes hæ Theologicæ debentur potius, quam Tibi, PRINCEPS EMINENTISSIME, in quem unum ea congeſta ornamenta ſunt omnia, quæ vel ſigillatim ſi ſpectemus, hoc qualecunque obſequium, atque obſervantiam meam ſuo ſibi jure videntur ſingula poſtulare? In Te avita ſplendet generis claritas, quam Romanæ Corneliorum genti refers acceptam; in Te illa ſuſpicitur Dignitas, quæ omnium in terris longe Maximæ accedit proxima; in Te colitur Epiſcopalis Poteſtas, cui ſubeſt Patavina iſta Eccleſia, & antiquitatis laude, & Sanctiſſimorum Antiſtitum ſplendore clariſſima; in Te demum & ſingularis quædam mentis perſpicacia, & rerum maximarum uſus, & Scientiarum, & Virtutum omnium præſtantiſſima quæque ornamenta præclaro fœdere conjunguntur: quæ quidem tot, tantaque ſunt, ut ea pro dignitate laudare ſi velim, nullus omnino futurus ſit modus. Illud vero, ne ingrati animi vitio laborare videar, tacitus præterire non poſſum, quod peculiari quodam nomine hoſce meos quantuloſcunque labores ſibi vendicat: illud, inquam, ſingulare ſtudium, egregiam illam voluntatem, ac beneficentiam, qua Societatem JESU, meam ſcilicet Parentem, ſemper proſecutus es, porroque proſequeris. Hanc enim in tota ditione tua apprime foves ac protegis; hujus Filios, perinde ac ſi eſſent tui, benigne accipis, & amplecteris, quorum opera cum ad Animarum ſalutem, Divinæque gloriæ amplificationem clementiſſime uteris, eorum ſtudia præclara vehementius incendis. Qua quidem in re quanquam animi tui propenſio quædam in nos eximia Societatem hanc noſtram mirum in modum commendet, longe major tamen e benigniſſimo tuo de nobis (quicunque tandem ſumus) eodemque graviſſimo judicio eidem commendatio accedit. Is quippe es, PRINCEPS EMINENTISSIME, qui ut beneficia largiſſime conferas, non prodigis tamen, cum antequam conferas, quid, cuique conferas diligenter expendas; nec prius quempiam ornes, quam probes, ut idem omnino ſit a Te ornari, & commendari, patrociniumque tuum ſit bonæ cauſæ argumentum. Hinc Societatem univerſam novo tibi jure devinctam, atque obæratam habes, quippe quam non amore ſolum amplecteris, ſed ſapientiſſimo etiam judicio tuo exiſtimationem illi apud cæteros concilias: cum apud omnes maximi

mo-

momenti ſit judicium tuum, tuaque Auctoritas perinde habeatur ac Veritas. Quare optimo jure a me, qui Societatis ut ſim minimus, conor tamen pro modulo meo non ingratus eſſe Filius, hoc qualecunque Opus tibi dicatum habes, tuæque, ut ita dicam, Aræ, tamquam Votivam Tabellam, affixum, quod multis quidem de cauſis, præcipue tamen tuæ in nos beneficentiæ nomine debetur.

De altera vero, quæ nobis eſt cauſa, ut Viris ampliſſimis libros noſtros conſecremus, nihil eſſe cenſeo, quod longiorem poſtulet orationem. Quem enim ego mihi Mæcenatem alium adſciſcerem, a quo majus & mihi, & operi meo præſidium ſperarem ac decus? Equidem ſi de Patrino deligendo diu multumque mecum cogitare, remque omnem in deliberationem adducere vellem, quocunque verterem me, ad Te tandem reverti, tandem in Te uno conquieſcere deberem: in quo videlicet omnia eaque præſtantiſſima reipublicæ litterariæ præſidia parata eſſe video, quæ vel a natura, vel a fortuna, vel a virtute proficiſcuntur. Ab ea quippe, quæ tibi naturaliter indita eſt, in litteras propenſione habes ut velis, a florentiſſima fortuna ut poſſis, ab eximia virtute ut gaudeas litteris, ac Litteratis eſſe Patrocinio, præſertim ubi Litteratorum Patrocinium cum Orthodoxæ Fidei cauſa ſit conjunctum, ut certe illud conjunctum erit Patrocinium, quod mei, meorumque laborum humaniſſime ſuſcipies. Nam Operis argumentum (ut de eo pauca dicam) neque profanum eſt, neque ignavum, ſed quantumquantum eſt, totum ſacrum, & pugnax, totum ex intimis Polemicæ Theologiæ penetralibus erutum, ac depromptum; eaque de cauſa te Patrono digniſſimum. Neque enim eo ſcribo, ut mihi nomen aliquod, aliis aliquid fortaſſe oblectationis quæram, ſed ut communi utilitati cenſum meum quantumvis tenuem, & exiguum conferam: uni quippe huic inſervire ſemper mihi cordi fuit, ac pro ea non hunc dumtaxat laborem, utut periculi plurimum eidem inſit, & aleæ, & ultro ſuſcipio, & aliis obviam ire non detrecto. Quod quidem in omnibus meis elucubrationibus pro modulo meo conatus ſum, & in hac ipſa ita conor, ut ſi minus aſſequar quod contendo, contendiſſe tamen præclarum mihi putem, ac jucundum. Verum nolim equidem aliter hæc a quopiam accipi, atque ego ſentio, perinde quaſi aut mihi, aut aliis proſcriptarum jam Theſium ſenſa perveſtiganda putem, antequam Sedis Apoſtolicæ Auctoritati, pro eo ac decet Catholicum hominem, pareamus. Sentio enim ego, PRINCEPS EMINENTISSIME, quod qui recte ſapit quiſque ſentit; ſentio, inquam, eas nulla diſquiſitione adhibita rejiciendas eſſe omnino, atque execrandas. Numquam ego aut me, aut alium quempiam eatenus tantum Pontificiæ Auctoritati, hoc eſt Divinæ, addictum velim, ut Sanctiſſimis ejus Sanctionibus, nonniſi præmiſſa expoſitione, fidem exhibeat. Præpoſtera eſt iſthæc credendi ratio, nec obe-

dientis animi, ſed arrogantis, qui fidem non debeat, ſed ſibi plus a quo poſtulet. Ex iis nos velim eſſe, atque haberi, qui captivantes intellectum in obſequium Chriſti, quod minime intelligunt, maxime credunt: tum fidem conſequente intelligentia, quod modo non intelligendo crediderant, nunc credendo intelligunt. Ita profecto comparatum eſt a Divino Spiritu, ſapienterque inſtitutum, ut poſt Fidei donum dono Sapientiæ inſtruamur, ut ſciamus, quæ a Deo donata ſunt nobis. Quo quidem fiet, ut & nobis noſtram gratulemur fidem, & aliis, ſi qui ſunt, ſuam exprobremus arrogantiam, ſive abſurdam, ac præpoſteram credendi rationem. Patere itaque, PRINCEPS EMINENTISSIME, patere, inquam, ut hoc qualecunque Opus ſub inclyti tui Nominis umbra, ſeu luce verius appareat, & ſi nihil aliud me niſi Orthodoxæ Fidei cauſa in his diſſertationibus meis agere intelligis, pro illo ſingulari ſtudio, quo Catholicam Religionem tueris, ac foves, Opellam hanc, quæ tuam ſe in tutelam conferre geſtit, qua ſoles humanitate ſuſcipe, quo potes patrocinio tuere. Sic enim fiet, ut me, & Societatem univerſam novo hoc nomine devinctam habeas; & ad præclara tua in Chriſtianam rempublicam merita hoc tuo facto nonnihil accedet.

Eminentiæ tuæ

Humillimus, Addictiſs. & Obſequentiſs. Serv.

Dominicus Viva e Societ. Jeſu.

TYPOGRAPHUS
AD
LECTOREM.

TAndem aliquando, Superis annuentibus, datum eſt mihi, Amice Lector, Trutinam hanc Antiqueſnellianam jampridem ab Auctore elucubratam, & communibus exoptatam votis, e meis Tibi typis exhibere. Illud oro, obteſtorque, ut ſi nonnulla obrepſerint menda, ea benigne condones: Siquidem in hujus Operis editione a mea Typographia longe abfuit Auctor, nec integrum ei fuit Autographum tranſmittere, prout opus erat, perpolitum. Miraberis profecto, quod Opus jampridem elaboratum non fuerit ad limam accuratius revocatum, & numeris omnibus abſolutum. Sed mirari deſinas. Auctor expendendis, & confutandis proſcriptis Theſibus aſſuetus, (quod ex primo Theologicæ Trutinæ damnatarum Theſium tomo ab eodem conſcripto facile eſt dignoſcere) ut primum accepit Pontificio diplomate unam, & centum Queſnelli Theſes de Vaticani Cœlo fuiſſe tactas, & anathemate fulguritas, zelo, quo flagrat, incenſus, hanc etiam ſpartam adornare, illaſque ſuis rationum momentis perpendere, ac rejectare meditabatur. Curæ tamen non leves, quibus id temporis ex Moderatorum ſuorum juſſu diſtinebatur, Studiis hiſce operoſiſſimis animum adjicere non ſinebant. Ubi tamen compertum fuit, nonnullos in Gallia, etiam infulatos, per ſummam Sanctæ Sedis injuriam Conſtitutioni huic Pontificiæ ſubſcribere renuiſſe, donec de intelligentia Theſium confixarum certiores redderentur, acrioribus ad tantum Opus aggrediendum ſtimulis concitatus fuit, non quaſi vero ſpes inde affulgeret, ut Refractarii ad bonam frugem revocarentur, (quis enim id ab iis ſperet, qui intellectum in obſequium Pontificis e Cathedra loquentis captivare dedignantur?) ſed ut docibiles Eccleſiæ filios Controverſiis hiſce non plene inſtructos, ac Tyrones Theologos de Theſium iſtarum fucata falſitate edoceret, ne faciles præberent aures hoſtibus tendentibus inſidias. Propterea quamvis extraneis circumſeptus curis, manum tabulæ admovit, ſedulam adeo navando operam, ut nocturnas perſæpe e ſomno horas eriperet, cum non liceret uti diurnis. At

inten-

intenſiſſimum ſimul, ac diuturnum laborem imbecillitas humana diu ferre non valuit, quinimmo dum ad exitum calcaribus admotis properaret, ita labori ſuccubuit, ut bis apoplecticis inſultibus graviora minitantibus correptus fuerit. Qua de cauſa Archiatri, amicorumque conſiliis morem gerere oportuit, & ab omni prorſus ſtudio aliquantiſper ſuperſedere, donec affectæ vires inſtaurarentur. Viribus autem vix refectis finem Operi utcunque impoſuit, quin tamen ad limam revocaverit; quandoquidem juſtis de cauſis Operis editio differenda erat, donec omnes in Gallia Conſtitutioni ſubſcriberent, quod mox affuturum credebatur.

Interea loci, dum inſtanter, pugnaciterque Queſnellianarum Theſium explanatio ab ipſomet Pontifice facienda ad eluſionem, non ad elucidationem ab iis expoſceretur, qui Conſtitutioni ſubſcribere renuebant, nec Pontifici liceret petitioni huic, utpote Sanctæ Sedi graviter injurioſæ, ullatenus annuere, operæ pretium duxit Auctor ſuam Theſibus uſquequaque profligatis Anacephalæoſin annectere, qua paucis palam fieret, nulla illas explanatione Pontificia indigere, cum germanus verborum ſenſus omnes, & ſingulas ſua cenſura digniſſimas abunde proderet. Hujuſcemodi conſilium ad rem maximopere conducere omnibus viſum eſt. Cum vero ſpes illa exoptatæ, ac expectatæ ſubſcriptionis tamdiu inaniter omnes lactaſſet, nec aliud Gallia, niſi verba daret, communi ſuffragio judicatum eſt, nihil eſſe cauſæ, cur editio hujus Antiqueſnellianæ Trutinæ diuturnius protraheretur. Facta proinde poteſtas Auctori fuit illam evulgandi. Quod ubi innotuit, ecce tibi non pauci illum conveniunt, ut illico nulla interpoſita mora Autographum prælo committeret, quamvis extrema illi manus non eſſet impoſita; Specialis quippe ſedulitas eorum, qui typis corrigendis præſunt, facili negotio expolire poſſet quicquid in operis elucubratione nocturnis ſæpe, ac ſucciſivis horis feſtinans calamus neglexit. Hiſce amicorum votis reluctari non licuit, præſertim ubi Eminentiſſimum Urſinum jampridem Mecænatem ſuum (quem duntaxat nominaſſe, in Cœlum ſummis laudibus extuliſſe eſt) non ſuaſorem modo, ac impulſorem Auctor habuit, ſed etiam, quod miram ejus benignitatem ſummopere commendat, inſueta dignatione Cenſorem pariter, & Approbatorem. Nec defuerunt humaniſſima zelo efferveſcentis Eminentiſſimi Pignatelli imperata, (cujus etiam commemorato nomine exelſum Eccleſiaſticæ Purpuræ faſtigium audientis animo oboritur) quomodo autem ea præterire poterat, qui tot nominibus ſe ei obæratum profitetur? Verum quia quantaquanta ſit Correctoris ſedulitas, mendis omnibus expurgare typos vix unquam

datur;

datur; quid, oro, in hoc volumine expectandum erit, in cujus editione & Auctoris præsentia, & characterum perspicuitas, & coronis Operis desideratur?

Accedit, quod Auctor, tum ut quantocyus zelo, quo incenditur, ac amicorum votis faceret satis, tum etiam ut dilucide, quoad ejus fieri posset, ea exponeret, quæ acrem ipsam Theologorum aciem obtundunt, obviis Scholasticorum phrasibus usus est, nec puduit illum etiam aliquando veluti ad Barbarismos descendere, ubi ad elucidationem rei arcanæ, ac sublimis intelligentiæ id expedire videbatur; Augustini vestigia sequutus, qui in Expositione Psalmi 138., ne Os pro Osse sumptum, & Os pro Ore confunderentur, barbarismo illo usus est, dicendo Ossum, ubi de osse loquebatur, perspicuitati magis consulens, quam elegantiæ sermonis, hæc scribens suo Auctore dignissima: *Habeo in abscondito quoddam Ossum; Sic enim potius loquamur: Melius est, ut reprehendant nos Grammatici, quam non intelligant populi.* Propterea hac etiam de causa plurima erant in Autographo corrigenda, varianda, expolienda, contrahenda, ac magis firmanda, si per tempus licuisset; quæ sane omnia in Auctoris absentia præstari ab aliis minime poterant, utut libera iis potestas facta fuisset. Quare sicut Auctori condonandum, quod bono publico id Operis exhibuerit, quamvis nondum incudi redditum; ita condonandum mihi, quod præter hujus Typographiæ morem nonnulla in eo cudendo neglexerim, nec illud a mendis omnino expurgare potuerim, cum & ipse ad festinandum tum Auctoris literis fuerim compulsus, tum etiam precibus eruditorum. Quod si hic etiam alter Theologicæ Trutinæ tomus iterum iterumque prælo subjiciendus sit, prout in obsequium Orthodoxarum veritatum spero affuturum, tunc meæ profecto partes non desiderabuntur. Vale.

Hactenus in prima Editione ad Lectorem Typographus: Cui illico altera Neapolitana successit Editio: Huic Tertia Beneventana: Et nunc in lucem prodit hæc Quarta, in qua Typographus promissis stare conatus est. Sicut autem Auctor operæ pretium censuit nonnulla aut adjicere, aut nonnihil immutare, ut magis rationum efficacitati, ac perspicuitati consuleret; ita ipse a non paucis, quibus prima Editio scatebat mendis, ac maculis, quoad ejus fieri potuit, absterst; omnia quippe omnino menda a Typis non parvi Codicis amandare, humanam superat sedulitatem.

EMI-

EMINENTISSIMO, E REVERENDISSIMO SIGNORE.

NIccolò Pignatelli Stampatore Arcivescovile espone umilmente a Vostra Eminenza, come desidera far dare alle Stampe il Libro intitolato : *Trutina Theologica Thesium Quesnellianarum, Auctore P. Dominico Viva Societatis JESU.* Supplica pertanto Vostra Eminenza a degnarsi di commettere la revisione a chi comanderà. Ut Deus. &c.

Vidimus, Probavimus, & ideo Imprimatur. Ex nostro Archiepiscopio die 2. Septembris 1716.

Frater Vincentius Maria Cardinalis Ursinus Archiepiscopus.

JACO-

JACOBUS PERRECA

Præpoſitus Provincialis

SOCIETATIS JESU

In Regno Neapolitano.

CUM Librum, cui titulus: *Trutina Theologica Queſnellianarum Theſium Tomus Secundus, Pars Quarta*, a P. Dominico Viva Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; poteſtate ab Adm. Rev. P. noſtro Michaele Angelo Tamburino Præpoſito Generali nobis tradita, facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo Societatis noſtræ munitas dedimus.

Neapoli die 25. Auguſti 1716.

Jacobus Perreca.

PRI-

PRIVILEGIUM.

CAROLUS

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS, & HISPANIARUM REX.

WIrricus de Daun Comes Sacri Romani Imperii, Princeps Status Theani, Eques insignis Ordinis Aurei Velleris, Conſiliarius Status Suæ Cæſareæ, & Catholicæ Majeſtatis, Perpetuus Gubernator Civitatis Viennæ, Præfectus unius Turmæ Peditum, Mareſcallus Generalis, Dux Generalis Militiarum Suæ Cæſareæ, & Catholicæ Majeſtatis, & in præſenti Regno Vice-Rex, Locum tenens, & Capitaneus Generalis: Magnificis Viris Nicolao Pignatelli, & Berardino Geſſari Fidelibus Dilectis Gratiam Regiam, & bonam voluntatem. Nuper ex veſtri parte fuit Nobis præſentatum infraſcriptum memoriale tenoris ſequentis, videlicet: *Eccellentiſſimo Signore, Niccolò Pignatelli Stampatore Arcivescovile di Benevento, e Bernardino Geſſari Libraro in Napoli, ſupplicando eſpongono a V. E. come hanno fatto dare alle ſtampe con gran diſpendio un libro in quarto intitolato*, Trutina Theologica Theſium Queſnellianarum, Auctore P. Dominico Viva Societatis JESU, *non ſolo colla licenza, ma ancora coll' immediata approvazione dell' Eminentiſſimo Orſini. E perchè temono, che altri vogliano riſtamparlo; pertanto pregano V. E. a degnarſi di proibire, che verun altro poſſa per lo ſpazio di dieci anni riſtamparlo nel Regno, e ſe altrove ſi riſtampaſſe, non poſſa qui eſporſi venale ſenza loro licenza, ut Deus.* Quo tenore ſupradicti memorialis per Nos viſo, conſiderantes dictum librum intitulatum, Trutina Theologica Theſium Queſnellianarum, Auctore P. Dominico Viva Societatis JESU, maximam utilitatem afferre, veſtris propterea ſupplicationibus inclinati, tenore præſentium de certa noſtra ſcientia, cum deliberatione, & aſſiſtentia Regii Collateralis Conſilii apud Nos aſſiſtentis, ſtatuimus, quod nemini liceat per annos decem a die datæ præſentium in antea decurrendos ſupradictum librum ut ſupra expreſſum imprimere, nec ullatenus imprimi facere in hoc Regno, nec alibi impreſſos in Regnum ipſum immittere, nec immiſſos vendere, nec tenere abſque ſpeciali permiſſione, & veſtra licentia, veſtrorum hæredum, & ſucceſſorum dicto tempore perdurante, & ſi aliqui contra noſtram ordinationem facere, vel attentare præſumpſerint, ipſo facto, ipſoque jure incurrant, & incurrere intelligantur in pœnam unciarum auri quinquaginta vobis, vel veſtris hæredibus, & ſucceſſoribus pro medietate, ac pro alia medietate Fiſco Regio applicanda, & opera taliter impreſſa, aut quomodolibet ex qualibet parte in hoc Regno immiſſa devolvantur, & ſint veſtra, vel veſtrorum hæredum, & ſucceſſorum; Mandantes propterea per præſentes omnibus, & ſingulis Officialibus, & Subditis Regiis Majoribus, & Minoribus quocumque nomine nuncupatis, titulo, officio, authoritate, poteſtate, & Juriſdictione fungentibus, ad quos, ſeu quem præſentes pervenerint, & fuerint quomodolibet præſentatæ, unicuique in ſua Juriſdictione, quod vobis, ſeu aliis legitimis perſonis ex Veſtri parte præſtent, & præſtari faciant omne auxilium, conſilium, & favorem neceſſarium ſuper conſecutione dictæ pœnæ pecuniariæ, ac dictorum operum impreſſorum in Caſibus prædictis vobis devolutorum, adeo quod de prædictis ad Nos recurſum habere Vobis neceſſe non ſit, & ſi ſecus factum fuerit, ſtatim incurrant in iram, & indignationem Regiam, ac pœnam ducatorum mille; In quorum fidem hoc præſens Privilegium fieri fecimus, Magnifico præfatæ Majeſtatis Sigillo pendenti munitum.

Datum in Regio Palatio die 31. menſis Octobris 1716.

Vvirricus Comes de Daun.

Vidit Gaeta Regens.
Vidit Mazzacara Regens.
Vidit Miro Regens.
Vidit Alvarez Regens.

Franciſcus Antonius Benocore Regius Cancellarius.

PROOE-

PROŒMIUM,

In quo de Appellatione ad futurum Concilium.



Uam luculenter, ac diſerte Supremus Hierarcha, & quanta Aſſiſtricis Sapientiæ facundia in nupero diplomate ingenti Chriſtifidelium exultatione in lucem edito, centum, & unius doloſarum Theſium Queſnellianarum calliditatem expendat; quanta perſpicacia, ac zelo illis occurrat, nemo eſt, quin videat. Ingemiſcens Paſtor amantiſſimus, quod Dominico gregi plurimæ ex iis inſidiæ compararentur, ad eas detegendas e ſpecula Vaticani inclamando animadvertit, ſub ovinis pellibus contegi rapaces lupos, & ſub verſutis ſeductionibus, ac fallaciis homines in viam perditionis abduci. Etenim ſi verborum corticem in hiſce theſibus ſpectes, ſpeciem quandam pietatis plurimæ oſtentant; ſin autem nucleum doctrinæ deguſtes, ſuccum hauris virulentum; Calvinianæ quippe, & Janſenianæ hæreſes iterum, iterumque veluti a ſua tabe depuratæ propinantur; dum tamen luem peſtiferam occultant, eo lethalem magis, quo minus in oculis, conſpectuque expoſitam, quippe fuco, ac pigmentis illitam fraudulenter. Olim in Paradiſo voluptatis Protoparentibus noſtris vaferrimus Serpens verbis deceptoriis illuſit; Nunc autem in Paradiſo Eccleſiæ Adæ poſteris toto niſu conatur imponere, non Hydra ſepticeps, uſquequaque virus eructans, a qua homines reformident, ſed centiceps anguis in centeno harum Theſium numero, verbis eo magis fallacibus, quo magis religionem, ac pietatem in ſpeciem afflantibus, ac Sanctitatem redolentibus; Ut proinde illud Proverb. 7. uſurpandum ſit: *Dic Sapientiæ, ſoror mea es, & Prudentiam voca amicam, ut cuſtodiat te a muliere extranea, & ab aliena, quæ verba ſua dulcia facit.* Extranea quippe, & longe aliena a Catholica veritate ſit nobis obviam in Queſnelliano Codice doctrina, quæ verba ſua dulcia facit; ideoque ne tot illecebris decipiamur, Sapientia tanquam Soror ſolicite nobis in præſidium advocanda, & Prudentia tanquam amica conſulenda eſt.

Equidem ut Theſium iſtarum fraudulentia deprehendatur, non ſemper facile obvia iis, qui vix a limine Theologicam facultatem ſalutarunt, utpote ſub verbis bracteatis deliteſcens, pro modulo meo nonnihil de iis, ubi opus erit, diſceptabo, & ubi ſub pietatis cortice nucleum contegunt venefico, ac peſtifero ſucco imbutum, ibi altius genuinum figam,

ut

ut foras tabifica labes erumpat, atque horrorem, ac metum incutiat incautis.

Verum quia ex his plurimæ originem ducunt ſuam e lacunis aliarum theſium jampridem confixarum, præſertim Janſenii, & earum, quibus nigrum theta præfixit Alexander VIII., ad quas confutandas rationum momenta ſatis ſuperque olim expendi, propterea ne crambem hic recoctam apponam, ubi Queſnellianæ Theſes cum iis cognationem habeant, paucis me expediam; iiſdem quippe telis confodiendæ ſunt: Ubi vero alia omnia in medium adducant, jaculis e Theologica pharetra depromptis pro virili refellam, & inſectabor: quod ſi vires deſiderabuntur, veritas ipſa amentatas haſtas intorquebit. In eo autem ſedulam impendam operam rudis Theologus, ſed veritatis Catholicæ ſectator acerrimus, ac Sedi Apoſtolicæ ex propria Inſtituti ratione devinctus, & obæratus, ut ementitos ex illis colores auferam, & perſonam, quam ſæpe præſeferunt, pietatis evellam: byſſinis enim, ac mellitis verbis identidem virus propinant, & laqueum obtendunt improvidis, ut proinde ſupremus Hierarcha in ſuo diplomate buccinando, omnibus jure præcautum voluerit; *Mollitos eſſe ſermones eorum ſuper oleum, & ipſos eſſe jacula, & quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde.*

Illud tamen præmonendum operæ pretium arbitror, fere communiſſimam eſſe Catholicorum ſententiam, Eccleſiæ acceptationem, aut conſenſum nullatenus deſiderari in Pontificiis decretis ad fidem, aut more ſpectantibus, ut infallibilitatem ſortiantur ex aſſiſtentia Spiritus Sancti promanantem, etiamſi extra Concilium Pontifex aliquid decernat: Quod paſſim Doctores ſub oculis ponunt, ne quis perfricta fronte de falſitate theſium proſcriptarum ambigere poſſit. Si enim ad hæc definienda requireretur aut auctoritas Concilii OEcumenici, aut ſaltem, ut nonnulli perperam docent, acceptatio facta ab Eccleſia, aut ab ejus Epiſcopis, non dixiſſet Chriſtus D. uni Petro qua ſuo Viceſgerenti Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Et Lucæ 30. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*: ut proinde Concilium Florentinum ſeſſ. 25. definierit: *Pontificem eſſe Doctorum Doctorem, & ipſi paſcendi, regendi, & gubernandi Univerſalem Eccleſiam a Chriſto Domino plenam poteſtatem traditam eſſe*: Non eſſet quippe plene collata uni Pontifici iſta poteſtas, ſi nonniſi a Conciliis Generalibus ea poſſet exerceri. Immo cum non poſſint de facili Concilia Oecumenica convocari ad damnandas hæreſes, quæ ſubinde in Fidelium perniciem ſuboriuntur, ad bonum Eccleſiæ regimen oportuit uni Petro, ejuſque Succeſſoribus pleniſſimam tribui facultatem definiendi ex Cathedra, atque adeo ſub Aſ-

ſiſten-

ſiſtentia Spiritus Sancti quæcunque ad fidem, & mores pertinerent. Tunc autem ex Cathedra loquitur Pontifex, ut docent communiter cum Suario lib. 1. contra Regem Angliæ cap. 3. quoties tanquam Doctor, & Magiſter a Chriſto Domino conſtitutus alloquitur Eccleſiam ſibi demandatam, proponendo illi, quæ ab omnibus Fidelibus infallibiliter credenda, aut obſervanda ſunt, præmiſſis antea, ut moris eſt, orationibus, & conſultationibus, ut dignetur Spiritus Sanctus loquenti, ac docenti ſuis illuſtrationibus opem ferre perneceſſariam. Sicut autem oportuit, ut identidem etiam extra Concilium Pontifex ex Cathedra loqui poſſet ſub Spiritus Sancti præſidio, atque adeo cum infallibilitate in ſuis definitionibus, ita oportuit, ut infallibilitas iſta definitionibus Pontificiis competeret ante quamcunque acceptationem factam ab Eccleſia, aut ab ejus Epiſcopis, prout fere communiſſima Doctorum omnium fert ſententia; Quod evidenter conſtat, tum a poſteriori ex praxi Eccleſiæ, in qua plurima a Pontificibus, tam in Conciliis, quam extra Concilia definita ſunt, quin conſenſus, & acceptatio ab aliis totius Orbis Epiſcopis expectata fuerit; tum etiam quia iſthæc acceptatio non facile ab Eccleſia per totum Orbem diſperſa haberi potuiſſet; cum non facile ad omnes tranſmitti poſſint rationum momenta, quæ animum Pontificis paſſim movent ad loquendum ex Cathedra; tum demum quia Chriſtus Dominus, quando contulit Petro ſuo Vicario hanc poteſtatem, tunc coram aliis Apoſtolis, qui Eccleſiam, ſeu Concilium repræſentabant, dixit laudata verba: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, quin ullatenus ſignificaverit, quod alii etiam Apoſtoli ad Pontificias infallibiles definitiones quomodolibet influerent, aut per eorum conſenſum, aut per acceptationem: Præcipue cum Pontifex non ab Eccleſia, ſed immediate a Chriſto Domino poteſtatem habeat loquendi ex Cathedra, atque adeo nullatenus poſſit definitionis Pontificiæ infallibilitas pendere ab Eccleſiæ, vel Epiſcoporum conſenſu, aut acceptatione; ut fuſe oſtendimus in quæſtione prodroma Trutinæ, & in expoſitione Theſis XXIX. ab Alexandro VIII. confixæ, quæ habet: *Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate*: ubi umbratiles Adverſariorum ratiocinationes evacuavimus; Et nonnulla etiam huc ſpectantia dicemus in expoſitione Theſis nonageſimæquartæ Queſnellianæ. Quod auctoritate dilucida D. Auguſtini validiſſime roboratur. Hæc enim habet S. Doctor ſerm. 2. de Verbis Apoſtolis: *Reſcripta Apoſtolica venerunt, Cauſa finita eſt; Utinam aliquando finiatur error!* Quare ad dirimendas in rebus fidei quæſtiones nulla opus eſt Oecumenici Concilii definitio-

ne, nullo conſenſu, ſeu acceptatione Eccleſiæ, ſed ſatis eſt, quod ex Cathedra Pontifex loquatur: cum ſupra hanc unice Petram dignatus ſit Chriſtus Dominus Eccleſiam ſuam ædificare. Quod diſertius idem Auguſtinus docuit in calce libri quarti contra duas Epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium dicens: *Aut vero Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi congregatione damnata ſit; cum potius variſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit; multoque ſint, atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerent; atque inde per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt. Verum iſtorum ſuperbia, quæ tantum ſe extollit adverſus Deum, ut non in illo velit, ſed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur, Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis reſiſtente pervertere nequeunt, ſaltem commovere conantur; Cum potius vigilantia, & diligentia Paſtorali, poſt factum illis competens, ſufficienſque judicium, ubicumque iſti lupi apparuerint, conterendi ſint, ſive ut ſanentur, atque mutentur, ſive ut ab aliorum ſalute, atque integritate vitentur.* Hoc pariter communiſſime alii etiam Sancti Patres docent, ut videre eſt apud Bellarm. lib. 1. de Romano Pontifice cap. 10. Propterea in Concilio Complutenſi confirmato a Sixto IV. damnatus fuit Petrus Oxomenſis, quatenus aſſerebat *Eccleſiam Urbis Romæ errare poſſe*. Et S. Generalis Inquiſitio Hiſpaniæ, prout teſtatur De Aguirre tract. 3. ſect. 4. ut minimum tanquam erroneam, & hæreſi proximam proſcripſit hanc theſim: *Papam in dirimendis ex Cathedra Fidei quæſtionibus non eſſe infallibilem.*

Non negaverim tamen conſultum eſſe, ut Epiſcopi Regionis illius, in qua forte ut cancer ſerpit peſtilens aliqua opinio, quam Pontifex cenſuit ex Cathedra proſcribere, ſtatim Pontifici privatis, & communibus obſequiis gratias agant, quod ſua authoritate, & infallibili decreto opem tulerit ad errorem illum profligandum; Idque non ut ſuo conſenſu, tanquam ab Eccleſiæ acceptatione, robur ſumat, & infallibilitatem ullatenus hauriat Apoſtolica definitio; Etenim ſi talis acceptatio requireretut, non ab unius dumtaxat regionis Epiſcopis, ſed ab Epiſcopis totius Orbis expectari deberet; quo quid abſurdius? Sed quia id expedit ad præcludendas refractariorum evaſiones, qui ad ſuos errores pertinaciter propugandos, non raro opponunt, Cenſuram Pontificiam vim dogmatis non habere, donec accedat Eccleſiæ, & Epiſcoporum acceptatio, juxta doctrinam, quam nonnulli ex Catholicis propugnarunt. Et quamvis ea fere communiſſime rejectetur, adhuc tamen operæ pretium eſt oſtendere, quod nullatenus poſſit excuſari exoticis, ac futilibus hiſce doctrinis contumacia eorum,

qui

qui renuunt intellectum captivare in obsequium Christi.

Hac tantum de causa Episcopi Gallicani gratias retulerunt Innocentio X. statim ac quinque illis Jansenii thesibus nigrum theta præfixit; Nec aliter unquam se gessit Gallia jam inde ab Ecclesiæ primordiis; & nunc etiam idem præstiterunt plerique ex Galliæ Episcopis erga SS. D. N. Clementem XI., qui tanto Religionis Catholicæ zelo repullulantia in iis regnis Jansenianæ Hydræ capita suo diplomate contundere dignatus est.

Quibus adde, quod licet ad Dogmatis infallibilitatem omnium Ecclesiæ Episcoporum acceptatio expectanda esset, ea satis superque jam nunc habeatur relate ad præsentem Pontificiam Constitutionem, qua tot censuris Theologicis Theses Quesnellianæ feriuntur; Cum fere omnes Galliæ Episcopi disertis verbis illam acceptarint, omnesque alii universalis Ecclesiæ Episcopi in eandem implicite conspirarint non dissentiendo, aut etiam explicite, illam publicando statim in suis Diœcesibus, ut servaretur.

Quamvis autem Episcoporum nonnulli in Gallia nonnullarum ex hisce Quesnellianis thesibus explicationem exposcerent, ut facili negotio posset earum personata falsitas etiam ab imperitis deprehendi; Ea tamen nec ad validitatem Pontificiæ Constitutionis ullatenus confert, ut est in confesso; nec oportuit superaddi, cum omnium omnino istarum thesium calliditas, & dolus non obscure pateat introspicientibus erroneum Auctoris scopum; Et licet non omnibus vel indoctis id innotescat primo intuitu (ut nec facile omnibus perspicua sunt etiam illa, quæ nobis jure naturali vetantur) Doctoribus tamen jure merito id ediffe-rendum relinquitur, juxta consuetum Ecclesiæ morem, ut omnes ad veritatem pervestigandam incitentur, & sic altius menti insideant quæcumque nobis Deo edocente ediscenda sunt. Nec aliter ipsa etiam sacrorum Bibliorum eloquia quam subobscure nobis proponuntur, ut ad Scripturas scrutandas juxta Christi D. monitum (Jo. 5.) impellamur.

Quis autem adeo quasi truncus, atque stipes, ut non intelligat, ea de causa Thesium confixarum explanationem, antequam ejurentur, a Jansenianis exposci, ut hac arte incautis imponendo Auctoritatis Pontificiæ irrefragabilitatem labefactent, & inde ad excutiendum suave jugum obedientiæ Christi Vicesgerenti debitæ progrediantur? Quis enim dubitet, irrefragabilitatem Pontificiæ doctrinæ prosterni, dum petitur istarum thesium confixarum enodatio, (qua sane illæ non indigent, nisi nodus in scirpo quæratur) ut absolute rejectentur? perinde quasi contingere posset, quod ab Apostolica Cathedra thesis ulla proscribatur in sensu non proscri-

bendo. Nonne id eſſet evertere fundamentum a Divina Chriſti Sapientia providentiſſime jactum ad Eccleſiam ſuam ædificandam, dum uni Petro, tanquam ſui Vicario, coram aliis Apoſtolis dixit Matth. 16. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam?* Inſulſe autem ab Heterodoxis dicitur nomine Petri ipſa Eccleſia denotata fuiſſe, cum minus apte dicatur Eccleſia ſupra Eccleſiam ædificari. Præterquamquod uni Petro in præmium trinæ dilectionis, quæ trinæ ejus negationi reſpondebat, coram aliis pariter Apoſtolis dictum fuit, quod non ſolum Agnos paſceret, ſed etiam Oves, nempe Epiſcopos, qui Agnos pariunt, & ad ovile Chriſti adducunt; Unique Petro dictum fuit, quod poſt ſuam converſionem fratres ſuos in fide confirmaret. Acquieſcendum itaque tanquam Dei ipſius verbo doctrinæ Pontificis Eccleſiam univerſam ex Cathedra docentis, utpote vivæ Regulæ fidei; Eſto nonnulla antequam ediſſerantur, ex pervicacia ne dixerim pravæ voluntatis, an ex inſcitia intellectus indiſpoſiti? obſcura, immo etiam ambigua videantur.

Et ſane ſi admiſſa hactenus a Janſenianis Pontificis in re dogmatica inerrabilitate, adhuc lues Janſeniana graſſatur, quamvis per duodecim, & amplius luſtra tot Conſtitutionibus Apoſtolicis continenter ea fuerit cominus oppugnata: quid, quæſo, eveniret, ſi Pontificia inerrabilitas in dubium revocaretur? prout re vera in dubium revocatur, dum poſcitur theſium confixarum expoſitio, antequam reprobentur. Quod autem Pontificiam hanc inerrabilitatem hactenus Janſeniani ſaltem externa ſpecie venerati ſint, ex eo fit perſpicuum, quia nunquam auſi ſunt de ea palam ambigere, ſed ſolum aliis aliiſque cavillationibus mucronem Apoſtolicum conati ſunt declinare; videlicet nunc aſſerendo Bullam Urbani VIII. *In Eminenti*, in qua Bajanæ theſes damnantur, & Janſenii illas recudentis liber prohibetur, eſſe ſubreptitiam, ut dicitur in theſi trigeſima prima ab Alexandro VIII. confixa: Nunc expoſcendo per Epiſcopos Gallicanos propriam de ſingulis Janſenii proſcriptis theſibus cenſuram; quam tandem exhibuit Innocentius X. Nunc inficiando confixas theſes in Janſenii Codice reperiri (prout olim nonnulli ex Arianis, ejurando Arianas theſes a Concilio Nicæno proſcriptas, renuebant anathema Ario dicere, quippe quem contendebant ab iis erroribus fuiſſe immunem) quod tamen erat velle oculis totius Orbis imponere: Nunc vero permittendo, quod illæ in Janſenii Auguſtino diſerte legantur, negarunt tamen, ac pernegarunt, in eo ſenſu a Janſenio uſurpatas fuiſſe, in quo ab Eccleſia damnantur: Nunc implicatis quæſtionibus juris cum quæſtionibus facti pervicaciter contendendo, extra Sphæram Pontificiæ definitionis eſſe, quod indubitabiliter definiantur, quæ ad factum pertinent: Nunc

de-

demum recurrendo ad ſilentium obſequioſum, perinde quaſi ſatis ſit, errorem in fide exterius non profiteri, quamvis interius retineatur, nec virus noceat, ſi foras non erumpat: quod a Regnante Pontifice in Bulla *Vineam Domini Sabaoth* diſertiſſime damnatum fuit. Nunquam itaque Janſeniana petulantia eo devenerat, ut inerrabilitatem Conſtitutionibus dogmaticis audacter, & libere denegaret, eſto ſemper ictum cavillationibus, & effugiis, quoad ejus fieri poterat, enixa ſit declinare, irrito tamen conatu. Ubi vero perturbatores iſti Eccleſiaſticæ pacis ab iteratis Apoſtolicis Diplomatibus omnes omnino ad effugiendum aditus ſibi præcluſos conſpexere: ecce tibi novam, & inacceſſam ineunt viam ad eludendam eorum vim: Et primo quidem non aperte, ac palam negando Pontificiis definitionibus irrefragabilitatem, ſed illam ex inſidiis velut in dubium revocando, dum contendunt Queſnellianas Janſenianis affines confixas theſes, tanquam ambiguas, non eſſe rejectandas captivando intellectum in obſequium fidei, antequam explanentur, & ſenſus erroneus a ſenſu, quem forte per machinam ſuſcipere poſſunt, Catholico ſecernatur. Audienda non erat, nedum exaudienda, proterva iſthæc Janſenianorum poſtulatio, utpote Sanctæ Sedi oppido injurioſa: Hinc deinde quo ſe verterent amplius neſcii, omni abjecto pudore ad negandam irreformabilitatem judicii Pontificii velut ad ſacram, ſeu potius execrandam anchoram ſe converterunt, eatenus ad futurum Generale Concilium appellando, perinde quaſi poſſet Concilium a Pontificiis definitionibus in rebus fidei, ac morum diſcrepare, adeo ut Concilii decretum decreto Pontificis dogmatico prævalere poſſit, cum omnibus compertum ſit, non ſemel Conciliorum definitiones a Pontificibus, numquam tamen Pontificias definitiones a Conciliis fuiſſe emendatas; quandoquidem, ut Conciliares definitiones vim habeant dogmatis, auctoritate prius Pontificia debeant firmari; nullatenus vero Pontificiæ definitiones a Conciliis confirmandæ ſint, ut fert antiquiſſima Eccleſiæ praxis, & communiſſima Doctorum Sententia, nixa promiſſioni uni Petro a Chriſto D. factæ de nunquam deſerenda Eccleſia ſua, & obligationi uni Petro impoſitæ paſcendi gregem ſuum, ut proinde Hieronymus lib. adverſus Luciferianos dixerit: *Eccleſiæ ſalus in Summa Sacerdotali dignitate conſiſtit, cui ſi non exſors quædam, & omnibus præeminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur Schiſmata, quot Sacerdotes*. Qua de cauſa Concilium Conſtantinopolitanum Quartum, quod inter Oecumenica eſt octavum, ſæculo nono actione quinta, diſerte teſtatum eſt, dogmaticam Pontificis ſententiam nullatenus immutari poſſe, eo quod Pontifex Organum ſit Spiritus Sancti.

Docuerunt quidem nonnulli ex Catholicis cum Gerſone, Almaino,

& aliis, teneri Pontificem Concilio Œcumenico obtemperare, atque adeo in iſto Superiorem poteſtatem agnoſcere. At id docuerunt ſolum tempore Schiſmatis loquentes de Pontificibus dubiis, qui ſane ad quietem Eccleſiæ tenebantur mandatis Concilii ſtare, donec indubius Pontifex præſtitueretur. Ubi autem de legitima Pontificis electione nihil dubitationis intervenit, nullatenus hic debet, aut poteſt Conciliis ſubeſſe, adeo ut oppoſita ſententia communiſſime tanquam erronea, & hæreſi proxima, ſi minus hæretica, habeatur.

At permittamus nunc figmentum iſtud, quod ſcilicet poſſit Concilium Œcumenicum ſubjicere ſibi Pontificem omnino certum, ejuſque judicium in re dogmatica reformare, quiſnam ſomniare poſſet, quod Concilium reformare etiam poſſit judicium Pontificis, cui univerſa Eccleſia ſubſcripſit, adeo ut Concilium non Pontificis dumtaxat, ſed Pontificis, ac univerſæ ſimul Eccleſiæ reformare poſſit? Propterea cum Conſtitutio Antiqueſnelliana *Unigenitus Dei Filius* ab Eccleſia ferme univerſa ſive explicite, ſive ſaltem implicite expanſis ulnis excepta ſit (demptis nonnullis Epiſcopis Gallicanis, qui nihil derogant univerſalitati Eccleſiæ) evidens ſit, non poſſe quicquam adverſus hujuſmodi Conſtitutionem ab ullo prorſus Concilio ſtatui, atque adeo appellationem ad futurum Generale Concilium (etiam diſſimulato, quod admitti non debet, Concilium Pontifici præeſſe) impræſentiarum confictam ſolum eſſe ad pervicaciter, & non incallide tergiverſandum.

Præterea fingamus pariter, quod ad audaciam hanc contundendam Concilium ex omnibus terrarum Orbis partibus convocetur, illudque decretis hiſce Pontificiis adhæreat (ad eum modum quo ſæculo quinto in Concilio Chalcedonenſi ex ſexcentis & triginta Epiſcopis fere ſexcenti a dogmatica S. Leonis Papæ Epiſtola ne latum quidem unguem receſſerunt) an idcirco Janſeniani manus darent? Nonne aut aliis, aliiſque cavillationibus Conciliares definitiones conarentur invertere, ut hactenus relate ad Pontificias definitiones præſtitere; aut ipſi etiam Concilio audacter eſſent diſſenſuri; non ſecus ac Dioſcorus cum perpaucis Aſſeclis Chalcedonenſis Concilii definitionibus contumaciter reluctatus fuit? Etenim ſicut laudatæ Conſtitutioni, quæ univerſæ ferme Eccleſiæ ſuffragio ſaltem implicito communita eſt, pauci admodum Janſenii Aſſeclæ omnibus viis, omnique conatu adverſantur: perinde quaſi paucorum judicium judicio totius Eccleſiæ præferendum eſſet: ita pariter Concilio ipſi Œcumenico iidem eſſent reluctaturi, ſi forte hac de cauſa convocandum eſſet. Conſtat quippe (ut advertit Pontifex in ſua Bulla *Vineam Domini Sabaoth*) *non defuiſſe, nec deeſſe homines veritati non acquieſcentes, & nunquam Eccleſiæ contradicendi finem facientes, qui variis diſtinctionibus, ſeu potius effugiis*

fugiis ad circumventionem erroris excogitatis, Eccleſiam turbare, eamque interminatis quæſtionibus, quantum in ipſis eſt, involvere, & implicare conantur.

Quare ſi Bajani, ac Janſeniani hactenus præſetulerint, eandem inerrabilitatem in Conſtitutionibus Apoſtolicis extra Concilium editis, ac iis quæ a Concilio eduntur, venerari, adhuc tamen perfricta fronte tot diſtinctiones, & cavillationes in medium protulerunt, ne ſubſcriberent condemnationi theſium utriuſque Pſeudo-magiſtri toties expoſitæ, ac innovatæ a Pio V., Gregor. XIII., Urban. VIII., Innoc. X., Clemente IX., Alex. VIII. Innoc. XII., & Clemente XI. & tandem perſona depoſita ad negandam inerrabilitatem Pontificiis Conſtitutionibus in re dogmatica cum totius Eccleſiæ admiratione, ac lacrymis prolapſi ſunt, appellando ad futurum Concilium; Nonne eadem protervia definitionibus ipſis Conciliaribus eſſent refragaturi, ſi eandem Antiqueſnellianam Conſtitutionem Concilium confirmaret (prout infallibiliter eſſet confirmaturum, ne portæ Inferi adverſus Eccleſiam prævalerent) videlicet aut novas comminiſcendo diſtinctiones, & cavillationes, aut negando tandem ipſimet Concilio inerrabilitatem? Non ſecus ac Dioſcorus, & cum eo pauci alii Epiſcopi renuerunt tandem dogmaticæ S. Leonis Papæ Epiſtolæ contumaciter ſubſcribere, quamvis fere ſexcenti ex illius Œcumenici Concilii Epiſcopis eidem ſubſcripſiſſent: Quod pariter a plurimis Heterodoxis non ſemel factitatum eſſe, ille ignorat, qui in Eccleſiaſtica hiſtoria hoſpes eſt, & peregrinus: Facillimum quippe eſt, negata Pontifici Chriſti Vicario inerrabilitate in rebus fidei, quam luculentiſſime ſub oculis ponunt Divina Oracula, Concilia, Sacri Canones, Sanctorum Patrum, Sanctorumque Pontificum conſenſus concordiſſimus, Eccleſiæ praxis antiquiſſima confugiendi in dubiis fidei ad hanc Sacram Tripodem, continuata Eccleſiæ traditio, aliæque innumeræ Theologicæ ratiocinationes, ad negandam etiam ipſius Concilii inerrabilitatem gradum facere, & prolabi.

Equidem miſſis aliis, quæ paſſim ab Auctoribus referuntur ad oſtendendum, quod uni Petro tanquam Chriſti Vicario collata fuerit infallibilitas in dirimendis fidei quæſtionibus, non vero Conciliis, aut toti ipſi Eccleſiæ, paucis idipſum exponam tum ex ipſa Conciliorum confeſſione, quæ ſupremam in uno Pontifice auctoritatem ſæpenumero profeſſa ſunt; tum etiam ex ipſis Galliæ Epiſcopis, & Generalibus eorum Conventibus, ut mirum ſit, quod in Regno fidei Catholicæ, atque Apoſtolicæ Sedi addictiſſimo nonnulli audiantur, qui ad fovendam Janſenianorum perfidiam a recta Prædeceſſorum ſuorum orbita deſciverint, & pro reformanda Antiqueſnelliana Conſtitutione ad futurum Concilium appellarint.

Quod attinet ad Conciliorum ipſorum non intermiſſam confeſſionem,

neminem latet, in Synodo Nicæna, quæ inter Œcumenica Concilia principem obtinet locum, trecentos & octo illos Episcopos confirmationem suorum Decretorum a S. Sylvestro tunc temporis Ecclesiæ clavum tenente postulasse his verbis: *Confirmet nostra sancita, ut gradus fixos nostra possit habere Regula*. Quod etiam luculenter testatur Felix Papa III. ita scribens epist. 4. Domino ad B. Petrum dicente, Tu es Petrus &c. eam vocem sequentes trecenti decem & octo Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem S. Romanæ Ecclesiæ detulerunt. Pariter Ephesinum primum decretorum confirmationem a Cœlestino Papa humiliter postulavit; quod pariter reliqua deinceps Concilia præstitere usque ad Tridentinum, inter Generalia Concilia postremum, per Bullam Pii IV. confirmatum, in qua hæc habentur: *Cum ipsa Sancta Synodus pro sua erga Sedem Apostolicam reverentia, antiquorum etiam Conciliorum vestigiis inhærens, Decretorum suorum confirmationem a Nobis petierit, decreto ea de re in publica sessione facto* &c. Quomodo autem Decretorum confirmationem a Pontifice petere posset Synodus Oecumenica, nisi in illo superiorem agnosceret auctoritatem? Quæ si deesset, non potuisset Leo Pontifex quædam Concilii Chalcedonensis decreta irritare, quæ tamen irritasse constat ex Epistola ad Pulcheriam. Sicut etiam a Damaso Pontifice (ut videre est apud Bellarminum lib. 1. de Conciliis cap. 10.) sine ullo generalis Concilii præsidio irritatum fuit Ariminense Concilium, quod Generale fuerat, & frequentissimum. Docuit quippe idem S. Damasus cap. 3. *Nulla unquam Concilia rata fuisse, quæ non sunt fulta Apostolica auctoritate*. Quinimmo multa Concilia suo Capite destituta etiam in fidei decretis erraſſe perspectum est, ut Syrmiense, Mediolanense, Ariminense, Constantinopolitanum, Ephesinum secundum, quod fuit Generale, & ab ipso Pontifice indictum, cui circa initium Legati pariter Pontificis præfuerunt, teste eodem Bellarm. lib. 12. cap. 16. Denique in cap. *Ipsi sunt* 9. quæst. 3. habetur: *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sanctæ Sedis examen voluerunt deferri; ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt*.

Præterea tribus primis Ecclesiæ sæculis antequam Generalia Concilia convocarentur, ab uno Pontifice plurimæ hæreses damnatæ fuerunt, videlicet Marcionis, Montani, Cataphrygum, Novatianorum, Sabellii, Pauli Samosateni, & aliorum, quin tamen ullus de Pontificis inerrabilitate extra Concilium dubitasset; Ac similiter sequentibus sæculis plurimæ aliæ hæreses extra Concilium damnatæ sunt, quin ullum ex Conciliis condemnationes istas deinde examini subjicere ausum fuerit. Usque adeo Concilia ipsa Pontificis inerrabilitatem in re dogmatica venerata sunt. Synodus Constantinopolitana, quæ ante Quintam Synodum congregata fuit, act.

4. hæc

4. hæc habet : *Nos Apoſtolicam Sedem ſequimur , & obedimus , & ipſius communicatores communicatores habemus , & condemnatos ab ipſa & nos condemnamus* . Si Sedi Apoſtolicæ Concilium obedit , eamque ſequitur ipſo fatente , quomodo poterit illa errori eſſe obnoxia ? Sexta Synodus Oecumenica anno 681. de more plaudens Conſtantino IV. profitetur , in Agathone Pontifice Petrum eſſe locutum . Diſertius idipſum exprimitur in Septima Synodo act. 1. apud Bellarm. lib. 2. cap. 13. anno 800. Carolo Magno de criminibus Leoni III. objectis cognituro ſuccłamant Epiſcopi , *Romanum Pontificem a nullo mortalium judicari* . Sicut etiam in Canone ultimo Romani Concilii ſub Sylveſtro Papa celebrati legitur : *Nemo judicabit Primam Sedem* . Et in Concilio Sueſſano centum octoginta Epiſcopi illud conflantes Marcellino Pontifici pœnas debitas expoſcendi , quod Maximiani Tyranni minas expaveſcens thus diis adoleverit , concordi voce dixerunt : *Tuo ore judica cauſam tuam , non noſtro judicio ; Nam Prima Sedes a nemine judicatur* . Sæculo nono S. Nicolaus Pontifex ex Synodi Romanæ ſuffragio ad Michaelem Imperatorem ſcripſit : *Petrus univerſam adminiſtrare Eccleſiam perpetua Succeſſione jubetur* . Et Synodus Octava actione 5. loquens de ſententia adverſus Photium habet , *Neque nos ſane novam de illo ſententiam ferimus , ſed jam olim a Sanctiſs. Papa Nicolao , & ſucceſſore ejus Adriano pronunciatam , quam nequaquam poſſumus immutare* . Ecce tibi ex confeſſione ipſius Generalis Concilii , ne ab ipſo quidem Concilio ſententia Pontificis reformari , aut immutari poteſt . Sæculo decimo tertio Generale Concilium Lugdunenſe (ut habetur in Cap. *Ubi periculum* de Electione in 6.) Pontificem appellat *Univerſalis Eccleſiæ Rectorem* ; Præſidet quippe non ſingulis dumtaxat Eccleſiis particularibus , ſed etiam omnibus , ac univerſali Eccleſiæ per Concilium repræſentatæ . Ac ſimiliter Generale Concilium Lateranenſe quartum docet , *Romanam Eccleſiam ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinere Principatum , utpote Matrem univerſorum Chriſtifidelium , & Magiſtram* . Sæculo decimoquinto in Florentino pariformiter definitum eſt ſeſs. 25. *Pontificem eſſe Doctorem Doctorum , & ipſi paſcendi , regendi , ac gubernandi univerſalem Eccleſiam a Chriſto D. plenam poteſtatem traditam eſſe* ; & in Viennenſi Clementina unica de Trinitate dicitur : *Ad Apoſtolicam duntaxat conſiderationem pertinere , ea , quæ fidei ſunt , declarare* . Ac in Coſtantienſi ſeſs. 8. damnatur hæreſis Wiglephi dicentis ; *Papam non eſſe immediatum Chriſti Vicarium* . Ex quo deſcendit , quod etiam Eccleſiæ univerſali , atque adeo ipſis Oecumenicis Conciliis præſit immediate , Vices gerens Chriſti D. , qui Supremus eſt illorum Paſtor . Denique Sæculo decimo ſexto Tridentinum inter Generalia Concilia poſtremum ſeſs. 6. cap. 1. de Reformatione Pontificem appellat *Dei in terris Vicarium* , additque deinde habere illum *Supre-*

mæ

mæ Sedis auctoritatem. Quare ex ipſa tot Conciliorum Œcumenicorum confeſſione in propria cauſa liquido conſtat, Supremam Auctoritatem ac in rebus fidei inerrabilitatem uni Petro tanquam Chriſti Vicario competere, prout Concilium Lateranenſe ultimum ſeſs. 2. diſerte teſtatur dicens, *Auctoritatem Romani Pontificis ſuper omnia Concilia nedum ex Sacræ Scripturæ teſtimoniis, dictis Sanctorum Patrum, aliorumque Pontificum Romanorum, Sacrorumque Canonum decretis, ſed propria etiam eorundem Conciliorum confeſſione manifeſte conſtare*. Nil ergo mirum, quod Julius Secundus in Extravaganti *Suſcepti regiminis* poſt Pium ſecundum præceperit, ut appellantes ad futurum Concilium tanquam Schiſmatici, & de fide male ſentientes habeantur; quippe qui aliud agnoſcunt in Eccleſia Dei Caput, præter Caput a Chriſto Dom. conſtitutum in ſuo Vicario; Unius quippe Corporis Eccleſiæ unum duntaxat debuit eſſe Caput, ne eſſet monſtroſum: Quod expreſſit Bonifacius VIII. in Extravag. *Unam Sanctam* dicens *Eccleſiæ unius, & unicæ unum Corpus, unum Caput, non duo Capita, quaſi monſtrum, Chriſtus videlicet, & Chriſti Vicarius Petrus, ejuſque Succeſſor*. Quibus verbis exprimitur, nomen Capitis tam Chriſto competere, quam Petro (non ſecus ac nomen Fundamenti) ſed diverſimode; etenim primario quidem de Chriſto Dom. dicitur Coloſs. 1. *Ipſe eſt Caput Corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis*; & 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*: Secundario autem, & cum debita ſubjectione hæc eadem de Chriſti Vicario dicuntur; cum ipſe Chriſtus Dom. dixerit Matth. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*.

Obtrudunt paſſim Adverſarii Concilium Conſtantienſe, ac Baſileenſe, perinde quaſi definierint tanquam de Fide credendum, Conciliis Pontificem non præeſſe, ſed ſubeſſe; non ſecus ac Generales Ordinum Religioſorum Comitiis Generalibus ſubſunt: Aliter Epiſcopi, quos *Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*, in Conciliis Œcumenicis non aſſiderent, neque ſubſcriberent tanquam Judices, ſed ſolum eſſent inſtar Theologorum Conſiliarii, ac deinde executores Pontificiæ definitionis.

At quis ſomniare poterit, quod a diverſis Conciliis Œcumenicis in rebus fidei oppoſita definiri poſſint? Cum autem liquido conſtet, tot Concilia pro Primatu, ac inerrabilitate ſolius Pontificis ſemper ſtetiſſe, fierine poteſt, quod ab aliis Concilis oppoſitum definiatur? Quare dicendum cum communiſſima, Concilium Conſtantienſe ſolum loquutum eſſe de Pontifice dubio tempore Schiſmatis, non de Pontifice indubitato. Deinde non potuiſſe tunc temporis Concilium illud quicquam definire tanquam de fide credendum, & infallibile, eo quod non eſſet Generale Concilium, nec eſſet cum ſuo Capite; aberat enim tunc Joannes XXIII.

qui

qui Concilium inchoaverat; & duæ tertiæ partes Eccleſiæ adhærebant Pſeudopontificibus illis Gregorio, & Benedicto. Concilium pariter Baſileenſe, qnamvis legitime inchoatum fuerit, illegitime tamen fuit ad finem perductum, adeo ut vocetur Conciliabulum, ut proinde a Concilio Lateranenſi ultimo per Bullam Leonis X. reprobatum fuerit. Epiſcopi autem Eccleſiam Dei regunt ſub Spiritus Sancti regimine, tum quia Eccleſias ſuas particulares regunt, tum etiam quia regunt Eccleſiam univerſalem, quando in Conciliis Œcumenicis tamquam Judices aſſident cum ſuo capite ad dirimendas quæſtiones in rebus Fidei, & morum. Ex quo fit, quod ſicut Epiſcopi per univerſum Orbem diſperſi, ſi Conciliis Œcumenicis non interveniant, non debent, nec poſſunt judicium ſuum apponere in iis, quæ a Concilio definiuntur, ſed tenentur ſub pœna hæreſis definitiones dogmaticas Concilii amplecti, non ſecus ac reliqui Chriſtifideles; (eſto longe plures perſæpe ſint Epiſcopi, qui Conciliis intereſſe aut nequeunt, aut nolunt, quam ſint illi qui interſunt) ita prorſus Epiſcopi per univerſum Orbem diſperſi definitiones dogmaticas Pontificias amplecti debent, non ſecus ac reliqui Chriſtifideles, quoties Pontifex extra Concilium (quod adhibere non tenetur) aliquid ex Cathedra definit.

Bifariam autem convocare poteſt Pontifex Epiſcopos ad Generale Concilium; primo quidem nihil prius ex Cathedra definiendo, ſed exponendo quæ diſcutienda ſunt, ut deinde ſimul cum Concilio aliquid definiatur; & in tali caſu Epiſcopi tanquam Judices aſſident, quin tamen eorum judicium vim habeat dogmaticæ definitionis, & immunitatem ab errore, antequam a Pontifice confirmetur. Et hoc pacto nonnulli apud Bellarminum lib. 2. cap. 19. putant a S. Leone Pontifice miſſam fuiſſe ad Concilium Chalcedonenſe celebrem illam Epiſtolam adverſus hæreſim Eutychetis aſſerentis unam duntaxat in Chriſto naturam; quoniam ea miſſa fuit, non ut continens eo tempore ſententiam definitivam, ſed ut quædam Inſtructio, qua adjuti melius poſſent Epiſcopi judicare; idcirco poſt illius Epiſtolæ examen fere omnes (Dioſcoro cum nonnullis Aſſeclis reluctantibus) conſenſerunt, ac demum nomine Pontificis, & Concilii definitio dogmatica ſucceſſit, quam citra hæreſim Dioſcorus cum ſuis Epiſcopis amplius recuſare non poterat. Secundo poteſt Pontifex Concilium Œcumenicum convocare poſt definitionem ex Cathedra dogmaticam, non quidem, ut a Concilio robur accipiat ea definitio, ſed ſolum ad confundendos illos, qui futilibus ratiocinationibus ducti docent cum nonnullis illis ſupra laudatis Catholicis, judicium Pontificis in rebus Fidei non eſſe irreformabile; & ſolum habere vim dogmatis Conciliarem definitionem. Et in tali caſu permittit Epiſcopis, ut in Concilio tanquam Judices ſe gerant, examini ſubjiciendo ſuam dogmaticam

ticam definitionem : perinde quaſi nihil eſſet hactenus definitum , ac deinde etiam tanquam Judices ferendo ſententiam ; at quamvis id a Pontifice permittatur , non permittet tamen Spiritus Sanctus Eccleſiæ ſuæ Protector ; quod major Concilii pars a ſententia Pontificis diſcrepet , & qui diſcreparent , citra hæreſim in ſuo errore perſiſtere non poſſent . Et hoc pacto alii Auctores docent , a laudato Leone miſſam fuiſſe Epiſtolam ſuam dogmaticam ad Concilium Chalcedonenſe . Sive autem hoc ſecundo , ſive primo modo ea miſſa fuerit , mirum non eſt , quod Epiſcopi in ferenda ſententia tanquam Judices ſubſcripſerint . Quamquam Epiſcopos in omnibus Conciliis ſemper Judicum perſonam agere recte docet Bellarminus lib. 1. de Conciliis cap. 18. Et per hæc patet reſponſio ad ea , quæ in quodam libello nuper a quodam Gallo Anonymo adducuntur ad excuſandos paucos illos Galliæ Epiſcopos , qui exemplo quorundam Epiſcoporum Concilii illius Chalcedonenſis , explanationem theſium Queſnellianarum poſtularunt , antequam Conſtitutionem dogmaticam acceptarent ; perinde quaſi jus habeant Epiſcopi etiam extra Concilium ferendi judicium de Pontificis ſententia definitiva . Hoc tamen exemplo uti , non eſt Galliæ Epiſcopos expoſitionem theſium proſcriptarum poſtulantes excuſare ; ſed potius crimen illis objicere , quod Dioſcoro , ejuſque Aſſeclis in eo Concilio objectum fuit . Hactenus de Conciliis œcumenicis Primatum ſupra ſeipſa in Pontifice venerantibus , necnon inerrabilitatem in re dogmatica .

Porro ineluctabili tot Conciliorum auctoritati addi pariter poſſent plurima Sanctorum Patrum teſtimonia , quæ notis iiſdem concinendo , eundem Primatum , ac inerrabilitatem in Pontifice ſuſpiciunt , dum Pontificiam dignitatem in cœlum extollunt . Etenim , ut nonnulla proſequar , ab Auguſtino Pontifex nuncupatur *Fundamentum , ſupra quod ædificii Eccleſiaſtici altitudo conſurgit* , Serm. 15. de Sanctis : *Firmamentum omnium* , ac *Saxum immobile totius Chriſtiani Orbis compagem , molemque continens* . Ibid. Serm. 16. *Vertex membrorum omnium Eccleſiæ* . Serm. de Temp. A Chryſoſtomo appellatur *Columna incorrupta Eccleſiarum , Fidei Baſis* . Homil. 2. in Pſal. 50. *Columen Eccleſiæ , Fundamentum Fidei* . Homil. 3. in Acta Apoſt. *Baſis immobilis , Magiſter Orbis terrarum , Portus fidei* . Homil. de Petro , & Paulo . Ab Athanaſio , & Epiſcopis Ægyptiis ad Felicem Papam , *Firmamentum a Deo fixum , & immobile , Præſul Apoſtolicus in ſummitate Arcis conſtitutus , cui Deus omnium Eccleſiarum curam habere præcepit : Petrus poteſtate* . A Damaſceno . *Doctor Supremus Orbis terrarum , Petra Fidei* . In hiſtoria Barlaam . A Ruperto , *Murus inexpugnabilis adverſus hæreſes* , lib. 2. Offic. cap. 22. A Bernardo , *Paſtor unus ovium , & Paſtorum omnium* , lib. 2. de Conſid. cap. 8. A Petro

Da-

Damiano, *Cardo ſummus totius Mundi*, Opuſc. 30. cap. 22. *Cacumen, & vertex humani generis*; *Epiſcopus ſolus univerſalis omnium Eccleſiarum*, ſerm. 23. *Lingua Cœlorum*, ſerm. 26. A Theodoro Studita in Epiſtola ad Neucrianum, *Thronus ſupremus verticalis, in quo Chriſtus fidei claves poſuit, adverſus quem non prævalebunt uſque ad conſummationem portæ inferi, ora ſcilicet Hæreticorum*. A Cyrillo Hieroſolymitano Catech. 11. *Præco Summus Eccleſiæ*. Et ſic ab aliis paſſim, qui turmatim ab Auctoribus in re præſenti recenſentur, ut proinde præſtet ab iis recolendis ſuperſedere.

Pergo nunc ad idipſum oſtendendum ex teſtimonio ipſorum Conventuum Generalium, ac Epiſcoporum Galliæ. Miſſa facio, quæ erudite, ac fuſe hac in re congerit inter alios D. Nicolaus de Bois Primarius Profeſſor Sacrarum Literarum in Academia Lovanienſi in ſuis Conſultationibus Theologo-Juridicis, ubi oſtendit jam inde ab Eccleſiæ naſcentis exordio Gallicanam Eccleſiam perpetua conſuetudine conſueviſſe in materiis fidei, & morum ad Sanctam Sedem tanquam ad ſacram anchoram confugere, expectando illius dogmaticam definitionem; adeo ut Eleutherius Pontifex ſæculo ſecundo in Epiſtola ad Galliæ Provincias (de qua Baronius ad annum 181.) loquens de uſu etiam primi ſæculi hæc ſcripſerit: *De accuſationibus Clericorum, ſuper quibus conſulti ſumus, quia omnes eorum accuſationes difficile eſt ad Sanctam Sedem deferre, finitiva tantum Epiſcoporum judicia huc deferantur, ut hujus Sanctæ Sedis auctoritate finiantur, ſicut ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus multorum conſenſu Epiſcoporum jam definitum eſt*. Venio ad ſæcula nobis proximiora uſque ad hoc decimum octavum incluſive. Sæculo nono in Concilio Aquiſgranenſi, in quo plurimi Gallicani Epiſcopi interfuere, dum de proceſſione Spiritus Sancti, aliiſque gravibus cauſis quæreretur, Concilium cenſuit quæſtiones illas ad Leonem III. tunc temporis Pontificem deferendas eſſe, a quo ſententia ferretur definitiva. Sæculo decimo tam Concilium Cabilonenſe anno 915., quam Trosleianum tum anno 921., tum etiam anno 927., ac Rhemenſe anno 995. a Gallis Epiſcopis celebrata, Supremam Romani Pontificis poteſtatem agnovere, ac maxime reverita ſunt. Sæculo undecimo, cum in Gallia, & Hiſpania plures de Simonia, aliiſque rebus quæſtiones exortæ fuerint, Epiſcopi ad Victorem II. Pontificem recurſum habuerunt, a cujus Cathedra quæſtiones illæ dirimerentur, ut conſtat ex Præfatione Concilii Toletani. Sæculo duodecimo pariter Epiſcopi Galli in cauſis gravioribus Sanctæ Sedis judicium, videlicet Alexand. III., Urbani III., &c. requirere, & expectare conſueverunt, ut præſtitit Cænomanenſis, ad quem Alexand. III. in cap. 1. de Clericis peregrinis, *Tua nos duxit*, &c. Decimotertio ſæculo Lugdunenſe Generale Concilium ex

plu-

plurimis Gallis Epiſcopis conflatum, ut ſupra innuimus, Pontificem Univerſalis Eccleſiæ Rectorem appellavit. Et ex variis ſacris Canonibus cap. 1. *de ætate, & qualitate*, & cap. 14. *de foro competenti*, conſtat Galliæ Epiſcopos in cauſis gravibus ad Innocentium III., & Honorium III. inter alios confugiſſe. Eratque celebris tunc temporis doctrina Angelici docentis cap. 4. contra Impugnatores Eccleſiæ, *Epiſcopos in Conciliis congregatos nihil ſtatuere poſſe, non interveniente Summi Pontificis auctoritate*. Sæculo decimoquarto Prælati, ac Rectores, præſertim Galliæ ad Joannem XXII, recurſum habuerunt; unde emanavit Conſtitutio illa ejuſdem Pontificis, quæ incipit, *Frequenter &c.* Et doctiſſimi inter Gallos Epiſcopi Durandus de S. Pontiano, ac Paludanus poteſtatem Juriſdictionis ad regendum Chriſti gregem, totam, & in ſuo fonte datam fuiſſe ſoli Petro, & Succeſſoribus ejus deprædicarunt. Decimoquinto ſæculo uſqueadeo Galli Supremam Pontificis auctoritatem venerabantur, ut Ludovicus XI. Galliarum Rex ad Pium II. verbis hiſce cedro dignis ſcriberet: *Te Principem totius Eccleſiæ, Antiſtitem Sacrorum, Te Dominici gregis Paſtorem profitemur, & ſcimus*. Sæculo decimoſexto Epiſcoporum Conventus Medoluni in Gallia habitus anno 1579. Sanctam Romanam Eccleſiam appellavit *Magiſtram, Columnam, & Firmamentum veritatis*; Ac deinde ſæculo decimoſeptimo Conventus Generalis Eccleſiæ Gallicanæ habitus anno 1626. Romanum Pontificem ſolemni nomenclatura nominavit *Petri Succeſſorem, cui Chriſtus cœli claves, & fidei infallibilitatem dedit*. Et valde celebres ſunt duæ illæ Epiſtolæ ad Innocentium X., quarum altera ab octogintaquinque Galliæ Epiſcopis ſubſcripta fuit anno 1651. incipiens: *Majores cauſas ad Sedem Apoſtolicam referri, ſolemnis Eccleſiæ mos eſt*; altera vero ab Eminentiſſimo Mazarino, ac uno & triginta Epiſcopis ejuſdem Regni anno 1653. incipiens: *Optata pervenit ad Nos*, qui omnes vivam fidei Regulam in Pontifice ejuſque judicium inerrabile etiam extra Concilium in re dogmatica venerati fuere. Et Petrus de Marca Archiepiſcopus Pariſienſis eodem pariter ſæculo extremo vitæ ſuæ anno diſſertationem valde eruditam Gallice compoſuit de Summi Pontificis infallibilitate, quam Baluzius ex ore dictantis excepit, ut ipſe teſtatur in Vita illius. Sicut Cardinalis Perronius una cum Epiſcopis Provinciæ Senonenſis, & poſtea Aquenſis Provinciæ Præſules gravi cenſura notarunt, ac ſuo decreto condemnarunt anno 1611. libellum quendam Anonymum de Eccleſiaſtica, & Politica Poteſtate, qui Pontificiæ auctoritati videbatur adverſari, addito etiam hac in re ſuffragio Doctorum Sorbonæ. Denique deveniendo ad decimioctavi ſæculi recentes annos, celeberrima, ac ſummis laudibus celebranda eſt Epiſtola, paucis ab hinc annis, videlicet anno 1711. ad Regnantem Pontificem miſſa ab Eminentiſſimo de Noail-

les

les etiamnum Archiepiſcopo Pariſienſi occaſione Conſtitutionis *Vineam Dei Sabaoth* anno 1705. editæ adverſus obſequioſum Silentium Janſenianorum; in ea quippe Cardinalis Archiepiſcopus diſerte teſtatur, etiam de mente ipſius Gallicani Cleri in Comitiis eo anno habitis fuiſſe, Conſtitutiones dogmaticas a Pontifice extra Concilium editas, tanquam regulas credendi, & loquendi ab omnibus Catholicis habendas eſſe, adeo ut nec examini ſubjici poſſint, nec acceptationem Eccleſiæ poſtulent, ut omnes Chriſtifideles obligent, nec ſuper iis licitam eſſe ad futurum Concilium appellationem, eo quod immutari, aut reformari neutiquam poſſint. Quamvis enim modus, quem Gallicanus Clerus in hiſce Comitiis tenuit, diverſus nonnullis viſus fuerit ab eo, quem ſuperioribus ſæculis Conventus Gallicani tam generales, quam particulares Pontificiis Conſtitutionibus obſequentiſſimi ſemper tenuerunt, ipſe tamen oculatus teſtis, ac votorum omnium particeps, utpote eo loci Præſes, diſertiſſime teſtatur Cleri totius mentem ne latum quidem unguem ab obſequio continenter Sedi Apoſtolicæ in Gallia præſtito receſſiſſe. Cum autem magni momenti ſit hac tempeſtate Eminentiſſimi de Noailles, ac ipſius Gallicani Cleri graviſſimum, omnique majus exceptione teſtimonium ad validiſſime firmandum, quod hactenus oſtendimus, videlicet perpetuo Galliam dogmaticas Conſtitutiones tanquam divina oracula excepiſſe, ſubjicio ad verbum Epiſtolam hanc, in qua luculenter exprimitur, quid ſemper Eccleſia Gallicana ſenſerit, quid præſens Gallicanus Clerus, quid ipſe Eminentiſſimus Pariſiorum Archiepiſcopus de Pontifice extra Concilium ex Cathedra loquente, cui inerrabilitas a Chriſto Domino promiſſa eſt, ut proinde nonniſi per ſummam injuriam, ac temere ab eo ad futurum Concilium appelletur, prout a nonnullis cum extremo totius Eccleſiæ doloris ſenſu paucis ab hinc menſibus factum eſſe auditur, ut incauti ad ebibendam, ac retinendam Janſenianam, & Queſnellianam luem, culpæ, ac cenſurarum metu depoſito, incitentur. Tenor Epiſtolæ ad Beatiſſimum Patrem Clementem XI. ſcriptæ ab Eminentiſſimo de Noailles anno 1711. eſt hujuſmodi.

BEATISSIME PATER

CUM intimo doloris ſenſu accepi modum illum, quem Clerus noſter Gallicanus in Comitiis habitis anno 1705. tenuit occaſione Conſtitutionis a Sanctitate Veſtra editæ adverſus Janſenianum errorem; quæ incipit, Vineam Domini Sabaoth, viſum fuiſſe eidem Sanctitati Veſtræ diverſum ab eo, quem olim Majores noſtri occaſione Conſtitutionum a Summis Pontificibus Innocentio X., & Alexandro VII. eadem in re editarum tenuerunt: adeoque præfatam Sanctitatis Veſtræ Conſtitutionem non ea, qua pars eſt, obedientia, ac veneratione ab eodem Clero acceptam fuiſſe. Quod ſane cum a mente ipſius Cleri prorſus alienum fuerit, officii mei, & æquitatis æquum eſſe duxi, Beatitudini Veſtræ quid rei eſſet aperire; maxime cum iis Comitiis præfuerim, eaque de cauſa votorum omnium particeps, ac præcipuus teſtis extiterim.

Teſtor igitur primo, in Comitiis prædictis Clerum noſtrum vere in animo habuiſſe S. V. Conſtitutionem eodem prorſus obſequio, eadem obedientia accipere, & amplecti, qua Majores noſtri omnes S. V. Prædeceſſorum Bullas adverſus Janſenium acceperunt, & amplexi ſunt.

Secundo, cum Clerus dixit, Conſtitutiones Summorum Pontificum a Corpore Epiſcoporum acceptatas totam Eccleſiam obligare, mens ejus non fuit, neceſſariam eſſe ejuſmodi acceptationis ſolemnitatem, ad hoc ut illæ tanquam Regulæ credendi, & loquendi ab omnibus Catholicis haberi debeant: licet aliquando iſta Solemnitas non mediocris eſſe poſſit utilitatis, ubi natus eſt error: Ultima enim Janſeniſtarum munimenta penitus convellere, ipſiſque effugium omne in noſtris partibus, principio ab ipſis concepto, intercludere operæ pretium duxit.

Tertio, non ſibi arrogavit Clerus, ut Sanctiones Pontificias examini ſuo judicandas ſubjiceret; ſed in ipſis, quod olim ſcribebant Leoni Magno Epiſcopi Gallicani, Gaudens, & exultans fidei ſuæ ſenſum recognovit, & ita ſe ſemper tenuiſſe, ut veſter Apoſtolatus expoſuit, jure lætatus eſt.

Quarto, certum illi fuit Pontificiis decretis adverſus Janſenium nihil deeſſe, ut univerſam Eccleſiam obligent, & circa illa nec appellationem admitti, nec mutationem expectari poſſe. Idem & de Apoſtolicis adverſus Bajum, Molinoſum, & librum vulgo dictum, Maximes de Saints,

defi-

definitionibus profeſſurum fuiſſe Clerum exiſtimo, ſi de illis actum fuiſſet.

Quæ cum ita ſe habeant, & genuinam noſtrorum Epiſcoporum ſententiam explicent, S. V. enixe precor, ita de Eccleſia Gallicana ſentiat, ut illam credat, qualem ſcripſit Innocentio II. S. Bernardus, Fortem in fide, pacificam in unitate, devotam in Obedientia veſtra, promptam ad ſervitium. *Sic etiam hodie omnes affecti ſunt Epiſcopi noſtri: Ego vero debitæ Apoſtolatui veſtro obedientiæ primus omnium faciam ſatis.*

Apoſtolicæ Sedi quanta debeam, monebunt me ſemper Religio, gratus animus, & inſita erga Romanam Eccleſiam reverentia; neque neceſſarius erit ad confirmandam omnimodam hanc meam obſervantiam aſpectus Purpuræ illius, qua honeſtor; Et in omnibus ſumma cum veneratione, & obſequio me exhibeo

Pariſiis 28. *Junii* 1711.

Sanctitatis Veſtræ

Humillimum, Devotiſſimum, & Obſequentiſſimum ſervum, ac filium

L. A. Card. de Noailles.

Ex quibus omnibus perſpicuum fit, Eccleſiæ Gallicanæ apertam calumniam imponi ab appellantibus ad futurum Concilium, qui ad excuſandam audaciam comminiſcuntur, conſtantem ſemper fuiſſe Doctorum Gallicanorum ſententiam de reformabilitate judicii Pontificii in re dogmatica, & de Concilii ſuperioritate, ad quod liceat provocare. In Sole ipſo cæcutiunt, ſi id ſibi perſuadeant; cum oſtenderimus univerſalem Eccleſiam, ac præſertim Gallicanam, Supremam Pontificis auctoritatem omnibus ſæculis veneratam fuiſſe. Quod ſi nonnulli ex Gallis tempore Schiſmatis docuerint teneri Pontificem Concilii mandatis obtemperare, ſolum, ut diximus, locuti ſunt de Pontifice dubio. Erronee autem de-

inde alii idipſum dicendum de Pontifice indubitato arbitrari ſunt, nixi futilibus ratiocinationibus, quas in expoſitione Theſis XXIX. ab Alexandro VIII. confixæ affatim evacuavimus. Perpauci autem ex his Auctoribus, temeritatem potius, quam eruditionem oſtentantes, non ſunt ſatis ad eam maculam offundendam piiſſimæ Gallicanæ Eccleſiæ, quæ ſaltem ſecundum potiorem ſui partem uſque ad præſens ſæculum ab eo errore abhorruit. Teſtem invoco celebrem Sorbonicæ Scholæ Doctorem Andream Duvallium, qui diſſerens de Sententia docente Pontificem eſſe ſupra Concilium, ad quod non liceat provocare, Tract. de Romani Pontificis poteſtate par. 4. quæſt. 7. hæc habet: *Totus Orbis, exceptis pauculis Doctoribus, eam ſententiam amplectitur, & rationibus validiſſimis tum ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, tum ex principiis a Theologia petitis confirmatur.*

Mirum itaque, quod perpauci umbratili pauculorum auctoritate confiſi, adverſus Theologorum fere omnium, ac præſertim Gallicanorum ſenſum, adverſus univerſalis Eccleſiæ, ac præſertim Gallicanæ morem, adverſus Conciliorum Œcumenicorum plurimas definitiones, ac adverſus plurimorum Conventuum Gallicanorum mentem, integrum ſibi eſſe audacter dixerint, a dogmaticis Conſtitutionibus ad Concilium futurum provocare, nihil pertimeſcendo cenſuras a Pio II. & Julio II. adverſus hujuſmodi appellantes latas, quod ſcilicet tanqum Schiſmatici, inconſutilem Chriſti tunicam ſcindentes, & male de fide ſentientes habendi ſint, ut advertit Fr. Antonius de Souſa ex Prædicatorum Familia in Relectionibus de Cenſuris Bullæ Cœnæ ex Sylveſtro, Cajetano, Tabiena, Ledeſma, & aliis.

Poſt hæc ſicut nonnullis Gallis ad futurum Concilium appellantibus torrentem Theologorum, ac ipſius Galliæ Epiſcoporum, necnon præſentis Cleri Gallicani, ac Eminentiſſimi de Noailles Archiepiſcopi Pariſienſis objeci: ita Janſenianis confixarum theſium Queſnellianarum explanationem poſtulantibus, antequam rejectentur, atque adeo quodammodo de Pontificis ex Cathedra loquentis inerrabilitate ambigentibus, Janſenianorum turbam, ac ipſum Janſenium, ejuſque didaſcalum Bajum, ab enormi hoc errore refugientes, objicio. Janſenius uſque adeo Pontificiam auctoritatem erroris expertem venerabantur, ut in Proœmio ad Tom. 2. cap. 29. dixerit: *Quicquid ab iſta Petri Cathedra, ab iſto Eccleſiæ univerſæ Capite, Moderatore, Pontifice præſcriptum fuerit, hoc teneo: quicquid improbatum improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo.* Michael Bajus Doctor in Belgio celebris, audita proſcriptione novem, ac ſeptuaginta ſuarum Theſium facta a Pio V., & Greg. XIII., quamvis per hallucinationem putaret earum nonnullas poſſe in rigore, ac pro-

prio

prio verborum ſenſu defendi, in obſequium tamen Pontificiæ auctoritatis, nulla petita earum theſium explanatione, ut rejectandas duceret, nullo quæſito a Facti quæſtione præſidio, nulla interpoſita ad futurum Concilium appellatione, illico ſuam Confeſſionem, ac damnatæ doctrinæ retractationem his verbis expreſſit die 24. Maji 1580. *Fateor plurimas ex iiſdem Sententiis in nonnullis libellis a me olim, & ante emanatam Sedis Apoſtolicæ ſuper iis cenſuram conſcriptis, & in lucem editis, contineri & defendi, etiam in eo ſenſu in quo reprobantur. Ac declaro, me impræſentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi a Sede Apoſtolica factæ acquieſcere, neque poſthac ullas docere, aſſerere, aut defendere velle.*

Janſeniani ex eo redarguuntur, quia toti ſunt in tuenda irrefragabilitate doctrinæ D. Auguſtini in materia Gratiæ, illam tanquam Dei Verbum excipientes, adeo ut per ſummam inſipientiam docuerint theſim illam trigeſimam ab Alex. VIII. proſcriptam: *Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam;* perinde quaſi ſenſus perſpicuus verborum Bullæ accommodandus ſit doctrinæ D. Auguſtini, & non viceverſa doctrina Auguſtini ſenſui perſpicuo verborum Bullæ. Nunc ſic arguo illos redarguendo. Non alia de cauſa cenſent Auguſtinianam doctrinam eſſe irrefragabilem, & ab errore prorſus immunem in materia Gratiæ, niſi quia illa a Summis Pontificibus dicitur canonizata, videlicet a Cœleſtino Papa in Epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ, a Gelaſio Papa diſt. 13. cap. 3. omnia Auguſtini opera generaliter approbante, a Jo. II. apud Baronium anno 534. qui ſcribens de Auguſtino ad quoſdam Senatores dixit: *Cujus doctrinam ſecundum Præceſſorum meorum ſtatuta Romana ſequitur, & ſervat Eccleſia*; ut propterea Janſenius lib. 3. de ſtatu naturæ puræ cap. 22. dixerit, non aliunde Auguſtini doctrinam eſſe irrefragabilem, niſi quia *toties illam probavit, & ſequitur, ſequendamque monet Sedes Apoſtolica*. Ex hoc autem, niſi quis deſipiat, evidentiſſime deſcendit, quod ſi Auguſtini doctrina inerrabilitatem haurit a Pontificiis atteſtationibus, a fortiori inerrabilitas iſta in ipſis Pontificibus ex Cathedra loquentibus reperienda ſit; ſiquidem juxta Philoſophicum effatum, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Revera nuſquam Pontifices definiere, doctrinam Auguſtini eſſe irrefragabilem, prout illam vocat Janſenius tom. 2. lib. 1. proœm. cap. 24.; neque ex eo, quod a Pontificibus ea commendata ſit generaliter, ſequitur, quod in iis punctis, quæ connexionem non habent cum punctis ab Eccleſia definitis, dici poſſit irrefragabilis, adeo ut abſque ullo reſpectu ad Pontificum Bullas teneri, ac doceri poſſit, ut fuſe oſtendimus in expoſitione commemoratæ theſis proſcriptæ, præſertim ex Melchiore Cano cap. 3. de locis Theologicis, ubi habet: *Stultum eſſe libris*

Canonicis Auguſtini opuſcula æquare. At detur Janſenio, ejuſque Aſſeclis Sancti Doctoris Doctrinam irrefragabilem eſſe, utpote a Pontificicibus canonizatam, poteritne deinde citra dementiam Pontificiis definitionibus irrefragabilitas denegari? Si poſſet Pontifex in re dogmatica eſſe errori obnoxius, profecto in hoc ipſo errare potuiſſet, quod Auguſtini doctrinam in materia de Gratia canonizarit; atque adeo deficiente Pontificis irrefragabilitate, Auguſtini pariter irrefragabilitas deficeret, ac propterea ineptiſſime diceretur, quod Auguſtini doctrina ſuſtineri poſſit non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam. Dicendum itaque, quod pervicacia Janſenianos dementavit; & ut dicitur Matth. 15. *Cæci ſunt, & duces cæcorum*, ad hoc barathrum deveniendo, ut a Conſtitutionibus dogmaticis ad futurum Concilium auſi ſint provocare.

Adde his, quod maxime advertendum, appellationem ad futurum Concilium omnino interdicendam fuiſſe, (prout de facto in Bulla Cœnæ interdicitur) etiam in hypotheſi quod verum haberet Sententia illa, quam ex communi Doctorum diximus eſſe ad minimum erroneam, ac hæreſi proximam, videlicet de Concilii ſupra Pontificem præcellentia, atque adeo diſſimulato, quod licita ſit a decreto, vel mandato Pontificis ad Concilium Œcumenicum præſens, tanquam ad tribunal Superius, appellatio. Ratio eſt perſpicua, quia in ea ſententia erronea, quod Pontifex auctoritati Concilii præſentis debeat ſubeſſe, nullum ſequeretur incommodum, ſi a Pontificia ſententia ad Generale Concilium jam congregatum appellaretur, cum cæteroqui jure naturæ cuilibet ad tribunal Superius permittatur appellatio. At ſi Concilium non ſit præſens, ſed futurum, ſub circumſtantia iſta futuri, innumera ſcandala orirentur, ſi hujuſmodi appellatio permitteretur: quamobrem ea permitti non debet, ſed a Supremo Eccleſiæ Moderatore Chriſti Vicario nullum in terris agnoſcente (ſaltem deficiente Concilio) ſuperiorem ſub graviſſima cenſura vetari debuit, tanquam ipſo etiam naturæ jure vetita ex præcepto charitatis ſub ea circumſtantia, ſub qua bono communi univerſalis Eccleſiæ ſecundum ſe graviſſimum detrimentum eſſet allatura. Univerſim enim quoties ex aliquo actu de ſe jure naturæ licito, ac in bonum privatum permiſſo ſub aliqua circumſtantia plurima, ac urgentia regulariter trahuntur incommoda, quæ communi Reipublicæ bono obſtrepunt, tunc actus ille, quamvis de ſe licitus, ſub illa tamen circumſtantia eſt illicitus, & lege etiam poſitiva vetandus, ne illa gravia incommoda ſequantur, prævalente bono ingenti totius Reipublicæ bono exiguo perſonæ privatæ, adeo ut quilibet ex præcepto Charitatis teneatur bonum hujuſmodi privatum bono communi poſthabere: (quod dicitur de bono perſonæ privatæ relate ad bonum publicum Civitatis, vel

Regni,

Regni, dicitur etiam de bono alicujus Civitatis, aut Regni relate ad bonum publicum totius Orbis, aut Ecclesiæ universalis, cum Regnum particulare relate ad totum Orbem, vel universam Ecclesiam se habeat sicut homo privatus ad bonum publicum suæ Civitatis.) Atqui ex appellatione ad futurum Concilium sub hac circumstantia, quod sit futurum, (etiam dissimulato, quod auctoritas Concilii præstet auctoritati Pontificiæ) plurima, & ingentia inconvenientia in Ecclesia universali de se traherentur, quandoquidem cuilibet liceret a sententia, aut mandato Pontificis impune se subtrahere, & sic ad arbitrium vivere, dummodo dicat se ad futurum Concilium provocare: Et de facto Bannez 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 2. testatur, ex appellatione a Parisiensibus facta ad futurum Concilium maxima scandala, & plures hæreses ortas fuisse. Ergo jure merito sub gravissima censura interdici debuit hujusmodi appellatio, esto ea de se supponeretur licita, præscindendo a circumstantia illa Concilii futuri; cum bonum universalis Ecclesiæ ex præcepto charitatis præferri debeat bono non solum personæ, sed etiam Ecclesiæ particularis. Hac de causa non semel in jure interdicitur appellatio, (esto ea de se supponatur unicuique jure naturæ licita) quia scilicet in aliquibus circumstantiis magnum esset incommodum Reipublicæ allatura; ut videre est l. 2. ff. de Appell. recip., & l. *Ante sententiæ tempus*, C. quo. appell. non recip., & in l. *Apertissimi*, C. de judi. & notatur in C. *Cum sit Romana*, §. *Si vero*, & cap. *Bonæ* de Appellat. Potest quippe Princeps causa justa interveniente appellationem interdicere; ut probat Covarr. pract. quæs. cap. 23. Hinc Paulus III. in Bulla in favorem nostræ Societatis edita anno 1549., ut vigor disciplinæ melius conservaretur, vetuit Nostris quamcumque Appellationem a correctione Regulæ Societatis secundum Ordinationes ejus factæ, jussitque, ne hujusmodi appellatio per ullum Judicem admitteretur.

Hactenus dicta hoc exemplo nostræ Societatis dilucide confirmantur. Etenim certo certius est, Præpositum Generalem subditum omnino esse Comitiis nostris Generalibus, adeo ut unicuique liceat jure naturæ (præscindendo a lege positiva in contrarium) a sententia, vel mandato Præpositi Generalis ad Comitia Generalia præsentia provocare. At quis dixerit, unicuique pariter sive personæ, sive Collegio, sive Provinciæ integrum esse a sententia, vel mandato Præpositi Generalis ad Comitia Generalia futura provocare, ita ut interim sententia Præpositi Generalis suspendatur, nec debeat executioni mandari? Nonne id esset, ostium cuilibet laxitati referare, & libertatis habenas effundere? Cuilibet enim impune liceret Regularum perfringere repagula, appellatione interposita ad futura Generalia Comitia. Et tamen Comitia isthæc Generalia

neralia poſt aliquot annos, ſaltem in obitu Præpoſiti Generalis, convocanda ſunt, & interim daretur in terris Pontificia poteſtas, quæ poſſet incommodis occurrentibus occurrere. Quomodo itaque ſomniare quis poterit, quod diſſimulata ſententia illa erronea de Superioritate Concilii Œcumenici relate ad Pontificem, & permiſſa jure naturæ appellatione a Pontificis ſententia vel mandato ad Concilium præſens, adhuc permiſſa cenſenda ſit appellatio ad Concilium futurum, quod forte nonniſi poſt ſæcula erit convocandum, & quo deficiente deeſſet in terris Eccleſiaſtica poteſtas poteſtate Pontificia ſuperior, quæ poſſet fræna injicere libertati, & hæreſes identidem erumpentes extinguere? Quare etiam propter bonum fidei, quod cuilibet alteri privato, ac publico etiam bono prævalere debet, ad futurum Concilium appellatio jure ipſo naturæ vetatur, ex utroque ſcilicet præcepto Charitatis, & Fidei; & jure merito in Bulla Cœnæ ſub graviſſima cenſura interdicitur. Quod hic addidiſſe operæ pretium fuit, anſa arrepta ab Appellatione nuper facta ad futurum Generale Concilium a paucis nonnullis; qui adeo pauci ſunt, ut non impediant, quominus univerſa Eccleſia, immo etiam univerſa ferme Gallia dicatur ab hujuſmodi appellatione tanquam a Tartareo monſtro abhorrere; adeo ut abſolute dici poſſit, Galliam totam in antiquiſſima erga Sedem Apoſtolicam veneratione conſtanter perſiſtere, & adverſus Janſenianam Hydram ferro, flammaque pugnare.

Animadvertendum denique cenſeo, nonniſi per injuriam nonnullos conqueri, quod abſolute, ac paucis nonnullæ ex Queſnellianis theſibus proſcribantur, quamvis forte videantur potuiſſe in ſano ſenſu, etſi non germano, benigne accipi; Perſpectum ſiquidem omnibus eſt, Heterodoxos univerſim data opera, ac mira calliditate hæreſes paſſim diſſeminare verbis ſubobſcuris, immo ſpecioſo quodam verborum apparatu, ut ſi forte erroris notentur, facili negotio pientiſſimum aliquem ſenſum verbis illis appingere poſſint, detorquendo tamen illa a proprio, & rigoroſo ſenſu, quem ad fallendum ſagaciter obtrudere conantur; Quod hic præſertim factitatum eſt: At non oportuit, ut Eccleſia in profligandis hiſce theſibus a ſuo conſueto more recederet; cum ſatis ſit ad eas proſcribendas, quod in proprio, ac obvio, quem verba exhibent, ſenſu ſuſtineri non poſſint: Præſertim quia Doctorum perſpicacia in promptu eſt, qua Heterodoxorum calliditas palam fiat, enucleando veram, ac legitimam verborum ſignificationem, ut etiam Polemica, & Theologica facultate parum tinctis innoteſcat proſcriptarum theſium in proprio, ac legitimo verborum ſenſu ab Auctoribus intento falſitas, ac fallacia. Sed ne plura; præmiſſa prius Pontificia Conſtitutione, ad Queſnellianas theſes ſigillatim diſcutiendas, ac conterendas,

das, Dei, ac Deiparæ ſuffultus præſidio gradum faciam, ſubjiciendo ſingulis ſuam Anacephalæoſim, in qua paucis germanus, ac obvius, quem præſeferunt verba, necnon intentus ab Auctore ſenſus enucleatur, & exploditur.



SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DOMINI

CLEMENTIS

Divina Providentia Papæ XI.

Damnatio quamplurimum Propoſitionum excerptarum ex Libro Gallico idiomate impreſſo, & in plures Tomos diſtributo, ſub titulo: *Le Nouveau Teſtament en Francois, avec des reflexions morales ſur chaque verſet, &c. A Paris* 1699. Ac aliter: *Abregè de la morale de l' Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de S. Paul, des Epiſtres Canoniques, & de l' Apocalypſe, ou Penſees Chretiennes ſur le Texte de ces Livres Sacrez, &c. A Paris* 1693. *&* 1694.

Cum prohibitione ejuſdem Libri, & aliorum quorumcumque in ejus defenſionem tam hactenus editorum, quam in poſterum edendorum.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Univerſis Chriſtifidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem:

UNIGENITUS DEI FILIUS pro noſtra, & totius Mundi ſalute filius hominis factus, dum Diſcipulos ſuos doctrina veritatis inſtrueret, univerſamque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret, præſentia diſponens, & futura proſpiciens, præclaro ac ſaluberrimo documento Nos admonuit, ut attenderemus a falſis Prophetis, qui veniunt ad Nos in veſtimentis Ovium, quorum nomine potiſſimum demonſtrantur Magiſtri illi mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendida pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt ſectas perditionis ſub imagine Sanctitatis; utque facilius incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſe ſe Divinæ Legis ſententiis, velut quibuſdam Ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipſius Novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui ſcilicet, a quo progeniti ſunt, mendacii Parentis exemplo, ac magiſterio edocti, nullam omnino eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quam ut ubi nefarii erroris ſubintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur authoritas.

His nos vere Divinis monitis inſtructi, ubi primum, non ſine intima cordis noſtri amaritudine, accepimus, Librum quendam Gallico idiomate olim impreſſum, & in plures Tomos diſtributum, ſub titulo: *Le Nouveau Teſtament en Francois, avec des reflexions morales*

rales ſur chaque verſet, &c. A Paris 1699. Aliter vero: *Abregè de la morale de l' Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de S. Paul, des Epiſtres Canoniques, & de l' Apocalypſe, ou Penſees Chrætiennes ſur le Texte de ces Livres Sacrez, &c. A Paris 1693. &* 1694. tametſi alias a Nobis damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiſcentem, adhuc tamen tanquam ab omni errore immunem, a pluribus haberi, Chriſtifidelium manibus paſſim obtrudi, ac nonnullorum novæ ſemper tentantium conſilio, & opera ſtudioſe nimis quaquaverſum diſſeminari, etiam latine redditum, ut pernicioſæ inſtitutionis contagium, ſi fieri poſſit, pertranſeat de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum: verſutis hujuſmodi ſeductionibus, atque fallaciis creditum Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis ſenſim abduci ſummopere doluimus: adeoque Paſtoralis non minus curæ noſtræ ſtimulis, quam frequentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis, maxime vero complurium Venerabilium Fratrum, præſertim Galliæ Epiſcoporum, literis, ac precibus excitati, gliſcenti morbo; qui etiam aliquando poſſet in deteriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipſam ingruentis mali cauſam providæ noſtræ conſiderationis intuitum convertentes; perſpicue novimus ſummam hujuſmodi Libri perniciem ideo potiſſimum progredi, & invaleſcere, quod eadem intus lateat, & velut improba ſanies, nonniſi ſecto ulcere foras erumpat, cum Liber ipſe primo aſpectu legentes ſpecie quadam pietatis illiciat, molliti enim ſunt ſermones ejus ſuper oleum, ſed ipſi ſunt jacula, & quidem intento arcu ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut ſalubrius præſtari a Nobis poſſe arbitrati ſumus, quam ſi fallacem Libri doctrinam generatim ſolummodo a Nobis hactenus indicatam, pluribus ſingillatim ex eo excerptis Propoſitionibus, diſtinctius, & apertius explicaremus, atque univerſis Chriſtifidelibus noxia Zizaniorum ſemina a medio Tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quaſi in propatulo poſitis, non uno quidem, aut altero, ſed plurimis, graviſſimiſque tum pridem damnatis, tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam, manifeſtæque veritati cedere compellantur.

Id ipſum maxime e re Catholica futurum, ſedandis præſertim in florentiſſimo Galliæ Regno exortis ingeniorum varie opinantium, jamque in acerbiores ſciſſuras protendentium diſſidiis apprime proficuum: Conſcientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodum neceſſarium non modo præfati Epiſcopi, ſed & ipſe in primis Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Ludovicus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, cujus eximium in tuenda Catholicæ Fidei puritate, extirpandiſque erroribus Zelum ſatis laudare non poſſumus, ſæpius Nobis eſt conteſtatus; repetitis propterea vere piis, & Chriſtianiſſimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis a Nobis efflagitans, ut inſtanti animarum neceſſitati prolata quantocyus Apoſtolici cenſura Judicii conſuleremus.

Hinc, adſpirante Domino, ejuſque cœleſti ope confiſi, ſalutare opus ſedulo, diligenterque, ut rei magnitudo poſtulabat, aggreſſi ſumus, ac plurimas ex prædicto Libro, juxta ſupra recenſitas reſpective editiones, fideliter extractas, & tum Gallico, tum Latino idiomate expreſſas Propoſitiones a compluribus in Sacra Theologia Magiſtris, primo quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus accurate diſcuti: deinde vero coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium conſilio, quam maxima diligentia, ac maturitate ſingularum inſuper Propoſitionum cum ipſomet Libri Textu exactiſſime facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Hujuſmodi autem Propoſitiones ſunt, quæ ſequuntur, videlicet:

1 *QUid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?*

2 *Jeſu Chriſti gratia, principium efficax boni cujuſcunque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illa, non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt.*

3 *In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis.*

4 *Ita Domine; omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.*

5 *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.*

6 *Diſcrimen inter Fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia; in iſto vero*

Deus

Deus Peccatori dat, quod jubet, illum ſua gratia purificando.

7 *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ vero felicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis?*

8 *Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.*

9 *Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.*

10 *Gratia eſt operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.*

11 *Gratia non eſt aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet.*

12 *Quando Deus vult ſalvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.*

13 *Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.*

14 *Quantumcumque remotus a ſalute ſit Peccator obſtinatus, quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet, ut ſe dedat, accurrat, ſe ſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.*

15 *Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui Spiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.*

16 *Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.*

17 *Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum; quicumque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus eſt doctus a Patre.*

18 *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.*

19 *Dei Gratia nihil aliud eſt, quam ejus omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis.*

20 *Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi a nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.*

21 *Gratia Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum.*

22 *Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.*

23 *Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, qua Creaturas e nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

24 *Juſta idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jeſu Chriſti, in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia ſuæ Gratiæ in ſanandis animabus a cupiditate.*

25 *Deus illuminat animam, & eam ſanat æque ac corpus ſola ſua voluntate; jubet, & ipſi obtemperatur.*

26 *Nullæ dantur gratiæ, niſi per fidem.*

27 *Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.*

28 *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, eſt peccatorum remiſſio.*

29 *Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.*

30 *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.*

31 *Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.*

32 *Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine Primogenitos, id-eſt Electos, de manu Angeli exterminatoris.*

33 *Proh quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renunciaſſe, ad hoc, ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit Sanctus Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

34 *Gratia Adami non producebat, niſi merita humana.*

35 *Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.*

36 *Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatus innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quod primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet: iſta vero non recipitur, niſi in*

perſona Jeſu Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.

37 *Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata; Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Jeſu Chriſto, eſt omnipotens, & digna Filio Dei.*

38 *Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris.*

39 *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum; Eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

40 *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.*

41 *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire, niſi a Deo, & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.*

42 *Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei; ſine hoc nihil, niſi impuritas, nihil niſi indignitas.*

43 *Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere, ut moriamur peccato; adeo ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.*

44 *Non ſunt, niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & Amor, quo nos ipſos, ac Mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.*

45 *Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.*

46 *Cupiditas, aut Charitas uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.*

47 *Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons eſt Charitas. Quando Dei Amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius, alioquin non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.*

48 *Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine Charitate?*

49 *Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine Amore Dei.*

50 *Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi, ſi ſpiritus Charitatis non eſt ille, qui clamat.*

51 *Fides juſtificat, quando operatur; ſed ipſa non operatur, niſi per Charitatem.*

52 *Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine; Sed hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia.*

53 *Sola Charitas Chriſtiano modo facit (actiones Chriſtianas) per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum.*

54 *Sola Charitas eſt, quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit.*

55 *Deus non coronat, niſi Charitatem; qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit.*

56 *Deus non remunerat niſi Charitatem, quoniam Charitas ſola Deum honorat.*

57 *Totum deeſt Peccatori, quando ei deeſt ſpes, & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei.*

58 *Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt Charitas.*

59 *Oratio Impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.*

60 *Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem.*

61 *Timor nonniſi manum cohibet, cor autem tandiu peccato addicitur, quandiu ab amore juſtitiæ non ducitur.*

62 *Qui a malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.*

63 *Baptizatus adhuc eſt ſub lege, ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.*

64 *Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur ſive faciendo malum, ſive illud nonniſi ob timorem evitando.*

65 *Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui ſunt, abſque eo quod ullum Deo dederint filium; cum non effecerint niſi mancipia per timorem.*

66 *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicuti beſtiæ, ſed per fidem, & per amorem, ſicuti filii.*

67 *Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.*

68 *Dei bonitas abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in Fide, & precibus.*
69 *Fides, uſus, augmentum, & præmium Fidei totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.*
70 *Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem.*
71 *Homo ob ſui conſervationem poteſt ſe ſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.*
72 *Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quod ſit Catholica; comprehendens & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & juſtos terræ, & omnium Sæculorum.*
73 *Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus Filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri Sæculi?*
74 *Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes vero Sanctos ut membra.*
75 *Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt Caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona: Unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt Sanctificator.*
76 *Nihil ſpatioſius Eccleſia Dei, quia omnes Electi, & Juſti omnium ſæculorum illam componunt.*
77 *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro Capite.*
78 *Separatur quis a Populo Electo, cujus figura fuit Populus Judaicus, & Caput eſt JESUS Chriſtus, tam non vivendo ſecundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.*
79 *Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, & omni loco, omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, Pietatem, & Myſteria Sacræ Scripturæ.*
80 *Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus.*
81 *Obſcuritas Sancta verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione.*
82 *Dies Dominicus a Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.*
83 *Eſt illuſio ſibi perſuadere, quod notitia Myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis, lectione Sacrorum librorum. Non ex fœminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia ortus eſt Scripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes.*
84 *Abripere e Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.*
85 *Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur ſpeciem quamdam excommunicationis.*
86 *Eripere ſimplici Populo hoc ſolatium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei.*
87 *Modus plenus ſapientia, lumine, & Charitate eſt, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi, ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur.*
88 *Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.*
89 *Quartus decimus gradus converſionis Peccatoris eſt, quod, cum ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ.*
90 *Eccleſia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius Corporis.*
91 *Excommunicationis injuſtæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro. Nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulſi, quando Deo, JESU Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per Charitatem affixi ſumus.*
92 *Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quam prodere veritatem, eſt imitari Sanctum Paulum: tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra Authoritatem, aut ſcindere unitatem.*
93 *JESUS quandoque ſanat vulnera, quæ præceps Primorum Paſtorum feſtinatio infligit, ſine ipſius mandato; JESUS reſtituit, quod ipſi inconſiderato Zelo reſcindunt.*
94 *Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.*

95 *Veritates eo devenerunt, ut ſint lingua peregrina quaſi pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum; adeo remotus eſt a ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium; Neque ſatis advertitur, quod hic defectus ſit unum ex ſignis maxime ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in Filios ſuos.*

96 *Deus permittit, ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi Divinę gratiæ.*

97 *Nimis ſæpe contingit, membra illa, quæ magis ſanctę, ac magis ſtrictę unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia, vel tanquam ab ea ſeparata; ſed Juſtus vivit ex Fide, & non ex opinione hominum.*

98 *Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam Hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem JESU Chriſto.*

99 *Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit, ut in ea eſſet odor vitæ, V. G. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla, &c.*

100 *Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejuſque diſcipulos, Tempus hoc advenit..... Haberi, & tractari a Religionis Miniſtris, tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flamma, ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus Diabolo Dei ſervum.*

101 *Nihil ſpiritui Dei, & doctrinæ JESU Chriſti magis opponitur, quam communia facere juramenta in Eccleſia, quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis; & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum.*

Auditis itaque tum voce, tum ſcripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum ſuffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publiciſque etiam indictis precibus, implorato præſidio, omnes, & ſingulas Propoſitiones præinſertas, tanquam falſas, & captioſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernicioſas, temerarias, Eccleſiæ, & ejus praxi injurioſas, neque in Eccleſiam ſolum, ſed etiam in Poteſtates ſæculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, blaſphemas, ſuſpectas de hęreſi, ac hęreſim ipſam ſapientes, necnon hæreticis, & hæreſibus, ac etiam ſchiſmati faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variaſque hæreſes, & potiſſimum illas, quæ in famoſis Janſenii Propoſitionibus, & quidem in ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeſte innovantes, reſpective, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione, declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandantes omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quam in hac eadem Noſtra Conſtitutione continetur; ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, Eccleſiaſticis cenſuris, aliiſque contra ſimilia perpetrantes a Jure ſtatutis pœnis ipſo facto, abſque alia declaratione, ſubjaceat.

Cæterum per expreſſam prefatarum Propoſitionum reprobationem alia in eodem Libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum preſertim in decurſu examinis complures alias in eo deprehenderimus Propoſitiones illis, quæ, ut ſupra, damnatæ fuerunt, conſimiles, & affines, iiſdemque erroribus imbutas; nec ſane paucas ſub imaginario quodam veluti graſſantis hodie perſecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, eaſque falſo Chriſtianæ patientiæ nomine prædicantes; quas propterea ſingulatim recenſere,

& nimis longum esse duximus, & minime necessarium; ac demum, quod intolerabilius est, Sacrum ipsum Novi Testamenti Textum damnabiliter vitiatum compererimus, & alteri dudum reprobatę versioni Gallicę Montensi in multis conformem; a vulgata vero editione, quæ tot Sęculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, & aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, ac sæpe noxios sensus, non sine maxima perversitate detortum.

Eumdem propterea Librum, utpote per dulces sermones, & benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa pię institutionis imagine, seducendis Innocentium cordibus longe accommodatum, sive pręmissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, auctoritate Apostolica tenore præsentium iterum prohibemus, ac similiter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & singulos in ejus defensionem tam scriptos, quam typis editos, seu forsan (quod Deus avertat) edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Pręcipimus insuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticę pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prefatas, aliaque Juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sęcularis auxilio, omnino coerceant, & compellant.

Volumus autem, ut earumdem presentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quę ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrę declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo decimo tertio, sexto Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

I. Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Visa de Curia L. Sergardus.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

L. Martinettus.

Anno a Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo septingentesimo decimo tertio, Indictione sexta, die vero decima Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno decimotertio supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Ecclesiæ Lateranen., & Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in acie Campi Floræ ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Romulatium Apostolicum Cursorem.

Antonius Placentinus Magister Cursorum.

PROPOSITIO I.

Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, & ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad Orationem, & ad omne opus bonum? *Ita Queſnellus Lucæ cap. 16. num. 3. in editione 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Theſes Queſnellianæ Janſenianos errores recudunt. II. Dum fœditas peccati ob oculos in hac theſi ponitur, impie aſſeritur, eſſe in peccatore generalem impotentiam ad quodvis bonum opus.

III. At neque liberum arbitrium per peccatum extinguitur; neque tollitur potentia ad exercenda opera honeſta. IV. Quod a lege naturali peccatori præcipitur, debet poſſe executioni mandari. V. Aliter poſt primum peccatum non poſſet amplius homo peccare. VI. Neque enim ſatis eſt, quod reliqua peccata ſint imputabilia in cauſa. VII. Arbitrium per peccatum non remanet peccati ſervum, & determinatum ad peccandum. VIII. Poteſt quippe ſaltem opera naturalia honeſta, præſertim urgente præcepto, exercere.

IX. Concupiſcentiæ, & Dæmonis dominatum poteſt peccator excutere, cum poſſit iis diſſentire. X. In quonam ſenſu dicitur Deus non pati nos tentari ſupra id quod poſſumus? XI. Explicatur illud Arauſicani, & Auguſtini: Nemo de ſuo habet, niſi peccatum, & mendacium. *XII. Et quomodo ibi regnet Cupiditas, ubi non eſt Charitas. XIII. Nemini deeſt auxilium requiſitum ad orandum.*

I. EO collineat hæc, & quamplurimæ ex ſequentibus Theſibus, ut evincant, quod Janſenius in quinque illis ſuis profligatis Propoſitionibus contendebat: videlicet: Aliqua Dei præcepta, etiam juſtis impoſita, (& a fortiori præceptum pœnitentiæ impoſitum peccatori) eſſe impoſſibilia; ac deeſſe gratiam, ut impleantur: Gratiæ interiori in natura lapſa nunquam a voluntate reſiſti; ut proinde peccator nonniſi per gratiam Chriſti ineluctabilem converti poſſit, ad quam nullatenus valeat per orationem, & alios actus ſupernaturales prævios, fidei, ſpei, doloris, ac dilectionis libere ſe diſponere: Ad merendum, ſi peccator reſurgat, & ad demerendum, ſi non reſurgat, ſufficere libertatem a coactione: Semipelagianiſmum ſapere gratiam reſiſtibilem, quatenus initium aliquod ad opera ſalutaria haberetur a nobis, ſi poſſemus gratiæ reſiſtere, aut obtemperare illi cooperando ad conſenſum: Denique Chriſtum D. non eſſe mortuum, nec oraſſe pro peccatoribus deſtitutis gratia efficaciſſima, qua actu reſurgant. Ex quibus omnibus, ſi verum haberent, rite inferretur, incaſſum conari peccatores ad reſurgendum, incaſſum etiam juſtos conari ad perſeverandum in accepta juſtitia: Et quod attinet ad orationem, labores, & alia pietatis opera, non debere peccatorem eſſe ſolicitum, cum ad ea præſtanda ſit impotens, & ſi gratia interiori ſublevetur, non poſſit illi obluctari; nec debere de iiſdem operibus juſtos etiam eſſe anxios; ſiquidem ſi gratia interiori excitentur, non poterunt contraniti, atque adeo ea præſtabunt; ſecus vero nullatenus poterunt operationes iſtas ſalutares exercere. Integrum proinde unicuique erit in natura lapſa Epicureorum inſtar curare cuticulam, abdomini inſervire: Salvantur quippe quotquot gratia iſta irreſiſtibili inſtructi ſunt, videlicet duntaxat Electi, pro quibus ſolum Chriſtus oravit, ac ſanguinem fudit pretioſiſſimum ad hanc illis gratiam obtinendam; cæteros vero, velint, nolint, damnationem ſubire neceſſe eſt: Unde ad torturam duntaxat deſerviret ſollicitudo illa, quam Deus a nobis exigit verbis illis Deut. 4. *Cuſtodite ſollicite animas veſtras:* & verbis Michææ 6. *Indicabo tibi, o homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat a te: Utique diligere judicium, & facere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* Quandoquidem ſollicitudo iſthæc, & anxietas nihil conferret Electis ad ſalutem obtinendam, nihilque conferret Reprobis ad gehennam declinandam. Propterea ſicut omnis ſollicitudo de rebus temporalibus deponenda eſt, eo quod Divina, ac paterna Providentia non deeſt inquirentibus Dominum; unde dicitur Matth. 6. *Nolite ſolliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus? aut*

quid

quid bibemus? aut quo operiemur? Hæc enim omnia Gentes inquirunt; Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis: Ita deponenda eſſet etiam omnis de rebus æternis ſolicitudo; quia Divina in ordine ſupernaturali Providentia Electis ſuis non deſideratur in iis omnibus, quibus indigent; Reprobis vero nullatenus vult opitulari.

Hæc tamen omnia omnes Janſenii aſſeclæ, ac præſertim harum Theſium Auctor, fucoſis verbis, ac ſpeciem quandam pietatis non raro præſeferentibus inſinuant, commendando gratiam per Chriſtum collatam, ſummis illam laudibus extollendo, tanquam omnipotentem, ſupremam, fortem, invincibilem, ut videre eſt in theſi 21. celebrando pariter pretium noſtræ Redemptionis, tanquam efficaciter redemptivum omnium omnino Electorum, pro quibus duntaxat in Cruce ſolutum fuit. At dum gratiam Dei commendant tamquam omnipotentem, illam clanculum deprimunt tamquam everſivam libertatis indifferentiæ ad merendum requiſitæ: & dum Chriſti Sanguini ſalutem Electorum referunt acceptam, Chriſti Redemptionem enervant, tamquam ex parte ſua excluſivam Reproborum, pro quibus ne oravit quidem Chriſtus D., nedum Sanguinem fudit; ut habet Janſenianorum anteſignanus Calvinus lib. 1. Inſtitut. in cap. 17. Jo. dicens: *Chriſtum proprii gregis ſui ſolummodo ſolicitum fuiſſe, & pro electis ſuis duntaxat oraſſe.*

II. Deſcendo nunc cominus ad detegendas primæ hujuſce Theſis technas, & virus, quod per illam propinatur. Quid ſpecioſius ad deterrendos homines a culpis, quam earum fœditatem oſtendere, & ærumnas inde promanantes ſub oculos ponere; quod adeo luculenter in hac theſi præſtatur, dum deploratur ſtatus peccatoris, qui poſt Dei, ejuſque gratiæ amiſſionem ſolum habet in contubernio peccatum, ejuſque pediſſequam innumerabilium malorum turbam, videlicet reatum odii divini, ac pœnæ æternæ, nuditatem ſuperbiæ conſociatam, ut peccatori appingi poſſit illud Apoc. 3. *Dicis, quod dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*; præterea indigentiam, ac egeſtatem torpentem, & ignavam cum latepatentiſſima impotentia ad laborandum, & orandum pro reſiſtentia, & ad quodcumque opus honeſtum exercendum; ut videatur vafris hiſce verbis inculcari illud Iſaiæ &c. *Væ Genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam*, &c. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens; a planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas:* Aut illud Oſee 9. *Væ eis, cum receſſero ab eis*. Nihilominus quid efficacius ad peccatorem in ſuo barathro relinquendum, & ad incitandum illum ad deſperationem, ac ad novas culpas perpetrandas, quam ſimul hoc errore illum imbuere, quod irriti ſint ipſius conatus, nullas habeat vires ad orandum, nullas ad opera pietatis exercenda, quibus opem a Deo imploret, ut reſurgat: ſed ſolum in manu Dei eſſe gratiam efficaciter vivificantem, dandam unice Electis ſuis, pro quibus Chriſtus oravit; nullatenus aliis qui in illorum ſyllabo non ſunt aſcripti, quamvis toto niſu conentur ad orandum, ad jejunandum, ad credendum, ad ſperandum, ad dolendum de propriis reatibus, atque ad Deum diligendum?

Ecce quomodo in hac theſi mira calliditate error Bajanorum recuditur; quod ſcilicet homo poſt lapſum non niſi ad peccandum valeat. Dicitur enim in 35. ex damnatis Baji theſibus: *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt*: Et in 40. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati*. Sanctum quippe eſt apud Bajanos, & Janſenianos, non eſſe poſſibilem in natura lapſa ullum actum virtutis condiſtinctæ a charitate ſupernaturali, quæ ſit gratia per Chriſtum noſtræ ſalutis vindicem medicinalis, efficax, & invincibilis: idque propter imbecillitatem contractam ex lapſu; ut proinde proſcripta etiam fuerit theſis 38. ejuſdem Baji dicens: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua Mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa Charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur*. Quem errorem iterum recudere paucis ab hinc annis Janſeniani conati ſunt, ut debuerit iterum ab Alexandro VIII. profligari theſis illa ſeptima, quæ ſimiliter habet: *Omnis humana actio deliberata, vel Dei eſt, vel mundi; ſi Dei, Charitas Patris eſt; ſi mundi, Concupiſcentia carnis, hoc eſt mala eſt*.

III. Oſtenditur nunc hujus primæ Queſnellianæ theſis falſitas: quia per peccatum non tollitur ab homine liberum arbitrium, nec poteſtas ad declinandas novas culpas, atque adeo ad ponendum opus bonum, quando illud præcipitur; paſſim autem præcipitur peccatori, ut pœnitentiam agat, & convertatur ad Dominum, & ut bonis actibus, præſertim Theologalibus fidei, & ſpei ad recuperandam gratiam amiſſam, & ad remiſſionem obtinendam ſe diſponat; ergo non eſt per peccatum adeo viribus deſtitutus, ut ſit in eo generalis impotentia ad quodcunque

opus

opus bonum. Præſertim quia etiam deſtitutus gratia habituali ſanctificante, ac deſtitutus auxiliis gratiæ ſupernaturalis poteſt honeſte operari in ordine naturali. Quod docuit Auguſt. lib. de Patientia c. 26. commendando patientiam ejus, qui in ſchiſmate conſtitutus, atque adeo ſine gratia juſtificante, tolerat ærumnas, dicens: *Si quis non habens charitatem in aliquo ſchiſmate conſtitutus, ne Chriſtum neget, patitur tribulationes, anguſtias, famem*, &c. *nullo modo iſta culpanda ſunt; immo vero & hæc laudanda patientia eſt.*

IV. Confirmatur primo, quia lex naturalis præcipit, & conſulit non ſolum homini innocenti, ſed etiam lapſo opera moraliter bona, (quamvis nulla adeſſet providentia ſupernaturalis indebita naturæ, quæ tam homini lapſo, quam innocenti negari poteſt a Deo) nulla autem lex præcipere poteſt, aut conſulere opera, quæ præſtari non poſſunt: ergo quamvis nulla eſſet providentia ſupernaturalis, (quæ de facto datur ſuppoſita elevatione naturæ ad finem ſupernaturalem, diſponens de auxiliis gratiæ) adhuc poſſibilia ſunt homini lapſo opera moraliter bona.

V. Confirmatur ulterius, quia ſi homo poſt primum peccatum non poſſet viribus naturæ edere opera moraliter bona, & adjutus auxiliis ſupernaturalibus non poſſet per opera ſupernaturalia, præſertim orando, credendo, ſperando, dolendo de peccatis ad recuperandam gratiam amiſſam ſe diſponere, ſequeretur, quod poſt primum peccatum non poſſet amplius peccare: ſicuti ſi natura innocens non poſſet opera moraliter bona ponere, ſed ſolum mala, peccata non eſſent illi imputabilia, dicente Auguſt. lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo cavere poteſt? Peccatur autem; ergo cæveri poteſt*: & lib. de duabus animab. cap. 12. *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non poſſit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ.* Ergo ſi poſt primum peccatum homo manet impotens ad quodvis bonum opus, & ex neceſſitate ponit malum, non eſſet vituperabilis, nec punibilis propter alia opera mala; atque adeo non poſſet amplius peccare, ſed remaneret homo poſt primum peccatum inſtar naturæ, (quam ſomniarunt Manichæi, & alii Heterodoxi) quæ ex ſua conditione eſſet mala, & determinata ad peccandum; unde ſicut huic naturę non poſſet vitio verti malitia ulla, ita nec homini poſt primum peccatum poſſet vitio verti aliud opus malum; cum par ratio impoſſibilitatis ad bonum, & neceſſitatis ad malum militet in utroque caſu.

VI. Neque dicas, quod poſt primum peccatum reliqua ſint imputabilia, & libera in cauſa; unde diſpar ratio inter naturam innocentem determinatam ad peccandum, & hominem lapſum, qui pariter ad peccandum ſit determinatus: Sicut homicidium patratum in ebrietate eſt imputabile, & punibile in cauſa ſua; & dæmones peccant in inferno peccato imputabili in cauſa; quamvis propter ea peccata ibi patrata non puniantur, eo quod ſint in termino.

Nam contra eſt, quia proſcripta jam eſt ab Alexandro VIII. prima illa propoſitio: *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, & liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & libertate Adæ peccantis*: In cujus expoſitione diximus paritatem de ebrio retorqueri; nam ſicut ebrius in communi ſententia non committit novum peccatum, quando in ebrietate alium occidit, idque ex defectu libertatis formalis; quamvis peccaverit tum adverſus temperantiam, tum adverſus juſtitiam, quando ſe inebriavit prævidens homicidium in ebrietate ſecuturum: ita non committeret nova peccata ex ejuſdem libertatis formalis defectu, qui poſt primum peccatum innumera alia perpetrat mala. Quod attinet ad Dęmones, ſi vere peccant in inferno formaliter, peccato illis imputabili, dicendum cum Scoto, Valentia, Durando, & aliis apud Ripaldam tom. 3. diſp. 18. num. 142. quod ſint phyſice liberi ad non peccandum, quamvis ex vi cruciatuum, inſpiciendo Deum ut ultorem, moraliter ſolum neceſſitentur ad illum odio habendum. Vel ſi dicatur cum nonnullis, (quos refert, ac merito refellit Suarius lib. 8. de Angelis, c. 10.) quod phyſice neceſſitentur ad peccandum, eo quod Deus deneget illis concurſum paratum ad quamcunque operationem bonam eliciendam, & ſimul infundat habitum neceſſitantem ad male operandum; in tali caſu negandum, quod in inferno peccent formaliter odio habendo Deum; ſolum enim h. m. odium eſſet peccatum materiale, & actus pœnalis potius, quam peccaminoſus, ut ſunt in nobis actus concupiſcentiæ, necnon actiones diſſonę legi divinæ, quando patrantur cum ignorantia invincibili; quæ ſolum analogice dicuntur peccata, cum re vera ſint materiales tranſgreſſiones divinę legis, & effectus, ac pœnæ peccati.

VII. Ex quibus omnibus ſit primo, falſum eſſe, quod poſt amiſſum Deum, ejuſque amicitiam, nihil peccatori ſuperſit præter peccatum; ita ſcilicet, ut nec ſuperſit libe-

rum

rum arbitrium, prout contendit Janſenius ex Calvino, & Luthero, qui docebant poſt peccatum remanere quidem voluntatem, ſed peccati, & concupiſcentiæ ſervam, adeo ut propter imbecillitatem non poſſet amplius ſe ipſam determinare, ſed aliunde eſſet determinabilis, aut a gratia ad bonum, aut a concupiſcentia ad malum; ut proinde liberum arbitrium res eſſet de ſolo titulo, imo titulus ſine re, cum re vera ſub jugo, ac duriſſima ſervitute peccati potius deberet appellari ſervum arbitrium, quam liberum. Hoc enim diſertiſſimis verbis damnavit Tridentinum ſeſſ. 6. can. 5. ubi habetur: *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de ſolo titulo, imo titulum ſine re, figmentum denique a Sathana invectum in Eccleſiam, anathema ſit.*

VIII. Fit 2. falſum pariter eſſe, quod poſt peccatum nihil remaneat præter generalem impotentiam ad quodvis bonum opus; ſi enim daretur hæc impotentia, etiam urgente præcepto de ponendo opere honeſto, Deus tunc impoſſibilia præciperet. Præterea hæc generalis impotentia excluderet potentiam exercendi quemcumque actum, etiam naturaliter dumtaxat honeſtum. Quod quantum a recta ratione, & a regula fidei exorbitet, nemo eſt quin videat. Præterquamquod erronea eſt etiam hæc theſis ex eo, quod velit, amiſſa per peccatum gratia, amitti univerſim etiam fidem, & ſpem, & ſolum in peccatore remanere *peccatum, & peccati conſecutiones*: quod certe repugnat Tridentino anathematizanti ſeſſ. 6. can. 28. eum, qui dixerit, *Amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti*. Quare non uno ex capite theſis configenda fuit.

IX. Opponunt tamen primo Janſeniani, quod homo lapſus non poſſit viribus gratiæ deſtitutus excutere dominatum concupiſcentiæ, unde non poteſt illi non inſervire; atque adeo impotens eſt ad quodcumque bonum opus ponendum, nec in eo quicquam remanet præter peccatum, ejuſque conſecutiones. Aſſumptum probant ex Auguſtino, qui auxilium gratiæ exigit, ne dominetur in nobis iniquitas. Hæc enim habet lib. 2. contra Julian. Pelag. cap. 226. *Iſta concupiſcentia, quæ non poteſt eſſe niſi in carne mortali, in eis regnat, qui deſideriis ejus ad mala perpetranda conſentiunt, & ab ea, quoſcumque illexerit, victi pertrahuntur majori impetu, cum lege prohibentur, ſi gratia non juvantur.*

Confirmant hoc idem ex eo, quod peccator per peccatum dæmonis tyrannidi ſubjicitur; unde ab eo tanquam mancipium regitur, & ad obſecundandum terrenis cupiditatibus inducitur, donec auxilio gratiæ ab ejus poteſtate eruatur: ergo impotens eſt univerſim ad bene operandum. Hanc inſuperabilem dæmonis poteſtatem ſine auxilio gratiæ paſſim commemorat Auguſtinus, præſertim Epiſt. 107. ad Vitalem dicens: *Reſponde, quomodo ad declinandum a malo, & faciendum bonum liberum habebamus arbitrium, quando erat ſub poteſtate tenebrarum? Unde nos ſi, quemadmodum dicit Apoſtolus, Deus eruit, ipſe utique illud liberum fecit.*

Reſpondeo tamen in noſtra poteſtate eſſe, & concupiſcentiæ, & dæmonis dominatum excutere, ſi in poteſtate noſtra eſt iis diſſentire. Eſt autem hoc in poteſtate noſtra, poſito quod per peccatum non ſit extinctum liberum arbitrium; quamvis enim aliquando ex rebellione concupiſcentiæ, & dæmonis fraudibus moraliter ad peccandum neceſſitemur, poſſumus tamen phyſice diſſentire, idque ſecundum ſe viribus naturæ, quamvis in præſenti providentia non deſint vires gratiæ ad reſiſtendum concupiſcentiæ, & tentationibus meritorie, & ſalutariter. Quod ſi recurramus ſtatim orationibus ad Deum, expugnabitur etiam illa moralis neceſſitas, quoniam Deus non ſolum non præcipit impoſſibilia phyſice, (quæ certe præcipere non poteſt) ſed nec univerſim impoſſibilia moraliter. Quod ſi aliquando nobis impoſſibilia præcipiat, *jubendo monet facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis*; juxta doctrinam Tridentini ſeſſ. 6. cap. 11. Hoc expreſſerat Auguſtinus lib. 1. de peccat. meritis cap. 39. ubi habet: *Si quis poſt baptiſmum vixerit, & ad ætatem adultam pervenire potuerit, ibi habet cum qua pugnet, nempe concupiſcentiam; ſed habet etiam, unde certo confidat, eamque, adjuvante Deo, ſuperet, ſi non in vacuum gratiam ſuſceperit, ſi reprobatus eſſe noluerit.*

Pariter quod etiam poſt lapſum poſſimus concupiſcentiæ dominatum excutere non conſentiendo illi, innuit Apoſtolus ad Rom. 6. illis verbis: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus*; dum prohibet obedire concupiſcentiæ, & admonet, ut illi regnum auferamus, oſtendit ejus regnum, & dominatum a noſtro libero arbitrio dependere. Quod aperte docuit Auguſtinus tract. 41. in Joann. dicens: *Non ait, non ſit, ſed non regnet; quamdiu vivis, peccatum neceſſe eſt eſſe in membris tuis; ſaltem illi regnum auferatur; non fiat, quod jubet.* Ubi adverte nomine peccati hic venire ipſam concupiſcentiam, quæ

ex

ex Tridentino ſeſſ. 5. *ab Apoſtolo peccatum appellatur, non quod vere, & proprie in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.* Et ſane ſi non eſſet integrum nobis concupiſcentiis reluctari, tantum determinaret ad peccatum vehemens concupiſcentia, quantum levis, & remiſſa: atque adeo non eſſet excuſabilior, qui ex vehementi concupiſcentiæ œſtro percitus peccaret, quam qui frigide, ac leviter ab illa impelleretur ad peccandum. Intantum ergo Auguſtinus requirit auxilium gratiæ, ut a dominatu concupiſcentiæ liberemur, quia per gratiæ auxilium facile expugnatur neceſſitas moralis ad peccandum orta ex concupiſcentia, & victoria eſt ſalutaris, & proficua ad vitam æternam. Propterea Trid. loco laudato definivit: *Manere in Baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, quæ cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, & viriliter per JESU Chriſti gratiam repugnantibus non valet; quinimmo qui legitime certaverit, coronabitur.*

Ad confirmationem recurrit eadem reſponſio: Tyrannidem dæmonis excutere pariter poſſumus, ſi ejus tentationibus diſſentiamus. Auguſt. in Pſ. 91. *Diabolus non cogit invitum; in tua poteſtate eſt conſentire, & non conſentire.* Et Chryſoſt. Homil. 23. in Geneſ. *Neque diabolum ipſum quis tantum putet, ut prohibere quempiam poſſit, quominus ad viam, quæ ad virtutem ducit, eat; ſupplantat quidem, & decipit ſocordiores, non cogit autem, nec prohibet;* prout rerum experientia compertum eſt. Quod eleganter Prudentius cecinit in Hamartigenia contra Marcionitas.

Sed tantum turbare poteſt, & fallere, quantum
Nos volumus, qui decrepito ſuggeſta Leoni
Armamenta damus, friget fera futile frendens,
Humani generis ni per ſuffragia gliſcat.

Et ratio ex Auguſt. ſerm. 197. de Tempore eſt, quia *latrare poteſt, ſolicitare poteſt, mordere non poteſt, niſi volentem; non enim cogendo, ſed ſuadendo nocet, nec extorquet a nobis conſenſum, ſed petit.* Quod ſi dæmonis tentatio ad peccandum neceſſitaret, recurrit, non fore majus periculum conſentiendi graviſſimæ dæmonis tentationi, quam leviſſimæ, nec eſſet gravius hoc peccatum præ illo. Quando autem Auguſt. requirit auxilium gratiæ, ut a poteſtate dæmonis eruamur; primo requirit hoc auxilium in præſenti providentia, in qua omnis victoria tentationum, & omnis actus virtutis fit cum auxilio gratiæ, ut proſit ad vitam æternam; Deinde requirit Dei auxilium, ut expugnetur neceſſitas moralis, quam ſæpe fert graviſſima dæmonis tentatio; hujuſmodi autem auxilium, ſi debito modo petatur a Deo, non denegabitur, ut diximus ex Tridentino.

X. Ex quibus liquet, in quonam ſenſu intelligendum ſit illud Apoſt. 1. ad Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis.* Non enim poteſt eſſe ſenſus, quod non permittet a concupiſcentia non allici, & a dæmone tentari ſupra id quod poſſumus phyſice; nam ſuccumbere huic impotentiæ, non verteretur culpæ: Senſus itaque eſt, quod non permittit ex ſua miſericordia hominem lapſum tentari ſupra id, quod moraliter poteſt, non quaſi vero nulla detur tentatio, quæ neceſſitet moraliter ad peccandum, & cujus victoria ſit moraliter impoſſibilis; ſed quia ſi quando victoria iſthæc eſſet moraliter impoſſibilis, ſi petatur auxilium gratiæ, expugnabitur iſta moralis impoſſibilitas, juxta illud Tridentini: *Impoſſibilia non jubet Deus, ſed jubendo monet, facere quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.* Impoſſibilitatem autem moralem ad orandum, & ad petendum divinum auxilium Deus ſecundum ſe non permittit; aliter pateretur nos tentari ſupra id, quod moraliter poſſumus; quod adverſatur benigniſſimæ ſuæ promiſſioni expreſſæ nobis ab Apoſtolo per illa verba, quæ præmittit dicens, *Fidelis Deus, qui non patietur* &c. Quinimo Deus aliquando impoſſibilia præcipit, ut excitet nos ad orandum, & ad implorandum auxilium ſuum, ut expreſſe habet Auguſtinus lib. de Grat. & lib. arb. cap. 16. dicens: *Non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri: Quis hoc neſciat? Sed ideo jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.*

XI. Opponunt deinde celebrem auctoritatem Concilii Arauſicani can. 22. ubi ex Auguſtino tract. 3. in Jo: dicitur: *Nemo habet de ſuo, niſi peccatum, & mendacium*; unde inferunt, quod peccator poſt amiſſam gratiam nihil boni operis exercere poſſit. Quod etiam colligi putant ex Apoſtolo ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per JESUM Chriſtum.* Item Cœleſtinus Papa ad Epiſcopos Galliæ dixit: *Nemo niſi per Chriſtum bene utitur libero arbitrio.* Et Auguſt. pluribus in locis aperte videtur docere, quod liberum arbitrium charitate, & gratia denudatum impotens ſit ad ullum bonum opus exer-

exercendum, & ſolum ad peccandum valeat: in Enchiridio enim c. 17. habet: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non eſt charitas.* Et de ſpir. & lit. cap. 3. *Neque liberum arbitrium quicquam niſi ad peccandum valet.*

Reſpondeo Arauſicanum, & Auguſtinum alia omnia docere, ac Bajum, qui in 27. ex ſuis theſibus dixit: *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio nonniſi ad peccandum valet.* Bajus quippe contendit, operationes omnes deliberatas, ſine Dei gratia poſitas, eſſe peccaminoſas, quod eſt erroneum: Arauſicanum vero, & Auguſtinus ſolum docent, quod peccatum ita ſit proprium noſtrum, ut nullatenus ſit Dei; ubi e converſo bona operatio eſt Dei principalius, & ſolum aliquatenus noſtra. Is enim, ex Aug. lib. 83. QQ. qu. 36., dicitur alicujus operis Auctor, qui illud vult: hæc enim habet: *Illo auctore cum dicimus, illo volente dicimus;* Cum autem Deus omnia velit præter peccatum, & hoc unice ſit a voluntate noſtra, idcirco hoc ſolum eſt noſtrum, & conſequenter homo nihil habet de ſuo, niſi peccatum, & mendacium. Præterquamquod omne opus bonum noſtrum eſt in radice donum Dei gratuitum quatenus omnis cogitatio congrua, ſine qua nullum ſit opus honeſtum, eſt beneficium Dei ſpeciale, & donum in ſuo genere gratuitum; quare ex hoc etiam capite homo nihil habet de ſuo, niſi peccatum; nec liberum arbitrium quicquam, niſi ad peccandum, valet; ut explicabimus in theſi trigeſima octava.

XII. Deinde ubi Auguſtinus opponit charitati cupiditatem, nomine charitatis, ut notat Vaſq. p. 2. diſp. 102. cap. 2. intelligit charitatem late ſumptam, quæ complectitur amorem omnium virtutum, quatenus ex charitate preſſe ſumpta provenit reliquarum virtutum amor, juxta illud ad Rom. 10. *Plenitudo legis eſt dilectio*: Nomine vero cupiditatis intelligit cupiditatem malam, ſeu concupiſcentiam, de qua habetur Jacobi 1. *Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum.* Hæc enim habet S. Doctor loco nuper laudato. *Aliud eſt charitas radix omnium bonorum, aliud cupiditas radix omnium malorum, tantumque inter ſe differunt, quantum virtus & vitium.* Hinc optime dicitur cupiditas carnalis regnare, ubi non eſt charitas, quatenus præſcindendo ab actibus indifferentibus (de quibus lis eſt apud Theologos, num ſint poſſibiles in individuo) quælibet actio humana vitio non caret, ſi non ſit ſtudioſa. Præterea Apoſtolus in textu laudato juxta communem expoſitionem ſolum ibi docet, quod ſine Chriſti gratia non ſuperamus graves tentationes moraliter neceſſitantes ad peccandum, nec omnes tentationes collective, quamvis nulla eſſet gravis. Denique Cœleſtinus Papa ſolum vult, quod nemo poſſit libero arbitrio uti ſalutariter, & cum merito vitæ æternæ ſine gratia per Chriſtum. Omnes tamen Catholici docent, poſſe peccatorem poſt amiſſam gratiam ſanctificantem per auxilia gratiæ benigne a Deo collata actibus ſupernis fidei, ſpei, orationis, pœnitentiæ, & ſimilibus conari ad reſurgendum, & ad juſtificationem ſe diſponere, prout dicitur 1. Reg. 7. *Præparate corda veſtra Domino*, & juxta doctrinam Tridentini ſeſſ. 6. cap. 6. ubi modus hujus præparationis diſerte explicatur.

XIII. Ex dictis perſpicuum fit, theſim hanc apertiſſime inſiſtere fallacibus Janſenii veſtigiis, qui lib. 3. de Gratia Chriſti Salvatoris cap. 5. cum docuiſſet, Gratia ſufficienti ad legem implendam, ſeu delectatione victrici deſtitutos fuiſſe univerſim homines in fœdere Judaico, & in Chriſtiano fœdere deſtitui pariter eos, qui mandata non ſervant, addit, deeſſe pariter iiſdem Gratiam ſufficientem ad orandum, & ad petendum a Deo auxilium ſufficiens ad præcepta ſervanda. Hæc enim habet: *Nec aliquis opponat iſti veritati, orari ſaltem poſſe, ut iſta delectatio, quæ ſufficiat implendæ legi, divinitus tribuatur. Nam etiam ad orandum delectatio quammaxime neceſſaria eſt, quæ non magis quam cæteræ noſtræ poteſtatis non eſt.* Ac demum concludit: *Ita dicimus, non ſolum Judæis, ſed etiam Chriſtianis, non ſolum carnalibus, ſed & ſpiritualibus gratiam talem ſufficientem ad faciendum, quod jubetur, frequenter ſubtrahi, atque ita ſubtrahi, ut nec pro tali gratia adipiſcenda deprecandi ſimilis ſufficiens gratia habeatur.* Quare ex Janſenio non ſolum peccatoribus, ſed etiam juſtis leges tranſgredientibus tum gratia ſufficiens ad legem ſervandam deſideratur, tum etiam gratia ſufficiens ad orandum. Queſnellus tamen in hac theſi ſolum id docet de peccatoribus, quibus dicit deeſſe poteſtatem etiam ad orandum, & ad impetrandum a Deo auxilium ſufficiens ad legem implendam. Quod apertiſſime contradicit Tridentino docenti, Deum impoſſibilia non præcipere, præcipiendo autem monere, ut faciamus quod poſſumus, & petamus quod non poſſumus. Et ſane ſi ne petere quidem, & orare poſſemus ad impetrandum auxilium neceſſarium ad legem ſervandam, deluſorie Deus moneret, ut oremus; ſicuti deluſorie dicitur claudo, ut fugiat a ruina, ſi vires non habet ad fugiendum. Verum quidem

dem eſt, quod ut oratio ſit ſupernaturalis, & meritoria, procedere debet ab auxilio ſuperno, ut proinde peccator, qui tenetur v. gr. contritionem elicere, quæ viribus naturalibus poni nequit, non poſſit vi orationis tale auxilium de congruo mereri, ac impetrare, niſi oratio procedat ab auxilio ſupernaturali: At ex hoc tantum fit, quod dum peccator monetur a Deo, ut auxilium petat ad ponendam contritionem præceptam, deſtitui non poſſit auxilio requiſito ad orandum; aliter hoc ipſum auxilium eſſet petendum ab alia, & alia oratione in infinitum, & ſic etiam deluſorie Deus moneret facere, quod poſſumus, & petere quod non poſſumus.

Neque obſtat, quod gratia ad orandum, utpote ſupernaturalis, non ſit debita peccatori, immo cuilibet etiam innocenti poſſit denegari. Nam licet abſolute loquendo nemini Gratia debeatur; ea tamen eſt debita gratuitæ promiſſioni, qua Deus erga homines ſe obligare dignatus eſt, dum eos ad orandum invitat, debeturque præcepto illi, quod Deus imponit, quodque alioquin foret impoſſibile. Unde Auguſt. de Grat. & lib. Arb. cap. 34. dixit: *Homo gratia juvatur, ne ſine cauſa voluntati ejus jubeatur.* Propterea gratia ad orandum non exigitur a peccatore, ſed ab ipſa Divina Sapientia, bonitate, ac juſtitia. Hinc Auguſt. lib. de natura, & grat. cap. 69. dixit. *Firmiſſime creditur, Deum juſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere.* Conſtat itaque, quod peccator poſt amiſſam gratiam juſtificantem non laboret impotentia quacunque, etiam ad orandum, & ad quodvis opus bonum.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus germanum verborum ſenſum Theſis I.

POſt ſingularum theſium rejectionem, & objectorum confutationem, operæ pretium duxi unicuique ſuam Anacephalæoſim ſubjicere, in qua paucis germanus verborum ſenſus enucleetur, & explodatur; ut liquido ſtatim conſtet, quod, ſicut quinque propoſitiones ex libro Janſenii excerptæ in ſenſu obvio confixæ ſunt, quem ipſamet earum verba exhibent, ac præſeferunt (prout Innocentius XII. expreſſit in literis datis ad Epiſcopos Belgii in forma Brevis anno 1694., & 1696.; & in quo ſenſu, non ore ſolum, ſed etiam corde rejiciendas, ac damnandas eſſe declaravit Pontifex in Bulla, *Vineam Domini Sabaoth*, edita anno 1705.) ita in eodem pariter ſenſu una, & centum theſes ex libro Queſnelli excerptę proſcribantur; adeo ut immerito, per ſummam injuriam, & ad eluſionem tantum inquiri poſſit, In quonam ſenſu eas Pontifex proſcripſerit? Siquidem ſpectato proprio, ac obvio verborum ſenſu nulli ſubſunt æquivocationi, nec poſſunt benignam ullam interpretationem admittere, nec opus eſt ex aliis ejuſdem Auctoris aſſertionibus earum intentum expiſcari; quamvis non raro ex adjunctis etiam luculentius earundem falſitas, ac fallacia deprehendatur; ut proinde omnes, & ſingulæ tam ſecundum ſe, quam in ſenſu ab Auctore intento, ſeu quem non temere dixeris ab eo intentum, fuerint proſcribendæ. Quod liquidius conſtabit ex dicendis in calce decimæ iſtarum theſium, necnon in 51.

Prima Queſnellianarum theſium, dum docet homini poſt peccatum nihil aliud remanere, præter generalem impotentiam ad laborandum, ad orandum, & ad quodcumque bonum opus, indiviſim docet, liberum ... minis arbitrium per peccatum amitti, & extingui juxta hæreſim a Tridentino damnatam ſeſſ. 6. can. 5. Præterea dum docet, peccatorem poſt amiſſam gratiam nec orare poſſe, nec credere, nec ſperare, nec quidquam boni facere, (prout debet ex Tridentino ſeſſ. 6., cap. 6., ut ſe diſponat, ac præparet ad juſtificationem obtinendam) docet etiam indiviſim, aut non remanere univerſim in eo habitus ſupernaturales fidei, & ſpei; quod pariter adverſatur Tridentino; aut incaſſum habitus eos relinqui, dum ad ſuos actus prodire non poſſunt. Denique ſi in peccatore remanet generalis impotentia ad quodcumque opus bonum, aperte ſequitur, quod nec poſſit ad Deum converti, niſi ſua efficaci gratia Deus illum convertat, adeo ut nunquam reus ſit, ſi de facto non convertatur; atque adeo dum non orat, non credit, non ſperat, nec diſponitur ad converſionem, nunquam pariter ſit reus, nec exprobrandus, quia ad hæc omnia generalem habet impotentiam; & qui ex defectu potentiæ aliquid omittit, reatum non incurrit, nec exprobrationi eſt obnoxius. Hæc autem omnia Janſenianos errores recudentia, quantum a Divina pietate, a Doctrina Sacrorum Bibliorum, atque adeo a veritate abhorreant, nemo eſt quin videat. Profecto ſi quis in foveam lapſus nec ſurgere poſſit, nec opem alienam implorare, nec vocanti reſpondere, ſed ſolum poſſit

actu

actu miſericorditer extrahi manu aliena, impius proculdubio eſſet, qui illi diceret, Vocavi, & non reſpondiſti: ideo lapidibus obruo te: Haud aliter autem ſe gereret juxta hanc theſim Deus erga peccatores, quibus deeſt facultas reſpondendi, ac opem implorandi, ſi illis diceret, *Vocavi, & renuiſtis; ego autem in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo.*

Neque enim ad contrahendum peccatum formale, ac demeritum propter omiſſionem converſionis peccatori præceptæ ſatis eſt libertas, qua ea voluntaria fuit, ac libera in cauſa ſua, nempe in peccato originali, & in libertate Adæ peccantis; cum effugium hoc Janſenianorum occluſum jam ſit ab Alexandro Octavo primam illam hujus Sectæ theſim proſcribente. Quare abſurditas hujus Queſnellianæ doctrinæ, & cohærentia illius cum erroribus Janſenii fit de ſe obvia illam perpendenti.

Nec poterit quiſquam ſomniare, quod ſolum theſis iſthæc velit in peccatore poſt amiſſam gratiam remanere impotentiam moralem, non vero phyſicam ad quodcunque opus bonum; ſæpe enim, ut advertit Angelicus 3. p. q. 86. 1. ad 2., dici ſolet abſolute impoſſibile, quod ſolum ſine magna difficultate poni non poteſt: In quo ſenſu Apoſt. ad Hebr. 6. dicit: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, & proplapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam:* Aut quod ſolum velit in peccatore poſt amiſſionem gratiæ remanere impotentiam phyſicam ad quodcunque bonum opus ſalutare; cum ſine gratia opus ſupernaturale conducens ad ſalutem proculdubio poni non poſſit: in quo ſenſu Cœleſtinus Papa ad Epiſcopos Galliæ dixit: *Nemo niſi per Chriſtum bene utitur libero arbitrio*, quatenus ſine gratia per Chriſtum nequit poni bonum ullum opus ſalutare, & cum merito vitæ æternæ.

Neutra enim interpretatio eſt ad rem. Falſum quippe eſt, quod peccator laboret impotentia morali ad quodcumque bonum opus; quinimmo ſi habitus virtutum acquiſierit, etiam poſt amiſſam gratiam de facili in eorum exercitio verſatur, puta erogando ſtipem pauperibus, jejunando, credendo myſteria fidei, honore parentes proſequendo, &c. Falſiſſimum pariter, quod peccator poſt amiſſam per peccatum gratiam habitualem juſtificantem, remaneat phyſice impotens ad ponendos actus ſupernaturales, puta fidei, ſpei, contritionis; quamvis enim ſine gratia actuali hujuſmodi actus poni non poſſint, ea tamen peccatoribus non denegatur; aliter non tenerentur conari ad reſurgendum; quinimo ea de cauſa remanent in peccatore ex divina miſericordia habitus infuſi fidei, & ſpei, quando peccatum his virtutibus non adverſatur, ut per auxilia ab iiſdem exigita connaturaliter poni poſſint actus fidei, ac ſpei ſupernaturales, qui ad reſurrectionem ſpiritualem diſponant; & licet in his actibus ſupernis non habeatur in peccatore meritum condignum gratiæ, & gloriæ, habetur tamen meritum de congruo aliorum auxiliorum, quibus novi actus eliciantur, quouſque ad gratiam, & gloriam perveniatur. Quibus adde, quod cum theſis abſolute, & ſine ulla reſtrictione neget potentiam ad quodvis bonum opus, non debet terminus hic late patens determinari ad ſenſum reſtrictum, niſi ex contextu, aut ex aliis ejuſdem Auctoris textibus appareat, quod in ſenſu reſtricto uſurpetur; Sicut textus adductus Cœleſtini Papæ habet ſenſum illum reſtrictum, quia dum docet, *Neminem bene uti libero arbitrio, niſi per Chriſtum*, frequenter ibidem addit ly *ſicut oportet*, juxta phraſim Tridentini ſeſſ. 6. can. 3.; aut *Sicut expedit ad ſalutem*, ut dicitur in Arauſicano can. 7. At in caſu noſtro non ſolum id non habetur, verum etiam ex aliis Queſnellianis theſibus liquido conſtat oppoſitum, & impotentiam hanc generalem ad quodcunque opus bonum in ſenſu late patentiſſimo, & Janſeniano uſurpari; propterea theſis tum in ſenſu proprio, ac legitimo verborum, tum etiam in ſenſu ab Auctore intento eſt falſa, erronea, immo etiam hæretica; cum de fide ſit poſſe peccatores divina gratia excitatos, & adjutos variis actibus fidei, timoris, orationis, ſpei, dilectionis ad juſtificationis gratiam obtinendam ſe diſponere, ac præparare. Et hæc dicta ſint ad præcludenda iſthæc effugia in aliis theſibus mox exponendis: Quæ fuſius infra explicabimus in Anacephalæoſi theſis quinquageſimæ primæ; ubi oſtendemus, nullam ex Queſnellianis theſibus poſſe apte in ſenſu Catholico accipi: Quod ſi forte nonnulla conſimilibus verbis a Sanctis Patribus fuerit uſurpata; non propterea aut in SS. PP. poterit accipi in ſenſu hæretico, aut in ſenſu Catholico in Codice Queſnelliano. Ex adjunctis enim propoſitio æquivoca ad hunc potius, vel illum ſenſum determinatur. Cum autem etiam ex adjunctis nulla Queſnellianarum theſium poſſit accipi in ſenſu Catholico, idcirco omnes omnino jure ac merito confixæ ſunt, tum in ſenſu germano, & obvio, quem præſeferunt verba, tum etiam in ſenſu germano, & obvio, quem exhibent ex adjunctis; tum demum in ſenſu ab Auctore intento, qui de ſe palam fit perpendenti vim

ver-

verborum, & Queſnelli doctrinam paſſim Janſenianos errores recudentem. Quod in calce decimæ iſtarum theſium pariter ſub oculos ſubjiciemus, oſtendendo, perperam a nonnullis excuſari Queſnellum, perinde quaſi potuiſſent nonnullæ ex his benigne exponi, quin illis nigrum theta præfigeretur.

PROPOSITIO II.

Jeſu Chriſti Gratia principium efficax boni cujuſcunque generis neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illa non ſolum nihil fit, ſed nec fieri poteſt. *Ita Queſnellus Jo. c. 5. n. 5. in editione 1693.*

SYNOPSIS.

I. Baji veſtigiis inhæret Queſnellus, dum docet, nihil fieri poſſe ſine gratia Chriſti.

II. Debentur homini vires, quibus conſequi poſſit ſuum ultimum finem. III. Poteſt peccator in natura lapſa adjutus viribus Gratiæ exercere tam actus virtutum ſupernaturalium Moralium, quam actus Fidei, & Spei diſponentes ad juſtificationem. IV. Poteſt etiam citra gratiam efficacem ipſum actum Charitatis ponere.

V. Ex hoc quod liberum arbitrium poſt lapſum viribus ſit attenuatum, evincitur, quod ſaltem phyſice poſſit honeſte operari, immo poterit etiam moraliter, ſi oret. VI. Servitutem peccati per lapſum contraximus, non vero neceſſitatem peccandi.

VII. Hinc alia eſt libertas a ſervitute peccati; alia libertas abſtinendi a peccato. VIII. Differt pariter peccati ſervitus a neceſſitate peccandi. IX. Tam ſine gratia habituali animæ permanenter inhærente, quam ſine gratia actuali fieri poteſt in natura lapſa opus honeſtum.

X. Perperam Queſnellus excuſatur. XI. Conferuntur Janſenianæ theſes confixæ cum Queſnellianis. XII. Refertur Sententia juridice lata adverſus Queſnellum.

I. IMperiti præ manibus habentes Queſnellianas obſervationes facile dixerint, pietatem ipſam verbis hujuſce theſis loqui, dum Chriſti gratia commendatur tanquam fons, & origo bonorum omnium, cui bonum cujuſcunque generis a nobis adſcribendum ſit. At quid magis a veritate, ac pietate abhorrens, quam velle, quod ſine Chriſti gratia, quæ ſit principium efficax cujuſcunque boni, hoc eſt ſine gratia efficaci, nullum opus ſtudioſum, ſive ordinis naturalis, ſive ſupernaturalis fiat, aut fieri poſſit? Etenim quammaxime derogaret divinæ providentiæ, ſi circumſcripta Chriſti gratia ſuperna quacunque denegaret humanæ naturæ vires ad bene operandum: quammaxime etiam derogaret divinæ Miſericordiæ, ſi denegata gratia efficaci, quam citra uniuſcujuſque injuriam denegare poteſt, denegaret pariter peccatori vires requiſitas ad ponendos actus ſupernaturales, quibus ſe præparet ad gratiam juſtificantem recuperandam, ut nihil magis. Profecto ex hoc quod Queſnellus in hac theſi (ſicut etiam in pluribus ſequentibus) doceat ſine Chriſti gratia efficaci nihil fieri poſſe in ordine ſupernaturali, virus omne Janſenianum propinat, cum in hoc errore, quem paſſim callide obtrudit, omnes quinque Janſenii theſes hæreſeos nota inuſtæ deliteſcant, ut mox in Anacephalæoſi palam fiet: Ex hoc vero quod velit ſine Chriſti gratia nihil fieri poſſe etiam in ordine naturali, recudit errores Baji, qui in ſexageſimaquinta ex ſuis proſcriptis Theſibus docuit: *Nonniſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis bonus liberi arbitrii, & gratiæ Dei injuriam facit, qui ita ſentit:* Et in vigeſimatertia pariter docuit: *Cum Pelagio ſentiunt, qui teſtimonium Pauli ad Rom. 2. (Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt) intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus.* Quandoquidem ex Apoſtolo etiam Infideles, atque adeo etiam peccatores fideles naturaliter facere poſſunt, quæ legis ſunt, & actus virtutum naturalium exercere citra ullam gratiam ſupernam.

II. Ratio autem quare ſine Chriſti gratia, tam habituali, quam actuali fieri poſſint actus moraliter boni, etiam in natura lapſa, eſt, quia Deus ut auctor naturæ, ſicut condidit ſolem, v. gr. ad illuminandum, ignem ad calefaciendum, ita condidit hominem, ut per actus moraliter bonos tendat ad acquirendum ſuum finem ultimum, qui eſt ipſe Deus: ergo homini natura ſua debetur expedita poteſtas, ac libertas ad actus moraliter bonos excercendos, atque adeo ſine gratia Chriſti naturæ indebita poteſt hos actus ponere. Quod autem eos ponere etiam poſſit poſt lapſum, ex eo conſtat, quia per lapſum non amiſit liberum arbitrium ex Trid. ſeſſ. 6. can. 5. ſic decernente: *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, anathema ſit:* nec amiſit debitum tendendi ad finem ſuum ultimum modo ſibi poſſibili, videlicet per actus moraliter bonos; quare poteſt etiam poſt lapſum natura ſua exercere actus honeſtos, ad quos proinde excercendos non requiritur gratia

tia ſupernaturalis, ſed ad ſummum gratia Providens; quatenus ad Divinam Providentiam ſpectat ita combinare cauſas ſecundas, ut poſſit ſæpe poni bona operatio naturalis; & quod hic, & nunc voluntas ad illam ſe determinet, oriatur ex divina clementia, quæ fons, & origo eſt omnis boni tam phyſici, quam moralis. Celebris quidem eſt ſententia docentium, quod in præſenti providentia quoties conſurgit opportunitas ponendi actum virtutis naturalis, & ad illum datur ſufficientia, detur ſimul a Deo regulariter auxilium ad eliciendum actum ejuſdem virtutis ſupernum. At ſecundum ſe, ſi a tali auxilio voluntas non adjuvaretur, certe poſſet ponere actum bonum naturalem; neque enim per peccatum adimitur a nobis talis poteſtas, cum non adimatur per peccatum liberum arbitrium. Et quamvis Tridentinum in eadem ſeſſione cap. 1. dicat, quod per peccatum liberum arbitrium ſit *viribus attenuatum, & inclinatum*; hoc ad ſummum probat, quod ſæpe detur aliqua neceſſitas moralis ad peccandum, & moralis impotentia ad bonam operationem, quę bene cohæret cum potentia phyſica, & libertate ad illam ponendam.

III. Ex hoc autem, quod ſine gratia Chriſti, quę ſit principium efficax omnis boni, ſeu ſine gratia efficaci detur in nobis libera poteſtas, ſaltem phyſica, ſi minus ſemper moralis, ad exercendos actus virtutum naturalium, aperte deſcendit, quod ſi in præſenti providentia dentur in nobis auxilia ſupernaturalia ad exercendos actus virtutum ſupernaturalium, etiam h. m. actus poni poſſint in natura lapſa: Quod autem iſthęc auxilia de facto dentur, ex eo fit perſpicuum, quod in peccatore perſeverant habitus infuſi fidei, & ſpei; (quando ſcilicet peccatum, propter quod amittitur gratia, non opponitur his virtutibus) unde ad exigentiam iſtorum habituum, tempore opportuno, conferuntur a Deo, qui eſt Adjutor in opportunitatibus, auxilia ſupernaturalia ad actus fidei, & ſpei exercendos, quibus peccator ad juſtificationem diſponatur.

IV. Corruit proinde doctrina hujus Theſis, quod ſine Chriſti gratia nihil boni moralis fiat. Corruit etiam, quod ſine eadem gratia efficaci fieri non poſſit ipſe actus charitatis. quoties enim peccator ad perfectam dilectionem Dei hic & nunc (puta in articulo mortis) præceptam invitatur per gratiam actualem excitantem, toties datur in illo ſufficientia ad eam dilectionem ponendam; cum præceptum non ſit de re impoſſibili, nec invitatio gratię ſit deluſoria. Quod ſi renuat peccator gratię invitanti conſentire, tunc ita gratię interiori reſiſtitur, ut quamvis non fiat, fieri tamen poſſit actus perfectæ charitatis citra gratiam Chriſti efficacem, & in actu ſecundo adjuvantem ad conſenſum, prout in ſequentibus theſibus non ſemel explicabitur. Conſtat proinde hujuſce theſis & falſitas, & fallacia: Negando quippe poteſtatem ad ullum opus bonum ſine gratia Chriſti efficaci, quæ ſolum Electis eſt danda, ut docent Janſeniani, ſubdole contendit Auctor, quod peccatores animum abjiciant, & non ſibi imputent, quod in ſuarum culparum fovea perſiſtant, ſed imputent id gratiæ, ſeu divinæ voluntati, per quam ſolum ſtat, ne extrahantur; cum non valeant de ſe ullum bonum actum ponere, nec ulla ſibi conferatur gratia ſufficiens, qua poſſint conteri, ſi velint; quinimmo ne clamare quidem poſſunt cum Pſalmiſta opem expoſtulante verbis illis, *De profundis clamavi ad te Domine*. Quę ſi verum haberent, nec peccator reus eſſet omittendo reſipiſcentiam; nec Infidelis dum invitatus ad fidem vocationibus obſurdeſcit; nemo quippe reus eſt per hoc, quod non ponat, quod ponere non poteſt, cum nequeat ad impoſſibile obligari; quod in ſequentibus planius fiet.

V. Opponitur primo illud Trid. loco laudato, quod liberum arbitrium poſt lapſum, licet non fuerit amiſſum, & extinctum, fuerit tamen *viribus attenuatum, & inclinatum*, & ut habet Arauſicanum II. can. 8. *infirmatum, & læſum*; indiget proinde gratia Chriſti medicinali, & efficaci, ut ab hac infirmitate curetur, ac potens reddatur ad bene operandum: & ideo ſine Chriſti gratia nihil fit, nec fieri poteſt.

Sed argumentum evincit oppoſitum; etenim ſi ſolum eſt infirmatum, & læſum liberum arbitrium, quatenus per peccatum experimur rebellionem partis inferioris a ſuperiore, concupiſcentia in nobis regnat, & ſubditur homo poteſtati dæmonis, prout in theſi ſuperiore explicavimus, ſequitur, quod detur phyſica poteſtas ad vincendas tentationes, & ad bene operandum, & quod ſolum ſæpe ad id detur impoſſibilitas moralis expugnanda per auxilium gratiæ, quam Deus offert orantibus; quæ gratia vere eſt medicinalis, quatenus ægritudinem, & imbecillitatem ortam ex lapſu ſanat, dando vires ad vincendum, & ad ſalutariter operandum; quin tamen neceſſitet, & evertat arbitrii libertatem; ita ut non poſſimus illam reſpuere. Quod ſi phyſica etiam poteſtas nobis deeſſet, proculdubio liberum arbitrium per lapſum non eſſet *attenuatum, inclinatum, in-*

firmatum, *& læſum*, ſed eſſet omnino extinctum, ut Calvinus, & Lutherus contendebant.

VI. Opponitur ſecundo, quia homo lapſus contraxit ſervitutem peccati; ergo non eſt liber ad non peccandum, & ad bene operandum ſine gratia per Chriſtum, qua liberetur a tali ſervitute, & captivitate, & qua pariter a cupiditatibus, & compedibus, quibus præpeditus eſt, ſolvatur. Antecedens colligitur ex verbis Apoſtoli ad Rom. 6. *Cum ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ; nunc autem liberati a peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum in ſanctificationem.* Conſequentia videtur ſequi, quia libertas abſtinendi a peccato, & bene operandi non cohæret cum ſervitute peccati; ſervus enim liber eſſe non poteſt.

Reſpondeo hoc eſſe Calvini argumentum, quo contendit probare, liberum arbitrium eſſe extinctum per peccatum; hæc enim habet apud Ruard. art. 7. pag. 236. *Libertas, & ſervitus inter ſe pugnant, ut qui alterum dixerit, alterum neget; proinde ſi ſerva eſt hominis voluntas, libera eſſe non poteſt.* Sed facilis eſt ſolutio; ſiquidem ſervitus peccati non eſt connexa cum neceſſitate peccandi; ut proinde poſſit quis eſſe ſervus peccati, & ſimul liber ad non peccandum, & ad bene operandum: ſervitus peccati ſolum opponitur libertati filiorum Dei, qui immunes omnino ſunt a peccato, & ab effectibus peccati, nempe a reatu odii divini, ac pœnæ tam æternæ, quam temporalis, necnon ab aliis conſequentibus ad culpam. Unde Auguſtinus lib. 14. de civitate cap. 15. dicit, Adamum amiſiſſe libertatem ſubjectionis expertem, *quia & peccati, & pœnæ, & miſeriæ ſervus factus eſt, & contraxit concupiſcentiæ inordinationem, & pugnam fomitis, quæ ſervitus quædam pœnalis eſt.*

VII. Hinc fit primo, aliam eſſe libertatem abſtinendi a peccato, aliam vero libertatem a ſervitute peccati; ſunt enim hæc ſeparabilia; nam in Beatis, & in infantibus baptizatis datur libertas a captivitate peccati; non tamen datur poteſtas libera, & indifferens abſtinendi a peccato, cum deſit illis libertas ad peccandum. Contra vero in peccatoribus fidelibus datur libertas abſtinendi a peccato ſine libertate a ſervitute peccati. Quinimmo juſtis etiam in via datur libertas abſtinendi a peccato, citra libertatem perfectam a ſervitute peccati; quamvis cum peccato careant, non carent tamen effectibus peccati, nempe concupiſcentia inordinata, & pugna fomitis. Quia tamen concupiſcentia iſta ex Tridentino ſeſſ. 5. appellatur peccatum, quatenus a peccato oritur, & ad peccatum inclinat, proprie tamen non eſt peccatum; ideo juſti, qui ſunt immunes a reatu culpæ, & pœnæ, dicuntur etiam liberi a ſervitute peccati, ut habet Suar. Proleg. 1. cap. 1. dicens: *Carentia culpæ, & remiſſio pœnæ dici poteſt libertas quædam a peccato, ſeu peccati ſervitute, juxta illud Rom. 6. Cum ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis Juſtitiæ; nunc autem liberati a peccato, ſervi autem facti Deo, habetis fructum in ſanctificationem.* Ratio itaque a priori eſt, quia libertas abſtinendi a peccato importat ſolum poteſtatem indifferentem ad peccandum, & non peccandum; libertas vero a ſervitute, ſeu captivitate peccati fert immunitatem a culpa ſimul, & a quolibet effectu, & reatu per culpam inducto; quoties enim intelligitur homo cum reatu aut culpæ, aut pœnę, intelligitur peccati ſervus, illique ſubjectus.

VIII. Fit ſecundo, ſervitutem peccati diverſam pariter eſſe a neceſſitate peccandi: ſunt enim pariter iſta ſeparabilia; ſiquidem ante baptiſmum tam pueri, quam adulti amentes ſervi ſunt peccati, carent tamen neceſſitate ad peccandum: pariter fidelis peccator, dum ſe diſponit ad juſtificationem, eſt adhuc peccati ſervus, liber tamen eſt a peccandi neceſſitate, cum ſine peccato ponat actus, quibus ad juſtificationem diſponitur. Et ratio a priori eſt, quia ſervitus peccati eſt ſubjectio, qua homo tenetur ſub jure, & poteſtate peccati commiſſi quoad reatum culpæ, & pœnæ, cum impotentia liberandi ſe ab illo citra gratiam Redemptoris; cum quo bene componitur, quod poſſit peccati ſervus ponere actus naturales virtutum moralium, inutiles ad extrahendum illum a peccati captivitate: Contra vero neceſſitas peccandi fert poteſtatem determinatam ad peccandum, cum impotentia abſtinendi a peccato. Hanc volunt Janſeniani dari de facto in natura lapſa, ac proinde Queſnellus vult in hac theſi, quod ſine gratia per Chriſtum nihil boni fieri poſſit; quod oſtendimus doctrinæ Catholicæ repugnare, quippe quæ docet in natura lapſa liberum arbitrium non eſſe extinctum, ſed ſolum infirmatum, atque adeo poſſe ſecundum ſe a culpis abſtinere, & actus virtutum naturalium exercere; indigere tamen gratia actuali ex meritis Chriſti danda, ut per actus ſupernaturales fidei, ſpei, timoris, dilectionis, & doloris, ſe diſponat ad recuperandam libertatem filiorum Dei, excutiendo compedes proprias ſervorum peccati; indigere pariter gratia habituali, qua formali-

ter

ter a peccati ſervitute eximatur quoad reatum culpæ, & pœnæ æternæ, ut libertati filiorum Dei reſtituatur.

IX. Ubi notandum, in theſi fieri ſolum mentionem de gratia Chriſti, præſcindendo ab actuali, & habituali, eo quod ab Auctore nulla alia videtur agnoſci gratia, præter illam, quæ habetur per fidem, & charitatem; quin tamen gratia iſta, dum habitualiter perſeverat, inhæreat animæ, ſed ſolum habeatur iſta perſeverantia per juſtitiam Chriſti nobis imputatam per unionem charitatis, qua illi unimur, ut fatetur in theſibus ſequentibus 36. & 37. Qua in re ab ipſius Janſenii mente videtur Queſnellus recedere, negando gratiam habitualem intrinſecam; niſi forte in iis theſibus ſolum ſignificare velit, quod gratia Adami fuerit in ejus perſona, quatenus illa pendebat quoad uſum a libero ejus arbitrio; gratia vero Chriſtiana recipiatur in perſona Chriſti, quatenus neque quoad receptionem, neque quoad uſum pendet a noſtro arbitrio, ſed tantum pendet a voluntate Chriſti, & Dei. Uterque tamen ſenſus eſt erroneus. Docent quippe Catholici omnes ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. gratiam habitualem eſſe nobis inhærentem, ac nobis in juſtificatione infundi ſimul cum ſupernaturalibus habitibus fidei, ſpei, & charitatis, ratione quorum, ut advertit Suar. lib. 4. de Grat. cap. 4. actus ſupernaturales connaturali modo fiunt per principium intrinſecum nobis permanens, gratiam vero actualem ſupernaturalem requiri, ut poſſit homo ſe diſponere ad juſtificationem: quod etiam docet Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. dicens: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, &c.* Sicut etiam requiritur gratia actualis per Chriſtum in juſtificatis, ut cum determinatione arbitrii exerceant opera ſalutaria: unde idem Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. habet: *Chriſtus Jeſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influit; quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſunt.*

Ex his autem omnibus ſequitur, ſine gratia ſanctificante fieri poſſe, & de facto fieri actus etiam ſupernaturales, puta fidei, ſpei, & dilectionis diſponentes ad juſtificationem. Sequitur pariter, quod ſine gratia efficaci poni etiam poſſit ipſe actus perfectiſſimus charitatis; quando ſcilicet ille præcipitur; unde datur gratia ſufficiens ad illum ponendum, & voluntas huic gratiæ reſiſtit; tunc enim dantur vires ad ponendum hunc actum præceptum, & quidem circumſcripta gratia efficaci, quatenus ex renitentia voluntatis oritur, ut ea gratia ſufficiens ſit pure ſufficiens, & non efficax, ut mox in theſibus proxime ſequentibus explicabitur.

X. Dices pro Queſnello, theſim hanc non denotare, quod ſine gratia efficaci in actu ſecundo nihil boni fieri poſſit, ita ut exterminetur gratia ſufficiens, ſed ſolum ſignificare, quod ſine gratia Chriſti, quæ de ſe eſt efficax, niſi ex culpabili voluntatis contranitentia in vacuum recipiatur, nihil fieri poſſit conducens ad vitam æternam; Sicut Chriſtus Dominus dixit Jo. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*: Ubi Auguſt. tr. 81. in Jo. advertit. *Non, ait, ſine me parum poteſtis facere, ſed nihil poteſtis facere: ſive ergo parum, ſive multum, ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt.* Quod autem nomen hoc Gratiæ efficacis in utroque ſenſu ſumi poſſit, videlicet tam pro gratia efficaci in actu primo, ac de ſe efficaci in actu ſecundo, niſi a voluntate impediatur, in quo ſenſu hæc theſis videtur eſſe Catholica, quam pro efficaci in actu ſecundo, in quo ſenſu eſt erronea, conſtat ex Suar. l. 4. de Grat. cap. 1., ubi hæc habet: *Vox illa, Efficax, eſt æquivoca: interdum enim dicitur Cauſa, vel principium efficax in actu primo tantum, quia vim ex ſe habet potentiſſimam ad effectum præſtandum, quantum eſt ex ſe: interdum vero ille terminus, Efficax, involvit non ſolum actum primum, ſed etiam actum ſecundum; Sic dicitur Cauſa efficax, quia non tantum vim habeat, ſed etiam in ſe ipſa conſequatur effectum.* Ac deinde oſtendit Doctor eximius, etiam a Sanctis Patribus vocabulum hoc, Efficax, ſumi non raro pro efficaci in actu primo; in quo ſenſu ad Hebr. 4. dicitur: *Vivus enim eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Cum ergo poſſit in ſenſu catholico ſumi theſis iſthæc, nihil videtur eſſe cauſæ, cur proſcribatur, aut cur non ante proſcriptionem explicanda ſit.

Sed contra eſt primo, quia quamvis nomen hoc, Gratia efficax, aliquando uſurpetur pro gratia efficaci tantum in actu primo: at antonomaſtice, & niſi aliud ex contextu denotetur, ſemper ſumitur pro efficaci in actu ſecundo, prout contradiſtinguitur a gratia ſufficienti; ceſſat proinde in caſu noſtro æquivocatio, atque adeo theſis juxta germanum ejus ſenſum proſcribi meruit citra ullam explicationem præviam.

Contra ſecundo, quia licet verum ſit, quod ſine gratia efficaci in actu primo nihil fieri poſſit conducens ad vitam æternam,

falſum tamen eſt, quod ea ſit neceſſaria ad bonum cujuſcumque generis, adeo ut ſine illa nihil boni fieri poſſit; ad faciendum enim opus honeſtum ordinis naturalis non requiritur gratia ſuperni ordinis.

Contra tertio, quia eſto vocabulum illud, *Efficax*, de ſe eſſet æquivocum; at ex circumſtantia codicis Queſnelliani paſſim Janſenizantis, ac rejectantis a natura lapſa gratiam ſufficientem, necnon ex circumſtantia temporis, & loci, in quibus lues Janſeniana graſſatur, aperte determinatur ad ſignificandam gratiam efficacem in actu ſecundo. Conſtat enim, ut dicemus in Theſi decima, propoſitionem æquivocam ex circumſtantiis determinari ad hanc potius, quam ad illam ſignificationem; ſicut propoſitio iſta, *Abſolvo te*, ex circumſtantia fori Sacramentalis determinatur ad ſignificandam abſolutionem a peccatis, & ex circumſtantia fori externi determinatur ad ſignificandam abſolutionem a pœnis debitis. In hunc ferme modum contendebant Bajani non fuiſſe proſcribendam theſim illam Baji 55., ubi dicitur: *Deus non potuiſſet ab initio creare hominem, prout nunc naſcitur;* quia videtur eſſe æquivoca; nam ſi fiat ſenſus, quod non potuiſſet homo ab initio creari prout nunc naſcitur, videlicet cum peccato originali, ea eſt veriſſima; quomodo enim poterat cum originali creari, ſi nullum præſupponeretur peccatum alienum, quod per originem contraheretur? Si vero fiat ſenſus, quod non potuiſſet Deus hominem ab initio creare, prout nunc naſcitur, videlicet cum rebelli concupiſcentia, & cum lege membrorum legi mentis repugnante, ea longe aberrat a veritate, & cenſuræ Theologicæ eſt obnoxia. Quod autem juxta hunc ſenſum ſumenda ſit in codice Bajano, atque adeo citra ullam explicationem proſcribenda fuerit, ex eo pariter conſtat, quod ex circumſtantia Bajani codicis, temporis, ac loci, in quibus hic error paſſim diſſeminatur, ad hunc erroneum ſenſum determinetur. Perperam itaque Queſnellus excuſatur.

XI. Quod vero in Codice Queſnelliano paſſim Janſenii proſcriptæ theſes recudantur, atque adeo theſis iſthæc, (ſicut etiam aliæ ejuſdem furfuris) eſto eſſet de ſe æquivoca, ex circumſtantia tamen codicis intelligenda ſit ad mentem Janſenii de medio tollentis in natura lapſa gratiam ſufficientem, ac proinde abſolute, & citra ullam explicationem proſcribi potuerit, non erit abs re hic breviter demonſtrare. Duplici autem via ſatis ſuperque id demonſtrabitur: Primo conferendo Janſenianas Theſes cum Queſnellianis: Deinde ſummatim recolendo ſententiam Juridice latam ab Illuſtriſs. Archiepiſcopo Mechlinienſi adverſus Queſnellum, in qua ejus pervicacia in tuendis, & edocendis Baji, & Janſenii erroribus uſque ad ſenectam capularem protracta ſub oculis ponitur.

Confero itaque utriuſque Theſes, & oſtendo ſigillatim omnes proſcriptas Janſenii Theſes damnatas tanquam hæreticas non ſemel in hiſce Queſnellianis Theſibus edoceri, atque inculcari. Et quod attinet ad primam Janſenianam, qua dicuntur, Aliqua Dei præcepta etiam juſtis impoſſibilia eſſe, ut ſerventur, ac deeſſe illis gratiam, qua poſſibilia reddantur; expendo prius Janſenii verba, quæ habentur lib. 3. de Grat. Salvat. cap. 13. ubi ſic legitur. *Hæc igitur omnia planiſſime, pleniſſimeque demonſtrant, nihil eſſe in S. Auguſtini doctrina certius, & fundatius, quam eſſe præcepta quædam, quæ hominibus, non tantum infidelibus, excœcatis, obduratis, ſed fidelibus quoque, & juſtis volentibus, conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſſe quoque gratiam, qua poſſibilia fiant.* Ecce tibi quam diſerte primam ex ſuis proſcriptis theſibus docet: illam autem deinde ſuadere conatur exemplo D. Petri, aliorumque, qui paſſim tentantur ultra quam ſuſtinere poſſint. Idem pariter docuerat ibidem cap. 5. dicens: *Si generatim loquendo toti Judaico Populo, præter paucos, ſufficiens implendæ legis gratia ſubtracta fuit, nemo miretur, ſi & Chriſtianis fidelibus nonnullis ..... idem duriſſimæ inſtitutionis genus adhiberi dicamus.* Docueratque ante Queſnellum Janſenius, hominibus poſt lapſum non ſolum deeſſe frequenter gratiam ad adimplenda præcepta, ſed etiam deeſſe gratiam, qua orare, ac petere poſſint gratiam illam ad implenda præcepta requiſitam, ut eatenus nec proxime poſſint ex defectu gratiæ ea implere, nec poſſint remote ex defectu gratiæ requiſitæ ad orandum. Hæc ſunt Janſenii verba loco laudato: *Ita diſcimus, non ſolum Judæis, ſed & Chriſtianis, non ſolum carnalibus, ſed & ſpiritualibus gratiam talem ſufficientem ad id faciendum, quod jubetur, frequenter ſubtrahi, ut nec pro tali gratia adipiſcenda deprecandi ſimilis ſufficiens gratia habeatur.* Doctrinam hujuſce theſis a veritate abhorrere, blaſphemam eſſe, ac impiam, nec non hæreticam definivit Innoc. X. idque innovavit in ſua Bulla Alex. VII., necnon anno 1705. Clemens XI. Illam pariter eſſe rationi diſſonam, verbis Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum adverſam, ac a mente ipſius Auguſtini omnino alienam, in expoſitio-

ſitione theſium Janſenianarum ſatis, ſuperque demonſtratum eſt.

Oſtenditur nunc, quod idem prorſus virus in hiſce theſibus Queſnellianis propinetur, ut palam fiat Queſnellum paſſim Janſenizare. Et ſane cum in prima theſium iſtarum dicitur, peccator premi *impotentia generali ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*, quid aliud denotatur, quam præceptum reſipiſcendi peccatori impoſitum impleri non poſſe, ac deeſſe illi non ſolum gratiam, qua poſſit illud implere, ſed etiam gratiam, qua orare poſſit ad impetrandum auxilium requiſitum ad ponendam reſipiſcentiam præceptam? Verum in aliis quæ ſequuntur theſibus idem error magis indefinite & univerſalius proponitur. Etenim dum in ſecunda theſi dicitur, quod ſine gratia efficaci *non ſolum nihil fiat, ſed nec fieri poſſit*, id ipſum docetur, quod in ea prima ſua theſi delirando docuerat Janſenius; etenim ſi ſine gratia efficaci nihil fieri poteſt, conſequens eſt, quod illi, qui mandata tranſgrediuntur, & non orant ad impetrandam gratiam ad ea implenda requiſitam, (cum careant gratia efficaci, qua unice per Queſnellum id præſtari poteſt) careant ſimpliciter tum gratia, qua poſſint præcepta ſervare, tum etiam gratia, qua poſſint orare ad illam gratiam obtinendam; atque adeo deſit illis gratia, qua præcepta impoſita poſſibilia fiant. Similiter dum in vigeſima harum theſium dicitur, Idea gratiæ eſſe, quod Deus velit ſibi a nobis obediri, & obediatur, imperet, & omnia fiant; dum in undecima habetur, Gratia aliud non eſſe, quam voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis id, quod jubet; Et in decimaoctava, quod Gratia ſemper afferat fructum ſuum; ac in decimanona, quod Dei gratia nihil aliud ſit, quam omnipotens ejus voluntas, & ſic in plurimis aliis, in quibus de medio tollitur gratia ſufficiens condiſtincta ab efficaci, quid aliud contendit Queſnellus, quam primam Janſenii theſim aliis aliiſque phraſibus inculcare? Dum enim docet, gratiam ſemper eſſe efficacem, ſemper afferre fructum ſuum, ac operari in nobis, quod Deus jubet, inelucta bili illatione deſcendit, quod tranſgredientibus Divina mandata, ſeu non exequentibus, quod Deus jubet, ſive juſti ſint, ſive peccatores, deſit gratia ad obtemperandum requiſita; Unde verum ſit, quod Janſenius comminiſcitur, videlicet Deum impoſſibilia iis præcipere, ac deeſſe gratiam, qua ea poſſibilia fiant. Quinimo quod Janſenius in ea confixa theſi docuit de quibuſdam tantum præceptis relate ad juſtos, Queſnellus ampliat relate ad omnia præcepta ſive juſtis, ſive peccatoribus impoſita, quæ de facto gratia efficaci deficiente non ſervantur.

Præterea, quod Queſnellus in hiſce theſibus voluerit Janſenianam iſtam luem longe, lateque diffundere, ex eo etiam conſtat, quod non ſemel in ſuis obſervationibus utatur inſtar Janſenii exemplo D. Petri, qui ſibi relictus, hoc eſt gratia quacumque orbatus, atque adeo tentatus ultra quam poſſet ſuſtinere, Chriſtum negavit. Hæc ſunt ejus verba in cap. 19. Jo. n. 25. *Tribus Mariis hujus gratiæ victricis primitiæ conceduntur: Petrus autem ſibi relictus modo Chriſtum negavit metu ancillæ, & aliquorum ſervorum*. Quomodo autem percipi poteſt, quod Petrus negando Chriſtum peccaſſet, ſi deſtitutus a Deo fuiſſet auxilio ſufficienti ad non negandum, itaut etiam illi deeſſent vires ad orandum, & ad obtinendum tale auxilium? Id ſane ab Auguſtino percipi non poterat, cum exclamarit lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt?* Unde proſcripta fuit theſis illa Baji 67. dicens: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit;* Profecto rueret, quod in noſtrum ſolatium dicitur Joan. 5. verbis illis: *Mandata ejus gravia non ſunt*, ſi aliquando deeſſent homini vires ad ea exequenda. Et objurgationes, quæ paſſim adverſus peccatores in Sacris Bibliis habentur, eſſent contemnendæ, non ſecus ac contemptui habentur objurgationes factæ ligneæ, aut lapideæ ſtatuæ, quod non loquatur; ſi tam peccatoribus deeſſent vires requiſitæ ad ſervanda præcepta, quam ligneo ſimulachro deſunt vires ad loquendum: Deridenda pariter eſſent conſilia, & ſuaſiones, quibus peccator excitatur ad opera, quæ ad reſipiſcentiam diſponant, ut ſunt orationes, jejunia, eleemoſynæ, actus fidei, ſpei, timoris, & ſimiles, ſi deeſſet illi gratia requiſita ad ea præſtanda.

Quod attinet ad ſecundam ex Janſenii theſibus pariter hæreticam, ubi dicuntur in natura lapſa nunquam homines gratiæ reſiſtere, non ſemel etiam a Queſnello, & in ſuis hiſce theſibus edocetur. Janſenius lib. 2. de Grat. Chriſti Salvat. cap. 24. habet; *Non eſſe ejus naturæ medicinalem Chriſti gratiam, ut ejus effectus a voluntate ſuſpendatur, ſed illius ut per eum effectum potentiſſime invehat, inferatque voluntati, non operando, ſi voluntas velit, ſed operando, atque determinando, ut velit*. Additque in hac etiam hæreſi fuiſſe D. Auguſtinum, quod ſcilicet gratia in ſtatu Innocentiæ non donaret meritum, ſed illud libero arbitrio voluntatis relinqueret;

ſecus vero gratia in ſtatu naturæ lapſæ, dicens: *Gratiam Auguſtinus ita victricem ſtatuit ſupra voluntatis arbitrium, ut non raro dicat, hominem operanti Deo per gratiam non poſſe reſiſtere;* Idemque docet Janſenius cap. 27. Quæ tamen, ut fuſe diximus in expoſitione hujus ſecundæ Janſenianæ theſis, apertiſſime repugnant tum Scripturis paſſim dicentibus, quod Spiritui Sancto reſiſtamus, quod in vacuum gratia Dei recipiatur, quod ſimus rebelles lumini; tum etiam Tridentino ſeſſ. 6. cap. 5., ubi docet, quod poſſit homo divinam inſpirationem abjicere; ac Senonenſi dicenti, *Non eſſe hujuſmodi Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit;* Ipſique etiam Auguſtino repugnant, quippe qui pluribus in locis, ac præſertim de Spir. & lit. cap. 34. diſertiſſime docet, vocationem quidem a Deo prodire; *conſentire autem, vel diſſentire propriæ voluntatis eſſe.*

Oſtenditur nunc, quod in theſibus Queſnellianis hæc ſecunda Janſenii theſis non ſemel eructetur. Etenim in nona theſi dicitur, *Gratia Chriſti eſſe ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.* In decima etiam dicitur, *Gratia eſſe operatio manus Dei omnipotentis, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Idemque Auctor docet in plurimis ex ſequentibus theſibus, præſertim in 13. ubi dicit, quod ſi Deus animam *tangat interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit;* ac in 16. ubi habet: *Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.* Quod pariter habetur in 19. & quinque aliis ſequentibus theſibus, ubi Queſnellus tradit Ideam gratiæ; ſicut etiam in 35. & 36., in quibus docet diſcrimen dari eſſentiale inter gratiam Adamicam, ſeu gratiam collatam naturæ innocenti, & gratiam Chriſtianam, ſeu collatam naturæ lapſæ. Quare non ſemel ſecunda ex Janſenianis theſibus a Queſnello obtruditur, quamvis ea a ſummis Pontificibus tamquam hæretica profligata ſit.

Tertia ex Janſenianis theſibus iiſdem Cenſuris inuſta aſſerit, ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiri libertatem a neceſſitate, ſed ſufficere libertatem a coactione. Janſenius lib. 7. de Grat. Salvator. cap. 1. docet voluntatem ita determinari ad volendum, ut a volendo abſtinere non poſſit; non ſecus ac anima vi viſionis beatæ determinatur, & neceſſitatur ad Deum amandum; Hoc pacto vult a gratia neceſſitari voluntatem ad operationes meritorias, ſicut etiam a Concupiſcentia ad operationes demeritorias: unde lib. 6. cap. 8. habet: *Libertas Beatorum multo invictius demonſtrat, ſimplicem illam neceſſitatem, ſublata omnino indifferentia & contrarietatis, & contradictionis, non officere in ſententia Sancti Doctoris libertati Arbitrii;* Et lib. 8. cap. 5. dicit: *Nunquam, vel ſemel, vel ex profeſſo Auguſtinus tradit, nec per tranſennam inſinuat, ſalvam eatenus manere ſub gratia libertatem ejus, quatenus actum volendi ſic exerit, ut eum poſſit ſuſpendendo continere.* Hujus tamen Janſenianæ theſis falſitas conſtat, tum ex cenſura illi inuſta a Pontificibus; tum ex eo quod diſerte docuit Angelicus qu. 6. de malo ar. 6. ubi inquirens, *Utrum homo habeat liberam electionem ſuorum actuum, an ex neceſſitate eligat?* reſpondet: *Quidam poſuerunt quod voluntas hominis ex neceſſitate moveatur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur.* Addit tamen: *Hæc opinio eſt hæretica, tollit enim rationem meriti, ac demeriti in humanis actibus: Eſt etiam annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones; quia non ſolum contrariatur fidei, ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiæ moralis. Si enim non ſit liberum aliquid in nobis, ſed ex neceſſitate movcamur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & laus, & vituperatio, circa quæ moralis philoſophia conſiſtit: Ad hujuſmodi autem poſitiones ponendas inducti ſunt aliqui homines, partim quidem propter proterviam, partim propter aliquas rationes ſophiſticas, quas ſolvere non potuerunt.* Qua itaque fronte Janſenius Auctorem hujus enormiſſimi erroris facit Auguſtinum? qui diſertiſſime lib. de Spiritu, & litera cap. 34. dixit, *Conſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt.* Scripturæ hanc libertatem a neceſſitate homini ineſſe paſſim docent; dicitur enim Eccleſ. 5. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit;* & 1. Cor. 7. *Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis;* ut proinde Trid. ſeſſ. 6. can. 4. anathematizet qui dixerit, *liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum Deo excitanti, atque vocanti non poſſe diſſentire, ſi velit.*

Oſtenditur nunc tertiam hanc Janſenianam theſim in theſibus Queſnellianis non ſemel immiſceri. Etenim in ſexta, ſeptima, & octava diſerte docetur, quod in Judaico fœdere ab hominibus in ſua impotentia relictis Deus exigebat fugam peccati, ac legis implementum; in Chriſtiano autem fœdere, Deus donat, quod petit a nobis. Pariter in decimaquarta docetur, quod oporteat hominem dare manus gratiæ; ac in vigeſima prima, & quatuor aliis ſequentibus theſibus,

in

in quibus operatio gratiæ confertur cum aliis divinis operationibus erga homines, qui ad illas nullatenus libere cooperantur, apertiſſime Queſnellus docet, operationes humanas vi gratiæ meritorias non aliam habere libertatem, quam a coactione. Idemque docet in trigeſima ſeptima, dum vult gratiam Chriſtianam eſſe omnipotentem, & dignam Filio Dei; contra vero operationes humanas ſine gratia eſſe demeritorias per ſolam libertatem a coactione; Idem pariter in trigeſimanona, & ſequentibus, ac præſertim in quadrageſimaquinta, ubi dicit, neceſſe eſſe, quod regnet cupiditas in corde peccatoris, omneſque ejus actiones corrumpat, ubi non amplius regnat Dei amor.

Quarta Janſenii theſis, quatenus negat gratiam talem eſſe, cui poſſit humana voluntas reſiſtere, aut obtemperare, conſequitur ad tertiam. Siquidem ſi ſub gratia voluntas non habet libertatem a neceſſitate, ſeu libertatem indifferentiæ ad non ponendum actum ſalutarem, evidens eſt, quod non poſſit tali gratiæ contraniti; unde gratia non eſt talis, cui poſſit voluntas reſiſtere, aut obtemperare. Quare ſicut Queſnellus in ſuis Theſibus non ſemel tertiam Janſenianam theſim edocet, ita etiam quartam. Imo ex eodem capite, quo docet ſecundam ex theſibus Janſenianis, quod ſcilicet nunquam in natura lapſa gratiæ obſiſtatur, docet etiam hanc quartam; quod ſcilicet voluntas gratiæ reſiſtere non poſſit. Etenim non alia ratione ducitur ad dicendum, quod gratiæ nunquam reſiſtatur, niſi quia notio, & idea gratiæ (ut habetur in decima ex Queſnellianis theſibus, in decimaquarta, decimanona, & ſequentibus,) eſt quod ea ſit operatio manus omnipotentis, quam nihil impedire poteſt, aut retardare; quod ſit omnipotens Dei voluntas, quæ imperat, & omnia fiunt; quod ſit imitatio operationis Dei incarnantis Filium ſuum, producentis creaturas ex nihilo, mortuos in vitam revocantis, &c.; atqui hæc omnia ferunt, quod non ſolum gratiæ non reſiſtatur, ſed etiam quod reſiſti non poſſit. Quare manifeſtum eſt, quod Queſnellus quartæ etiam Janſenianæ theſis virus non ſemel in ſuis theſibus, & aſceticis obſervationibus non obſcure incautis propinarit. Quæ tamen tanquam hæretica ab Innoc. X. damnata fuit; Conſtat quippe ex Scripturis, Conciliis, Patribus, ac præſertim ex Auguſtino, poſſe voluntatem humanam gratiæ contraniti, & in vacuum illam recipere. Quod in confutatione hujus quartæ Janſenianæ theſis ſuo loco fuſe proſecuti ſumus.

Quinta demum Janſenii theſis vult Chriſtum D. mortem non oppetiiſſe, nec Sanguinem fudiſſe pro omnibus omnino hominibus. Hæc enim habet Janſenius lib. 3. de Gratia Salvatoris cap. 20.; *Nec enim juxta doctrinam antiquorum pro omnibus omnino Chriſtus aut mortuus eſt, aut pro omnibus omnino tam generaliter ſanguinem fudit; Cum hoc potius tamquam errorem a fide Catholica abhorrentem doceat eſſe reſpuendum?* Ac deinde cap. 21. docet, Pro iis, quos Deus prædeſtinavit ad Gloriam, Chriſtum D. ſemetipſum tradidiſſe, tamquam pro veris ovibus ſuis, ac pro iis vivificandis mortuum eſſe, & pro iiſdem rogaſſe Patrem ſuum, *Non pro cæteris, qui a fide, & a charitate deficientes in iniquitate moriuntur; pro his enim in tantum mortuus eſt, & in tantum propitiatio peccatorum eſt, & intantum rogavit Patrem, in quantum temporalibus quibuſdam Divinæ gratiæ effectibus exornandi ſunt.* Hæc autem theſis damnatur ab Innoc. X., *ut falſa, temeraria, ſcandaloſa, & intellecta eo ſenſu, ut Chriſtus proſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit, ut impia, blaſphema, contumelioſa, Divinæ pietati derogans, & hæretica:* dicitur enim ad Rom. 8. *Pro nobis omnibus tradidit illum;* quod ex aliis etiam Scripturæ locis, ex Trid. ex Patribus, ac præſertim ex Auguſtino apertiſſime colligitur, adeo ut in ſole ipſo cæcutiat, qui id in dubium revocat, ut ſuo loco oſtendimus.

Hanc autem hæreſim iterum exſuſcitari a Queſnello in nonnullis ſuis theſibus, nemo eſt, quin videat. Etenim in Theſi 30. habet, *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, infallibiliter ſalvantur*, denotando, quod Reprobos Deus ſalvare nolit, tamquam non redemptos pretioſiſſimo Chriſti Sanguine: Similiter dum in 31. dicit, deſideria Chriſti ſemper habere effectum ſuum, denotat, Chriſtum non deſideraſſe ſalutem Reproborum, atque adeo pro illis mortuum non fuiſſe. Diſertius Janſenii hæreſim expreſſit Queſnellus in theſi 32. ubi dicit: *JESUS Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo Sanguine Primogenitos, ideſt Electos, de manu Angeli exterminatoris;* indicans cum Janſenio, quod Chriſtus morte ſua Electos liberarit *pro ſemper* e poteſtate Dæmonis, obtinendo illis fidem, charitatem, & in ea perſeverantiam uſque in finem; nonnullis vero aliis obtinuerit temporarios Divinæ Gratiæ effectus, nempe fidem immo etiam charitatem, non tamen perſeverantiam finalem. Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, Queſnellum paſſim janſenizare, & ad inſinuandas, & inſufflandas omnes Janſenii hæreſes evulgaſſe aſceticas illas obſer-

vationes in novum Teſtamentum, propinando venenum in vaſe ſacro.

XIII. Denique hoc idem apertiſſime demonſtratur ex ſententia juridice lata adverſus Queſnellum ab Archiepiſcopo Mechlinienſi, quæ refertur in vulgato Codice, qui inſcribitur *Cauſa Queſnelliana*, in qua fuſiſſime habentur Expoſtulationes Procuratoris fiſcalis, & validiſſimæ probationes, quibus convincitur in foro externo reus Queſnellus plurimorum facinorum, de quibus accuſabatur, adeo ut oportuerit invocare auxilium brachii Sæcularis, ut carceri mancipare-tur, quod Juſſu Regio præſtitit Excellentiſſim. Marchio de Fedmar tunc temporis Moderator Belgii; Quia tamen poſt aliquot menſes effracto Carcere erupit, ac evaſit, juridice citatus fuit ad reſpondendum perſonaliter ad ea, quæ objiciebantur; ob quæ pleniſſime probata damnatus, ac mulctatus ab Archiepiſcopo fuit, ut reſipiſceret. Quoniam autem ea omnia plurimum conferunt ad oſtendendum, quod hic intendimus, videlicet Queſnellum in eo totum fuiſſe, ut Janſenianas hæreſes edoceret, atque adeo quod in ſenſu Janſeniano theſes omnes confixas uſurparit, nullam in ſenſu Catholico, idcirco operæ pretium videtur ex laudato Codice cauſæ Queſnellianæ hic ad verbum referre Edictum citatorium, quo citatus fuit ad comparendum, ut faceret ſatis iis, quæ opponebantur; necnon ſententiam Juridicam Archiepiſcopalem, ex qua palam fit, Queſnellum Janſenianis erroribus ſemper addictum fuiſſe; ſicut etiam, quod in Theſibus confixis, in quibus loquitur de excommunicatione injuſta, & obloquitur adverſus Eccleſiam, ejuſque miniſtros, adverſus Poteſtates omnes, & adverſus Juramenta, quæ ab Eccleſia aliquando gravibus de cauſis exiguntur, ac in aliis plurimis eo ſemper collimarit, ut Eccleſiæ Judicium, ac theſium Janſenianarum condemnatio contemnatur, ac nulla habeatur ratio de excommunicationibus latis adverſus Janſenii aſſeclas, nulla de juramentis, quæ exiguntur in formula ab Alexandro VII. præſcripta, in qua theſes Janſenii ejurantur; nulla de Judicio Eccleſiæ in perſonis, ac libris damnandis; Quod ex iis etiam, quæ in expoſitione iſtarum theſium dicemus perſpicuum fiet.

Nec quicquam momenti habet, quod in ſua Apologia Queſnellus confixas Janſenii theſes damnarit, ac ejurarit. Etenim non temere dixeris eas in ſpeciem dumtaxat, non ex animo damnaſſe, ac ejuraſſe; Cum nunquam dixerit ſe illas damnare in ſenſu Janſenii, in quo ſenſu ab Eccleſia damnantur: quod certe in hiſce circumſtantiis a Queſnello exprimendum erat, ne videretur eludere damnando illas in ſenſu, quem Janſeniani illis appingunt, apertiſſime erroneo, qui nulla indigeat proſcriptione: Imo ne cogeretur illas damnare in ſenſu Janſenii, ac Formulario Alexandri VII. ſubſcribere, hæc unica fuit cauſa, cur Oratorii Berulliani deſertor e Gallia profugerit, ut in Articulo I. Cauſæ Queſnellianæ demonſtratur: Validiſſimis quoque probationibus in eo Codice relatis in ea Curia Archiepiſcopali convictus fuit Janſenianas hæreſes in ſenſu Janſenii audacter paſſim edocuiſſe, atque adeo Bajanas, & Calvinianas hæreſes recudiſſe; cum Janſenius non ſecus ac Bajus virus ſuum e Calvini fœcibus hauſerint, ac inflatis buccis uſquequaque diffundere conati ſint; quod nomen ipſum Janſenii literis aliter diſpoſitis fideliter ediſſerit; etenim ex his vocibus, *Cornelius Janſenius*, illud purum enaſcitur Anagramma: *Calvini ſenſus in ore*.

Ut autem ex hac Archiepiſcopali juridice lata ſententia adverſus Queſnellum liquido conſtet, quænam fuerit ejus mens in propugnandis, ac propagandis Janſenii erroribus, & quomodo in aliis & aliis criminibus ſe ſe involverit ad id aſſequendum, operæ pretium arbitror ad verbum referre prius Edictum citatorium, quo citatus fuit ad reſpondendum perſonaliter ad ea, de quibus in foro contentioſo convincendus erat innumeris documentis, ac teſtibus omni exceptione majoribus: deinde ſententiam Archiepiſcopi Mechlinienſis, qua actis omnibus actitatis, ac mature diſcuſſis juridice damnatus fuit ob graviſſima ab eo patrata facinora ad diſſeminandas hæreſes Janſenianas, ac pœna medicinali mulctatus, ut reſipiſceret, & ad bonam frugem rediret.

EDICTUM CITATORIUM

HUMBERTUS GUILIELMUS

A PRECIPIANO

Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Archi-Epiſcopus Melchlinienſis ; Primas Belgii, ad Exercitus Regios Delegatus Apoſtolicus, ſuæ Majeſtati a Conſiliis Status, &c.

Omnibus Presbyteris, Clericis, Notariis, Tabellionibus publicis, & Apparitoribus Curiæ Noſtræ Juratis Salutem in Domino.

EXpoſuit nobis *Procurator Officii Curiæ Noſtræ Eccleſiaſticæ Bruxellis, quod Pater Paſchaſius Queſnel, Presbyter, origine Pariſienſis, antehac detentus, ac ſequeſtratus in Palatio noſtro Archi-Epiſcopali hujus Oppidi, poſtquam citatus fuiſſet, ut perſonaliter reſponderet ad Libellum Conventionalem Exponentis, Sequeſtrum ſuum violaverit, & effracto de nocte, opera nonnullarum perſonarum, carcere eruperit, & hactenus latitet ; cumque Publici interſit dictum Profugum, & Latitantem via Juris adigi ad hoc, ut perſonaliter reſpondeat ad præfatum Libellum, Vobis, & ſingulis veſtrum Mandamus, ut ad inſtantiam præfati Exponentis citetis coram Nobis perſonaliter, & peremptorie ad certum diem juridicum per Vos deſignandum (intra quem, & diem Citationis veſtræ ſint ad minus quatuor Septimanæ intermediæ) aut ſi ille juridicus non fuerit, ad alium tunc immediate, ſequentem, præfatum Patrem Paſchaſium Queſnel, antehac detentum, & ſequeſtratum in Palatio noſtro Archi-Epiſcopali* Bruxellis ; *dicto Procuratori Officii reſponſurum ſuper ſequentibus:*

I. Quod poſtquam anno 1678. *in Comitiis Oratorii* Berulliani *omnibus, & ſingulis ejuſdem Congregationis injunctum fuiſſet ſubſcribere Formulæ rejiciendi in Scholis* Hæreſim Janſenianam, *& ipſe pertinaciter recuſaſſet ſubſcribere,* Galliam *deſeruerit ; & quamvis Presbyter, latitaverit* in Belgio Catholico, *ſub veſte laica.*

II. Quod ibidem, & in vicinis Provinciis plures turbas, & diſſidia excitarit, Presbyteros commoverit adverſus proprios Epiſcopos, Clerum Batavicum *impulerit adverſus Summum Pontificem.*

III. Quod damnatam in Michaele Bajo Doctrinam renovaverit, atque laudaverit novam Operum ejuſdem Baji editionem.

IV. Quod proſcriptam Janſenii *doctrinam extulerit paſſim, ac propugnaverit, & damnatas* Janſenii *Hæreſes ſuis paſſim ſcriptis inſeruerit.*

V. Quod Pontificis Decretis in Cauſa Janſenii *latis liberaliter detraxerit, quaſi iiſdem aliquid per fraudem, & citra Pontificum voluntatem fuiſſet inſertum.*

VI. Quod ſcripſerit eſſe ſacrilegum, & toti Eccleſiæ injurioſum exigere Subſcriptionem, & Juramentum Facti, uti ajunt, Janſeniani, *quod Formulario Alexandri VII. continetur.*

VII. Quod poſt Breve, & Decretum Innocentii XII. de anno 1694. *contenderit, ſenſum obvium Formularii non requirere, ut Propoſitiones damnentur* in ſenſu ab Authore intento, *ediderit-que, & omnium ſuorum nomine editam declaraverit Formularii explicationem, in qua proteſtatur, quod per Formularii Subſcriptionem non ſubſcribatur Condemnationi libri* Janſenii.

VIII. Quod, quamvis Alexander VII. declaraverit eſſe falſum, patenſque mendacium, quod ſub Innocentio X. non fuerit examinatum id, quod vocatur Factum Janſenii, *nihilominus præfatus Pater Queſnel auſus fuerit palam aſſerere, & Scriptis ſuis propalare, non fuiſſe ſub Innocentio X. examinatum, id, quod vocatur* Factum Janſenii.

IX. Quod dixerit publice, nondum adveniſſe tempus reddendi juſtitiam Janſenio, *& illatam*

ipſi

ipſi injuriam reparandi; & interim ipſe per minaces Literas jactaverit, ſe aliquando Janſenii *Defenſionem ſuſcepturum contra* Clerum Gallicanum.

X. Quod pertinaciter adhæſerit Factioni eorum, qui adverſus Eccleſiæ Decreta, & adverſus Edicta Principum conjuraverunt, Librum, & Doctrinam Janſenii *tueri: Quod illa Factio late per* Galliam, Belgium, & Hollandiam *ſit diffuſa, & a Factioſis appelletur* Ordo: *Quod illa Factio habeat ſuas, uti vocant, Abbatias, Prioratus, Collegia, Domos, Hoſpitia, & Eremos: Quod illa Factio plures complectatur Seculares, & Regulares, quorum alios Viſitatores, alios Priores, alios ſimpliciter Patres, alios Fratres appellant: Quod a morte Dom. Arnaldi, quem* Patrem Abbatem *nuncupabant, Pater Queſnel Factionem hanc conſiliis ſuis rexerit ſub titulo* Patris Prioris: *Quod varias inſtituerit Viſitationes, exigens a præcipuis, ut ad ipſum referrent quæcunque poſſent promovere dictam Factionem: quod ad eum effectum procurarit diſtributiones pecuniarum, quibus Procuratores Factionis tam* Romæ, *quam* Pariſiis, *& alibi exiſtentes poſſent Cauſas Factionis ſuſtinere.*

XI. Quod in Litteris Factionem concernentibus paſſim uſus fuerit Cifra fictorum nominum, ne celata Myſteria, & Conſpirationes poſſent, eveniente caſu interceptionis litterarum, detegi.

XII. Quod ad novam editionem correxerit libellum, cui titulus: Phantome du Janſeniſme *dum ipſe ejuſmodi prætenſi Phantaſmatis erat Dux, & Anteſignanus.*

XIII. Quod cum Romæ *damnatum fuerat Opus ab ipſo* Pariſiis *editum, cui titulus:* Diſſertationes, Notæ, Obſervationes, Emendationes, Interpretationes, Annotationes, Apoſtillæ ad S. Leonis Magni Opera, & ad Codicem Canonum Conſtitutionum Sedis Apoſtolicæ, *auſus ſit adverſus Decretum deſuper latum ſcribere plurima infamia, & Sacræ Congregationi ſumme injurioſa.*

XIV. Quod tam ſcripſerit, quam ab intimis ſuis receperit Literas Regi Noſtro Catholico, Regi etiam Chriſtianiſſimo, & præcipuis utriuſque Regis Miniſtris, imo & Summis Pontificibus, Cardinalibus, & Epiſcopis graviter obtrectantes; quodque illos, a quibus ejuſmodi litteras recepit, continuaverit colere uti intimos.

XV. Quod indigno modo perſtrinxerit Regium Senatum Montibus Hannoniæ *reſidentem, uti & Montenſem Magiſtratum.*

XVI. Quod literis ſuis laudaverit, & probaverit plura Opuſcula Patris Gabrielis Gerberon, *quæ a Sede Apoſtolica ſunt proſcripta: Quodque eidem ſubminiſtraverit varia Manuſcripta, ex quibus dicta Opuſcula conderet.*

XVII. Quod limaverit plura Scripta ſeditioſa, & pernicioſa exarata manu Dom. Erneſti Ruth d' Ans.

XVIII. Quod acriter invectus ſit in eos, qui damnarent quadraginta Doctores Sorbonicos, propter reſolutionem famoſi Caſus Conſcientiæ; perſidiam objecerit iis ex quadraginta Doctoribus, qui ad ſaniorem mentem reverſi, ſe Eminentiſſimo Cardinali de Noyailles, Archi-Epiſcopo ſuo, ſubjecerunt.

XIX. Quod, poſtquam ipſemet erga Eminentiſſimum Cardinalem Noyaillium, ſuum Archi-Epiſcopum, ſummam publice profeſſus eſſet venerationem, ſuoſque libros illius emendationi abſolute ſubjeciſſet, interim dictum Eminentiſſimum Dominum litteris ſuis ad amicos ſcriptis indignis modis perſtrinxerit, & dum Libellum eidem Eminentiſſimo Domino ſumme injurioſum deteſtari ſimularet, eundem ad familiares ſuos ſcribens ſumme laudaverit, tanquam moderatiſſime, ac nervoſiſſime ſcriptum.

XX. Quod in hoc Belgio, *& ſub Archi-Diœceſi noſtra, reimprimi, & diſtrahi curaverit varia Scripta jam antea a Sede Apoſtolica prohibita, ac ediderit plurima Anonyma, uti & varia non ſolum carentia Approbatione Cenſoris, ſed & Authorem, & Typographum mentientia.*

XXI. Quod ob ſcandala inde orta, & errores, falſitates, ac injurias in illis contentas, jam nunc aliqua ex dictis Scriptis Decretis Sedis Apoſtolicæ fuerint condemnata, & etiam in Belgio *manu Tortoris combuſta.*

XXII. Quod Bruxellis abſque ulla Approbatione Cenſoris Ordinarii loci, curarit imprimi Hiſtoriam Congregationum de Auxiliis; *poſtquam petitum deſuper Privilegium Regium ipſi fuerat denegatum.*

XXIII. Quod illo ipſo tempore, quo ductus fuit ad locum ſequeſtri, actualiter incumberet edendis variis Libris, & Scriptis abſque ulla Approbatione, aut Privilegio Regio, & ſignanter: Lettre d' un Eveque à un Eveque, l' Année Chretienne, *operi bis a Sede Apoſtolica condemnato.*

XXIV. Quod etiam præparaverit Compilationem centum quinquaginta ſex Opuſculorum, a nata Hæreſi Janſeniana *in publicum editorum, quorum etiam plurima a Sancta Sede ſunt damnata:*

mnata: illaque omnia perpetraverit cum magno Chriſtifidelium ſcandalo, & obloquio; Et ſuper aliis de Jure, Conſuetudine, Concordatis, ac alias ad cognitionem noſtram pertinentibus die prima ſerviente latius deducendis, quod videbitur reſponſurum: Et cum præfatus Paſchaſius Queſnel, ut dictum eſt, ſit profugus, ac latitet, volumus, ut Executio præſentium, quæ fiet ad Portam Palatii noſtri in hoc Oppido, ad Valvas Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ Divorum Michaelis & Gudilæ, & ad ultimum Citati in hoc Oppido Domicilium, (miſſa Citato, ſi fieri poſſit, harum, & Executionis veſtræ Copia) ejuſdem ſit valoris, & roboris, ac ſi in propriam ipſius Perſonam facta foret; & pro tali eam authorizamus, & quid de eo feceritis, Nobis fideliter reſcribatis. Datum Bruxellis die decimatertia menſis Februarii Anni milleſimi ſeptingenteſimi quarti.

Locus ✠ Sigilli.

De Mandato Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Archiepiſcopi præfati.

J. L. Herman loco Graph.

Hoc Edictum Citatorium ad Valvas publicas affixum fuit die 15. Febr. 1704., omneſque articulos in eo contentos, necnon alios expreſſos in Libello accuſatorio verificare, & ſub oculos ponere conatus eſt Procurator Fiſcalis (ut videre eſt in laudato Codice Cauſæ Queſnellianæ) poſtulando, ut ad juridicam ſententiam, atque ad mulctam debitam deveniretur. Præmiſit proinde poſtulationem ſuam coram Judice, ejuſque Aſſeſſoribus, in qua ingemiſcens conqueſtus eſt, quod in Belgio hæreſis Janſeniana graſſaretur, non ſine ingenti vicinorum Heterodoxorum lætitia; Quod Conſtitutiones Pontificiæ adverſus hanc hæreſim editæ tanquam ſubreptitiæ, nullæ, ac injuſtæ non ſine magno ſcandalo exibilarentur; quod Decreta Catholici Regis adverſus ſuſpectos de hac hæreſi convellerentur, tanquam contraria regulis æquitatis naturalis. Quibus de cauſis juſſu Regio Excellentiſſimus Marchio de Bedmar Belgii moderator auxiliarem opem Archiepiſcopo tulit ad capiendos hujuſce Sectæ Primipilos, ac Dei favore obtentum fuit, ut irrequieta illa Capita Queſnelli, Gerberonis, & Brigodei die 30. Maji 1703. ad Palatium Archiepiſcopale Bruxellis deducerentur, ac ſequeſtro manciparentur. Qua de re ſummus Pontifex, ac pientiſſimus Monarcha Archiepiſcopi zelum commendarunt, qui Saulos iſtos deprehenderat, ne amplius Eccleſiam perſequerentur. Quia tamen Gerberon, & Brigodæus, qui erroribus Janſenii adhæſerant, in ſe reverſi emendationem promiſerunt, idcirco benigna adverſus utrumque lata fuit ſententia, ac mulcta inflicta: Contra vero cum Queſnellus e carcere aufugiens libertati ſcribillandi, ac propugnandi amatam Janſenii hæreſim iterum ſe dederit, ideo Procurator Fiſcalis adverſus hunc profugum merita cauſæ pro virili expoſuit, ut meritam pœnam lueret ſuorum delictorum, ſic concludendo ſuam poſtulationem.

Profecto ignominioſa hæc Carceris, ſeu Sequeſtri effractio juxta omnia jura priores Queſnelli exceſſus auget, majoremque meretur pœnam. Quare cum Reipublicæ interſit, ut delinquentium malitia refrænetur, & ne pergat homuncio maledicus novis ſuis ſcriptis quietem publicam impune commovere, ac Sacerdotii, & Imperii Capitibus inſultare, Cauſam Officii noſtri contra hunc fugitivum per contumaciam, ac poſt Decretum de probando, probationeſque inſtructam, ad Veſtrum, Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Domine Judex, Ampliſſimi, Eximii, Eruditiſſimi, Conſultiſſimique Domini Aſſeſſores, ſiſto judicium.

Et licet fugiens e carcere pro convicto habendus ſit, tamen cum de gravibus exceſſibus, imo & de hæreſi criminum omnium (uti habemus in jure pluribus locis) graviſſimo agatur, æquitatem Cauſæ hujus Fiſcalis, veritatemque omnium articulorum contra Citatum illum fugitivum deductorum per legitimas inſuper probationes, ob oculos ponere abſolute convenit, & publicam ſuper illis reddi Sententiam.

Primo ut obtrectantium ora occludantur; Nam Queſnellus fluido ſuo, ac fucato calamo ex bona ſui præſumptione innocuum ſe in libellis ſuſtinet, & Aſſeclæ ejus more hæreticis conſueto, tum ore, tum ſcripto plangentes depingunt Queſnellum tanquam virum ſanctum, omniſque

mniſque erroris, & exceſſus purum, perſecutionemque patientem injuſtam; qualia lamenta tempore Pelagianorum ſæpius perſonuerunt Eccleſiam, uti videre eſt in eorum Epiſtolis ad Innocentium Papam, ac in libello fidei Cœleſtini, & Pelagii, ac in Baronio ad annum 430.

Secundo, quia Eccleſia, & reipublicæ bonum requirit, ut mali cognoſcantur, præſertim Auctores perniciosorum librorum, ne in iis nocere pergant, maxime cum Queſnellus varios e libris ſuis exterioris pietatis, & moralis ſevérioris fuco multum liniverit: Auctore hoc ſine ullo velamine, Eccleſiæ, & publico expoſito, ſpes erit, ut fucus ille nocere deſinat.

Tertio, ut per publicam Sententiam Coryphæus ille publicæ tranquillitatis perturbatorum, ac iniquitatis filiorum digne corripiatur, ut tam ipſe, quam diſcipuli ejus ad meliorem frugem educantur, & ſalvi fiant.

Hactenus Procurator Fiſcalis, qui ſtatim orſus eſt a verificatione omnium articulorum, quos Edictum illud Citatorium ad Valvas publicas affixum complectebatur, ac deinde ad verificationem aliorum articulorum, quos Libellus accuſatorius continebat, quibus ad evidentiam demonſtratis, lata fuit ab Archiepiſcopo juridica, quæ hic ſubjicitur, Sententia. Ex qua luculenter oſtenditur, Queſnellum Janſenii erroribus ſemper adhæſiſſe, ac ſuas confixas theſes in ſenſu Janſeniano uſurpaſſe, & Sedi Apoſtolicæ, necnon Poteſtatibus omnibus tam Eccleſiaſticis, quam Sæcularibus ſemper injurium, ac contumelioſum fuiſſe, contemnendo cenſuras, quibus ab Eccleſia feriuntur Janſeniani, ac damnando juramenta, quæ ab Eccleſia exiguntur, juxta formulam Alexandri Septimi in Gallia ab Eccleſiaſticis, ut Janſenianas hæreſes rejiciant, & ejurent.

ARCHIEPISCOPALIS SENTENTIA

IN PATREM QUESNEL LATA

HUMBERTUS GUILIELMUS

A PRECIPIANO

Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Archi-Epiſcopus Mechlinienſis ; Primas Belgii , ad Exercitus Regios Delegatus Apoſtolicus , ſuæ Majeſtatis a Conſiliis Status , &c.

IN cauſa Officii coram Nobis mota, & indeciſa pendente inter Procuratorem ejuſdem Officii Actorem ex una , & P. Paſchaſium Queſnel Pariſinum, Oratorii nominis Jeſu in Gallia Presbyterum, non ita pridem in Palatio noſtro Archi-Epiſcopali juſſu noſtro ſequeſtratum , & poſtmodum violata ſequeſtratione per iteratas literas Edictales cum debito intervallo publice in locis conſuetis affixas, & in rotula reproductas reſpective 17. *Martii* , & 14. *Aprilis hujus anni* 1704. *citatum, ſed non comparentem, ac contumacem ex altera partibus . Viſis ejuſdem cauſæ actis, & actitatis, notanter etiam recuſatione pro parte Citati contra Nos Judicem ordinarium propoſita , quam uti notorie frivolam rejecimus, prout adhuc rejicimus, omnibuſque mature examinatis , & perpenſis , præſertim Decreto noſtro 9. Junii noviſſimi dato , quo Actorem pro utilitate trium contumaciarum ad probandum admiſimus, & probationibus, quas in Vim ejuſdem Decreti produxit , de plurium Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ Dominorum Capitularium , ac aliorum Sacræ Theologiæ Doctorum , & Licentiatorum , uti & Juriſperitorum conſilio & aſſenſu, Chriſti nomine invocato , & nil niſi juſtitiam præ oculis habentes , dicimus , decernimus , & declaramus , ex iiſdem actis , & probationibus conſtare , eundem Citatum renuiſſe ſimpliciter (licet admoneretur , rogaretur , ac inſtanter ad hoc premeretur a Superioribus ſuis) formulæ Doctrinali præſcriptæ in Comitiis Generalibus præfati Oratorii Gallici ; idque ea præcipue de cauſa , quod Formula iſta contineret damnationem Doctrinæ* Janſenii , & Baji , *quam contumaciam adverſus Superiores ſuos ne deponeret , ex* Gallia *profugus ab anno* 1685. *in* Belgio *variis in locis , ſed potiſſimum in hoc Oppido* Bruxellenſi *ſub fictis nominibus latitavit , & ex latebris ſuis contumaciæ ſuæ malum ulterius communicavit , varia edendo , ac publicando opuſcula , quibus hæreſim* Janſenianam *non obſcure ſuſtinuit : Idque ea continuatione audaciæ , ut aſſeruerit , quod Summis Pontificibus in Cauſa* Janſenii *fuiſſet obreptum , & aliquid præter mentem Pontificiam Bullæ Urbani VIII. inſertum : Simul & indigno modo ſcribendo de Summis Pontificibus , & male perſtringendo S. R. E. Cardinales , Epiſcopos , alioſque Eccleſiæ Miniſtros , & viros dignitate , ac doctrina eximios : Neque ab obtrectationibus adverſus Reges , neque a contumeliis erga Regios Miniſtros abſtinendo . Inſuper pertinaciam ſuam prodidit aſſerendo inter alia* Janſeniſmum *non eſſe niſi* Phantaſma ; *faciendo notas multum injurias , & contumelioſas Decreto S. Congregationis Indicis lato* 22. *Junii* 1676. *quo prohibebantur* Diſſertationes *ipſius ad S. Leonis Opera ; approbando , & laudando plura opera Domini Gabrielis Gerberon , quæ a Sede Apoſtolica dein fuerunt reprobata ; uti novam operum Baji editionem , & Hiſtoriam Janſeniſmi ; ſuſcipiendo quoque Cauſam quadraginta Doctorum Pariſienſium circa famoſum caſum Conſcientiæ ; Concurrendo ad impreſſionem in hoc Oppido factam* Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis *ſine ulla approbatione Cenſoris ordinarii , & non expectata Cenſura noſtra ; ad quam tamen per apoſtillam datam in Supremo Concilio Brabantiæ fuerat remiſſa . His accedit , quod plura etiam ſcripſerit , quibus Oratorii Montenſis Presbyteros Oratorio Gallico ſubjectos a ſubſcriptione*

præ-

prænemoratæ formulæ averteret, & quod inter ſcripta ejus inventum etiam fuerit aliquod manu ejus exaratum, complectens 33. paginas in folio, quod hunc præfert titulum, l'Inquiſition, &c. *in quo quidam Senatus Regius indigne excipitur, ſicut & Magiſtratus Montenſis, ſeu aliqui ex illo acerbe traducuntur per ejus libellum manu tortoris combuſtum, cui titulus:* Remontrance juſtificative pour les Pretres de l'Oratoire de Mons. *Præterea aſſeruit Citatus non fuiſſe a S. Sede examinatum illud, quod vocant* Factum Janſenii; *& ſcripſit, nondum tempus adveniſſe reddendi juſtitiam* Janſenio *debitam, ac reparandi injuriam ipſi illatam; Addendo, quod ſi Diſcipuli S. Auguſtini exiſtimaſſent, quod ſenſus* Janſenii *eſſet condemnatus per Innocentii X. Bullam, eidem ſeſe non ſubmiſiſſent; Quantum autem ad Bajanas propoſitiones, ſuſtinuit inter illas aliquas eſſe, quæ continent genuinam S. Auguſtini Doctrinam: Propoſitionem vero, quæ ſpectat Infidelium actiones, eſſe præciſe illam, quæ præ aliis ſuſtineri poſſet, quæque eſſet adeo in S. Auguſtino, ejuſque Diſcipulis fundata; ut exiſtimandum non ſit, S. Sedem illam erroris damnare voluiſſe, ſed tantum prohibuiſſe ne tunc temporis defenderetur propter rationes tunc, non nunc militantes. Ulterius patet, ipſum poſt Breve, & Decretum Innocentii XII. anno 1694. editum pertinaciter contendiſſe, ſenſum obvium Formularii non requirere, ut quinque propoſitiones damnentur* in ſenſu ab Authore intento, *edendo iſtum in finem ceu publicam, & communem explicationem, in qua affirmat, quod per Formularii ſubſcriptionem non ſubſcribatur condemnationi libri* Janſenii. *Impugnavit quoque ſcriptis ſuis Decretum Alexandri VIII. in 31. propoſitiones latum; & dogma Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis numeravit inter opiniones novas, & contrarias veritati Scripturarum, inferenteſque pernicioſam ſequelam: Atque damnatam ſententiam de gemino capite Eccleſiæ ſatis aperte ſuſtinuit: Ac Decreta Sacrarum Congregationum, quibus libri quidam proſcribebantur, audacter ſugillavit, & redarguit. Plura edidit ſcripta anonyma, & Authorem, typographum, ac locum impreſſionis mentientia, eaque imprimi, reimprimi, & diſtrahi curavit; Et inter illa etiam quædam a Sede Apoſtolica publicis Decretis antea condemnata. Oratorium domeſticum erexit propria auctoritate pro libitu in eo Sacrum dicens: Cum variis perſonis noxium literarum commercium fovit ſub fictis nominibus. Denique per effrænem ſuam ſcribendi licentiam magnas in hoc Belgio, ac in noſtra Diœceſi turbas excitavit, & diſſenſiones; Et non raro Clerum, & populum adverſus proprios ſuos commovit Epiſcopos; Ac præcipue ſcripto quodam inſolentiis pleno Clerum Batavicum contra Sanctiſſimi D. N. Clementis XI. Decreta ſeditioſe incitavit. Quibus omnibus conſideratis declaramus Citatum, uti de* Janſeniſmo, *&* Bajaniſmo, *aliiſque exceſſibus ſupramemoratis convictum, incidiſſe in excommunicationem, aliaſque pœnas per Bullas Apoſtolicas in hujuſmodi delinquentes latas; Monentes omnes & ſingulos Chriſtifideles, ut ipſum uti talem habeant, & evitent: Injungentes Citato, ut ſe recipiat ad Monaſterium aliquod in Patria Catholica ſitum, ibidemque per integrum ab adventu ſuo menſem Exercitia ſpiritualia obeat; ac dein in ſpiritu pœnitentiæ ibidem ſequeſtratus maneat, legendo ſingulis diebus ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, ac jejunando diebus Veneris in aqua triſtitiæ, & pane doloris, donec ſummo Pontifici quoad doctrinam ſuam fecerit ſatis, ac abſolutionem ab excommunicatione obtinuerit. Inſuper inhibemus ei, ne ad Diœceſim noſtram unquam revertatur; minus in eadem aliquid ſcribat, edat, aut imprimi faciat ſine prævia noſtra licentia; vel ſimiles exceſſus committat ſub pœna, quod perpetuis carceribus mancipabitur, aliiſque pœnis gravioribus in jure contra hujuſmodi tranſgreſſores ſtatutis punietur: Condemnantes ipſum in expenſas ſequeſtrationis, & contumaciales ad noſtram taxam. Ita in his ſcriptis ſententiamus. Datum Bruxellis in Palatio noſtro Archi-Epiſcopali die 10. Novembris 1704. Et erat ſignatum H. G. Archi-Epiſcopus Mechlinienſis. Et ad latus appoſitum erat Sigillum præfati Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi D. Archi-Epiſcopi in hoſtia rubra.*

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim II.

SEcunda theſis, dum docet Jeſu Chriſti gratiam eſſe cujuſvis boni principium efficax, nihilque fieri poſſe abſque hujuſmodi gratia efficaci, luculentiſſime pariter in eoſdem ſcopulos impingit; docet ſiquidem divinis vocationibus renuentem non peccare, atque adeo puniri, ac exprobrari non poſſe; Quomodo enim peccat, ſi deſtitutus gratia efficaci, libero arbitrio caret, ita ut nihil omnino boni facere poſſit? Certe homo in foveam lapſus non ſurgendo non eſt reus, ſi aliter ſurgere non poſſit, niſi actu extrahatur ope aliena; ſic pariter peccator invitatus ad contritionem, non peccat illam omittendo, quoties deſtituitur gratia efficaci, qua actu conteratur, ſi verum eſt, quod ſine hac gratia (quæ

prin-

principium efficax ſit contritionis) ea nullatenus poni poteſt ; nec infidelis invitatus ad fidem amplexandam peccat, ſi illam non amplectatur ; quippe qui deſtituitur gratia efficaci, ſine qua fidem amplexari non poteſt . Utraque itaque primarum iſtarum theſium diſerte docet , peccatori , qui vi gratiæ efficacis actu non reſipiſcit , denegari gratiam ſufficientem, qua reſurgere poſſit , & qua ad reſurrectionem ſe diſponat , ut proinde non peccet , ſi non reſipiſcat . Utraque pariter docet , infideli , qui vocatus ad fidem illam non amplectitur , denegari gratiam ſufficientem , qua poſſit illam amplecti ; unde nec peccet , ſi in ſua infidelitate perſiſtat: Utraque exprobrationes , quæ paſſim in Scripturis a Deo fiunt peccatori , ſi non convertatur, ac infideli, ſi non credat myſteria fidei revelata , vult eſſe fatuas , ac pœnas peccatoribus , ac infidelibus obduratis inflictas non ſpectare ad rectiſſimam Dei juſtitiam , ſed ad tyrannidem , ac ſummam impietatem . Nemo quippe reus eſt , nec exprobratione, ac pœna dignus , ſi ponere negligat, quod a ſe poni non poteſt. Præterquamquod præceptum Dei indicens peccatori pœnitentiam , & infideli amplexum fidei , comminando pœnam renuentibus , eſſet præceptum pariter fatuum , ac Deo indignum ; ſive gratiam efficacem illis conferret , ſive non : eſſet quidem indignum Deo , ſi conferret gratiam efficacem , quia ſub illa peccator , & infidelis carerent libertate ad obtemperandum , cum non poſſit gratia efficax fruſtrari effectu ſuo ; Indignum etiam Deo eſſet , ſi gratiam efficacem non conferret , quia ſine illa obtemperare non poſſent ; ut propterea Auguſtin. lib. de fide contra Manichæos cap. 102. dixerit : *Quis non clamet , ſtultum eſſe dare præcepta ei , cui liberum non eſt , quod præcipitur facere ; & iniquum eſſe eum damnare , cui non fuit poteſtas juſſa complere ?* Denique utraque theſis Janſenizat docendo , præcepta , quæ peccatoribus , ac infidelibus imponuntur , circumſcripta gratia efficaci , qua actu obtemperent, eſſe impoſſibilia , ac deeſſe illis gratiam ſufficientem , qua poſſibilia fiant .

Ubi etiam ad percipiendam hujus Auctoris mentem, ac ſcopum, quo collineat, adverto, iſtarum theſium plurimas, ac pleraſque aliis atque aliis verborum ambagibus ejectare , ac expungere gratiam pure ſufficientem in natura lapſa , quam Janſenius Queſnelli didaſcalus lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 3. vocavit Monſtroſam , qua nihil monſtroſius, quia ſcilicet *Numquam ab initio lapſus humani uſque ad diem Judicii ullum in humana voluntate effectum habuit , aut habitura eſt* . Propterea ſolum admittitur ad naturam lapſam ſublevandam gratia Chriſti medicinalis efficax , invincibilis , irreſiſtibilis , omnipotens , (ut oſtendemus in theſi decima) qua Deus operatur in corde id , quod præcipit ; ac donat , quod petit a nobis ; perinde quaſi gratia aliud non ſit , quam voluntas omnipotentis Dei jubentis , & facientis quod jubet , ut habet undecima iſtarum theſium. Quare obtrudendo paſſim enormiſſimum hunc errorem , Dei bonitati, ac Chriſti meritis valde injurioſum, ita Queſnellus Janſenizat , ut omnes ſimul quinque proſcriptas hæreſes Janſenii in eo non obſcure deliteſcentes in medium adducat . Nequit enim cohærere , quod ſolum detur gratia iſthæc efficax in natura lapſa , nullatenus vero gratia pure ſufficiens , quin ſimul veriſſimæ ſint theſes omnes Janſenianæ , quas falſas , & hæreticas eſſe Innocentius X. declaravit . Quod ſic paucis oſtendo. Si peccator , cui præcipitur contritio , ac infidelis, cui præcipitur, quod fidem amplectatur , reatum contraherent non obtemperando , & ſimul deeſſet illis gratia ſufficiens , verum eſſet , quod iis præciperetur aliquid impoſſibile , (cum non poſſit naturæ viribus poni contritio ſupernaturalis præcepta diſponens ad juſtificationem ; ſicut nec fides) & ſimul verum eſſet, quod deficeret iis gratia , qua præcepta iſthæc poſſibilia fiant , ita ut poni poſſit id , quod præcipitur , juxta primam Janſenii theſim . Rurſus , ſi idem peccator gratia efficaci inſtruatur , & contritionem præceptam ponat , quin poſſit talis gratiæ effectum impedire , nec illi reſiſtere , (ita ſcilicet ut ea ipſa ob reſiſtentiam præſtitam non ſit efficax , nec cum contritione conjungatur , ſed remaneat pure ſufficiens , atque adeo ſejuncta a contritione præcepta) ſequeretur , quod numquam homo in ſtatu naturæ lapſæ gratiæ interiori reſiſteret , nec gratia eſſet talis , cui poſſet voluntas humana reſiſtere , vel obtemperare , juxta ſecundam , & quartam Janſenii theſim. Præterea ſi peccator ſub gratia illa , quæ de facto eſt efficax , non eſſet liber ad omittendam contritionem præceptam ; aut ſi non eſſet liber ad ponendam contritionem ſub carentia gratiæ efficacis ex defectu gratiæ ſufficientis , ſequeretur , quod contritio ſub gratia efficaci eſſet meritoria , & omiſſio contritionis ſub carentia cujuſcunque gratiæ eſſet demeritoria citra libertatem a neceſſitate per meram libertatem a coactione, juxta tertiam Janſenii theſim . Deniqae ſi ob Chriſti merita ſolum daretur peccatori ,

ri, qui de facto conteritur, necnon aliis omnibus bene operantibus gratia efficax, cui reſiſtere non poſſent; contra vero peccatori omittenti contritionem præceptam, aliiſque male operantibus nulla omnino daretur gratia interior ſufficiens, ſequeretur, Chriſtum non eſſe mortuum, nec ſanguinem fudiſſe pro omnibus omnino hominibus, juxta quintam Janſenii theſim. Quomodo enim dici poterit, quod Chriſti mors oblata fuerit pro iis, quibus nullatenus ea prodeſt; quippe nulla iis ob merita Chriſti gratia confertur, qua poſſint ſalutariter operari? Ecce tibi quomodo negando paſſim Queſnellus in plurimis iſtarum theſium gratiam ſufficientem, omnes ſimul quinque Janſenii theſes hæreſeos nota inuſtas in medium adducit, ac lethiferam hanc luem incautis propinat.

PROPOSITIO III.

In vanum Domine præcipis, ſi Tu ipſe non das, quod præcipis. *Ita Queſnel. Act. 16. num. 10. in edition. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Inutilem docet eſſe Queſnellus gratiam ſufficientem, quam Janſenius vocat Monſtroſam, & Janſeniani Perniciosam.

II. Præceptum eſſet indignum Deo præcipiente, ſi non poſſet impleri.

III. Gratiam Sufficientem dari peccatoribus, ne præceptum violent, oſtendunt Scripturæ.

IV. Et quidem etiam in natura lapſa.

V. Conſtat id etiam ex parabola vineæ.

VI. Necnon ex Tridentino, & Auguſtino.

VII. Ac plurimis Theologicis ratiocinationibus. VIII. Gratia ſufficiens eſt ingens beneficium, quod ex peccatoris ſocordia redditur inutile, & damnoſum. IX. Explicatur, in quonam ſenſu bonum fuiſſet Judæ, ſi natus non fuiſſet. X. Gratia pure ſufficiens duo involvit, alterum valde utile, quod a Deo miſericorditer confertur; alterum noxium, quod eſt unice ex culpa voluntatis. XI. Obduratis non datur in pœnam gratia ſufficiens, ſed ſolum denegatur in pœnam gratia uberior, aut efficax, quam cæteroquin eſſent accepturi. XII. Explicatur gratiæ efficacitas. XIII. Et quid importet Prædeſtinatio.

I. CAlvinus, & Lutherus gratiam ſufficientem prout condiſtinctam ab efficaci negarunt dari in natura lapſa. Janſenius in prima ex ſuis proſcriptis Theſibus negavit, juſtis conferri gratiam relate ad obſervantiam nonnullorum præceptorum, dicens: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, &c. ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.* Eatenus autem negavit gratiam iſtam conferri, quia ſi conferretur, cum ea deberet eſſe efficax ex ſuis principiis omnino erroneis; (quatenus, ut habet in ſecunda Theſi, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*) nullum unquam præceptum Juſti tranſgrederentur, atque adeo nunquam peccarent; perinde quaſi non poſſit juſtis dari gratia per Chriſtum, qua valeant præceptum implere, non tamen impleant. Quinimmo uſque adeo negat Janſenius dari gratiam ullam condiſtinctam ab efficaci, ut gratiam pure ſufficientem lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 3. appellet *Monſtroſam*, quatenus *Nunquam ab initio lapſus humani, uſque ad diem judicii ullum in humana voluntate effectum habuit, aut habitura eſt.* Propterea indignum reputat, quod ex meritis Chriſti pullulet monſtroſa iſthæc gratia pure ſufficiens, cui voluntas reluctetur. Nonnulli e ſchola iſta Janſeniana ulterius progreſſi ſunt ad dicendum, gratiam iſtam pure ſufficientem non ſolum eſſe monſtroſam, verum etiam eſſe perniciosam; Iſtorumque fuit theſis illa ſexta ab Alexandro VIII. profligata. *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam utilis, quam perniciosa eſt, ſic ut proinde merito poſſimus petere, A gratia ſufficienti libera nos Domine.* In Sole tamen cæcutit, qui non videt eſſe ingens beneficium, quod nobis per gratiam pure ſufficientem, noſtra culpa inefficacem, confertur ex Chriſti meritis. Ex iis autem, quæ adverſus theſim illam paſſim a Theologis congeruntur, liquido conſtat etiam error præſentis theſis, quæ mitioribus verbis, ac mira calliditate doctrinam Janſenianam animis imperitorum ingerit, dum obſervantiam præceptorum unice a Deo expectandam eſſe contendit.

II. Verum quamvis id pietatem ſapere videatur; cum negari non poſſit, collationem gratiæ efficacis, qua ponatur a nobis obſervantia præceptorum, eſſe donum indebitum divinæ munificentiæ: nihilominus Janſenianus error ſub ſplendido verborum hujus theſis pallio iterum occultatur. Etenim ſi verum eſt, quod in vanum Deus præcipiat, quando non inſtruit hominem gratia efficaci, qua det illi quod ipſe præcipit, conſequens eſt, ut inobedientes divinis mandatis, quibus Deus non dat id, quod præcipit, fruſtranee omnino inſtruantur gratia

ſuf-

ſufficienti ad obediendum ; unde poſſet cum Janſenio gratia iſta appellari omnino inutilis , atque adeo monſtroſa . Quinimmo ab hoc Janſenii diſcipulo non ſolum fruſtranea dicitur eſſe gratia ſufficiens , quoties peccatores præcepta divina tranſgrediuntur ; ſed dicitur etiam fruſtraneum ipſum præceptum , ut propterea in hac theſi in ſpeciem pia impie divinis ipſis præceptis illudatur : In dubium enim revocari non poteſt , quod præceptum ſit inane, ac fatuum , ſi impleri non poſſit ; ut proinde indignum Deo eſſet præceptum , quod fieret aut lapidi , ut ratiocinetur, aut homini gratia gratis data patrandi miracula deſtituto , quod miracula patret . Quare cum citra blaſphemiam dici non poſſit, quod inane, ac fatuum ſit divinum præceptum injungens v. gr. peccatori contritionem , ſequitur apertiſſime , quod peccatori omittenti contritionem præceptam non deſit gratia ſufficiens ad illam ponendam requiſita , ne dicatur Deus in vanum illam præcipere . Quod diſerte docuit Auguſtinus lib. de grat. & lib. arb. cap. 4. dicens : *Homo ergo gratia juvatur , ne ſine cauſa voluntati ejus jubeatur .*

III. Et ſane quod gratia pure ſufficiens de facto detur peccantibus , ut peccatum declinare poſſint ; & quod non incaſſum Deus præcipiat iis , quibus ex propria culpa deeſt gratiæ efficacitas, conſtat non ſolum ex poſſibilitate (ut innuimus) præceptorum relate ad inobedientes ; ſed etiam ex Scripturis , Conciliis , Patribus , & innumeris rationibus , quas paſſim congerunt Catholici adverſus Heterodoxos . Apertiſſime id oſtenditur ex eo , quod dicitur Iſaiæ 5. *Et nunc viri Juda judicate inter me , & vineam meam ; Quid eſt quod ultra debui facere vineæ meæ , & non feci ? An quod expectavi , ut faceret uvas , & fecit labruſcas ?* Ex quibus verbis palam fit, & quod gratia ſufficiens ſit debita , poſito quod expectetur uva ex vinea , ſeu bona operatio a voluntate ; & quod eam Deus dederit facienti labruſcas , ſeu male operanti ; ſicut etiam , quod defectus uvæ , ſeu bonæ operationis evidenter non ſit aſcribendus divinæ providentiæ , ſed uni voluntati peccatoris ; Cum Deus ipſos peccatores velit eſſe judices ad juſtificandam providentiam ſuam , & ad condemnandam malitiam voluntatis non producentis uvam expectatam .

IV. Neque dicant Janſeniani , quod hic textus intelligendus ſit de homine in ſtatu naturæ integræ , non in ſtatu naturæ lapſæ . Nam communiter Patres , & Expoſitores illum intelligunt de populo Iſraelitico , & accommodant populo Chriſtiano , quos Deus etiam poſt Adæ lapſum ingentibus donis tanquam vineas ſuas coluit , ut fructus vitæ ſalutares referrent , quos ab his populis & exigere , & expectare fatetur . Erroneum autem eſt , quod communi Patrum , & Interpretum expoſitioni contradicit . Præterquamquod tam in ſtatu naturæ integræ , quam in ſtatu naturæ lapſæ obedientia divinis præceptis Deo Auctori principaliter aſcribenda eſt, gratiam efficacem ſeligenti ex ſpeciali affectu erga obtemperantes ; unde in utroque ſtatu deberet gratia ſufficiens eſſe inutilis , & in vanum diceretur Deus in utroque ſtatu præcipere , ſi non conferret gratiam efficacem ; quod tamen Janſenii aſſeclæ non admittunt , contendentes , quod ſolum in natura integra Angelis , & Protoparentibus peccantibus datum fuerit Adjutorium ſine quo non , ſeu gratia ſufficiens ad non peccandum ; in natura vero lapſa ob ejus imbecillitatem dicunt requiri adjutorium quo , ſeu gratiam efficacem , & quidem neceſſitantem ad bonum , quod in ſequentibus fuſius explodendum eſt .

V. Confirmatur ex parabola vineæ a Chriſto D. propoſita Matth. 24. *Homo erat Paterfamilias , qui plantavit vineam , & ſepem circumdedit ei , & fodit in ea torcular , & ædificavit turrim , & locavit eam colonis* . Ubi Chryſoſtomus Hom. 69. in Matth. habet : *In his omnibus nihil ab eo , quod ad ſalutem pertinet , derelictum demonſtrat* . Quod ſi aliquid ſubtraxiſſet eorum , quæ ad productionem uvæ , ſeu bonæ operationis neceſſaria ſunt , fruſtra , & ficte diceretur Deus illam expectare : quis enim , niſi fatuus , expectat, quod fieri nullatenus poteſt ? atqui ſine viribus gratiæ nullatenus prodire poteſt bona operatio ſalutaris, quam Deus dicitur expectare : ergo non deſunt voluntati vires neceſſariæ , ſeu gratia ſufficiens ad illam ponendam .

VI. Præterea Tridentinum ſeſſ. 6. can. 20. anathematizat , qui dixerit , *eum , qui poſt baptiſmum lapſus eſt , non poſſe per gratiam reſurgere* . Ubi notandum , quod Tridentinum non loquatur conditionate , videlicet , ſi detur gratia ad reſurgendum , ſed abſolute , quatenus unuſquiſque poſt lapſum abſolute poteſt reſurgere adjutus gratia ſuperna ; atqui multi de facto non reſurgunt ; ergo iis datur gratia ſufficiens ad reſurgendum , quin ea reddatur efficax a bona operatione , quæ culpabiliter a peccatore omittitur . Hinc proſcripta fuit propoſitio illa Baji 55. dicens : *Definitiva hæc ſententia , Deum homini nihil præcepiſſe impoſſibile , falſo*

tribuitur Auguſtino, cum ſit Pelagii: Contendebat quippe Bajus lib. de peccato cap. 12. Pelagium docere, quod ſine auxilio indebito gratiæ, tam in natura lapſa, quam in integra, poſſet homo totam legem ſervare, quia Deus non præcipit impoſſibilia; Auguſtinum vero docere, quod in natura lapſa non debeantur homini vires gratiæ, cæteroqui neceſſariæ ad totam legem implendam, atque adeo quod in natura lapſa obligaretur homo deſtitutus gratia ad impoſſibile, dum obligatur ad ſervandam totam legem. Temeritas iſta Baji, hanc perſonam calumniæ imponentis Auguſtino, in ea Theſi damnatur: Auguſtinus enim pluribus in locis oſtendit, omnibus, etiam inobedientibus, dari gratiam ſufficientem ad ponendam operationem præceptam: præſertim lib. 1. in Geneſ. cap. 3. exponens illud Jo: 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ita loquitur: *Illud lumen non irrationabilium oculos paſcit, ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum, & temporalium ſe ad ejus præcepta ſervanda convertunt; quod omnes homines poſſunt, ſi velint: quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum*. Lumen iſtud non eſt, niſi gratia paſcens corda eorum, qui credunt Deo, quod omnes præſtare poſſunt, ſi velint; atque adeo ex Auguſtino omnibus datur ſive proxime, ſive ſaltem remote auxilium ſufficiens ad credendum; Et in Pſalm. 102. habet; *Blaſphematur quotidie, & facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos, & malos. Vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis naturæ*, &c.; Et D. Proſp. Auguſtini diſcipulus gratiam Dei omnibus communicatam deprædicans lib. 2. de Vocat. Gentium cap. 5. *Univerſitati*, inquit, *hominum ita multiplex, atque ineffabilis bonitas Dei conſuluit ſemper, & conſulit, ut neque ulli pereuntium excuſatio ſuppetat de abnegato ſibi lumine veritatis, neque cuique ſit liberum de ſua juſtitia gloriari*. Idemque paſſim docent Patres.

VII. Confirmantur hæc omnia rationibus Theologicis. Primo quidem, quia ſi homo lapſus careret auxilio ſufficienti ad ponendum opus præceptum, contraheret neceſſitatem peccandi; At ex Auguſtino, *Quis peccat in eo, quod caveri non poteſt?* Secundo; quia ſolum deluſorie Deus vellet omnes homines ſalvos fieri, ſi non conferret illis vel proxime, vel remote vires ſufficientes ad ſalutem obtinendam. Tertio, quia auxilia externa gratiæ, nempe exhortationes, miracula, exempla, &c. dantur omnibus, ergo etiam interna; ſiquidem ex lege præſentis providentiæ, in qua homo elevatus eſt ad finem ſupernaturalem, auxiliis externis gratiæ annectuntur interna: ergo utraque communia ſunt, etiam non bene operantibus, atque adeo iſtis datur gratia ſufficiens. Denique intantum ſupervacanea cenſetur a Janſenianis gratia ſufficiens in natura lapſa, inquantum hæc per peccatum contraxit eam imbecillitatem, & ægritudinem, quæ ſolum per gratiam efficacem medicinalem curari poſſit; ſed hoc eſt falſum; nam imbecillitas naturæ orta ex rebellione appetitus non reddit impoſſibilem, ſed ſolum difficilem operationem bonam, ſi detur gratia ſufficiens ad illam ponendam; Aliter liberum arbitrium non eſſet duntaxat attenuatum per peccatum, ſed extinctum.

Quibus adde, quod cum homo in hac vita ſit in via, non in termino, non poteſt auxiliis gratiæ ſufficientibus ad ſalutem obtinendam omnino deſtitui. In hoc enim diſcriminatur Viator ab eo, qui eſt in termino damnationis, quod ille poſſit accedere ad terminum, atque adeo habet vires ſufficientes ad progrediendum; ſecus vero damnatus, qui eſt in termino viæ; Quod ſi Viator careret his auxiliis, eſſet in ſtatu deteriori quam damnatus, per hoc quod iſte in ſuo termino non poſſet amplius peccare, ſecus vero Viator.

VIII. Opponunt Janſeniani, quod gratia pure ſufficiens in vanum detur, ut proinde in vanum Deus præcipiat, ſi ſolum conferat gratiam ſufficientem, & non ſimul det ipſe per gratiam efficacem id, quod præcipit, prout dicitur in hac theſi. Aſſumptum videtur evinci primo, quia gratia iſthæc nunquam conjungitur cum bona operatione, propter quam dicitur conferri, ut proinde a Janſenio lib. 3. de Gratia Chriſti appelletur Monſtroſa; ergo eſt omnino inutilis, & ſupervacanea. Secundo ex Auguſtino, qui lib. de Grat. & lib. arb. cap. 15. habet: *Tunc utile eſt velle, cum poſſumus, & tunc utile eſt poſſe, cum volumus; nam quid prodeſt, ſi quod non poſſumus, volumus; aut ſi quod poſſumus, volumus?* ergo ex Auguſtino gratia pure ſufficiens, per quam nunquam volumus, quod poſſumus, eſt prorſus inutilis; quinimmo & noxia, ob ingratitudinem noſtram, quæ ad illam conſequitur; propterea Chriſtus D. Matth. 26. dixit de Juda: *Bonum erat illi, ſi natus non fuiſſet homo ille:* eo quod gratiæ ſufficienti reſtiterit.

Tertio, quia ſicut bonum eſt, quod omnes appetunt; ita malum eſt, a quo omnes refugiunt. Quis autem non refugiat a peten-

tenda a Deo gratia pure ſufficiente? immo quis non illam deprecetur? non eſt ergo utilis, & proficua, ſed potius noxia, & mala; quæ proinde ſæpe datur a Deo in pœnam peccatorum præcedentium, quando obdurat cor peccatoris; cum non aliter Deus obduret, quam denegando gratiam efficacem, & conferendo iteratis vicibus gratiam pure ſufficientem.

His tamen paralogiſmis ſatisfacere tenentur ipſimet Janſeniani, qui in ſtatu innocentiæ Adjutorium ſine quo non, ſeu gratiam pure ſufficientem non inficiantur. Quare ſicut in eorum ſententia dæmones, & protoparentes, quando peccarunt, inſtructi a Deo fuerunt gratia ſufficienti, quæ tamen non fuit illis inutilis, ſed ingens beneficium; non ſecus ac beneficium eſt dare alicui oculos, ut videre poſſit, quamvis velit palpebras claudere: ita prorſus dicendum de gratia pure ſufficienti in ſtatu naturæ lapſæ. Quare negatur aſſumptum. Ad primum ſophiſma dicendum, gratiam pure ſufficientem eſſe valde utilem per hoc, quod conferat ſimpliciter poſſe relate ad operationes ſupernaturales, quibus vitam æternam promereamur. Etenim gratia ſufficiens unice ob culpam voluntatis eſt mere ſufficiens, & inefficax; quia ſcilicet voluntas non utitur illa, ſicut poſſet, ad bene operandum; Non enim Deus illam confert ut inefficacem, ſeu ex amore culpæ, ſed potius intendit bonam operationem, quam præcipit, & ſi ſub illa prævidiſſet bonam operationem ſequuturam, adhuc illam ipſam dediſſet, & quidem libentius, non vero ſelegiſſet aliam inefficacem. Quare quod ob culpam voluntatis nihil operetur, & peccator illa inſtructus ſit exprobrandus, non debet id aut in Deum, aut in ſupervacaneitatem, ſeu malitiam gratiæ refundi, ſed in propriam peccatoris ſocordiam nolentis uti beneficio adeo ingenti. Hinc Hugo de S. Victore in epiſt. ad Rom. cap. 9. advertit, quod ſicuti qui in fovea reperitur, offerenti manum, ut poſſit inde educi, gratias referre debet ob beneficium ſibi collatum, quamvis ob ſuam deſidiam nolit manum oblatam apprehendere, & idcirco nolit extrahi: ita innumeras debet grates peccator Deo, velut manum offerenti, dum confert gratiam auxiliarem ſufficientem, ut poſſit e tartarea peccati fovea evocari; quamvis ob deſidiam & torporem nolit gratia oblata uti, & a peccato liberari.

IX. Ad ſecundum. Quis dixerit in vanum fuiſſe a Chriſto patrata miracula, inſtituta Sacramenta, data exempla, monita, præcepta, &c. relate ad eos, qui iis abutuntur in propriam perniciem? Qui confert arma innocenti, ut ſeſe ab hoſtibus tueatur, ſibi imputet, ſi iis male utens ſibi potius mortem conſciſcat. Quare juxta mentem Auguſtini, ſi quod poſſumus vi gratiæ ſufficientis, nolumus, tunc illa de ſe non eſt inutilis, nec noxia, ſed fit nobis inutilis ex vitio voluntatis, quæ proinde exprobrationi, & pœnæ eſt obnoxia: Sicut ſacramenta, aut prædicatio divini verbi ſunt de ſe valde nobis utilia, quamquam ſi quod per ipſa poſſumus, nolumus, tunc redduntur nobis inutilia, & vertimus in noſtram perniciem vitio voluntatis. Hinc melius fuiſſet Judæ natum non fuiſſe, quam fuiſſe cum gratia ſufficienti ſimul, & cum propria culpa, ratione cujus gratiæ non correſpondit: non tamen melius fuiſſet illi, non fuiſſe, quam fuiſſe cum gratia ſufficienti ad bene operandum, præſcindendo a conſenſu, vel diſſenſu a voluntate ponendo.

X. Ad tertium, Gratia pure ſufficiens duo involvit; qua ſufficiens importat ingens beneficium divinum, qua pure ſufficiens includit culpam voluntatis illi obluctantis. Gratia ſufficiens petenda eſt a Deo, gratia pure ſufficiens, ſeu inefficax eſt deprecanda, non qua ſufficiens, ſed quatenus annectitur illi culpa voluntatis; ſicuti deprecandum eſt medicamentum ab eo, qui prævidet, quod ob impatientiam ægroti ſit nociturum. In eo tamen differt Medicus prævidens medicamentum ob culpam ægroti nociturum, a Deo previdente, quod peccator gratia ſufficienti ob culpam voluntatis ſit abuſurus, quod medicus tenetur ex charitate impedire culpam, & damnum ægroti; Deus tamen ex munere Primæ Cauſæ non tenetur impedire culpam, & damnationem reproborum; quia aliter non poſſet condere creaturas liberas, nec exercere erga illas ſua attributa Miſericordiæ, Juſtitiæ, Longanimitatis, &c.

XI. Ad id quod additur; Deus non dat obduratis in pœnam auxilium ſufficiens, ut emolliantur; quomodo enim poteſt in pœnam conferri bonum illud, quo ſi velit uti obduratus poteſt vitam æternam conſequi, & pœnas æternas declinare? In pœnam ſolum denegatur ſæpe gratia uberior, quæ forte eſſet efficax, & expugnans neceſſitatem moralem ad peccandum, quam patitur obduratus. At gratia ſufficiens, quamvis prævideatur inefficax, non confertur in pœnam, cum non detur qua inefficax, ſeu eo animo, ut ſi prævideretur iſta eſſe efficax, ſeligeretur alia inefficax; ſed datur a Deo, ut ſufficiens, intendendo ex illa bonam operationem, quam conſulit Deus, & precipit,

eſto videat illam ob culpam voluntatis deſuturam. Sed hac de re redibit ſermo in ſequenti theſi, necnon in trigeſima, in quibus pariter gratia ſufficiens ab Auctore ſpecioſis verbis rejectatur.

XII. Opponitur ulterius, quod gratia ſufficiens non ſolum in vanum, ſed etiam in perniciem conferatur; (unde in vanum Deus præcipiat, niſi conferat vi gratiæ efficacis id, quod præcipit) quia nullatenus ea confert ad ſalutem, ſed ſolum deſervit ad noſtram condemnationem. Et ratio hujus eſt, quia nemo præditus gratia mere ſufficienti ſalutem conſequitur; quinimmo qui gratia ſufficienti præditus negligit ponere operationem præceptam, ob hoc ipſum damnatur, quia ſub illa gratia poterat illam ponere, & non poſuit; ergo gratia ſufficiens ſolum deſervit ad noſtram condemnationem, nullatenus vero ad ſalutem conſequendam.

Reſpondeo, gratiam ſufficientem deſervire, ut operatio ſalutaris poni poſſit ad arbitrium voluntatis, unde poſſit homo, ſi velit, ſalutem conſequi; ſin autem gratiæ illi reſiſtat, & vocatus a Deo non reſpondeat, damnabitur quidem, non tamen quia gratiam ſufficientem ad ſalutariter operandum miſericorditer habuit; ſed quia illi culpabiliter ex ſua ſocordia noluit conſentire, cum præſto ea eſſet ad adjuvandum. Quare damnatio Reproborum non eſt aſcribenda gratiæ ſufficienti, ſed culpæ voluntatis; ubi ex oppoſito ſalus Electorum eſt aſcribenda gratiæ, ſine qua operatio ſalutaris poni non poterat; quinimmo ad ſalutarem operationem ponendam gratia excitavit, illam ſuaſit, & ad eandem principaliſſime influxit, quamvis cum determinatione voluntatis: Ad eum modum quo principalius aſcribitur homicidium mandanti, quam exequenti, unde ille prius in omnium ſententia ad reſtitutionem obligabitur, & hic ſolum in ejus defectum; & multo magis operatio ſalutaris aſcribitur gratiæ, quam homicidium mandanti; ſiquidem ſine mandato adhuc poteſt homicidium poni ab exequente, ſecus vero voluntas ſine gratia operationem ſalutarem ponere non poteſt. Præterea mandans non influit in homicidium, niſi ſolum moraliter, Deus vero in operationem ſalutarem influit etiam phyſice. Denique mandans homicidium non influit in illud influxu morali infruſtrabiliter: Deus vero moraliter, & phyſice influit in operationem ſalutarem infruſtrabiliter, ita ut nequeat fruſtrari ſine intento. Seligit quippe auxilium prævisum efficax ſpeciali affectu, ut proinde bona operatio neceſſario ſit futura, neceſſitate tamen conſequente, quæ non derogat ejus libertati.

Inſtant Adverſarii dicendo, verum quidem eſſe, quod operatio ſalutaris, & electio ad gloriam ſit tribuenda gratiæ, ea tamen non eſt tribuenda gratiæ ſufficienti, ſed efficaci, cum ad ſalutem conſequendam non ſatis ſit gratia ſufficiens, quæ ſolum dat poſſe, niſi detur etiam gratia efficax, quæ pariat ipſam operationem ſalutarem præceptam: Propterea recurrit, quod Deus in vanum præcipiat, & in vanum conferat gratiam ſufficientem, niſi det ſimul ſua gratia efficaci id, quod præcipit. Et ratio ulterior eſt, quia ad ſalutariter operandum, & ad ſalutem aſſequendam præter gratiam ſufficientem, quæ det poſſe, ita neceſſaria etiam eſt gratia efficax, quæ det agere, ut bona ipſa operatio non ſit in manu creaturæ citra ſpecialem Dei beneficentiam; ut proinde conſentiens a non conſentiente non diſcriminetur duntaxat ex eo, quod ille conſentiat, hic vero diſſentiat, ſed diſcriminetur etiam ex eo, quia conſentiens inſtructus eſt gratia efficaci, quæ facit facere, & dat ipſam operationem, qua gratia caret diſſentiens. Neque hoc revocari poteſt in dubium: Primo quia ex Apoſt. ad Philip. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*; unde Deo aſcribitur non ſolum, quod poſſimus ſalutariter operari, ſed etiam quod velimus. Secundo, quia ſi non eſſet gratia indebita ipſe conſenſus, ſequeretur, quod conſentiens a non conſentiente, & electus a reprobo non diſcerneretur a Deo, ſed a ſeipſo: cum tamen Apoſtolus dicat, uni Deo tribuendam eſſe hanc diſcretionem verbis illis 1. Cor. 7. *Quis eſt, qui te diſcernit?* Ubi Auguſt. lib. 2. contra duas Epiſtolas Pelag. cap. 7. habet: *Non aliter Deus diſcernit, niſi quia unde diſcernaris impertit.* Certe quia diſſentienti aſcribitur culpa, & diſſenſus, idcirco diſſentiens diſcernit ſe a conſentiente, & reprobus ab electo, ut dicitur in Ep. Judæ Apoſtoli n. 19. *Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes.* Quare ex oppoſito, ſi conſentienti aſcriberetur conſenſus, & non gratia, quæ facit, ut conſentiamus, ſequeretur, quod conſentiens ſe diſcerneret, & non Deus illum diſcerneret. Tertio, quia quodcunque bonum ſupernaturale eſt omnino naturæ indebitum, & ex ſola Dei miſericordia confertur; unde idem Apoſtolus loco laudato ſubdit: *Quid habes, quod non accepiſti? aut quid gloriaris, quaſi non acceperis?* quare conſenſus ſalutaris agnoſcendus eſt tanquam novum Dei beneficium, qui præter poſſe dat etiam ipſum agere in ordine ad

ſalu-

salutem. Quarto demum, quia Augustinus inquirens, cur ex duobus æque vocatis a Deo alter consentiat, alter vero dissentiat, non respondet, quia ille vult consentire, & iste renuit, sed refundi diversitatem ad inscrutabilia Dei judicia, qui uni vult esse specialiter misericors conferendo gratiam efficacem, alteri est solum misericors, quatenus solum illi confert gratiam sufficientem: Hęc enim habet lib. de spir. & lit. c. 34. *Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, Cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur; illi autem non ita: Duo sola occurrunt interim, quæ respondere placeat, O altitudo divitiarum! &, Nunquid iniquitas apud Deum?* Similiter Augustinus inhærens doctrinę Apostoli docet, bonam operationem non esse ascribendam homini volenti, sed Deo miserenti, ac conferenti speciali affectu gratiam efficacem, non quidem determinando ad consensum, sed conferendo auxilium opportunum, ac vocando vocatione congrua, & in iis circumstantiis, in quibus non erit spernenda: quod his verbis declarat lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui sequuti sunt vocationem.* Et deinde addit: *Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit congruere, ut vocantem non respuat.* Pariter lib. de grat. & lib. arbitr. c. 5. habet: *Ut Apostolus Paulus efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola:* siquidem ipsa actualis libera conversio voluntatis donum est solius Dei, qui vocat misericorditer ea vocatione, ad quam consequatur libera voluntatis conversio. Quod explicat S. Doctor in eodem libro cap. 16. dicens: *Certum est, nos velle, cum volumus; sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est, quod præparatur voluntas a Domino:* Et cap. sequenti addit: *Ut velimus sine nobis operatur; cum autem volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur*: Quibus verbis docet, vocationem supernam, qua velimus, unice a Deo esse; quamvis ipse nobiscum cooperetur, quando ita volumus, ut faciamus. Ex quibus omnibus fit perspicuum, ipsam liberam nostram cooperationem gratiæ excitanti, seu gratiam efficacem esse speciale Dei donum indebitum, quod uni Deo acceptum referre debemus, quo non collato nunquam salutariter operamur, nec salutem consequimur; atque adeo in vanum Deus præcipit, & frustra gratiam sufficientem confert, nisi ipse etiam det id, quod præcipit.

Respondeo primo argumentum solvendum esse, ut supra diximus, a Jansenianis ipsis, qui docent, in statu naturę sanę, ac integrę Deum non præcepisse in vanum Angelis prævaricatoribus, nec Protoparentibus nostris, quamvis non dederit illis id, quod præcepit. Sicut enim utiliter, & misericorditer collata iis fuit gratia sufficiens ad salutariter operandum, quamvis ipsi defuerint gratiæ, & ideo defuit illis gratia efficax; ita in statu naturæ lapsę. Et sane sicut in Angelis malis causa principalis culpæ fuit eorum voluntas, quæ gratiæ sufficienti libere restitit; in Angelis vero bonis causa principalis bonę operationis non fuit voluntas, quamvis ipsa se determinaverit ad salutariter operandum, sed fuit Deus, qui sua gratia efficaci dedit eis misericorditer non solum posse, sed etiam velle; unde ex Augustino lib. de correp. & gratia cap. 10., & ex Anselmo lib. de casu diaboli c. 1. etiam de Angelis bonis intelligendum est illud Apostoli, *Quid habes, quod non accepisti?* Ita idem dicendum in statu naturæ lapsę. Propterea non est astruenda a Quesnello differentia essentialis inter gratiam Adamicam, & Christianam, seu inter gratiam collatam Adamo in statu naturę integrę, & gratiam medicinalem, quæ ex meritis Christi jam exhibiti confertur in statu naturę lapsæ; quasi vero hæc determinet ad salutariter operandum, illa vero non determinaret; cum utraque relinquat in voluntate libertatem indifferentiæ, quamvis in utroque statu gratia efficax sit beneficium unice a Deo collatum, unde in neutro statu in vanum Deus præcipit, seu quamvis non conferat gratiam efficacem.

Respondeo secundo directe, quod Deus in vanum præciperet, si non daret gratiam sufficientem, qua poni posset id, quod præcipit; sicut in vanum v. g. præcipitur cęco, quod videat, si non conferatur illi potentia visiva; quandoquidem præceptum de re impossibili est fatuum, & Deo indignum; unde Tridentinum sess. 6. cap. 11. docet, temerariam, & a Patribus sub anathemate prohibitam esse sententiam illam, quod Dei præcepta non possint a justo observari; cum Deus impossibilia non præcipiat. At vero non præcipit in vanum Deus, si præcipiendo conferat solum gratiam sufficientem, non vero efficacem, seu conferat voluntati facultatem, qua possit obtemperare, si velit, quamvis non conferat illi ipsum velle, conferendo auxilium prævisum efficax; cum non teneatur ex munere causę primæ impedire culpam voluntatis, si nolit ista gratiæ sufficienti misericorditer collatæ consentire. Gratia sufficiens, quę voluntati det posse salutari-

tariter operari, proculdubio eſt ingens Dei beneficium; (ſicut in ordine naturæ eſt magnum beneficium potentia viſiva, qua poſſit homo ad arbitrium videre, ſi velit palpebras aperire) Hoc tamen beneficium eſt ſeparabile a gratia efficaci, qua Deus voluntati præter poſſe confert etiam ipſum agere; quatenus ſeligit ex ſpeciali dilectione auxilium opportunum, & congruum, quod prævidet conjungendum ex libera determinatione voluntatis cum ipſa ſalutari operatione; & ideo gratia efficax, qua Deus dat id, quod præcipit, eſt beneficium indebitum; quin tamen ex hoc inferatur, quod non ſit Dei beneficium gratia ſufficiens, ratione cujus non confertur modo explicato id, quod præcipitur, confertur tamen voluntati facultas ad ponendum, ſi velit, id, quod præcipitur.

Hallucinatio Adverſariorum conſiſtit in hoc, quod putent ſine gratia efficaci poni non poſſe id, quod præcipitur, & ideo docent, Deum in vanum præcipere, quamvis conferat gratiam ſufficientem, ſi non conferat etiam vi gratiæ efficacis id, quod præcipit. Sed falſum omnino eſt, ſine gratia efficaci poni non poſſe id, quod præcipitur; ſi enim hoc verum eſſet, ſequeretur, quod peccator omittens contritionem præceptam non peccaret, eo quod careret gratia efficaci, qua unice per Adverſarios poni poteſt id, quod præcipitur, cum nemo peccet per hoc, quod non ponat id, quod a ſe poni non poteſt. Quare ſine gratia efficaci poni quidem poteſt vi gratiæ ſufficientis id, quod præcipitur, quamvis obſervantia ipſa præceptorum ſine gratia efficaci nunquam ponatur; & ſine illa exiſtere non poſſit. Ad eum modum quo ab eo, qui libere claudit palpebras ad non videndum, poni poteſt viſio, quamvis careat concurſu Dei in actu ſecundo ad viſionem; ſed ſine hoc concurſu viſio non ponitur, & ſine illo exiſtere non poteſt; Sic etiam Antichriſtus peccaturus ſine præſcientia Dei de ejus bona operatione poteſt bene operari, & non peccare, ſed bona ejus operatio ſine hac præſcientia non ponitur, nec ſine illa exiſtere poteſt. Univerſim enim dari poteſt integra facultas ad aliquid libere ponendum, quamvis non detur id, quod eſſentialiter connectitur cum ipſa actuali operatione ponenda; unde peccator præditus gratia ſufficienti bene poteſt ponere contritionem præceptam, quamvis careat gratia efficaci, ſine qua contritio nunquam ponitur, cum ſine illa exiſtere non poſſit.

Dices; Intantum qui claudit palpebras poteſt videre, etiamſi non videat, quia eſt in manu ſua, quod ponatur viſio; At non eſt in manu voluntatis, quod ſibi conferatur a Deo gratia efficax; ergo voluntas deſtituta gratia efficaci non poteſt ſalutariter operari; unde recurrit, quod Deus in vanum præcipiat, ſi non det, quod præcipit. Minor conſtat ex dictis, quod gratia efficax ſit Dei donum indebitum, & quod unice a Deo conferatur; unde illa non eſt in manu voluntatis.

Reſpondetur, non eſſe in manu voluntatis, quod Deus velit ſeligere auxilium prævisum efficax ex ſpeciali dilectione; eſſe tamen in manu voluntatis, quod auxilium ſufficiens ſibi collatum conjungatur cum operatione præcepta, unde ipſa hic & nunc inſtruatur gtatia efficaci requiſita ad hoc ut operatio præcepta ponatur (ſive dicatur gratia efficax conſtitui per ipſam operationem, ſive dicatur illam trahere juxta varias opiniones Theologorum) & ideo reſiſtendo gratiæ ſufficienti voluntas peccat.

XIII. Ubi adverte, quod cum dicimus gratiam efficacem a Deo conferri per hoc, quod conferat auxilium prævisum conjungendum libere ex determinatione voluntatis cum bona operatione, præſcindimus ab ea quæſtione Scholaſtica, Num Deus prævideat actus liberos conditionate futuros per ſcientiam mediam, ſeu in ſeipſis? An eos prævideat in decreto ſuo abſoluto ex parte actus, & conditionato ex parte objecti per ſcientiam viſionis; cum ſatis ſit, quod ſcientia iſta conditionalium in Deo non deſit, ut poſſit conciliari efficacitas gratiæ, & infruſtrabilitas divinæ voluntatis præfinientis bonam operationem cum hujus libertate; & quod operatio ſalutaris Deo principaliſſime tribuenda ſit, quatenus ſeligenti auxilium prævisum efficax ex ſpeciali miſericordia. Non ſolum autem communiſſime Doctores docent, præſcientiam futurorum conditionalium in Deo negari non poſſe citra injuriam Divinitatis, ſed ex Scripturis manifeſte conſtat eam dari: quomodo enim Chriſtus D. dicere potuiſſet Matth. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*, ſi defuiſſet illi ſcientia hæc conditionalium? Quomodo Deus Davidi interroganti 1 Reg. 23. *Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus; & ſi deſcendet Saul?* reſpondere potuiſſet, *Tradent, deſcendet*, ubi id ignoraret? Quomodo poſſet Deus ſpecialem benevolentiam, ac miſericordiam præſtare erga illos, quos ex hoc mundo eripit, antequam incidant in laqueum diaboli, prout

dici-

dicitur Sap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*, ſi careret ſcientia futurorum conditionalium? Hanc ſcientiam, ſine qua Deus non eſſet omniſcius, nec poſſet providentiam ſuam erga creaturas liberas qua liberas exercere, Auguſtinus non ſemel appellavit nomine præſcientiæ docendo, quod electio, ac prædeſtinatio Sanctorum non aliter habeatur, niſi quia Deus, cui ratione ſuæ omnipotentiæ non deſunt infinita media, ac auxilia congrua, quibus poſſit a creaturis liberis conſenſum liberum obtinere, præſcius omnium actuum liberorum conditionate futurorum, ſeligit auxilium opportunum, ſub quo creatura libera finaliter eſt bene operatura; ut proinde infallibiliter ſalvetur ille, quem prædeſtinat, citra everſionem libertatis. Hæc ſunt verba S. Doctoris lib. de Bono perſev. cap. 14. *An quiſquam dicere audebit, Deum non præſciſſe, quibus eſſet daturus, ut crederent, aut quos daturus eſſet Filio ſuo, ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique ſi præſcivit, profecto beneficia ſua, quibus nos dignatur liberare, præſcivit. Hæc eſt Prædeſtinatio Sanctorum, nihil aliud; præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur.* Hoc etiam ſimiliter docuit Auguſtinus ibid. num. 41. dicendo: *Namque in ſua, quæ falli, mutarique non poteſt, præſcientia, opera ſua futura diſponere, id omnino, nec aliud quicquam eſt, prædeſtinare. Iſta igitur ſua dona quibuſcunque Deus donat, procul dubio ſe donaturum eſſe præſcivit, & in ſua præſcientia præparavit.*

Propterea Prædeſtinatio non ſolum involvit præſcientiam actuum liberorum ſub conditione, quod dentur hæc, vel illa auxilia futurorum, ſed etiam importat præparationem iſtorum donorum, ſeu collationem talium auxiliorum; unde S. Doctor lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 10. dixit: *Prædeſtinatio eſt, quæ ſine præſcientia eſſe non poteſt; poteſt autem eſſe ſine Prædeſtinatione Præſcientia.* Quod autem non deſint in Deo infinita auxilia congrua, & opportuna, quibus Deus poſſit a creaturis liberis conſenſum liberum obtinere, ex eo conſtat, quia aliter Omnipotentia divina non eſſet perfectiſſima, & qua major excogitari non poteſt, ſi non poſſet in creaturas liberas qua liberas hoc pacto dominari: propterea Proverb. 21. dicitur: *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud:* Et ad Rom. 3. *Cujus vult, miſeretur, & quem vult indurat:* Quod pariter Auguſtinus docuit lib. de corr. & grat. cap. 14. dicens; *Sine dubio habet Deus humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem: magis enim habet in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas.* Et in Enchirid. c. 88. ubi habet: *Quis tam impie deſipiat, ut dicat, Deum non poſſe malas hominum voluntates, quando voluerit, & quomodo voluerit, in bonum convertere?* Falſum autem hoc eſſet, (quod ſcilicet poſſit Deus malas hominum voluntates in bonum convertere quomodo voluerit) ſi ſolum poſſet illas cum everſione libertatis determinare in bonum, & non etiam poſſet ab iis obtinere conſenſum liberum infallibiliter per collationem auxilii prævii efficacis: Hoc autem pacto Deum oſtendere ſpecialem ſuam dilectionem erga bene operantes, (videlicet ſeligendo auxilium opportunum, quod illis conferat, ut iis præter poſſe, det etiam agere, atque adeo infallibiliter libera, ac ſalutaris operatio ſequatur) docuit Auguſtinus lib. 1. ad Simplician. quæſt. 2. iis verbis: *Cum ergo alius ſic, alius autem ſic moveatur ad fidem, eademque res ſæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat; quis audeat dicere defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret? Cujus autem miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.*

Ex quibus omnibus fit perſpicuum, Primo, quod gratia efficax habeatur per hoc, quod Deus ex ſpeciali ſua miſericordia conferat homini auxilium congruum, & opportunum, quod prævidet per ſcientiam conditionalium conjungendum cum conſenſu, ſi illud daretur; ſeu per hoc quod vocet hominem, quomodo ſcit congruere, ut vocantem non reſpuat: atque adeo vocatione, quæ non ſolum ſuadeat, ſed etiam perſuadeat, ita docendo, ut homo diſcat, & veniat ad Chriſtum, illum attrahendo citra neceſſitatem, ſed cum voluptate, ac libere. Hæc autem vocatio ab Apoſtolo dicitur eſſe *ſecundum propoſitum:* cum dicat Roman. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti.* Et hoc auxilium congruum, & efficax ab Apoſtolo appellatur *Opportunum;* dicit enim Hebr. 4. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

Secundo conſtat, quod vi gratiæ efficacis Deus faciat, ut faciamus, & ut in præceptis ſuis libere ambulemus, unde gratia efficax ſit donum indebitum, ac diſtinctum a gratia ſufficienti, qua ſolum Deus dat poſſe nos ad arbitrium ſalutariter operari. Quam-

vis autem per gratiam efficacem Deus faciat, ut faciamus, juxta illud Ezechiel. 11. *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis*: id tamen non efficit Deus ſine libera noſtra cooperatione, ratione cujus nos etiam dicimur idipſum ex Dei miſericordia per virtutem gratiæ efficere: Unde hanc ipſam cordis novitatem Deus per eundem Prophetam cap. 18. a nobis expoſtulat, dicens: *Projicite a vobis prævaricationes veſtras, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum*. Quinimo quamvis impii converſio, & vivificatio virtuti gratiæ efficacis tribuatur; hoc tamen non obſtat, quo minus ipſe impius dicatur animam ſuam vivificare cooperando gratiæ. Hinc ibidem additur: *Cum averterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit judicium, & juſtitiam, ipſe animam ſuam vivificabit*.

Tertio, quod licet creatura libere conſentiat, Deus tamen ſit, qui diſcernit conſentientem a non conſentiente, & electum a reprobo, juxta illud Apoſtoli: *Quis eſt qui te diſcernit*? cum Deus miſericorditer ſeligat auxilium prævium efficax, quod conjungitur cum conſenſu, qui formaliter conſtituit conſentientem. Unde Deus diſcernit cauſaliter, & conſenſus diſcernit formaliter.

Immo licet verum ſit, quod conſentiens diſcernat ſe cauſaliter a diſſentiente, tanquam immediata cauſa conſenſus, nihilominus, ut advertit Bellarm. lib. 1. de Liber. Arb. c. 13. Deus eſt prima cauſa, cui conſentiens diſcernatur a diſſentiente, tanquam ſeligens ſpeciali affectu auxilium, quod prævium eſt conjungendum cum conſenſu. Ubi e converſo diſſentiens eſt immediata, & ſimul principalis cauſa diſſenſus: unde ſi duo æquali omnino gratia a Deo inſtruantur, & unus libere conſentiat, alter diſſentiat, ille diſcernitur a Deo tanquam principali cauſa conſenſus, hic vero diſcernitur a ſeipſo, cum ſibi tantum culpa aſcribatur, non Deo, qui contulit gratiam ſufficientem, ut ſub ea conſenſus poneretur. Et hac de cauſa in extremo die reprobis dicetur: *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus*; Electis vero dicetur: *Venite benedicti, poſſidete regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi*; quia ſcilicet artifex infernæ domus fuit culpa dæmonum, unde poſt culpam extructa fuit domus illa tormentorum: Contra vero opifex Empyrei fuit divina bonitas, quæ ex ſpeciali benevolentia antecedenter ad operationes ſalutares decrevit electis conferre auxilia efficacia, quibus non ſolum poſſent gloriam promereri, ſed etiam illam promererentur.

Quarto, quod conſenſus, ſeu operatio ſalutaris, quamvis libere ponatur a voluntate, adhuc ſit donum acceptum a Deo ſeligente tale auxilium, unde infallibiliter, ac libere ea ſequatur; & ideo verificatur illud Apoſtoli 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepiſti*? Sicut etiam quod idem Apoſtolus habet Rom. 9. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*.

Quinto, quod licet voluntas libere ponat operationem ſalutarem, non proinde poſſit de ea gloriari tanquam propria, cum ex miſericordia divina ſeligente auxilium efficax illa ponatur; & ideo ſubdit Apoſtolus: *Aut quid gloriaris, quaſi non acceperis*? Non prohibetur tamen, quod de ea gloriemur in Domino tanquam ab illo accepta cum libero noſtræ voluntatis conſenſu; cum idem Apoſtolus dicat 1. Corinth. 1. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. & 2. Corinth. 12. dicit: *Si voluero gloriari, non ero inſipiens*. Inſipienter tamen homo gloriatur de bona operatione, quaſi illam non acceperit; ubi e converſo ſapienter triſtatur, & confunditur homo de culpa tanquam omnino ſua, cum non acceperit illam a Deo, qui non confert auxilium ſufficiens prævium inefficax ex intentione, quod culpa ſequatur, ſed ſincero animo illud confert, ut vi illius ſequatur bona operatio; quam ſi prævideret ſecuturam, libentius conferret illud ipſum auxilium, non vero conferret aliud, quod prævideret inefficax.

Sexto, quod reprobus non poſſit conqueri de Deo, quod ſibi non contulerit gratiam efficacem, quam contulit electis; ſiquidem contulit miſericorditer illi gratiam ſufficientem ad ſalutem conſequendam, & per ipſum ſtetit quominus illam aſſequeretur, unde gratias tenetur Deo referre, quamvis noluerit Deus (utpote dominus) eſſe illi ſpecialiter beneficus, ita ut etiam gratiam efficacem conferret; cum ad conferendum hoc ſecundum beneficium Deus non teneatur. Unde Auguſtinus loco laudato dicit; *Nunquid iniquitas apud Deum*? Propterea iis, qui murmurabant adverſus Patremfamilias, quod tam acceperint denarium illi, qui primo mane vocati erant ad laborandum in vinea, quam qui circa undecimam horam, ille reſpondit Matth. 20. *Amice non facio tibi injuriam; nonne ex denario conveniſti mecum? Tolle, quod tuum eſt, & vade: Aut non licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?*

Septimo fit perſpicuum, quare Auguſtinus quæ-

quærens eodem laudato loco, cur Deus uni ita ſuadeat, ut perſuadeat, non vero alteri, non aliter reſpondeat, quam, *O altitudo divitiarum! Numquid iniquitas apud Deum?* Et in Epiſt. 105. ad Sixtum habet? *Cur illum potius, quam illum liberet, aut non liberet, ſcrutetur, qui poteſt, judiciorum ejus tam magnum profundum; tamen caveat præcipitium.* Etenim cum ſit Dominus, divitias ſuas juxta inſcrutabilia ſua conſilia elargitur, cui maluerit, citra uniuſcujuſque injuriam: propterea nemo debet ab eo quærere, quare Paulum converterit ſua gratia efficaci, Judæ vero non contulerit gratiam, qua ad pœnitentiam converteretur, ſed ſolum contulerit illi gratiam ad id præſtandum ſufficientem? non enim aliter quæſito huic fiet ſatis, quam dicendo, Dominus eſt: potuit ergo ſpecialem miſericordiam erga Paulum exercere, quin teneretur eandem ſpecialem miſericordiam exercere erga Judam; cui pariter ſatis ſuperque fuit miſericors, ac beneficus vocando illum vi gratiæ ſufficientis ad reſipiſcentiam. Hinc Apoſtolus Rom. 9. habet: *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? Non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

Octavo conſtat, quare ſæpe Eccleſia poſtulet a Deo, ut nobis conferat non ſolum poſſe bene operari, ſed etiam ipſam bonam operationem, agnoſcendo, quod utrumque ſit Dei donum, ut in oratione Dominicæ duodecimæ poſt Pentecoſten, ubi dicit: *Omnipotens ſempiterne Deus, de cujus munere venit, ut tibi a Fidelibus tuis digne, & laudabiliter ſerviatur, tribue quæſumus nobis, ut ad promiſſiones tuas ſine offenſione curramus.* Et in una ex orationibus Sabbati Sancti habet: *Da nobis & velle, & poſſe, quæ præcipis.* Quamvis enim in noſtra poteſtate ſit ipſum velle, quia tamen ex ſpeciali dono auxilii prævii efficacis fit, quod de facto velimus, idcirco a Deo omnipotenti, ac miſericordi hujuſmodi auxilium humiliter poſtulamus. Hinc ita Joel. 2. dicitur, *Convertimini ad Dominum Deum veſtrum*, ut etiam Pſal. 84. dicatur: *Converte nos Deus ſalutaris noſter;* quia ſcilicet converſio noſtra, quamvis libere a nobis ponatur, Dei tamen eſt donum, dum confert auxilium, ſub quo illa ponatur.

Nono fit ſatis difficillimæ illi quæſtioni, quomodo quando Deus prædefinit aliquam bonam operationem, & ad illam obtinendam confert auxilium prævifum efficax, infruſtrabilitas divinæ voluntatis cohæreat cum libertate actus prædefiniti? Uſque adeo difficile eſt id explicare, ut Auguſtinus lib. 2. de Peccat. merit. cap. 18. dixerit: *Quærentem vehementer anguſtat, ne ſic gratiam defendamus, ut liberum arbitrium auferre videamur; rurſum, ne liberum ſic efferamus arbitrium, ut ſuperba impietate ingrati gratiæ Dei judicemur.* Et Cajet. in cap. 9. Epiſt. ad Rom. dixit: *Scio verum vero non eſſe contrarium, ſed neſcio hæc jungere, ſicut neſcio myſterium Trinitatis.* Dicimus tamen, quod cum impoſſibile ſit falſificari Præſcientiam divinam de actibus noſtris liberis conditionate futuris, eo ipſo ac Deus prævidet, quod ſi conferatur auxilium, voluntas conſentiet, prædefinitio talis conſenſus eſt infruſtrabilis, & ſimul conſenſus eſt liber. Sicuti quia impoſſibile eſt falſificari ſcientiam divinam de actibus liberis abſolute futuris, revelatio conſequens ad hanc ſcientiam, v. gr. de negatione Divi Petri, aut de peccato Antichriſti, falſificari non poterat, & tamen libera fuit negatio Divi Petri, & liberum erit peccatum Antichriſti; non enim ex ea revelatione contrahitur neceſſitas ulla antecedens, ſed ſolum conſequens, quæ non officit libertati actus. Hoc expreſſit Auguſt. lib. de corrept. & grat. cap. 7. ubi loquens de Prædeſtinatis ait: *Horum ſi quiſquam perit, fallitur Deus:* (hoc eſt fallitur præſcientia ejus, quam neminem acceptis infallibilibus ad ſalutem mediis periturum prævidit) *Sed nemo eorum perit, quia non fallitur ſcientia:* Hoc eſt, quia ejus præſcientia non fallitur. Ex quo fit, quod gratia efficax dici poſſit invictiſſima, inſuperabilis, indeclinabilis, omnipotentiſſima, quamvis verum ſit, quod libere voluntas cum illa operetur, poſſitque gratiæ interiori reſiſtere: Stat enim, quod operatio ſalutaris prævifa ſub auxilio efficaci ponatur infallibiliter, & ſimul poſſit omitti; non ſecus, ac peccatum Antichriſti prævifum, ac revelatum a Deo infallibiliter ponetur, & tamen poterit non poni. Fit etiam, quod homo poſſit reſiſtere gratiæ, & ſimul verum ſit, quod habet Auguſt. lib. de corrept. & grat. cap. 14. videlicet, quod *Deo volenti ſalvum facere nullum poſſit arbitrium reſiſtere*, quandoquidem ſi Deus vult efficaciter efficacia ſimpliciter dicta ſalvari hominem per collationem auxilii efficacis, impoſſibile eſt, quin ponatur operatio ſalutaris meritoria ſalutis æternæ, quamvis poſſit voluntas huic auxilio diſſentire.

Decimo enodatur illa alia graviſſima difficultas, Num ſcilicet poſſint duo eadem omnino gratia, & ſub iiſdem circumſtantiis affecti, alter conſentire, alter vero diſſentire. Ex una parte videtur, quod non; quia diſſentiens ſolum habet gratiam ſufficien-

cientem, qua conſentire poſſit; contra vero conſentiens duplex habet a Deo beneficium, & quod poſſit conſentire, in quo convenit cum diſſentiente, & quod actu conſentiat, in quo ab illo diſconvenit; unde non eſt eadem gratia in utroque; præſertim quia ipſe actualis conſenſus eſt quædam gratia, quæ uni Deo tribuenda eſt, ex Aug. lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 5. ubi habet: *Ut Apoſtolus Paulus efficaciſſima vocatione converteretur, Gratia Dei erat ſola.* Ex altera parte videtur, quod poſſint ſub eadem gratia duo diverſimode ſe habere, ita ut unus conſentiat, alter diſſentiat; tum quia hoc ſpectat ad conceptum libertatis; tum etiam quia aliter indigna fuiſſet Chriſto D. exprobratio illa facta Judæis, quod ſcilicet ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent eædem virtutes, pœnitentiam egiſſent; ſiquidem poſſent Judæi reſpondere, quod Tyrii, & Sidonii pœnitentiam agerent, quia duplex illis gratia conferretur, altera qua poſſent converti, altera, qua converterentur; at ipſis ſolum gratia data fuit, qua poſſent converti. Hinc Auguſt. lib. de Prædeſt. cap. 15. docet, quod licet Nabuchodonoſor, & Pharao ambo eſſent homines, ambo Reges, ambo captivum populum poſſidentes, ambo flagellis moniti, atque adeo ambo ſimiliter ad pœnitentiam vocati, ille ſolum ingemuit; hic vero libero contra miſericordiſſimam veritatem pugnavit arbitrio.

Quæſtionis tamen hujus facilis eſt ſolutio, ſi in gratia efficaci diſtinguatur entitas gratiæ a connexione illa infallibili, quam habet cum conſenſu, ex hoc quod Deus præparet illam in ſua Præſcientia in ordine ad illum inducendum: Quo præſuppoſito dicendum, quod poſſit eadem entitative gratia eſſe in duobus, quorum alter conſentiat, alter diſſentiat; At in tali caſu illa ſpecialis Dei dilectio, ac ſpeciale beneficium, quod præeligatur auxilium efficax in ordine ad inducendum infallibiliter conſenſum liberum, non confertur diſſentienti, ſed confertur ſoli conſentienti: & ideo hic dicitur duplicem habere gratiam, ille vero unam tantum. Ex quo non ſequitur, quod poſſent Judæi excuſari, quod non egerint pœnitentiam, cum Tyrii, & Sidonii egiſſent, quia nihil illis deſuit, quod neceſſarium eſſet, ut poſſent converti, ſi voluiſſent; cum ſpecialis illa dilectio, ac præelectio auxilii efficacis, unice Deo arbitraria, non requiratur, ut poſſit conſenſus poni, quamvis numquam ſine illa conſenſus ponatur: Sicuti ex. gratia non requiritur ſcientia Dei ab æterno de bona operatione Antichriſti, ad hoc ut poſſit hic bene operari, & non peccare, nunquam tamen bene operatur, quin præfuerit ab æterno talis ſcientia. Sicut enim ſcientia iſta pertinet ad perfectionem divini intellectus, & quia logice præſupponit noſtram liberam operationem, non evertit ejus libertatem, quamvis tempore illam antecedat: ita prædefinitio illa noſtræ bonæ operationis commendat benigniſſimam Dei voluntatem; & quia pariter conſequitur logice ad noſtram liberam operationem, (quatenus ideo datur præſcientia ab æterno de noſtra libera operatione ſub tali auxilio, ac præfinitio illius, quia voluntas ſub eo auxilio libere conſentiret, & non viceverſa ideo conſentiret, quia datur illa præſcientia, ac præfinitio) non evertit ejus libertatem, quamvis phyſice, & ab æterno illam antecedat. Ex hoc autem quod præelectio auxilii efficacis ſit uni Deo arbitraria, idcirco Auguſtinus converſionem Apoſtoli uni gratiæ aſcripſit; quamvis revera non ſine libera cooperatione voluntatis converſio facta fuerit. Poteſt itaque ſub eadem entitative gratia Titius conſentire, Cajus diſſentire; & idem Titius ſub eadem gratia poteſt hodie conſentire, cras diſſentire; aliter non diceretur liber. Quinimmo poteſt Titius ſub gratia remiſſa conſentire, & Cajus diſſentire ſub gratia magis intenſa: & ideo Matth. 12. dicitur: *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam;* quia ſcilicet Judæi majoribus auxiliis vocati, quam Ninivitæ, non egerunt pœnitentiam Ninivitarum.

Denique fit perſpicuum, quod Deus non in vanum præcipiat, quoties gratiam ſufficientem confert, quamvis non det id, quod præcipit, ſeu non conferat gratiam efficacem. Quæ omnia in decurſu harum theſium non ſemel recurrent; præſertim in decima, necnon in vigeſimaquarta, & vigeſimaquinta, ac in trigeſima.

Queſnelli Aſſeclæ ad decipiendum incautos obtrudunt hic verba illa Pſalmi 126. *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam;* perinde quaſi idem his verbis ſignificetur, ac verbis hujus theſis dicentis, In vanum Deum præcipere, niſi det quod præcipit.

Sed craſſa nimis ignorantia laborant, ſi utriuſque propoſitionis ſenſum confundant, & decipiantur; nimis vero vafre, ac malitioſe docent eas univocari, ſi advertentes ad germanum utriuſque propoſitionis ſenſum velint rudes decipere. Erroneum ſenſum hujus tertiæ theſis jam expoſuimus, quod ſcilicet fruſtraneum ſit præceptum Di-

vinum v. g. de contritione a peccatore ponenda, si solum Deus conferat gratiam sufficientem ad illam ponendam, & non simul det gratiam efficacem, unde frustranea pariter sit talis gratia sufficiens, si minus pernicioſa; Quod certe catholicis doctrinis refragatur. Sensum autem verborum illius Psalmi esse diversissimum, & catholicum cęcus est, qui non advertat; denotatur quippe verbis illis, ut advertit August. in expositione Psalmi laudati, quod in vanum laborent ædificando Ecclesiam, qui prædicant verbum Dei, & Ministri Sacramentorum, nisi ipse Christus Dominus ædificet Ecclesiam suam. Hæc sunt verba S. Doctoris: *Nos loquimur foris, ille ædificat intus; ipse monet, ipse terret, ipse intellectum aperit, ipse ad fidem aperit sensum vestrum, & tamen laboramus & nos tamquam operarii; sed nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam.* Similiter docet Episcopos, & Patres in vanum vigilare, nisi Dominus custodierit Ecclesiam suam, addens: *Laboramus in custodiendo, sed vanus est labor noster, nisi ille custodiat, qui videt cogitationes nostras:* Denique verba illa Psalmi, *Vanum est vobis ante lucem surgere*, sic exponit: *Si surgatis antequam surgat lux, necesse est, ut in vanitate remaneatis, quia in tenebris eritis*, denotans, quod illustrationes duntaxat supernæ, quæ ex Christi meritis proveniunt, conferant ad vitam æternam assequendam: Illos autem dicit ante lucem surgere, qui volunt se anteponere Christo, qui est lux nostra; Istos autem currere in vanum, imo & in ruinam, in confesso est. His adde, verbis Psalmi laudati denotari pariter posse, quod labores nostri, quibus Templum Dei in nobis ipsis ædificamus, mercede æterna, & coronide frustrandi sint, nisi Deus ipse conferat nobis misericorditer perseverantiam, & coronidem huic ædificio imponat; quippe quam de condigno mereri non possumus. Hæc autem omnia toto Cœlo differunt a sensu hujus confixę thesis: in hac enim erronee dicitur esse frustraneum Dei præceptum, & Gratia sufficiens, nisi Deus conferat id, quod præcipit: In Psalmo vero dicuntur esse frustranei nostri labores, ac vigiliæ, nisi suam deinde misericordiam Dominus superaddat ędificando Ecclesiam suam, & illam custodiendo.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim III.

TErtia thesis docens in vanum a Deo præcipi quicquid præcipit, nisi id ipsum ille conferat, quod præcipit, perfricta fronte de Deo tanquam de insipiente obloquitur; quippe qui sępe præcipit v. gr. peccatori contritionem, quin tamen illam conferat, cum peccator non conteratur; Unde docet, frustranea esse isthęc præcepta, & ideo indigna, quę a Deo summe sapiente ferantur. Ex August. enim lib. de nat. & grat. cap. 69. *Firmissime creditur, Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere:* Cui consonat Basilius in Regulis brevioribus Respons. 57. dicens: *Sine dubio non præcepisset hoc, qui bonus, & justus est, nisi facultatem, qua id faceremus, fuisset largitus.* Quod si pręter gratiam efficacem, qua peccator efficit contritionem, quę a Deo præcipitur, agnosceret Quesnellus in peccatore, qui culpabiliter non convertitur, divinis vocationibus obluctando, gratiam sufficientem, quę vires prębeat ad conterendum, peccator tamen culpa sua illis non utitur, certe non frustra Deus contritionem præciperet, excitando illum ad pœnitentiam, nec immerito deinde illum puniret, etiam ob neglectum contritionis præceptę: Secus vero puniendus non esset: Etenim ex doctrina Angelici qu. 24. de Veritate, *Nemo debet puniri, vel præmiari in eo, quod non est in ejus potestate facere, vel non facere.*

PROPOSITIO IV.

Ita Domine: Omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo. *Quesnellus Marc. 9. 22. in editione 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Iterum in hac thesi Gratia sufficiens de medio tollitur a Quesnello.

II. Retorquetur præcipuum Jansenistarum telum, quo Gratiam Sufficientem insectantur, dicendo, quod ea Obduratis, & Obcæcatis denegetur.

III. Eam obduratis non deesse multipliciter constat ex Scripturis, & Patribus.

IV. Im-

IV. Impotentia ad bene operandum in obduratis non eſt phyſica, & antecedens, ſed moralis, & conſequens. V. Cæcitas corporis ſemper habet Deum auctorem; At cæcitas mentis, quamvis qua parte eſt pœna involvens ſubtractionem auxiliorum uberiorum, & efficacium, habeat pariter Deum auctorem, non tamen qua parte involvit culpam, ſeu averſionem voluntatis a divina illuſtratione. VI. In quonam ſenſu intelligendum eſt, quod Deus Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat. *VII. In ſtatu naturæ integræ nemini deerat ſufficientia moralis ad perſeverandum in gratia; in ſtatu vero naturæ lapſæ, ubi datur impotentia moralis, ea oritur ex culpa præterita. VIII. Quicquid ſit, an poſt certum numerum peccatorum denegetur peccatori etiam potentia phyſica ad bene operandum. IX. Auxilium, quod a Deo confertur, aliquando eſt ſufficiens proxime; aliquando vero ſolum remote.*

I. ETiam theſis iſthęc vafre virus propinat, perinde quaſi ſenſus ſit, quod omnem noſtram poteſtatem ad bene operandum, necnon ipſam bonam operationem Deo acceptam referre teneamur; quod nemo ſanę mentis in dubium revocare poteſt. Theſis tamen tum juxta proprium verborum ſenſum, tum etiam ad mentem Auctoris in aliis theſibus expreſſam, contendit, quod omnis & ſola poteſtas ad actus honeſtos ſit in nobis a Deo conferente poteſtatem, & ſimul operante in nobis tales actus per gratiam Chriſti efficacem, omnipotentem, & invincibilem; ut proinde iterum in hac theſi idem error recudatur, ac in ſuperiori, dum negatur poſſibilitas orta vi gratiæ ſufficientis, qua Deus faciat quidem nobis poſſibilem noſtram bonam operationem, illam tamen non operetur in nobis. Quid enim ſonat illud, omnia eſſe poſſibilia nobis, quæ fiunt a Deo poſſibilia, dum illa in nobis operatur, quam dicere, non eſſe nobis poſſibilem aliam bonam operationem ab ea, quæ per gratiam efficacem ponitur a Deo, non quidem cooperante nobiſcum, ſed operante illam in nobis? Sicuti enim, ſi quis diceret, Omnia ſunt in hoc Mundo, quæ Deus fecit eſſe in hoc Mundo; niſi vellet verbis ludere, procul dubio denotare intenderet, quod nihil ſit in hoc Mundo, quod aliunde ſit, quam ex divina diſpoſitione: Ita dum dicitur, Omnia ſunt poſſibilia, quæ Deus facit poſſibilia, eadem operando, denotatur, nihil eſſe poſſibile homini, quod non faciat Deus poſſibile, illud operando in eodem homine, atque adeo non eſſe poſſibilem homini bonam operationem, quam non faciat Deus poſſibilem, eam operando in illo vi gratiæ efficacis. Et ratio eſt, quia juxta conſuetum morem loquendi hujuſmodi locutio habet vim conditionalis, & fit ſenſus, Omnia eſſe poſſibilia illi, cui Deus poſſibilia facit, in hypotheſi tamen, quod ea in illo Deus operetur, videlicet ſua gratia efficaci: ad eum modum quo propoſitio iſta: Omnia ſunt phyſice poſſibilia creaturæ, quæ Deus facit illi phyſice poſſibilia, exhibendo illi ſuum concurſum, facit ſenſum hypotheticum, hoc eſt, dummodo Deus exhibeat illi ſuum concurſum, ut proinde hoc circumſcripto, nihil ſit poſſibile creaturæ; Sicut etiam ſi dicatur, conſici Sacramentum a Miniſtro, qui ponit materiam, & formam, intendendo facere, quod Chriſtus inſtituit, fit ſenſus conditionalis, quod ſcilicet ſi deſit talis intentio, Sacramentum non conficiatur. Quare pariter in hac confixa theſi fit ſenſus hypotheticus, quod ſcilicet non ſint nobis poſſibilia, niſi quæ Deus facit poſſibilia vi ſuæ gratiæ efficacis, qua Deus eadem in nobis operetur.

Hoc autem uſque adeo abhorret a Catholica veritate, ut certum omnino ſit, eſſe poſſibilem peccantibus bonam operationem, quamvis Deus non faciat illam poſſibilem, operando eandem in illis, eo quod ſolum illis conferat gratiam ſufficientem, non vero efficacem: Quod ſi conferret efficacem, non operaretur Deus bonam operationem in illis ſine concurſu, & determinatione voluntatis, atque adeo cum eorum voluntate Deus cooperaretur. Præcipuum tamen intentum hujus theſis (ut etiam præcedentis) eſt de medio tollere gratiam ſufficientem, qua ſublata, nemo poſſet rationabiliter timere a Divinis exprobrationibus; Quomodo enim exprobrari poſſet ingratitudo, & culpa iis, qui peccant ob defectum auxilii ad declinandas culpas, & ad bene operandum requiſiti?

II. Quare iterum ad conterendam hanc Hydram inſurgo; & quamvis innumera tela ſubminiſtrentur a Scripturis, Conciliis, Patribus, ac Theologis oſtendentibus paſſim neceſſitatem gratiæ ſufficientis in iis, qui peccant, ut poſſit illis peccatum imputari, eo duntaxat hic utor, quod deſervit ad enervandum præcipuum Adverſariorum argumentum, quod Catholicis objectant, ductum ex obduratione, & obcæcatione Judæorum, quibus videtur defuiſſe gratia ſufficiens, & poteſtas antecedens neceſſaria ad converſionem; quod multis Janſeniani conantur oſtendere, ut dicemus in theſi ſexta, & ſeptima. Interim ſic arguo.

Ob-

Obduratis, & obcæcatis datur auxilium sufficiens ad conversionem, ita ut possibilis fit horum conversio, quin fiat a Deo possibilis per hoc, quod illam in iisdem operetur: ergo in natura lapsa denegari non potest auxilium sufficiens, quod simul non sit efficax. Revincitur antecedens ex adhortationibus, reprehensionibus, comminationibus, quæ passim in Sacris literis fiunt obduratis, ut convertantur; quæ supponunt potestatem antecedentem, & sufficientem ad avertendum se a peccatis, & ad convertendum se ad Deum; nisi velimus dicere eas esse delusorias, & fatuas. Ezechiel. 33. *Convertimini a viis vestris pessimis*. Prov. 29. *Qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus*. Eccl. 3. *Cor durum habebit male in novissimo*. Sed expressius id sub oculos ponitur ab Apostolo ad Roman. 2. ubi obduratis objicit contemptum donorum, & divitiarum gratiæ sibi a Deo concessæ, dicens: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis ejus contemnis? Ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram*. Quod autem Apostolus nomine divitiarum bonitatis Dei intelligat abundantiam, nedum sufficientiam gratuitam, constat ex Epist. ad Ephes. 1. ubi dicitur: *In quo habemus remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis*; & cap. 2. *Ut ostenderet abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate*. Et sane nisi Deus obduratis abundantiam, & non solam sufficientiam gratiarum concederet, non posset Apostolus illis bonitarem, & longanimitatem, & divitem Dei misericordiam improperare; & immerito iis diceret, quod thesaurizent sibi iram Dei ob contemptum longanimitatis & bonitatis divinæ, si iis etiam sufficientia, nedum excessus gratiæ ad pœnitentiam requisitæ deesset. Hinc Augustinus in Psal. 102. exponendo verba illa, *Longanimis, & multum misericors*, & conferendo illa cum hoc Apostoli textu dicit: *Quid tam longanime? quid tam multum in misericordia? Peccatur, & vivitur: accedunt peccata, augetur vita. Blasphematur quotidie, & solem suum oriri facit super bonos, & malos: vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ; vocat impertiendo tempus vivendi; vocat per lectorem; vocat per intimam cogitationem; vocat per flagellum correctionis; vocat per misericordiam consolationis, longanimis, & multæ misericordiæ. Sed observa, ne longitudine misericordiæ Dei abutendo tu tibi thesaurizes, ut ait Apostolus, iram in die iræ*. Ecce superabundantiam gratiarum, quas Deus largitur obduratis; qui tamen divitias istas divinæ bonitatis, patientiæ, & longanimitatis contemnentes, nec reformidantes thesaurum iræ, quam Apostolus comminatur, pœnitentiam negligunt: Itaque gratiarum abundantia a Deo replentur, quas tamen propria culpa reddunt inefficaces.

III. Confirmatur, quia ex Sacris etiam Literis constat, in libera obduratorum potestate positum esse, ne obdurentur; ut proinde dici non possit, quod careant gratia hujusmodi potestatem conferente, quæ dicitur auxilium sufficiens. Psal. 94. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*: 1. Paralip. 30. *Nolite indurare cervices vestras, sicut Patres vestri: tradite manus Domino*: Et Deut. 10. *Ne obduretis amplius*. Et Basilius in Psal. 94. laudatum insinuat, quod intendimus, dicendo: *Ostendit mentis liberum arbitrium: non enim dixit, ne obdurescite, sed, nolite obdurare corda vestra; edocens, ipsos esse Architectos hujus duri cordis*.

Pluribus etiam Scripturæ locis ostenditur, & providentia divina erga obduratos non destituens illos auxiliis suis, ut ad cor redeant; & simul potestas eorum libera ad pœnitendum. Jerem. 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te*. Similiter ut obdurationem exprobret, addit: *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*. Et ut suam providentiam ostendat, & ejus libertatem, allicit illam Deus suo invitatu dicens: *Ergo saltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es*. Cum enim obduratis fit quidem potentia physica, ut vi gratiæ sufficientis emolliantur; adsit tamen etiam impossibilitas moralis; idcirco hortatur Deus, ut precibus a se Patre clementissimo obtineant auxilium uberrimum, quo impossibilitas illa moralis expugnetur, & citra difficultatem durities cordis emolliatur.

Confirmatur ulterius, quia ipse Christus D. Jo. 4. ostendens non defuisse Judæis obduratis lumen sufficiens ad credendum, dixit: *Si essetis cæci, non haberetis peccatum: nunc autem dicitis, quia vidimus, peccatum ergo vestrum manet*. Ecce quomodo ex ipsius Christi testimonio peccatum non contrahitur ab eo, qui caret sufficientia ad non peccandum; atque adeo peccantibus datur semper gratia sufficiens, cui si consentirent, non peccarent; & si non consentiant, non possunt nisi propriæ voluntati culpam ascribere, non vero defectui sufficientiæ, aut cæcitati, aut ignorantiæ invincibili. Quod etiam Christus D. innuit Jo. 15. dicens: *Si non veniissem, & locutus non fuis-*

fuiſſem, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Et Patres paſſim idem docent: Auguſt. lib. de 1 vdeſt. & Grat. cap. 14. *Geme*, inquit, *quicunque induratus es;* & quod non poſſint cauſati defectum ſufficientiæ, ſubdit: *Nec ii, qui indurati, atque damnati ſunt, excuſationem culpæ ex hoc habere credant, quod nullam, qua converterentur, ſint miſericordiam aſſecuti.* Pariter D. Proſper lib. 2. de vocat. Gentium cap. 13. cum expreſſiſſet beneficia omnibus communia divinæ miſericordiæ, ait: *Quæ beneficia licet obduratis nihil remedii, & emendationis attulerint, probant tamen averſionem eorum non divinæ fuiſſe conſtitutionis, ſed propriæ voluntatis.* Chryſoſt. etiam loquens de Pharaone Rom. 6. c. 17. aſcribit ejus obſtinationem propriæ voluntati, non defectui auxilii. Quoties enim Deus illum monuit? quoties minatus eſt? quoties flagellavit? quot miracula patravit ad emolliendum cor illius? *Neque enim*, inquit Sanctus Doctor, *Deus quicquam non fecit, quod ad illius correctionem conferret; neque ipſe Pharao quicquam omiſit, quod ad ſuam perditionem faceret.* Profecto ſi nihil Deus omiſit, quod conferret ad correctionem Pharaonis obdurati, negari non poterit, quod habuerit iſte auxilium ſufficiens, ut corrigeretur; propterea unica ſuæ perditionis cauſa fuit propria voluntas; & ideo rite concludit Chryſoſtomus: *Quod autem ſalvatus non eſt, totum per ſuam voluntatem ſtetit.* Hinc Exodi 10. exprobravit Dominus Pharaonis pervicaciam dicens illi: *Uſquequo non vis ſubjici mihi?* quibus verbis dilucide denotatur, quod quamvis cor ejus eſſet obduratum, adhuc in manu ſuæ voluntatis erat ſe ſubjicere Deo, ac ejus imperata facere. Auguſtinus pariter in Pſ. 102. dixit: *Deus ſanat omnem quemcunque languidum, ſed non ſanat invitum. Quid autem te beatius, quam ut tanquam in manu tua ſic habeas in voluntate ſanitatem tuam?* Quod vero etiam de obduratis ibi loquatur, qui peccato aliquo implicatos ſe eſſe ſentiunt, aperte colligitur ex iis verbis, quæ ſubduntur: *Ergo hoc tibi dicitur omnis homo, ſi te ægrotantem labor ipſe convincit.*

IV. Opponunt Janſeniani primo, quod obdurati conſentire non poſſint, ergo deficit illis auxilium ſufficiens. Antecedens videtur conſtare ex verbis Jo. 12. ubi de Judæis obduratis dicitur: *Non poterant credere:* Et ſimiliter Jo. 8. dicitur: *Quare loquelam meam non cognoſcitis? quia non poteſtis audire ſermonem meum:* Et ibidem: *Quo ego vado, vos non poteſtis venire.*

Reſpondeo tamen in his textibus exprimi impotentiam moralem, & conſequentem, non vero impotentiam phyſicam, & antecedentem: quod enim eſt moraliter impoſſibile, ita ut non poſſit poni citra magnam difficultatem, dici ſolet abſolute impoſſibile; ut docet D. Thom. 3. p. q. 86. ar. 1. ad 2., & quod eſt impoſſibile conſequenter, ſeu ex ſuppoſitione, quod voluntas ſit libere ad unam partem determinata, dici pariter ſolet abſolute impoſſibile; & in utroque hoc ſenſu Judæi non poterant credere; tum ſcilicet quia ob duritiem cordis non ſine magna difficultate poterant ſe determinare ad credendum, unde moralem impotentiam patiebantur; tum etiam quia determinati jam & fixi ad non credendum, in ſenſu compoſito hujus determinationis fieri non poterat, quod crederent; quæ eſt ſolum impotentia conſequens compoſſibilis cum libertate ad utramque partem contradictionis, non vero antecedens everſiva libertatis indifferentiæ. Joan. 12. dicitur: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, Excæcavi oculos eorum, & induravi cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos.* Quæ verba ſic exponit Sanctus Auguſtinus: *Quare credere non poterant, ſi a me quæris, cito reſpondeo, quia nolebant: non poterant credere, non quia homines mutari in melius non poſſunt; ſed quandiu talia ſapiunt, non poſſunt credere. Hinc obdurantur, hinc obcæcantur, quia negando divinum adjutorium, non adjuvantur.* Ubi adverte, Auguſtinum duntaxat velle, quod non adjuventur a Deo auxilio efficaci, non vero auxilio ſufficienti; aliter non dixiſſet, quod *poſſent in melius mutari*, & credere, ſi lucem, quam præ oculis habebant, volebant admittere; ſed quia renuebant, erant cæci, non quidem cæcitate impoſſibilitatis, ſed voluntatis. Idem Auguſtinus tr. 47. in Jo. ad verba illa laudata capitis 8. *Non poteſtis audire ſermonem meum*, addit; *Ideo non poterant, quia corrigi credendo nolebant.* Denique locum laudatum Jo. 8. *Quo ego vado, vos non poteſtis venire*, ſic exponit Cyrillus lib. 5. in Jo. cap. 12. *Cum igitur me nunc ſequi renuitis ad virtutis laborem, non poteritis me etiam ſequi ad præmium; non ob negatam bene agendi facultatem, ſed ob propriam animi veſtri malignitatem, viam ſalutis amplecti recuſantem:* Ubi expreſſe notatur, quod non ſit iis denegata bene agendi facultas, ſeu gratia ſufficiens; ut proinde impotentia non ſit antecedens, ſed conſequens, non phyſica, ſed moralis. Paſſim enim ipſa repugnantia voluntatis ad aliquid agendum vocari ſolet impotentia, quod advertit Nazianzenus orat. 36. dicens:

tens: *Quarta significatione hoc fieri non posse dicitur, a quo nostra voluntas abhorret: cujusmodi est illud: Non poterat illic signa facere propter incredulitatem eorum: & illud: Non potest mundus non odisse vos: &, Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Quo enim pacto aliquid horum impossibile est, nisi quod voluntas repugnet?*

V. Opponunt secundo, quod si obduratio, & obcæcatio fit ob culpam antecedentem, est immediate homini involuntaria; ergo saltem in tali casu deest obduratis gratia sufficiens ad bene operandum, quamvis ad pœnitentiam obligentur. Quare potest a Deo præcipi aliquid, quod est impossibile impotentia consequente ad culpam præteritam. Antecedens significatur ab Augustino, qui lib. 1. contra Julianum habet: *Eademque cæcitas si peccati pœna non esset, si de Dei judicio non veniret, non legeremus: Obscurentur oculi eorum, ne videant. Quis porro volens cæcus est corde, cum velit nemo cæcus esse corpore?* Et lib. 2. contra Adverss. leg. cap. 8. docet, illuminationem cæci, ac obcæcationem a divina voluntate pendere, conferendo illuminationem tanquam beneficium, & obcæcationem tanquam supplicium. *Ille*, inquit, *qui secundum Apostolicam sententiam, cujus vult miseretur, & quem vult obdurat, procul dubio quem vult illuminat, & quem vult excæcat.*

Respondeo tam cæcitatem corporis, quam cordis, si importet privationem potestatis antecedentis, & sufficientis ad videndum, a Deo auctore pendere, qui sicut confert, ita aufert videndi potestatem; Et hujusmodi cæcitas mentis est physica, & pura pœna, quam humana natura per peccatum originale contraxisset, nisi ex meritis Christi Redemptoris fuisset reparata. At cæcitas mentis moralis, quæ partim est pœna, partim culpa, importat impotentiam videndi consequentem, & culpabilem, & qua parte est pœna, habet Deum auctorem, qua parte est culpa, pendet unice a libero arbitrio; & ideo Basilius in Psal. 49. hujus excæcationis vocat hominem *Architectum*, & Cyrillus *Auctorem præcipuum*. Ea enim partim complectitur subtractionem auxiliorum intensorum, & efficacium, & hæc sæpe est pœna peccati, & immediate a Deo est; partim complectitur aversionem voluntatis a divina illuminatione sufficienti, quæ per talem aversionem redditur inefficax, & in hoc est culpabilis, & soli arbitrio imputabilis. Quod docuit Augustinus lib. 5. contra Julianum dicens: *Cæcitas cordis, quam solum removet illuminator Deus & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, quo cor superbum digna animadversione punitur.* Dum S. Doctor dicit, quod solus Deus illuminator removeat hanc cæcitatem, ostendit, quod a solo Deo expectari debeant illustrationes intensæ, & efficaces, quibus illa removeatur; dum vero docet esse peccatum, ostendit eam non excludere sufficientiam gratiæ illustrantis, vi cujus possit obcæcatus illustrationi consentire; aliter non consentiendo non peccaret; demum dicendo, quod sit pœna peccati, ostendit defectum illustrationis intensæ, & efficacis consequi ad culpas præteritas in pœnam; quamvis enim non semper sit pœna defectus illustrationis efficacis, sed sæpe oriatur a divina voluntate, quæ rationem suæ Providentiæ non tenetur omnibus gratias duntaxat efficaces conferre; at defectus illustrationis intensæ, & quæ aliquando requiritur ad superandam citra difficultatem, & sine morali impossibilitate vim concupiscentiæ, semper est pœna peccati præteriti, cum nunquam Deus sinat creaturas rationales esse cum impossibilitate morali ad consequendum ultimum finem; nisi ipsę sponte sua in eam se conjiciant, demerendo auxilia uberiora.

VI. Quando autem dicitur Rom. 9. quod Deus *cujus vult miseretur, & quem vult indurat:* sicut etiam quando dicitur Isaiæ 6. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum;* non est sermo de obduratione, & cæcitate physica, quæ pendet a solo Deo, sed de morali, quę involvit subtractionem auxiliorum efficacium, ac etiam intensorum in pœnam culparum præteritarum, & simul liberam aversionem voluntatis ab illustratione sufficienti ad bene operandum. Esto sæpe Deus alicujus misereatur, & alium induret, aut æqualibus meritis, ac demeritis præcedentibus in utroque, aut nullis precedentibus meritis in eo, cujus miseretur, & nonnullis precedentibus demeritis in eo, quem indurat, ut docuit August. lib. de bono persever. cap. 11. dicens: *Investigabilis ergo est misericordia, qua cujus vult miseretur, nullis ejus precedentibus meritis, & investigabilis veritas, qua quem vult obdurat, ejus quidem præcedentibus meritis, sed cum eo, cujus miseretur, plerumque communibus.*

VII. Opponunt ultimo speciosam auctoritatem Augustini dicentis de correct. & Grat. cap. 11. *Si hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine di-*

divino adjutorio poſſet manere, ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſet. Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent. Nunc autem, quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum. Quibus verbis innuitur, quod in ſtatu naturæ integræ Angelo, & homini datum fuerit Adjutorium ſine quo non, ſeu auxilium ſufficiens, quippe ſi defuiſſet, ſine illo manere non poſſent; In natura vero lapſa deeſt aliquibus in pœnam peccati, & quibus datur, non datur ut debitum, ſed gratis, & ex meritis Chriſti D. Quare videtur aperte colligi, quod auxilium ſufficiens deſit peccantibus in pœnam originalis, & obſtinatis in pœnam culparum præteritarum.

Reſpondeo Auguſtinum ibi loqui de adjutorio requiſito, non ad quamcunque bonam operationem, ſed ad perſeverandum, quod quidem debuit in ſtatu innocentię Angelis, & Protoparentibus innocentibus dari; ita tamen ut de facili poſſent bene operari, & in gratia perſeverare; ſi enim Deus innocenti conferret auxilium adeo remiſſum, ut citra magnam difficultatem non poſſet bene operari, tunc impoſſibilitas iſta moralis ad perſeverandum tribueretur Deo; quatenus denegaret vires moraliter ſufficientes ad ponendam perſeverantiam: Sicut ſi quis pauperi indigenti cibo, ne pereat, offerat cibum, quem non poteſt accipere ſine magna difficultate, diceretur illum occidere; non ſecus ac ſi cibum omnino denegaret, juxta illud; *Non pavi ſti, occidiſti*: ſecus vero ſi offerat cibum facile parabilem, ſed ille ſua culpa ponat ſe in eo ſtatu, in quo impoſſibile moraliter eſt, ut eo poſſit veſci. Quare in natura lapſa, in qua per peccatum originale concupiſcentia eſt effrenis, homo ſua culpa patitur impotentiam moralem ad bene operandum, & ad perſeverandum cum auxiliis ordinariis gratię; & ideo naturę lapſæ non debetur auxilium ſufficiens, quo de facili poſſit perſeverare, ſicut debebatur Angelis, & homini in ſtatu innocentię: Solum itaque aliquibus hoc datur ex Divina miſericordia, & ob merita Redemptoris: omnibus tamen datur ſive proxime, ſive remote phyſica ſufficientia ad non peccandum: alioquin Deo culpa tribueretur, non vero peccantibus.

Hinc Auguſtinus loco laudato dixit; *Adam non habuit Dei gratiam: Imo vero habuit magnam, ſed diſparem:* diſparitatem autem inter gratiam collatam Adamo in ſtatu naturę innocentis, & illam, quę confertur in ſtatu naturę lapſę in eo repoſuit, quod gratia Adamica de ſe ſatis erat, ut poſſet homo non ſolum phyſice, ſed etiam moraliter, ſeu citra magnam difficultatem bene operari, ac perſeverantiam obtinere: Gratia vero Chriſtiana, quę ſcilicet ex meritis Chriſti D. nobis confertur, debet eſſe uberior, ac intenſior, ut poſſit adverſus concupiſcentiam rebellem conferre poteſtatem moralem ad honeſte operandum, ac perſeverandum. Propterea ſubdit. *Ille non opus habebat adjutorio illo, quod implorant iſti, cum dicunt: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meę, & captivantem me in lege peccati; quoniam in eis caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, & in tali certamine laborantes, & periclitantes dari ſibi pugnandi, vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcunt. Ille vero nulla tali rixa a ſeipſo adverſus ſeipſum tentatus, atque turbatus in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur. Proinde etſi non interim lætiore nunc, verumtamen potentiore gratia indigent iſti.*

Reſponderi ſecundo poteſt, Auguſtinum loqui de auxilio proxime ſufficienti ad ſimpliciter bene operandum collato Angelis, & Protoparentibus: illud quippe conſonum erat naturę rationali in ſtatu innocentię, ſuppoſita elevatione ad beatitudinem ſupernaturalem, ut proxime ea ſperari poſſet, ac obtineri: Hoc enim circumſcripto, illi manere non potuiſſent. At in ſtatu naturę lapſę hujuſmodi auxilium proxime ſufficiens nonnullis deeſt in pœnam peccati ſive originalis, ſive actualis: nemini tamen denegatur auxilium ſaltem remote ſufficiens ad perſeverandum (ut oſtendemus in theſi trigeſima) nempe auxilium requiſitum ad orandum, & petendam gratiam requiſitam, ut de facili poſſimus bene operari, ac perſeverare: Aliter quomodo homines obligari poſſent ad bene operandum, ſi auxilio tum proxime, tum remote ſufficienti ad id requiſito deſtituerentur?

VIII. Utrum autem Deus aliquibus poſt certum numerum peccatorum deneget omnino auxilia ſufficientia ad reſurgendum, ita ut iſtorum obduratio ſit ſolum phyſica, & pura pœna peccati, non vero moralis, & imputabilis; ad eum modum, quo finit Deus, ut aliquis poſt peccatum ſenſibus, & uſu rationis deſtituatur, aut incidat in amentiam, ita ut non poſſit amplius reſipiſcere; diſputat Suar. diſp. 8. de Pœnit. ſect. 2., & Amicus diſp. 18. de Grat. ſect. 4. Profecto magis conſonum Divinę pietati, ac rationi vi-

de-

detur, quod nulli unquam Deus poſt quemcunque peccatorum numerum deneget auxilia ſufficientia ad reſurgendum: dicitur enim ad Tit. 2. *Qui dedit ſemetipſum pro omnibus, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* Propterea præceptum pœnitendi, ac ſperandi nunquam ceſſat; ceſſaret autem, quoties deeſſent auxilia ſufficientia ad pœnitendum, ac ſperandum.

IX. Ex quibus habes, non ſolum obduratis, ſed etiam juſtis, qui laborant aliquando impotentia aliqua ad legem ſervandam, duplex genus auxiliorum a Deo conferri; Aliquando enim confert Deus gratiam agendi, ſeu auxilia, quibus proxime poſſint legem implere; Aliquando vero ſolum confert Gratiam orandi, ſeu auxilia, quibus poſſint orare, ac obtinere Gratiam agendi: Quod expreſſit Auguſt. lib. de Grat. & Lib. Arb. dicens: *Homo, qui voluerit, & non potuerit, nondum ſe plene velle cognoſcat, oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata.* Propterea ſi deeſt aliquando potentia immediata ſervandi præcepta, nunquam tamen deeſt potentia mediata, quatenus nunquam deeſt potentia ad orandum, & ad impetrandum auxilium neceſſarium ad ea quæ jubentur implenda. Semper itaque, juxta mentem Auguſtini, cum mandato annectitur vel potentia agendi, vel ſaltem potentia orandi, ne mandatum ſit tyrannicum, ac Deo indignum. Cum autem etiam obduratis reſipiſcentia præcipiatur; idcirco etiam obduratis tempore opportuno confertur ſaltem auxilium ad orandum, & ad petendam a Deo gratiam, qua poſſint etiam de facili reſipiſcere: Quod denotant verba illa Auguſtini tract. 26. in Joan. *Si non traheris, ora ut traharis*; Trahitur enim homo non ſolum per gratiam efficacem, ſed etiam per gratiam ſufficientem, qua allicitur ad veniendum, ut dicemus in theſi 17., & luculentius idem expreſſit S. Doctor lib. 3. Oper. imperf. dicens: *Hæc imperat Deus, quæ fieri poſſunt, ſed ipſe dedit, ut faciant, eis qui facere poſſunt, & faciunt; & eos, qui non poſſunt, imperando admonet, a ſe poſcere, ut poſſint.*

cet, peccatori tunc eſſe poſſibilem v. g. contritionem, quando illam Deus ſua gratia efficaci in eodem operatur; ex quo fit, peccatorem renuentem ponere contritionem præceptam non peccare, eo quod tunc ea eſſet illi impoſſibilis: quinimo Deus inſipienter operaretur præcipiendo illi contritionem, quam ponere non poteſt. Auguſtinus lib. de nat. & grat. c. 47. hac in re ita loquitur: *Aut ego non intelligo quid dicam, aut ipſe. Quomodo enim in poteſtate noſtra eſt videndi poſſibilitas, ſi in poteſtate noſtra non eſt videndi neceſſitas?* Neque verum eſt, hanc theſim ſolum aſſerere, quod poſſibilia ſint, quæ Deus poſſibilia facit, eadem operando ſua gratia efficaci, quin etiam aſſerat, quod non ſint poſſibilia ea, quæ Deus efficaciter non operatur; unde bene cohæreret, quod poſſit peccatori præcipi ſapientiſſime contritio, quæ poſſit ab illo poni, quin tamen ponatur ob defectum gratiæ efficacis. Nam dum theſis dicit, ea omnia eſſe poſſibilia, quæ Deus facit poſſibilia, eadem operando ſua gratia efficaci, aperte dicit, quod independenter a gratia efficaci ea non ſint poſſibilia; Non enim diceret, quod Deus faciat ea poſſibilia per gratiam efficacem, ſi hac circumſcripta adhuc eſſent poſſibilia; (aliter verbis luderet, dicendo eſſe poſſibilia, quæ Deus facit poſſibilia) ergo aperte theſis iſta docet, peccatori, cui contritio præcipitur, eſſe impoſſibilem contritionem præceptam, ſi Deus eam non reddat poſſibilem, per hoc quod illam operetur vi ſuæ gratiæ efficacis. Recurrit itaque, quod peccator omittens contritionem præceptam non peccet, & quod inſipienter Deus illam præcipiat, quoties eandem non operatur efficaciter. Quo quid abſurdius? Perſpicuum itaque eſt, theſim hanc non diſcrepare a prima ex Janſenianis proſcriptis theſibus, in qua impie aſſeritur, Aliqua Dei præcepta eſſe impoſſibilia, ac deeſſe nobis gratiam, qua poſſibilia fiant; quod aperte repugnat Tridentino ſeſſ. 6. cap. 11. ubi habet: *Nemo temeraria illa, & a Patribus ſub anathemate prohibita voce uti debet; Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia; nam Deus impoſſibilia non jubet*, &c.

ANACEPHALEOSIS

Adverſus Theſim IV.

QUarta aſſerens, illi poſſibilia eſſe omnia, cui Deus ea facit poſſibilia, eadem operando in illo, in eodem luto, ac fæce volutatur, ac præcedens. Siquidem do-

PROPOSITIO V.

Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ interiores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum. *Queſnellus Rom. 9. 18. in edit. 1693.*

SYNOPSIS.

I. Adhortationes, & ſana conſilia dicuntur obeſſe potius, quam prodeſſe, ſi deſit gratia interior, qua cor emolliatur. II. Deſcendit hic error ex erroribus Calvini, Baji, Janſenii, docentium, voluntatem gratiis iſtis exterioribus poſſe duntaxat reſiſtere in natura lapſa, ſecus vero gratiæ interiori, ob inſuperabilem hujus delectationem. III. Sicut Janſeniani juxtæ theſim ſextam ab Alexandro VIII. proſcriptam docebant, Gratiam interiorem ſufficientem eſſe pernicioſam; ita nunc Queſnellus docet de gratiis exterioribus ab interiori gratia ſejunctis.

IV. Verum ſicut gratia ſufficiens interior eſt ingens beneficium, eſto duplex ſit beneficium, ſi ea non reſpuatur, ſed a voluntate reddatur efficax; ita gratiæ exteriores ſunt Dei beneficium; duplex tamen eſt beneficium, ſi eis annectatur gratia interior efficax, quæ cor durum emolliat.

V. Ex hoc quod Deus prævideat nos gratiis, quas confert, eſſe abuſuros, non fit, quominus eas conferat animo ſincero, ut proſint, unde ſit erga nos benevolus ſimul, & beneficus. Medicus tenetur denegare pharmacum quantumvis pretioſum, ſi prævideat illud ex culpa ægroti nociturum: At Deus ex munere Primæ Cauſæ non tenetur denegare gratias, quibus homo non eſt bene uſurus. VI. Revera nemo gratia utitur ad peccandum, ſed ſolum anſam ab illa arripit ad novam culpam patrandam. VII. Sicut Euchariſtiæ inſtitutio eſt ingens beneficium, quod confertur etiam peccatori, qui illam ſacrilege ſumit; ita gratia ſufficiens. VIII. Quod a Janſenianis dicendum in ſtatu naturæ integræ. IX. In præſenti providentia gratiæ exteriores ab interioribus non ſolent ſejungi; unde ſi gratiæ exteriores ſejunctæ ab interiori gratia efficaci eſſent pernicioſæ, idem dicendum eſſet de gratia interiori ſufficienti. X. Obdurationis cauſa non eſt Deus nolens gratiam conferre, ſed voluntas nolens illam recipere. XI. Explicatur illud Apoſtoli: Litera occidit; ſpiritus autem vivificat.

I. EO verba theſis collineant, ut retrahant nos a concionibus, exhortationibus, & ſanis conſiliis audiendis, quæ dicuntur cadere in perniciem, ſi Deus ſua gratia interiori efficaciter non adigat nos ad bene operandum; cum enim in natura lapſa nulla detur juxta Auctoris ſententiam gratia interior pure ſufficiens (quam in tertia theſi dixit eſſe ſupervacaneam,) & gratia efficax medicinalis detur ſolum Electis, pro quibus duntaxat Chriſtus oravit, & ſanguinem fudit pretioſiſſimum; & in ſyllabum Electorum aſcribat Deus homines pro arbitratu ſuo, juxta illud Roman. 9. *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat;* idcirco fucoſis verbis, (quibus videtur velle, quod petamus a Deo cor carneum, & ut auferat cor lapideum, juxta locutionem Ezechielis cap. 36.) in hac theſi inſinuat Queſnellus, etiam exhortationes, ſana conſilia, Divini Verbi prædicationem, aliaſque exteriores gratias, quibus ad bene operandum inducimur, eſſe ſupervacaneas, immo etiam pernicioſas: etenim ſi nomina noſtra ſcripta ſunt in libro Vitæ, gratiæ interiores emollientes cor infallibiliter nobis a Deo conferentur, circumſcriptis iſtis concionibus, & conſiliis, quoniam Deus, quos vult ſalvare per Chriſtum ſalvat infallibiliter, ut dicitur in trigeſima theſi; qui vero in reproborum numero recenſentur, in libro mortis aſcripti, non ſolum exhortationibus, & gratiis exterioribus non adjuvantur, ſed ingens etiam ex iis detrimentum reportant; ſolum quippe deſerviunt, ut homines obdurentur magis, & novum culpæ reatum contrahant, dum citra profectum conciones audiunt, & pia monita in vacuum recipiunt.

II. Error hic originem ducit ſuam ab erroribus tum Pelagii apud Suar. l. 4. de Gratia cap. 3. tum Janſenii, qui duplicem agnovit gratiam in natura lapſa, & per Chriſtum reparata, alteram exteriorem, ſeu prædicationis, alteram interiorem, ſeu illuminationis, aſſerendo, quod poſſit homo gratiæ duntaxat externæ prædicationis reſiſtere, non vero ſuggeſtioni internæ Spiritus Sancti, eo quod nulla detur gratia interior in natura lapſa niſi efficax, & neceſſitans, juxta errores Calvini, ac Baji, in quorum ſchola virus hoc hauſit ore pleniſſimo, & innumeris ad necem propinavit: Duplicem pariter idem agnovit in natura lapſa delectationem victricem, alteram mundanam ortam ex concupiſcentia, quæ ineluctabiliter culpam trahit; alteram cœleſtem propriam gratiæ medicinalis, quæ ineluctabiliter trahit bonam operationem, excluſa in utroque actu

actu bono, & malo libertate indifferentiæ, ſeu a neceſſitate, putans ad meritum, & demeritum ſufficere in natura lapſa ſolam libertatem a coactione, ut habet in ſua tertia theſi ab Innoc. X., & Alex. VII. profligata. Hinc arbitratur, quod delectatio orta a concupiſcentia, & cupiditate ſemper vincat delectationem, quę reperiri poteſt in actu honeſto, niſi huic delectatio gratiæ invincibilis annectatur, & ideo ſemper actum ortum a cupiditate triumphante eſſe peccaminoſum; Si tamen unctio gratię interioris ægritudinem naturę corruptę ſanet, & delectatio orta a gratia interiori ſuperet delectationem ortam a concupiſcentia, actus bonus erit dignus tanta gratia, & idcirco erit actus perfectę charitatis, ac meritorius vitæ æternę. Delectatio autem, quæ ſit orta a gratia mere ſufficienti, & quę vincatur a delectatione terrena concupiſcentiæ, rejicitur a Janſenio tanquam indigna ſuo auctore Chriſto Redemptore; (ut diximus in theſibus ſuperioribus) injuria enim irrogaretur ſuis meritis, ſi adeo imbecillem gratiam nobis obtinuiſſet, quæ ſuperari poſſet a concupiſcentia. Hinc lib. 3. de Grat. Salvatoris cap. 31. dixit; *Veram Chriſti Gratiam ſemper agere, & peragere effectum ſuum, & quæ hæc non facit, ab Auguſtino relegari ad legem, & doctrinam;* hoc eſt ad gratiam exteriorem, cui duntaxat poteſt voluntas contraniti.

III. Hiſce Janſenii errantibus veſtigiis inhæret Auctor in hac Theſi, dum docet gratias exteriores legis, & doctrinæ, exhortationum, & conſiliorum non ſolum eſſe ſupervacaneas, ſicut eſſet gratia interior mere ſufficiens; ſed etiam deſervire ad cor magis obdurandum, & ad graviorem condemnationem, niſi gratia interior unctione Spiritus Sancti illud emolliat; atque adeo tanquam pernicioſas eſſe fugiendas. Quod etiam Janſeniani docuerunt de gratia interiori, quæ ſolum vires haberet ſufficientes ad obtinendum a voluntate libera conſenſum, non tamen obtineret, ut dicitur in ſexta theſi ab Alex. VIII. confixa, quæ habet: *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quam pernicioſa eſt, ſic ut proinde merito poſſimus petere, A gratia ſufficienti libera nos Domine.*

IV. Verum ex iiſdem capitibus, ex quibus ad evidentiam oſtenditur, gratiam interiorem ſufficientem non modo non eſſe inutilem, ac pernicioſam, quin potius eſſe ingens beneficium, quod Deus in manu noſtra reponit, ac nos poſſe de facili cum illa æternam vitam conſequi, quamvis id non contingat ex noſtra ſocordia, evincitur pariter, gratias exteriores, miracula, exempla, conciones, conſilia non ſolum non eſſe ſupervacanea, ac pernicioſa, deſerviendo ſolum ad obdurandum, quando ab eorum ductu retrahimur a cupiditate prædominante; quin potius eſſe multiplex, ac ingens Dei beneficium, quo avertimur a lapſu in gehennam, & in Infernum culpæ ipſo Inferno inferiorem; quamvis œſtro concupiſcentiæ perculſi inſtar aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, non deſiſtamus ab incepto itinere, quod ducit ad perditionem, & monita reſpuamus. Utraque gratia tam interior, quam exterior ex intentione Dei illam benigniſſime concedentis natura ſua deſervit ad illuminandum cor, & ad excitandum illud, ut ad patriam pergat per bonas operationes, & a culpa retrahatur: Quod ſi voluntas annuat, duplex a Deo recipit beneficium, & quod poſſit bene operari, & quod bene operetur, cum hęc ipſa noſtra bona operatio principalius ſit Dei intendentis illam affectu ſpeciali, dum ſeligit auxilium efficax, ut illa ponatur; Sin voluntas renuat, tunc caret quidem ſua culpa beneficio bonæ operationis, non caret tamen beneficio a Deo accepto, quod poſſit arbitratu ſuo ponere operationem ſalutarem meritoriam vitæ ęternæ: Ad eum modum quo ſi conferatur Petro gladius, ut poſſit ſe a Leone ingruente tueri, & ille ſibi mortem eo gladio conſciſcat, gratias debet donanti gladium, mortem vero debet ſibi, juxta illud Oſeæ 13. *Perditio tua Iſrael; tantummodo in me auxilium tuum.*

V. Opponitur primo, non eſſe beneficium, ſed maleficium collationem boni nocituri; ut ſi Medicus det ægroto potionem valde pretioſam, qua mors acceleretur; Deus autem prævidet gratias iſtas ſive interiores, ſive exteriores eſſe nocituras, ſi in vacuum recipiantur; nec alius ex earum collatione fructus reportatur, quam nova culpa, & major obduratio; ergo non merentur nomen gratiarum. Qua de cauſa Janſenius cenſet gratiam interiorem mere ſufficientem nullatenus conferri a Deo intendente bonum creaturę: A gratiis vero exterioribus Auctor hujus Theſis cenſet abſtinendum, quoties cor non emollitur gratia efficaci; non ſecus ac abſtinendum ab ipſis Sacramentis, ſi ea non digne, ſed ſacrilege ſumantur. Quamvis enim inſtitutio Sacramentorum de ſe ſit ingens beneficium hominibus a Chriſto collatum, ut per ea tanquam per inſtrumenta ſuæ paſſionis nobis gratia, & gratiæ augmentum conferatur; nihilominus

nus quando ſuſceptioni Sacramenti ſacrilegium annectitur, quamvis ob culpam ipſiuſmet ſuſcipientis, proculdubio retrahendus hic eſt a tali ſacrilega ſuſceptione. Quid præſtantius *Euchariſtia*, quæ juxta celebre purum anagramma ſonat, *Vis Theriaca*? Venenum tamen eſt indigne ſuſcipienti. Unde Eccleſia canit: *Mors eſt malis, vita bonis*. Et in naturalibus bene cecinit Vates Sulmontinus: *Igne quid utilius? Si quis tamen urere tecta comparat, audaces inſtruit ille manus*.

Confirmatur, quia Pharaoni tot exhortationes, minæ, miracula ſolum deſerviebant ad magis illum obdurandum, & fuerunt illi in perniciem. Pariter Apoſtolatus ceſſit Judę in majorem condemnationem, ut proinde de illo dixerit Dominus: *Bonum erat illi, ſi natus non fuiſſet homo ille*: quare licet gratię exteriores de ſe ſint dona Dei: at ſi nullus ex iis fructus referatur, ut de facto accidit, quando deeſt unctio gratię interioris emollientis cor, deſerviunt ad obdurandum, & ad perditionem.

Reſpondeo, inconcuſſum eſſe, quod gratiæ tam interiores, quam exteriores conferantur nobis a Deo animo ſincero, ut proſint nobis, & quod ſi culpa noſtra iis abutamur, non ſit culpandus Deus, ſed noſtrum liberum arbitrium, quod vertit antidotum in venenum. Ex hoc autem, quod Deus prævideat peccatores gratiis ſuis eſſe abuſuros, non fit inde, quod ſit minus, quinimmo aliquatenus magis eſt beneficus erga illos, quam eſſet, ſi independenter ab ea præſcientia iiſdem gratias elargiretur: Sicut enim eſt magis beneficus, cæteris paribus, dum dona ſua confert inimicis, a quorum malitia animus retrahitur, quam dum confert amicis, erga quos eſt propenſus: ita magis eſt aliquo pacto beneficus, dum iis confert beneficia, quos prævidet fore inimicos, & ipſiſſimis ſuis donis pugnaturos adverſus Benefactorem, quam ſi ingratitudinem iſtam non prędivideret, *vincente præſcientiam bonitate*, ut loquitur Chryſoſtomus. Quamvis non idem accidat in Medico largiente potionem pretioſam abuſuro: tenetur quippe Medicus impedire damnum proximi: non tenetur tamen Deus impedire culpas, & perditionem creaturarum ex munere primę cauſę, ut alias diximus, eo quod non poſſet aliter condere creaturam liberam, & erga illam oſtendere ſua attributa.

VI. Hinc fit primo, gratias a Deo collatas deſervire ſecundum ſe in bonum noſtrum: & ad iſtud obtinendum conferri, quamvis voluntas non ſolum nolit iis uti in bonum, ſed potius contemnendo Benefactorem anſam inde arripiat, ut novam ingratitudinis culpam patret, & ſic magis obduretur. Ubi advertendum, neminem poſſe gratiis ipſis re vera uti ad peccandum; ad eum ſcilicet modum, quo poteſt quis igne v. gr. uti ad combuſtionem culpabiliter damnificativam; ſiquidem gratia ſolum influit in operationes ſalutares, non in peccaminoſas, ignis vero tam ad utilem, quam ad culpabiliter noxiam combuſtionem exerit vires ſuas.

VII. Fit ſecundo, Sacramentorum inſtitutionem etiam relate ad ea indigne ſuſcipientes eſſe beneficam, & iis conferri, ut inde tanquam e fontibus Salvatoris aquam cum gaudio hauriant, nempe gratiam Sacramentalem; ac præſertim Euchariſtiæ inſtitutionem, in qua, ut habet Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. *Salvator noſter divitias divini ſui erga nos amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum*. Quod autem ſacrilege ab aliquibus ſumatur, non fit quominus etiam relate ad illos Chriſtus D. fuerit mirum in modum beneficus, quatenus, ut habetur Eccleſ. 29. *Hoſpitabitur, & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet*.

VIII. Fit tertio, hoc idem a Janſenianis dicendum in ſtatu naturę integræ, in quo non negant Angelis, & protoparentibus peccantibus datum fuiſſe a Deo Adjutorium ſine quo non, ſeu gratiam interiorem ſufficientem: Immo nec defuit dæmonibus gratia exterior; nempe exemplum Angelorum, & Archangeli Michaelis adhortatio. Sicut autem gratiæ iſtę non dicuntur in eo ſtatu deſerviſſe ſolum ad obdurandum, ſed deſerviſſe ex intentione largientis ad inducendos actus ſalutares, quamvis ex illorum culpa fruſtrata fuerit intentio largitoris, ita in ſtatu naturæ lapſæ.

IX. Ubi adverte, gratias exteriores in ſtatu elevationis naturæ ad finem ſupernaturalem viſionis Dei, ex lege præſentis providentiæ, ſaltem ut plurimum, non ſejungi a gratiis interioribus; quoties enim datur opportunitas eliciendi actum naturalem honeſtum, regulariter præſto eſt gratia interior ſupernaturalis, cum qua voluntas eliciat actum ſupernaturalem, ſi ad honeſte operandum ſe determinet; atque adeo ſi verum eſſet, quod gratię externę ſolum deſervirent ad magis obdurandum, quoties non datur gratia efficax, idem dicendum eſſet de gratia ſufficienti interna, & ideo ambę deberent dici perniciosę: quod quantum a veritate abhorreat, nemo eſt, quin videat.

X. Ad confirmationem recurrit eadem reſpon-

ſponſio. Cor Pharaonis ſua culpa obduratum eſt, & in eo duntaxat ſenſu obdurari potuit a Deo, in quo conſonum eſt Divinæ Bonitati, & Juſtitiæ aliquando corda hominum obdurare, & excæcare, prout explicavimus in theſi ſuperiore; Sic etiam cor Judæ ſua culpa obduratum eſt, nec poteſt negari beneficium præſtantiſſimum fuiſſe illi collatum per vocationem ad Apoſtolatum, & per tot ſigna divini amoris; præſertim quando Chriſtus Dominus ſacram illi Synaxim porrexit, quamvis prævideret, quod indigne eam eſſet ſumpturus, ita ut poſt buccellam ingreſſurus in eum eſſet Satanas, ut dicitur Jo. 13. Si ſolum hæc omnia deſerviſſent ad magis obdurandum, non præſtitiſſet ea Chriſtus in ſignum amoris, & benevolentiæ: ſed contuliſſet in pœnam, & odium, quod nemo dixerit. In eo tantum ſenſu bonum fuiſſet Judæ, ſi natus non fuiſſet, in quantum præſtat non eſſe, quam eſſe cum ingentibus Dei donis, & ſimul cum culpa: Si Deus creaſſet Judam, & innumeris gratiis cumulaſſet intendendo pariter ejus culpam, profecto non eſſet beneficus, ſed maleficus erga illum, & hujuſmodi intentio obſtreperet divinæ bonitati. At conferendo illi ingentia dona, non ut obduretur, ſed ut unam occupet ex duodecim Apoſtolorum ſedibus in Patria, fuit illi valde munificus, & Judas Deo valde ingratus obdurationem reportans ex culpa arbitrii, non ex donis Dei, juxta doctrinam Angelici in 1. diſtinct. 40. quæſt. 4. art. 2. ubi loquens de cauſa obdurationis habet: *Dicunt Sancti communiter, Dionyſius, Auguſtinus, Anſelmus, quod cauſa, quare iſte non habet gratiam, eſt, quia noluit accipere, non quia Deus noluit dare: quia lumen ſuum omnibus offert, quod tamen non ab omnibus recipitur.* Quare cor non obduratur adhortationibus, & aliis exterioribus gratiis per hoc, quod Deus illud non emolliat unctione ſuæ interioris gratiæ, ſed per hoc, quod liberum arbitrium renuat gratiæ cooperari; ut proinde obduratio huic duntaxat imputabilis ſit, nullatenus Deo. Propterea Chriſtus D. Matth. 11. improperavit Judæis eorum duritiem, quod prædicationi ab ipſomet factæ, & tot ſignis munitæ cor ſuum obduraverint, dicens: *Viri Ninivitæ ſurgent in Judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ; & ecce pluſquam Jonas hic. Regina Auſtri ſurget in Judicio cum generatione iſta, & condemnabit eam, quia venit a finibus terræ audire ſapientiam Salomonis; & ecce pluſquam Salomon hic.*

XI. Opponitur deinde auctoritas Apoſtoli, & Auguſtini dicentium obeſſe potius, quam prodeſſe gratias exteriores doctrinæ, & exhortationum, ſi deſit gratia interior, qua doctrinam excipiamus, & legi obtemperemus. Etenim 2. Corinth. 3. dicitur: *Litera occidit, ſpiritus autem vivificat*: nomine literæ hic intelligitur ex Auguſtino lex, & doctrina; quæ ſunt gratiæ exteriores, ſed obdurationem, & mortem afferunt ſine gratia efficaci vivificante. Et S. Doctor de ſpir. & lit. cap. 4. hæc habet: *Doctrina quippe illa, qua mandatum accipimus continenter, rectèque vivendi, litera eſt occidens, niſi adſit ſpiritus vivificans*, atque adeo obeſt potius, quam proſit: quod docuit idem S. Doctor epiſt. 107. dicens: *Agnoſcamus gratiam, quæ facit prodeſſe doctrinam; quæ gratia ſi deſit, videmus obeſſe doctrinam.*

Reſpondeo Auguſtinum in hiſce laudatis locis velle revincere Pelagianos contendentes, nullum aliud adjutorium proviſum eſſe a Deo ad opera ſalutaria, quam legem, & doctrinam externam; ex quo deliramento, ſi verum haberet, rite inferretur, quod doctrina, & lex obeſſent potius, quam prodeſſent; ad quod probandum adducitur textus laudatus Apoſtoli dicentis: *Litera occidit, ſpiritus autem vivificat*. Si enim ſolum daretur lex, & doctrina exterior obligans nos ad operationes ſalutares meritorias vitæ æternæ, & deeſſet nobis gratia ſupernaturalis, qua poſſemus adjuvari ad illas ponendas, profecto talis lex, & doctrina obeſſet, & occideret: quandoquidem redderet nos inevitabiliter reos gehennæ; eo quod nullatenus eam legem ſine adjutorio gratiæ implere poſſimus. Quod ſi doctrinæ exteriori, ſeu literæ annectatur gratia interior ſufficiens ad ponendas operationes ſalutares præceptas, tunc a tali ſpiritu vivificamur, non per hoc quod neceſſario eas ponamus, ſed per hoc quod reddamur potentes ad eas libere ponendas. Quare auctoritas Apoſtoli, & Auguſtini intorquetur contra Adverſarios contendentes nullam dari gratiam ſufficientem interiorem, & gratias exteriores obeſſe nobis, ſi deſit gratia efficax interior. Etenim ſi litera occideret, hoc eſt ſi lex, & gratiæ exteriores denudatæ a gratia interiori ſufficienti, qua vires dentur ad legem implendam, redderent nos gehennæ reos, & occiderent, (ut docet Auguſtinus adverſus errores Pelagii) ſequitur, quod nunquam detur nobis gratia exterior ſine interiori dante nobis ſufficientiam ad operationes ſalutares præceptas. Quod autem gratia iſthæc interior mere ſufficiens exteriori ſuperaddita non ſit nobis perniciosa, etiam-

ſi non ſit efficax, ſed potius ſit ingens Dei beneficium, quamvis non adeo præſtans, ſicut eſſet gratia efficax, abunde conſtat ex iis, quæ diximus adverſus ſextam Theſim ab Alexandro VIII. confixam, in qua id aſſerebatur:

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim V.

QUinta docens exhortationes, & gratias exteriores ſejunctas ab interiori gratia efficaci, qua de facto cor emolliatur, deſervire ſolum ad obdurandum, atque adeo eſſe perniciosas, non videtur eſſe abſimilis Theſi illi Janſenianorum (quæ ſexta eſt inter proſcriptas ab Alexandro VIII.) in qua dicitur Gratia ſufficiens eſſe pernicioſa, adeo ut poſſit quilibet petere, A gratia ſufficienti libera nos Domine. At ſicut ingens beneficium eſt gratia ſufficiens, qua vires dantur homini ad ſalutariter operandum, quamvis ipſe ex ſua ſocordia iis culpabiliter non utatur; ita pariter exhortationes, & aliæ exteriores gratiæ, quibus homo exterius excitatur ad bene operandum, ſunt pariter Dei beneficium, præſertim quia cum illis regulariter conjungitur etiam internum Dei auxilium; ideoque non deſerviunt ullatenus ad obdurandum, ſed per ſe ordinantur ad emolliendum cor peccatoris, quamvis hic illis contranitatur, ac ſua culpa obduretur, ut proinde deſit gratia interior efficax, qua cor actu emolliatur. Ea quippe gratia efficax non deeſt, ex eo quia Deus velit illam denegare, ita ut Deo aſcribi poſſit cordis obduratio, ſed ea potius deeſt, quia voluntas humana interiori gratiæ, ac vocationi, qua ſimul cum exhortationibus, proborum exemplis, flagellis a Deo inflictis, aliiſque externis gratiis excitatur ad reſipiſcendum, ac ſalutariter operandum, obſiſtit culpabiliter, ac reluctatur: Ad eum modum, quo ingens Dei beneficium eſt, quod nobis naturæ Auctor confert, dum ſimul dat potentiam viſivam, & lumen, quod exterius objecta illuminet, quamvis homo oculos claudat, & nihil aſpiciat; & nemo dixerit, quod potentia viſiva, ac lumen exterius conferantur huic ad obcæcationem, ſed conferuntur, ut ad arbitrium iis poſſit uti ad videndum: Quod ſi actu non videat claudendo palpebras, per ſummam injuriam aſcriberetur id Auctori naturæ in hoc valde benefico, per hoc præciſe quod conferat potentiam proximam ad videndum, quamvis non conferat ipſam viſionem, non quia non vult ad illam concurrere, ſed quia homo libere renuit potentiam illam proximam in actum ſecundum reducere. Propterea Angelicus diſt. 40. qu. 4. art. 2. loquens de cauſa obdurationis habet: *Dicunt Sancti communiter, Dionyſius, Auguſtinus, Anſelmus, quod cauſa, cur iſte non habeat gratiam, eſt, quia noluit accipere, non quia Deus noluit dare.* Hinc illud Oſeæ 13. *Perditio tua Iſrael, in me tantummodo auxilium tuum.*

PROPOSITIO VI.

Diſcrimen inter Fœdus Judaicum, & Chriſtianum eſt, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia: in iſto vero Deus peccatori dat quod jubet, illum ſua gratia purificando. *Queſnel. Rom.* 11. 27. *in edition.* 1693. & 1699.

SYNOPSIS.

I. Erroneum eſt, quod in hac theſi ſupponitur, (videlicet defuiſſe Judæis gratiam ſufficientem ad legem implendam) Erroneum pariter, quod in ea aſſeritur, nempe Fidelibus nonniſi gratiam efficacem conferri; eaque non adjuvari peccatores, ſed ſolum purificari.

II. Quid abſurdius, quam quod Deus reliquerit Judæos cum impotentia ſua ad ſervandam legem, quam implere tenebantur? III. Etiam relate ad Judæos militant argumenta omnia, quæ Catholici coacervant ad oſtendendam gratiæ ſufficientis neceſſitatem.

IV. Sine deliramento fingi nequit, quod Deus clementiſſimus obliget ſub reatu pœnæ æternæ ad impoſſibile. V. Commentitium eſt, quod Judæos ſolum ad felicitatem temporalem, & non etiam ad æternam Deus ordinarit. VI. Non deerat Judæis gratia ſufficiens ad legem implendam, quamvis non pauci ad legis obſervantiam ducerentur timore ſervili, & cum affectu ad culpam: Fidelibus tamen, qui non ducuntur ſpiritu ſervitutis, ſed ſpiritu filiorum Dei, uberior gratia confertur, qua legem implere poſſint. VII. Judæi ſolum ignorabant myſteria novi teſtamenti, non vero auxilia ſupernaturalia, quibus indigebant, & quamvis ea ignoraſſent, non inde fieret, quod iis caruiſſent. VIII. Status

tus veteris Teſtamenti præfigurabat ſolum myſteria Chriſtianorum propria, non vero auxilia ſupernaturalia utrique ſtatui communia. IX. Diſcrimen inter Judæos, & Gentiles in eo duntaxat erat, quod illi verum Deum colerent; iſti vero Idola, & Dæmones; Utriſque tamen gratia ſufficiens ad ſalutem conferebatur.

X. Fucoſa hujuſce theſis verba tricipitem anguem occultant.

I. ENormiter claudicat utroque pede Theſis iſthæc (ſicut etiam duæ aliæ, quæ proxime ſequuntur) tum in eo quod falſo ſupponit, videlicet in veteri lege Judæis defuiſſe gratiam ſufficientem; tum in eo, quod deinde deducit, ac aſſerit, videlicet Chriſtifidelibus non aliam conferri gratiam per Chriſtum, præter efficacem, qua Deus peccatori dat, quod jubet; & quidem non adjuvando, ut Catholici docent, ſed purificando illum gratia ſua, prout Auctor exprimit in vigeſima, & tribus aliis theſibus proxime ſequentibus.

II. Quod attinet ad primum, quid abſurdius dici, aut fingi poterit, quam quod Deus ſumme clemens, & erga Judæos valde propenſus reliquerit populum illum in ſua impotentia ad peccati fugam, & ad legis implementum? quid iniquius contra Dei tum bonitatem, tum etiam juſtitiam excogitari poteſt? Quid vero accommodatius ad horrorem incutiendum erga Queſnellianam doctrinam, (cui tamen non pauci tanquam piæ, & immerito confixæ, non verentur aſtipulari) quam aſſerere, quod Judæi ex vi ſui ſtatus a lege obligarentur, & tamen viribus eſſent univerſim deſtituti ad legem implendam? quod ſane tam aperte diſſonat naturali rationi, necnon innumeris tum Scripturæ teſtimoniis, tum Conciliorum, ac præſertim Tridentini definitionibus. Si Queſnelliana hæc theſis cum prima ex quinque confixis Janſenii theſibus conferatur, ea profecto longe deterior, quam iſthæc: Janſenius enim ibi loquitur indefinite de impotentia ad aliqua ſolum præcepta ſervanda; Queſnellus vero generalem impotentiam ſtatuit relate ad Judæos, ex vi ſtatus illius ſub veteri fœdere, ſeu teſtamento, atque adeo impotentiam tum reſpectu omnium præceptorum, tum etiam reſpectu omnium populi illius, ſive juſti eſſent, ſive peccatores. Præterea Janſenius cum ea impotentia pro ſtatu præſenti annectit potentiam quandam remotam ſervandi præcepta, nempe ſub conditione, quod daretur gratia, quæ per ipſum frequentiſſime, immo ſatis communiter ſolum juſtis confertur in præſenti ſtatu: At in ſtatu veteris fœderis hujuſmodi remota, & conditionata potentia non habebatur, (eo quod ſtatus ille communiter eſſet ſtatus ſervitutis) nec etiam reſpectu juſtorum, hoc eſt illorum, qui juſtificati fuiſſent ex fide parentum, aut per circumciſionem. Ex quo fit, quod omnes Judæi, paucis exceptis, qui ad novum teſtamentum pertinebant, fuiſſent maſſa jam tunc vere damnata, & populus non Electus, ſed Reprobus. Quod tamen apertiſſime Scripturis omnibus adverſatur, in quibus Deus tam honorifice, tamque amanter loquitur de populo illo, quem vocat filium ſuum, & quidem primogenitum. Falſo pariter in Scriptura diceretur populus ille ſæpe generaliter ad Deum toto corde converſus fuiſſe: Ac demum irrita, ac inania fuiſſent ſuffragia a Juda Machabæo indicta pro ſalute defunctorum in prælio; quæ tamen in Scriptura commendantur 2. Machab. 12. ubi dicitur: *Sancta ergo, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.*

III. Sed audiamus Janſenianos ſic paralogizantes, ut evincant, Judæis pariter, & Chriſtifidelibus deeſſe gratiam ſufficientem ad legem ſervandam. Si Judæis, inquiunt, nulla data fuit gratia interior, neque ſufficiens, neque efficax, ſed ſola gratia exterior legis, & doctrinæ, quam implere non poterant ex defectu gratiæ auxiliantis, eodem prorſus pacto dici poteſt, quod Chriſtifidelibus in Lege Euangelica detur quidem propter Chriſti merita gratia medicinalis efficax, deſit tamen iiſdem peccantibus gratia interior mere ſufficiens: Sicut enim Judæi poterant Judaica lege ligari, quamvis deeſſet illis gratia conferens poteſtatem ad illam ſervandam: ita Chriſtifideles poſſunt Chriſti D. præceptis obligari, etiam quando carent gratia per Chriſtum efficaci, quamvis, cum denudentur etiam alia ſufficienti gratia interiori, deſit illis poteſtas ad obtemperandum.

Et ſane: Si Deus poſt peccatum Adæ aliquibus daturus fuiſſet interiorem gratiam ſufficientem ad legem implendam ante adventum Chriſti Salvatoris, maxime contuliſſet illam Judæis; tum quia præ omnibus aliis nationibus fuerunt a Deo dilecti; tum etiam quia relate ad illos adamuſſim conveniunt argumenta omnia, quæ a Catholicis Doctoribus congeruntur ad oſtendendam neceſſitatem gratiæ ſufficientis ad obediendum, & non peccandum in iis, qui non implent præcepta, & peccant. Quod vero Judæis legem non implentibus, & peccanti-

bus defuerit gratia interior requiſita, ut poſſent imperata facere, Janſeniani variis ex rationibus, & S. Auguſtini textibus conantur evincere. In hac theſi exponimus, & evacuamus eorum ratiocinationes; in ſequenti vero ſermo erit de mente S. Doctoris.

IV. Arguunt primo; Synagoga Judæorum erat Congregatio hominum terrenis duntaxat bonis inhiantium, & ad terrenam duntaxat felicitatem aſpirantium, & Deum colentium ſolum ad obtinendum temporales proſperitates; Qua de cauſa a Deo ſolum bona temporalia iis promittebantur: Et qui inter illos probi exiſtimabantur, ſervabant quidem Decalogi, & Legis præcepta, non tamen amore aut Dei, aut cœleſtium bonorum, ſed ſolum amore, ac timore temporali, & carnali, quia ſolum hæc bona appetebant, & ſolum mala his contraria formidabant: Gratia autem interior ſupernaturalis, & cœleſtis datur a Deo in ordine ad amorem cœleſtium, & æternorum; Ergo cum Judæi horum eſſent incapaces, fruſtranea fuiſſet in illis gratia interior ſufficiens, atque adeo illa carebant: nec efficaci ulla gratia donabantur, utpote danda per Redemptorem in Chriſtiano fœdere; quamvis eam Deus ex ſua benignitate contulerit nonnullis Sanctis valde dilectis, præſertim Chriſti Progenitoribus.

Confirmatur, quia paſſim in Scripturis Judæi vocantur Servi, hoc eſt ducti timore ſervili, & metu pœnæ ad Deum colendum; Chriſtifideles vero vocantur Dei filii, & Amici, qui amore perfectæ charitatis ducuntur ad Deum diligendum, ejuſque legem ſervandam. Ad Rom. 8. ſic alloquitur Apoſtolus ſuos Chriſtifideles: *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum filiorum Dei, in quo clamamus, Abba, Pater.* Joan. 15. pariter Chriſtus Dominus comparans ſuos diſcipulos cum Judæis dixit: *Jam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit, quid faciat Dominus ejus, vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Ad Galat. 4. *Itaque jam non eſt ſervus, ſed filius*; & Joan. 1. ubi eſt ſermo de gratia per Chriſtum danda, dicitur: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*: Quare Judæi tanquam ſervi carebant regulariter (nonnullis exceptis) gratia quacunque ſupernaturali, qua ad cœleſtia anhelarent, & vere obligabantur præceptis naturalibus, (præſertim diligendi Deum ex toto corde) quæ ſine gratia ſervari non poterant. Propterea eo pacto, quo potuit Deus obligare Judæos ad impoſſibilia, quatenus potuiſſent ea præcepta ſervare, ſi non peccaſſent in Adamo; ita poteſt obligare Chriſtifideles ad impoſſibilia, videlicet ad ſervanda præcepta ſine gratia interiori ad eorum obſervantiam neceſſaria; quia pariter potuiſſent ea ſervare, ſi in Adamo non peccaviſſent.

Arguunt ſecundo, quia Judæis in eo ſtatu erat omnino ignota, & occulta gratia interior: nulla quippe de ea in Scripturis fit mentio. Quis autem dixerit, quod ſi eadem gratia interiori inſtruerentur a Deo, tam Judæi tunc, quam nunc Chriſtifideles, non fuiſſent facti de illa certiores, ut agnoſcerent propriam indigentiam, & Deum Auctorem omnium gratiarum quotidie exorarent ad concedendas cœleſtes potius gratias, quam temporales?

Arguunt tertio, quia totus ſtatus veteris Teſtamenti fuit figurativus, & prænunciativus gratiæ per Chriſtum futuræ in novo Teſtamento: ergo in ea veteri lege non dabatur gratia, quæ nunc datur in lege nova; aliter non differrent figura, & figuratum, umbra, & lux. Quibus adde, quod in eo duntaxat Judæi diſcrepabant, & præſtabant Gentilibus, ut advertit Auguſt. in Pſal. 72. quod illi bona temporalia ſolum a Deo vero peterent, & expectarent; iſti vero a Dæmonibus, & ab Idolis. Quare ſi Gentiles carebant gratia ſufficienti, pariter & Judæi.

Reſpondeo, deliramenta iſthæc non eſſe perceptibilia, quod ſcilicet Deus obligarit Judæos ad legem ſervandam, ac præſertim præceptum diligendi Deum ſuper omnia, itidem quod ſine gratia ſufficienti id præſtare non poſſent, & tamen iis gratiam ſufficientem denegarit. Quid abſurdius dici, aut excogitari poteſt? Poteritne in Deo clementiſſimo hæc voluntas reperiri obligandi homines ad impoſſibilia, ac puniendi illos pœna æterna, ſi non obtemperent, quam in iniquiſſimo tyranno non reperias? Dicendum propterea cum communi Catholicorum, quod tam Judæi, quam etiam Gentiles nunquam fuerint ſine gratia ſufficienti, quando ſine illa præceptum aliquod ſive naturale, ſive poſitivum ſervari non poterat; & ſi illa tunc caruiſſent, peccatum non eſſet illis imputabile, nec propter hujuſmodi tranſgreſſionem contrahere poterant reatum odii Divini, ac ullius pœnæ, nedum æternæ; Quod enim ſola libertas in cauſa, nempe in peccato Adæ, non ſufficiat ad hoc, ut nunc culpa, & demeritum contrahatur ſine libertate formali, quæ ſit etiam liber-

tas

tas indifferentiæ, & non libertas ſolum a coactione, conſtat ex iis, quæ diximus in loco adverſus primam ex theſibus ab Alexandro VIII. confixas, in qua id aſſerebatur: Auguſtinus autem uſque adeo ab errore hujus theſis abhorruit, ut lib. 3. ad Bonifac. cap. 3. refellens calumniam ſibi a Pelagianis impoſitam, quod docuerit negatam fuiſſe a Deo Judæis gratiam ſufficientem, exclamarit: *Quis Catholicus dicat, quod nos dicere jactitant, Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in veteri teſtamento non fuiſſe?* Immo quod non pauci in eo fœdere fuerint juſti, & uſque ad mortem perſeveraverint, conſtat ex eo, quod Joa. Apocal. 7. viderit ex qualibet tribu filiorum Iſrael duodecim millia ſignatorum, qui ad cœleſtem Hieruſalem pervenerunt, & poſtea viderit *Turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus Gentibus, & tribubus, & populis, & linguis ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Cum autem dicantur palmis ornati, denotatur non fuiſſe turbam illam ex ſolis infantibus ab originali mundatis, quibus gloria datur ſolum ut hæreditas, ſed etiam ex adultis, quibus gloria datur ut corona.

V. Ad primam rationem in contrarium adductam dico, quod ſi Deus *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ut dicitur Jo. 1. (quod communius intelligunt de illuſtratione ſuperna) *Nec eſt, qui ſe abſcondat a calore ejus*, ut habetur Pſalm. 18. adeo ut Paganis ipſis non deſit gratia ſufficiens, qua ad finem venire poſſint, (ut dicemus in Theſi 26. & conſtat ex Theſi quinta ab Alexandro VIII. proſcripta) a fortiori non defuit Judæorum Synagogæ a Deo olim prædilectæ, cui ingentia contulit beneficia, & innumeris miraculis, ac propheticis vocibus igniculos ſemper injecit ad diligendum ſuum dilectorem, ad cultum Religioſum, ad juſtitiam, gratitudinem, miſericordiam, & cujuſvis alterius virtutis exercitium, ac præſertim ad veram peccatorum pœnitentiam; his quippe admonitionibus eloquia prophetica, & veteris Teſtamenti ſcripta affluebant. Cum autem tunc temporis, ſicuti nunc, natura elevata eſſet ad finem ſupernaturalem, oportebat, ut auxilia gratiæ interioris annecterentur tot gratiis exterioribus. Quare horridum eſt auribus Catholicorum, quod Janſeniani aſſeverant, videlicet Deum Judæis non providiſſe, quo æternam ſalutem conſequi poſſent, ſed ſolam terrenam felicitatem; quando terrenam felicitatem, quam creaturis rationalibus Deus confert, ſemper ordinat ad cœleſtem, propter quam eas condidit. Verum quidem eſt, quod paſſim Deus bona temporalia Judæis promitteret, ac comminationibus pœnarum temporalium eos terreret; ſed quia hominibus illis hæc media videbantur maxime idonea, ut via muniretur ad Dei amorem, & ad omnem actum virtutis ſupernaturalis: Etenim ipſe amor Dei mercenarius, & timor Dei ſervilis poteſt eſſe ſalutaris, & elicitus ab auxiliis gratiæ (ut dicemus in Theſi ſexageſima, & conſtat ex theſibus decimatertia, & decimaquarta proſcriptis ab Alexandro VIII.) hi autem actus ſolent eſſe prævii, ac diſponere ad Dei amorem, & ad juſtificationem peccatoris. Verum tamen eſt, quod plerique ex Judæis nec Deum ex toto corde diligerent, nec veras virtutes excolerent ex amore cœleſtium bonorum; at non proinde verum eſt, quod ad id carerent phyſica ſufficientia, & auxilio gratiæ; alioquin obligari non poſſent ad acquirendum finem ultimum ſupernaturalem, ad quem erant a Deo elevati, & ordinati. Solum plerumque carebant potentia morali ad tales operationes ponendas, ut diximus de peccatoribus obſtinatis in 4. theſi, & dicendum etiam de Gentilibus, qui omnes indigent ſpeciali auxilio valde intenſo gratiæ, quod paucis ex divina miſericordia confertur, ad expugnandam impoſſibilitatem moralem, quam paſſim experiuntur, qui a pueritia incipiunt deſerere ductum rationis, & a ſemita virtutis exorbitare.

VI. Ad confirmationem. In tantum dicuntur Judæi habuiſſe ſpiritum ſervitutis, & nos habere ſpiritum filiorum Dei, quia Judæi paſſim ad colendum Deum ducebantur ex amore mercenario, & timore ſervili in quantum ſervili, qui non poteſt eſſe ſupernaturalis, cum ſit vitioſus, (videlicet ob ſolam ſpem bonorum temporalium, & timorem pœnarum cum affectu ad culpam, ſi talis ſpes, aut timor ceſſarent) & ratio quare hoc ſervili ſpiritu ducebantur, eſt, quia raro admodum conferebatur iis gratia ſupernaturalis valde intenſa, ut poſſent expugnare moralem neceſſitatem ad peccandum, ortam a concupiſcentia per peccatum originale rebelli rationi, & ob propria uniuſcujuſque vitia. At in lege Evangelica per merita Chriſti D. paſſim nobis hæc gratia confertur, qua facile Deum diligamus, ac veram juſtitiam ſectemur, & ideo dicimur ab Apoſtolo habuiſſe ſpiritum filiorum Dei; & Chriſtus D. apud Joannem loco laudato dixit, nos non eſſe jam ſervos, ſed amicos.

VII.

VII. Ad ſecundam rationem in contrarium : Judæis erant ſolum ignota myſteria novi Teſtamenti, nempe Sacrificium Euchariſticum, Sacramenta, & abundantia gratiæ ab his conferenda, non tamen erat ignota gratia ſufficiens ad obtemperandum Divinis mandatis, neque quod ea eſſet Dei donum, quod enixe deprecandum eſſet: dicitur enim Sapient. 8. *Et ſcivi, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det; & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum: adii Dominum, & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis.* Adde quod quamvis gratiæ ſufficientis neceſſitatem ignorarent, non proinde poterant ea carere in hypotheſi, quod obligarentur ad eas operationes ponendas, quæ ſine gratia poni non poſſunt: poteſt ſiquidem talis gratia ignorari ſimul, & poſſideri: ſicut omnes tenemur elicere actus fidei ſupernaturalis, ad quos eliciendos indigemus auxiliis ſupernaturalibus, quæ profecto nobis non deſunt, quamvis ſub experientiam non cadant.

VIII. Ad tertiam : Status veteris Teſtamenti non fuit præfigurativus gratiæ ſive habitualis, ſive actualis dandæ in ſtatu Teſtamenti novi, eo quod utraque iſthæc gratia in utroque ſtatu conferretur a Deo, quamvis non eodem modo ; datur quippe nobis abundanter, juxta illud Chriſti Dom. Joann. 10. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Quare ſolum in veteri lege præfigurabantur beneficia Chriſtianorum propria, videlicet Sacrificium, & Sacramenta novæ legis, & alia id genus.

IX. Ad id quod additur, non negatur, quod notat Auguſtinus, in eo diſcrepaſſe Judæos a Gentilibus, quod illi verum Deum, iſti vero dæmones, & idola colerent ; negatur duntaxat, quod aut Judæis, aut Infidelibus defuerit gratia ſufficiens ad ponendas operationes ſalutares, ad quas tenebantur. Et ſane paſſim Judæi ad Idola culpabiliter convertebantur, paſſim pœnitentia ducti revertebantur ad cultum veri Numinis : Ergo non defuit illis tum gratia ſufficiens, ne ad Idola converterentur, tum gratia efficax, qua ad Deum revertebantur.

X. Ad authoritatem Auguſtini, qua Janſeniani nituntur pro hac hæreſi tuenda, fiet ſatis in theſi ſequenti. Interim recolo non bicipitem duntaxat, ſed tricipitem etiam anguem ſub hac theſi occultari. Ea enim errat primo, & a ſenſu Catholicorum recedit, dum docet, in Judaico fœdere Deum exegiſſe peccati fugam, & obſervantiam legis, relinquendo homines in ſua impotentia ad id præſtandum, & gratia ſufficienti deſtitutos ; quod primo aſpectu eroneum eſſe, nemo eſt quin videat. Errat præterea dum docet, in Chriſtiano fœdere dare Deum peccatori univerſim id, quod jubet: etenim, ut dicemus in theſi undecima, non ſemper Deus dat, nec ſemper facit id, quod jubet ; nam quando peccatores tranſgrediuntur mandata, Deus tunc jubet obſervantiam, & tunc illam non dat, neque facit ; cum non conferat tunc gratiam efficacem, qua datur, & fit a Deo ex libera determinatione, & cum libera cooperatione noſtræ voluntatis id, quod præcipitur. Ut Deus poſſit creaturæ liberæ jubere, non requiritur, quod det id, quod jubet, ſed ſufficit, quod det creaturæ poteſtatem ad imperata facienda ; ad quod non requiritur collatio gratiæ efficacis. Errat denique in eo, quod velit Deum ſua gratia efficaci dare, quod jubet, & ſic purificare peccatorem ex libera duntaxat voluntate Divina, atque adeo citra exercitium liberum libertate indifferentiæ voluntatis creatæ ; quod licet in hac theſi non exprimat Author apertis verbis, apertiſſime tamen explicat in theſi 21., & ſequentibus, ubi indolem ſuæ gratiæ efficacis comminiſcitur ; æquiparando illam operationi Dei Incarnantis, ac Reſuſcitantis Filium ſuum, necnon operationi Omnipotentis, qua creaturas e nihilo extrahit, ac mortuos revocat ad vitam, & ægris corporibus reſtituit ſanitatem.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim VI.

SExta, in qua dicitur Deus in Judaico fœdere exegiſſe fugam peccati, ac legis implementum a peccatoribus, relinquendo illos in ſua impotentia, atque adeo non adjuvando illos ſua gratia, qua potuiſſent, ſi voluiſſent, a culpa averti, ac legem implere : Contra vero in fœdere Chriſtiano Deus ſua gratia efficaci conferre peccatoribus contritionem v. gr. quam præcipit; apertiſſimam præſefert in utroque aſſerto abſurditatem. Tam enim abſonum eſt, quod a peccatoribus tunc exegerit Deus legis obſervantiam, ſi non poterant illam ſervare, quam abſonum eſt, quod nunc præcipiendo contritionem Deus, illam eatenus conferat vi ſuæ gratiæ efficacis, qua peccator purificetur. Hinc enim fieret, quod

quo-

quoties peccator non conteritur, tunc ei contritio non præcipiatur: nam ſi hæc præciperetur, juxta hanc theſim Deus illam conferret. Ex quo etiam ſequeretur, quod in Chriſtiano fœdere poſt primum peccatum non poſſet homo amplius peccare. Etenim vel præciperetur ei aliquid a Deo, (v. gr. quod ponat contritionem, quod identidem eliciat actus Theologales fidei, ſpei, & charitatis, &c.) vel id non præciperetur; ſi nihil de novo illi præciperetur, procul dubio amplius peccare non poſſet; quomodo enim poteſt dari culpa, ubi nullius præcepti datur tranſgreſſio? Quod ſi de novo peccatori poſt primum peccatum præcipiatur ſive contritio, ſive actus Theologalis, ſive aliud, Deus præſto eſt ſua gratia efficaci, qua actu ponatur id, quod præcipitur: unde pariter erit a culpa immunis. Quinimmo ſi Deus in Chriſtiano fœdere dat peccatori id, quod jubet, a fortiori dicendum eſt, quod pariter det, quod jubet Chriſtifideli innocenti, in quo nullus datur obex gratiæ: ac proinde nemo prorſus, ſive peccator, ſive innocens in Chriſtiano fœdere peccare poſſet. Neque in fœdere Judaico peccare peccatores poterant juxta hanc theſim, ſi Deus illos in ſua impotentia relinquebat ad obſervantiam legis; non enim peccat, qui eatenus legem non implet, quia illam implere non poteſt, cum nemo ad impoſſibile obligetur: Propterea omnis culpa in utroque fœdere eſſet impoſſibilis. Quare dicendum, & quod in fœdere Judaico dabatur Judæis gratia ſufficiens ad legis obſervantiam: ut eatenus proſcripta ſit ab Alexandro VIII. quinta illa theſis, in qua dicitur: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a JESU Chriſto influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti*: & rurſus quod in fœdere Chriſtiano peccatori, cui præcipitur v. gr. contritio, detur pariter gratia ſufficiens ad illam ponendam, ita tamen ut poſſit ad arbitrium vel conſentire gratiæ, vel illi diſſentire, (in quo caſu gratia illa eſſet mere ſufficiens) juxta doctrinam Tridentini, quod ſeſſ. 6. cap. 5. declarat, nos libere gratiæ aſſentiri, ita ut tangente Deo cor noſtrum per Spiritus Sancti illuſtrationem, poſſimus inſpirationem, quam recipimus, etiam abjicere.

PROPOSITIO VII.

Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ vero felicitas non eſt, admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis? *Queſnel. Hebr. 8. 7. in edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Idem multiceps anguis ſub hac ſpecioſa theſi, ac in præcedenti, necnon etiam in ſubſequenti, deliteſcit. II. In his contendit Auctor, quod in Chriſtiano fœdere voluntas gratiæ interiori nunquam reſiſtat; nec libere cum illa cooperetur. III. Et quod in veteri lege Deus inſtar tyranni Judæis legis jugum impoſuerit, quod ferre non poterant, negando iis vires ad illud ferendum.

IV. Iiſdem telis confodiendæ theſes iſtæ, quibus tertia Janſenii, ac prima ab Alexandro Octavo proſcripta. V. Janſenius inepte ad ſenſum hujus theſis detorquet doctrinam Auguſtini; Quod antea Calvinus præſtiterat.

VI. Auguſtinus docuit ſolum, quod in lege ſcripta gratia non expugnabat neceſſitatem moralem ad peccandum, ſicut expugnat gratia, quæ confertur in lege Evangelica. VII. Ubi Auguſtinus docuit, quod Judæi præcepta data legis implere non poterant, vocavit impoſſibile (ut paſſim fit) quod ſine magna difficultate fieri non poteſt. VIII. Et ubi docuit, quod Judæis deerat Gratia, ſenſus eſt quod deerat gratia uberrima novi Teſtamenti, non vero gratia ſufficiens. IX. Quid ſonet per Auguſtinum, eſſe Ante Legem, *eſſe* Sub Lege, *& eſſe* Sub Gratia? *X. Quomodo intelligendum illud Auguſtini:* Da Domine, quod jubes: & jube, quod vis? *Et quomodo Regula credendi legem ſtatuat ſupplicandi?*

I. IN eoſdem impingit ſcopulos theſis iſthæc, ac proxime præcedens, & ſubſequens: ſplendidis, ac ornatis verbis videntur eæ ad gratitudinem erga Redemptorem nos excitare, dum deprædicant Chriſtiani fœderis, ac ſtatus felicitatem, in quo Deus ob merita Chriſti Dom. dat, donat, operatur quod jubet, & petit a nobis, idque ſua gratia medicinali, ac ſanativa: Ubi ex oppoſito in Lege Scripta homines in ſua relinquebantur infirmitate, impotentes omni-

omnino ad ferenda onera legis impoſitæ. Verum monſtra, quæ in ſuperiori theſi deteximus, iterum in hac, & in ſequenti erumpunt; Iterumque nos illa aggredimur Theologicis, & Catholicis telis confodienda.

II. Et ſane dum dicitur, quod Deus nobis donet, quod petit a nobis, ſi fiat ſenſus, quod bona operatio, quam Deus præcipit, & petit, nobis donetur ab ipſo Deo, dum ſpeciali affectu confert nobis auxilium prævisum efficax, neglectis inefficacibus, ut proinde ea potius Deo tribuenda ſit, quam nobis cum tali auxilio cooperantibus, nemo eſt, qui in dubium revocet: At ſi fiat ſenſus, qui videtur ab Auctore intentus, ut oſtendimus in theſi antecedenti, quod ſcilicet bona operatio, quam Deus a nobis poſtulat, non ſolum principalius, ſed ſimpliciter, & adæquate uni Deo tribuatur, (non ſecus ac uni Deo tribuitur unio hypoſtatica collata humanitati aſſumptæ, ſiquidem in theſi vigeſima prima gratia dicitur imitari operationem Dei Incarnantis Filium ſuum) quin ad illam voluntas ſuam habeat liberam cooperationem, adeo ut poſſit ad arbitrium gratiæ reſiſtere, ac efficere, quin ponatur bona operatio, quam Deus præcipit, ac poſtulat, etiamſi gratiam conferat ex intentione, ut ea ponatur; procul dubio theſis hæc Catholicæ veritati refragatur.

III. Deinde refragatur pariter Catholicæ veritati, quin etiam primo aſpectu ipſi rationis lumini, quod in ea præjacitur, videlicet in veteri lege, ac Judaico fœdere Deum legem impoſuiſſe hominibus relinquendo illos in propria imbecillitate, & impotentia, deſtitutos gratia ſufficienti ad obtemperandum: perinde quaſi vellet Deus imponere cœco, ut videat, relinquendo illum in ſua cæcitate; aut ſurdo, ut audiat, relinquendo illum in ſurditate ſua; aut ſi compedibus prepedito præcipiat, ut fugiat, nec a vinculis illum expediat.

IV. Hæc aſſertio profecto originem ſuam trahit ab erroribus Baji dicentis in 39. ex ſuis proſcriptis theſibus: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit;* & ab erroribus Janſenii dicentis in ſua tertia ex proſcriptis theſibus, quod ad meritum, & demeritum ſatis ſit libertas a coactione; & ab illo pariter Janſeniano errore, qui habetur in prima ex proſcriptis theſibus ab Alex. VIII. quod ad peccatum formale, & demeritum in natura lapſa ſufficiat libertas in cauſa, ſeu libertas, quam habuimus in Adamo peccante, quando contraximus originale. Hiſce erroribus aſtipulatur hoc aſſumptum, quod Deus imponat hominibus legem, relinquendo illos infirmitati ſuæ, & exigat a peccatore fugam peccati, & implementum legis, relinquendo illum in ſua impotentia, ac denegando illi gratiam ſufficientem ad obtemperandum: peccat ſiquidem in hoc caſu, qui legem non implet, quamvis ex neceſſitate non impleat, ob ſolam libertatem, quam habet a coactione, ſeu ob libertatem indifferentiæ, quam habuit in cauſa, hoc eſt in Adamo peccante. Cum autem abunde dixerimus adverſus hæc deliramenta locis laudatis, & in theſi proxime præcedenti evacuaverimus ratiocinationes, quibus Janſeniani nituntur ad dicendum hoc accidiſſe in Judaico fœdere, ſeu in lege veteri, operæ pretium eſt exponere præcipuos textus D. Auguſtini, quos in confirmationem ſui erroris agglomerat Janſeniana (ſeu potius Calviniana) ſchola ſemper adverſa gratiæ ſufficienti.

V. Hæc enim habet Janſenius lib. 3. de Grat. Chriſti cap. 4. contendens juxta doctrinam Auguſtini, quam ipſe ineptiſſime interpretatur, Judæis (nedum infidelibus) denegatam eſſe gratiam ſufficientem ad implendam legem, eo quod talis gratia cum illius legis ſcopo pugnabat; hæc, inquam, habet: *Auguſtinus legem, & præcepta idcirco ſuperbis hominibus data eſſe, & plerumque dari docet, ut agnoſcant ſe ad legem implendam non ſufficere, ſed multitudine prævaricationum confuſi, ac territi, ipſaque confuſione, ac timore humiliati, diſcant ad gratiam, quam non habent, implorandam fugere*; & cap. 5. ſubdit: *Non ſolum non dabatur illis gratia ſufficiens implendi, quod jubebatur, multo minus gratia ſufficiens ad ſalutem; ſed e contrario talis gratia latione legis, ac ſcopo Dei capitaliter repugnabat*: Idcirco autem dicit Janſenius, quod gratia ſufficiens repugnabat ſcopo illius legis, quia ad eum finem putat legem illam eſſe latam, ut agnoſcendo ſuam imbecillitatem excitarentur ad implorandam gratiam efficacem, ac medicinalem dandam per Salvatorem; ſic interpretando dictum illud Auguſtini de Spirit. & lit. cap. 9. *Lex data eſt, ut gratia quæreretur, gratia data eſt, ut lex impleatur.*

Hæc autem ipſiſſima Janſenii doctrina tradita olim fuerat in Schola Calviniana. Siquidem Calvinus peſtifer Præceptor lib. 2. Inſtit. cap. 5. pariter docet, ſcopum Moſaicæ legis eſſe, ut *homines ſuæ impotentiæ admoniti ad gratiam confugiant. Quo pertinent iſtæ ſolemnes Auguſtini ſententiæ: Jubet Deus, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus, &c.*

VI.

VI. Arguunt itaque Janſeniani primo ex textu laudato Auguſtini: Lex Judæis data eſt, ut quærerent gratiam dandam per Chriſtum Redemptorem, quæ requiritur, & datur, ut lex impleatur: ergo ex Auguſtino in Judaico fœdere nulla dabatur gratia ſufficiens ad legem implendam. Et ſimiliter ſerm. 13. de verbis Apoſt. dicit; legem datam eſſe, *non ut morbus ſanaretur, ſed ut prævaricatione morbo creſcente, medicus, ideſt gratia, quæreretur.*

Arguunt ſecundo ex aliis Auguſtini textibus, ubi videtur hic docere, quod lex Judaica impleri non poterat; ex quo inferunt defuiſſe tunc gratiam ſufficientem. Qu. 7. in Exod. loquens de Judæis S. Doctor habet: *Præcepta datæ legis implere non poſſunt, dum ſerviunt cupiditatibus carnalibus*; Et ſerm. de 5. portic. *Voluerunt ſanari, & cognoverunt ſe laborare, quod non cognoſcerent, niſi datam legem implere non poſſent*; Et ſerm. 6. de verbis Apoſtoli cap. 7. *Lex jubebat, & non implebat, quia caro, ubi non erat gratia, invictiſſime reſiſtebat.*

Arguunt tertio, quia Auguſtinus paſſim docet, legem Judæis datam fuiſſe ante gratiam, eoſque ſub lege fuiſſe nondum adjutos gratia: ergo defuit illis gratia ſufficiens. In expoſit. propoſ. ex Epiſt. ad Rom. n. 13. habet: *Sub lege pugnamus, ſed vincimur, & quia nondum eſt gratia, ſuperamur.* Lib. 83. qq. quæſt. 65. *Sub iſtis paſſionibus tanquam ſub viro dominante agebat anima, antequam veniret gratia.* Hinc celebris illa diviſio ſtatuum apud Auguſtinum, videlicet *Ante legem*, ſeu in ſtatu legis naturalis; *Sub lege*, nempe Scripta, ſeu Moſaica; *& ſub gratia*; qua diviſione videtur Auguſtinus oſtendere, quod ſolum lex Evangelica ſit lex gratiæ, ita ut in hoc tantum ſtatu detur nobis gratia medicinalis, & efficax ob merita Chriſti Salvatoris.

Quibus addunt Janſeniani id, quod diximus in calce theſis proxime ſuperioris, videlicet ex Auguſtino legem, & doctrinam obeſſe potius, quam prodeſſe ſine gratia, juxta illud Apoſtoli 2. Cor. 3. *Litera occidit, Spiritus autem vivificat*: quibus verbis ineptiſſime Janſenius putavit ſignificari, quod lex, & doctrina data fuerit Judæis abſque ulla gratia ſufficienti.

Reſpondeo mirum eſſe, quod audacter pro hoc errore adducatur Auguſtinus, qui non ſemel Catholicam oppoſitam ſententiam uncialibus literis diſertiſſime docuit. Etenim Serm. 191. de Tempore, *Execramur*, inquit, *blaſphemiam eorum, qui dicunt impoſſibile aliquid homini a Deo eſſe præceptum, & mandata Dei non a ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſervari.* Et lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſ. ſimiliter dixit: *Dubitare non poſſum, nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum, & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe: ac per hoc poteſt homo, ſi velit, eſſe ſine peccato, adjutus a Deo.* Nec ſolum de hac veritate Sanctus Doctor dicit ſe dubitare non poſſe, verum etiam docet, nemini eam eſſe ignotam: hæc enim habet cap. 16. de Grat. & libero arbitr. *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt, Non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? Sed ideo jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus; Ipſa enim eſt fides, quæ orando impetrat, quæ lex imperat.* Reſponſio autem ad textus a Janſenianis adductos eſt facillima. Ad primum; Auguſtinus docet, Legem Scriptam, in qua multa opera imponebantur, datam eſſe poſt legem naturalem, ut tot oneribus gravatus homo quæreret ſtatum gratiæ, in quo ſublevaretur; non quia in ſtatu legis ſcriptæ non daretur gratia ſufficiens; ſed quia ſufficiens, quæ tunc dabatur, non expugnabat impoſſibilitatem moralem ad legem implendam, ſicut expugnat gratia ſufficiens, quæ in ſtatu legis Evangelicæ datur abundanter per merita Chriſti D. Et ſane in tantum poſſet tunc homo quærere gratiam, & petere a Deo Redemptore, in quantum daretur illi a Deo gratia ſufficiens ad orandum, cum ſine gratia oratio poni non poſſet; ergo ſaltem in eo ſtatu collata fuit gratia ſufficiens ad orandum, atque adeo non fuit in fœdere Judaico omnis defectus gratiæ ſufficientis. Quibus adde, legem datam eſſe Judæis, prout loquitur Auguſtinus, ut gratia quæreretur, & gratiam datam eſſe, ut lex impleretur: quia lex vetus ratione ſui neque juſtificabat, neque vires præbebat ad obſervantiam mandatorum ipſius legis; ſed hoc totum in veteri lege habebatur ab hominibus in ea, & ſub ea poſitis dependenter a lege gratiæ, ſeu per fidem in Chriſtum venturum, qui fons eſt, & Auctor totius gratiæ; & ideo ipſa juſtificatio, quam tunc Judæi conſequebantur, ab Apoſtolo ad Rom. 5. vocatur *Juſtitia fidei*; & ad Rom. 3. dicitur: *Juſtitia Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum.* Et ad Galat. 3. idem pariter fuſius docetur, ut videre eſt apud Expoſitores.

Quamvis itaque in lege veteri nulla daretur Gratia in virtute ipſius legis; ejus quippe Sacramenta, ut habet Apoſtolus ad Ga-

Galat. 4. *erant infirma , & egena elementa*, non per hoc deerat tunc gratia ſufficiens ad præcepta ſervanda : Ea enim conferebatur a Deo ob merita Chriſti venturi omnibus , qui credebant in illum. Quia tamen onera Moſaicæ legis erant gravia , adeo ut non ſufficientiam duntaxat , verum etiam abundantiam Gratiarum expoſcerent , ut ferri poſſent , ideo quærebatur tunc , & expectabatur anxie lex gratiæ ; in qua virtute ipſius legis , & ex meritis Chriſti jam præſentis gratia ubertim confertur . De hujus enim Sacramentis hæc definit Tridentinum : *Sacramenta nova multum ab antiquis differunt ; Illa enim non cauſabant Gratiam , ſed eam per Paſſionem Chriſti dandam eſſe configurabant ; Hæc vero & continent gratiam , & ipſam digne ſumentibus conferunt* . Et in Tridentino ſeſſ. 14. can. 2. anathematizatur , qui dixerit utriuſque legis Sacramenta non differre , niſi penes alias , & alias cæremonias , & ritus externos ; differunt enim penes vim cauſativam Gratiæ ex opere operato ; Et ideo Jo. 1. dicitur : *Lex per Moyſen data eſt ; Gratia , & Veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt* . Quinimo hac de cauſa lex nova dicitur lex Gratiæ , quia ſcilicet vi talis legis Gratiam uberem haurimus in gaudio de fontibus Salvatoris .

VII. Ad ſecundum , Auguſtinus ibi ſolum vult , quod in eo ſtatu daretur impoſſibilitas moralis ſervandi legem , quia Judæi carnalibus , & temporalibus bonis inhiantes , concupiſcentiam perduellem , atque adeo difficultatem magnam in ſectanda juſtitia experiebantur . Paſſim enim , ut in quarta theſi annotavimus , dicitur impoſſibile , quod ſine magna difficultate fieri non poteſt ; teſte Anſelmo de concordia Grat. & Lib. arb. cap. 3. ubi habet : *Sæpiſſime aſſerere ſolemus , impoſſibile nobis eſſe , quod ſine difficultate perficere non poſſumus* ; Hæc autem moralis impoſſibilitas ſervandi legem Evangelicam non datur in fœdere Chriſtiano , ut diximus : (niſi quis ſuis culpis ſit artifex talis impoſſibilitatis moralis) haurimus enim in gaudio , & ad ſatietatem aquas de fontibus Salvatoris : non defuit itaque Judæis gratia ſufficiens , qua poſſent legem implere .

VIII. Ad tertium , Auguſtinus , dum docet , Judæos non fuiſſe adjutos gratia , non loquitur de gratia quacunque Theologica , cum non potuerit iis deeſſe gratia ſufficiens , ſed loquitur de gratia novi Teſtamenti , quæ datur affluenter ad ſuperandam difficultatem in obſervantia legis ortam a concupiſcentia effreni : hæc enim antonomaſtice venit nomine Gratiæ oppoſitę legi ; ea quippe non ſolum elevat vires naturales , ſicut gratia , quæ in lege veteri conferebatur , ſed etiam enervat difficultatem operandi , quæ provenit a rebellione partis inferioris adverſus ſuperiorem , quam profecto difficultatem gratia veteris legis non expugnabat .

XI. Ex quibus conſtat , ſtatum naturæ *ante legem* , quæ præceptis duntaxat naturalibus tenebatur , & ſtatum naturæ *ſub lege* , quando tenebatur innumeris etiam præceptis poſitivis , non opponi ſtatui *ſub Gratia* per hoc , quod in utroque illo ſtatu deeſſet gratia Theologica dans vires ſufficientes ad legem implendam , ſed per hoc , quod defuerit illi gratia Evangelica , affluenter conceſſa , & de ſe edomativa difficultatis , ſeu moralis impotentiæ ad bene operandum ; Quod Auguſtinus docuit lib. 83. QQ. qu. 66. dicens : *Ubi ergo non eſt gratia Liberatoris , auget peccandi deſiderium prohibitio peccatorum : Accedente autem gratia , id ipſum , quod lex oneroſe juſſerat , jam ſine onere , & libentiſſime implemus* . Quare phraſis illa Auguſtini , quod aliqui ſint *ſub lege* , ſolum denotat , quod lex illis dominatur , ſeu *quod reos facit lex non implentes legem* , ut habet Epiſt. 19. & tract. 3. in Jo. ubi dicit : *Facti erant homines ſub lege non implendo legem ; qui enim legem implet , non eſt ſub lege , ſed cum lege* : Contra vero aliquos eſſe *ſub gratia* , eſt illis gratiam dominari , ita ut per gratiam legem impleant ; quod innuit S. Doctor lib. de Grat. & Lib. arb. cap. 12. dicens : *Peccatum vobis non dominabitur ; non enim eſtis ſub lege , ſed ſub gratia* ; propterea cum dicatur eſſe ſub lege , qui legem non implet , ſequitur , quod huic ſolum deſit gratia adjuvans , & efficax , qua legem impleat , non vero ſufficiens , qua poſſit legem implere . Quod ipſe Janſenius docuit lib. 2. de Grat. Chriſti cap. 27. dicens ; *Plurimos , qui ab immunditiis carnis ſe continere non poſſunt , vehementer tamen optare continentiam , cujuſmodi vota divinæ gratiæ ſunt munera , & majoris gratiæ provocativa* . Quare ex Janſenio iſti , qui legem non ſervant , atque adeo ſunt ſub lege , adhuc ſunt inſtructi gratia prævenient , & ſolum quærunt adjuvantem .

Ad id quod additur , ſatis ſuperque loco laudato explicavimus mentem Auguſtini , necnon Apoſtoli dicentis , *Litera occidit , ſpiritus autem vivificat* .

X. Queſnelliani ad ſuadendam ſecundam hujus , & præcedentis theſis partem , quod ſcilicet Deus nobis donat , quod petit a nobis , & dat , quod jubet , adducunt cele-

bre

bre illud Auguſtini dictum : *Da, Domine, quod jubes, & jube, quod vis; dum remuneras merita noſtra, coronas dona tua.* Cum enim ex eodem Auguſtino formula orandi ſit regula credendi, ſi a Deo petimus non ſolum gratiam ſufficientem, ſeu poſſibilitatem bene operandi, ſed etiam gratiam efficacem, qua bene operemur, atque adeo ipſam bonam operationem, ſequitur credendum eſſe, quod non alia nobis detur gratia præter efficacem, qua Deus donat ipſam bonam operationem, quam petit a nobis, & dat, quod jubet; ſic enim verum eſt, quod remunerando merita noſtra, coronet dona ſua.

Sed contra eſt primo, quia id ipſum, quod nunc a Deo petimus, videlicet quod det id, quod jubet, petendum erat in Judaico fœdere; quare ex hoc quod nunc petimus, nempe gratiam, qua bene operemur, non infertur diſcrimen ullum inter gratiam, quæ dabatur in veteri, & illam, quæ datur in novo fœdere. Effatum quippe illud Auguſtini ſolum docet, quod credere debeamus, ex dono Dei gratuito nobis obvenire quicquid ab illo poſtulare monemur.

Contra ſecundo, quia rite petimus a Deo præter gratiam ſufficientem, qua poſſimus implere præcepta, etiam gratiam efficacem, qua imperata ipſa facimus, quin ex hoc ſequatur, quod ſola gratia efficax nobis in Chriſtiano fœdere conferatur : poſſunt enim nonnulli hanc petitionem ex ſocordia negligere, & poteſt Deus hanc petitionem indebito modo factam non exaudire; unde ex hoc quod rite petamus a Deo gratiam efficacem in fœdere Chriſtiano, non infertur, quod ſola iſthæc gratia concedatur, & nunquam detur ſola gratia mere ſufficiens, atque adeo non ſemper in novo fœdere Deus nobis donat, quod petit a nobis. Et, ut dicemus in theſi vigeſima, omnino erronea eſt idea, quam tradit Queſnellus gratiæ, quod ſcilicet Deus velit a nobis obediri, & obediatur, imperet, & omnia fiant, loquatur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſint.

Contra tertio, quia quamvis & rite petatur a Deo gratia efficax, & ea miſericorditer conferatur, non per hoc ſequitur, quod Deus conferendo gratiam efficacem donet nobis id, quod jubet, ita ut operatio præcepta, quæ a nobis ponitur vi gratiæ efficacis, ſit Dei merum donum, prout Queſnellus contendit; cum enim in theſi vigeſimaprima, & ſequentibus dicat, gratiæ operationem imitari operationem Dei Incarnantis Filium ſuum, producentis creaturas ex nihilo, mortuos ad vitam revocantis, vult conſequenter, quod ſicut eſt merum Dei donum Unio hypoſtatica, creatio, & mortuorum reſurrectio, ita ſit merum Dei donum operatio præcepta, ad quam proinde voluntas humana non cooperetur libere libertate indifferentiæ ad meritum requiſita; Sicut non cooperatur libere voluntas Humanitatis aſſumptæ ad productionem Unionis hypoſtaticæ. Eſt autem Catholicum dogma, quod licet Deus ſua gratia efficaci faciat nos facere, ut in tertia theſi explicavimus, & operetur in nobis velle, & perficere, ut habetur ad Philipp. 2. nihilominus ad hanc Dei operationem libere voluntas cooperatur libertate indifferentiæ; & ideo ea eſt meritoria, quin deſinat eſſe donum Dei : etenim, ut habet Trident. ſeſſ. 6. cap. 16. *Tanta eſt Dei erga omnes homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona*; & hinc Auguſtinus docet; quod dum Deus remunerat merita noſtra, coronat dona ſua.

Contra quarto, quia etiam dum Deus confert gratiam mere ſufficientem ad ponendam operationem præceptam, dicitur donare, quod jubet; quia conferendo gratiam ſufficientem, confert gratiam, quæ ex parte Dei ſemper eſt efficax, & ſolum ex ſocordia noſtræ voluntatis ea aliquando eſt caſſa, & inefficax; Quod denotant verba Apoſtoli 1. ad Cor. 6. *Videte, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis;* quaſi dicat, quod gratia ex parte Dei nunquam eſt vacua, ſed ex parte noſtra poteſt in vacuum recipi, & ſine fructu. Quare licet petamus a Deo, quod det nobis id, quod præcipit, non ſequitur, quod ſolum conferat in Chriſtiano fœdere gratiam ſimpliciter efficacem, videlicet tum ex parte Dei, tum ex parte noſtræ voluntatis; quandoquidem dando gratiam ſufficientem, donat etiam ex parte ſua id, quod præcipit nobis.

Contra quinto, quia loquendo de gratia ſimpliciter efficaci, tunc verum eſt, quod Deus illam conferat, quando ita donat, quod præcipit, ut operatio præcepta ſit ſimul donum Dei, & meritum noſtrum, non vero quando id, quod præcipit, a nobis demeritorie omittitur. Hinc falſum eſt, quod abſolute dicitur in his theſibus, videlicet Deum donare nobis, quod præcipit, quaſi vero ſemper ac præcipit bonam operationem, conferat nobis gratiam ſimpliciter efficacem; ex hoc enim ſequeretur, quod peccator omittens contritionem non peccaret, quia cum denegetur illi gratia ſimpliciter efficax, qua contritio ponatur, inferretur, quod Deus

illam

illam non præcipiat; unde per omiſſionem contritionis nullum præceptum peccator tranſgrederetur, & ideo non peccaret. Præterquamquod ex alio capite omittens contritionem præceptam non peccaret, quia ſcilicet deeſſet illi juxta hanc theſim gratia ſufficiens ad illam ponendam: & quia hac deficiente in novo fœdere contritio eſt impoſſibilis, & nemo obligatur ad impoſſibile, ideo per omiſſionem contritionis peccator nunquam peccaret.

Contra demum, quia, eſto tranſmitteretur, quod ſecunda pars hujus theſis poſſet in bono ſenſu accipi, adhuc integra theſis digna fuiſſet, quæ proſcriberetur, quatenus docet, hominibus in veteri fœdere relictis propriæ infirmitati legem a Deo impoſitam eſſe, ita ut peccarent non implendo legem, quamvis illam implere non poſſent. Sed de hoc Auguſtini effato recurret ſermo in theſi trigeſima ad ſecundum.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim VII.

SEptima aliis phraſibus idem virus eructat, dum docet, Judæis in veteri fœdere præceptam fuiſſe legis obſervantiam, quam tamen implere non poterant, quia Deus illos in ſua imbecillitate relinquebat, denegando iis gratiam ſufficientem: in Chriſtiano autem fœdere Chriſtifidelibus conferri gratiam efficacem, vi cujus donat, quod petit a nobis. Recurrit tamen idem inconveniens, nam ſi Deus donat non ſolum auxilium ad ponendum id, quod petit, ſed etiam illud ipſum, quod petit a nobis, rite infertur, quod ſi non ponatur contritio a peccatore, ea non petatur, nec præcipiatur a Deo; atque adeo peccator illam omittens non peccet, cum nullum præceptum violet. Recurrit etiam, quod Judæi legem non implendo non peccarent; quia in ſua imbecillitate relicti carerent viribus ad legem implendam requiſitis. Neque dici poteſt, quod propter virium imbecillitatem laborarent ſolum impotentia morali, non phyſica ad legem implendam, unde non excuſarentur a culpa. Nam ſi in ſua imbecillitate relinquebantur, ita ut gratia ſufficienti deſtituerentur, laborabant etiam impotentia phyſica ad implenda præcepta ſupernaturalia; non enim poterant phyſice ponere contritionem, aut Dei dilectionem ſupernaturalem, (quæ illis præcipiebatur, ut ad juſtificationem diſponeret) ſine concurſu gratiæ actualis; quæ tamen iis denegabatur, dum erant propriæ imbecillitati relicti. Præterquamquod etiam quando Deus præcipit moraliter impoſſibilia, offert petentibus gratiam ſuam, qua moralis impoſſibilitas expugnetur; ut docet Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. dicens: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.* Propterea Deus perfrictæ frontis peccatores, qui ſine magna difficultate non reſipiſcunt, ad orandum invitat, ut gratiam obtineant, qua de facili poſſint reſipiſcere, verbis illis Jerem. 3. *Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere; ergo ſaltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Quare in utroque fœdere datur a Deo ſufficiens gratia ad legem implendam, & peccatoribus ad reſipiſcendum; quamvis gratia, quæ nobis per Chriſti merita confertur, & per ſacramenta novæ legis communicatur, ſit longe uberior. Quinimo ſacramenta antiquæ legis nullatenus gratiam cauſabant, ut docet Florentinum, ſed ſolum erant conditiones requiſitæ, ut Deus ob merita Chriſti futuri gratiam conferret digne ſuſcipientibus, ut notat Amicus, diſp. 9.; & hac tantum de cauſa lex antiqua vocatur infirma, & inutilis ab Apoſtolo ad Hebr. 8. ubi dicitur: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem.* Ejus quippe legis ſacramenta erant *infirma, & egena elementa*, ut dicitur ad Galat. 4. Contra vero ſacramenta novæ legis ex eodem Florentino *gratiam continent, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt;* Et ideo ſola lex gratiæ vivificat, non vero lex antiqua; ut dicitur ad Galat. 3. Ex quo tamen non ſequitur, quod in lege antiqua non conferretur gratia ſufficiens ad obſervantiam legis, & ad ſalutem, ut advertit Angelicus p. 2. q. 98. ar. 2. ad 4. ubi habet: *Quamvis lex vetus non ſufficeret ad ſalvandos homines, tamen aderat aliud auxilium a Deo hominibus ſimul cum lege, per quod ſalvari poſſent.*

PROPOSITIO VIII.

Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantum participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit. *Queſnellus Hebr.* 8. 10. *in editione* 1693. *&* 1699.

SYNOPSIS.

I. Triplex hic error obtruditur, prout in duabus theſibus antecedentibus.

II.

II. Oſtenditur, quod nec defuerit in veteri, nec deſit in novo fœdere gratia ſufficiens ad legem implendam. III. Hallucinatio Janſenii oritur ex eo, quod non diſtinguat inter gratias exteriores, & interiores.

IV. Retorquetur adverſus eundem Janſenium auctoritas D. Auguſtini, qui videtur negaſſe Judæis gratiam ſufficientem, docens datam iis eſſe legem, tanquam pædagogum, a quo perducerentur ad Gratiam. V. Retorquetur pariter ejuſdem Janſenii ſimilitudo, quaſi quis diceret Cajo, Pete ea, quibus indiges, dum tamen ei linguam præcideret, qua petere poſſit. VI. Gratia veteris legis in quo differat a gratia legis Evangelicæ? VII. Hinc triceps hujus theſis anguis confoditur.

I. IN hac, & duabus ſuperioribus theſibus idem triplex error variis, ac fucoſis phraſibus obtruditur; nempe inſinuando verbis ſubdolis, quod expreſſius in duabus ſuperioribus theſibus docebatur, videlicet, quod in veteri lege nulla fuerit gratia ſufficiens; & quod in nova detur nobis duntaxat Gratia efficax; & quod iſta operetur in nobis id, quod nobis Deus præcipit; quibus verbis liberam cooperationem voluntatis callide de medio tollit Queſnellus; Quod tamen apertius docet in vigeſima prima, & tribus ſequentibus theſibus, in quibus datur idea gratiæ Janſenianæ.

II. In tergeminum hunc Janſenianum aſpidem ſuum triſulcum telum contorſimus in duabus proxime præcedentibus theſibus: Ad ulterius illum conterendum addo hic, negari non poſſe, in veteri fœdere Davidi, Salomoni, aliiſque, qui in primam culpam lethalem prolapſi ſunt, collatum fuiſſe a Deo auxilium ſufficiens, ne laberentur; ergo etiam in Chriſtiano fœdere datur conſimile ſufficiens auxilium juſtis, qui primum peccatum mortale committunt; Unde pariter ſequitur, quod gratia, quæ per Chriſtum conceditur iis, qui bene operantur, non ſit gratia neceſſitans, ſed gratia, cui poteſt voluntas reſiſtere, eo ipſo, ac poteſt peccare. Ex qua ratiocinatione corruunt tres errores, qui in hac theſi ſub ſplendidis illis verbis callide conteguntur.

Porro in hac ratiocinatione antecedens duntaxat demonſtrandum eſt; duæ quippe conſequentiæ ex illo aperte deſcendunt. Probatur itaque antecedens, quia ex Auguſtino lib. de nat., & grat. cap. 26. *Deus non deſerit, ſi non deſeratur, & pie ſemper, juſteque vivatur*; & infra addit: *Ut non adjuventur in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo.* Utrumque autem hoc effatum non ſubſiſteret, ſi Davidi, Salomoni, & aliis veteris Teſtamenti gratiam ſufficientem Deus negaſſet, ne in primum peccatum mortale proruerent; Deus quippe eos deſereret, antequam ab eis deſereretur; & ut non adjuvarentur cauſa fuiſſet in Deo, non in ipſis, qui nullam antea cauſam dederant, quare gratia auxiliante privarentur: ergo. Præterea etiam in Judæos cadit illud Auguſtini lib. de natura, & gratia cap. 67. *Quis peccat in eo, quod caveri nullo modo poteſt?* atqui ſi caruiſſent Judæi gratia ſufficienti ad reportandam victoriam tentationum, lapſus caveri nullo modo poſſet. Ergo Judæi tentationibus ſuccumbentes non peccarent. Apertiſſime autem de Judæis loquens Auguſt. lib. de grat., & lib. arb. cap. 12. ait: *Gratiam repellebant, & in Chriſtum propterea non credebant.*

III. Quare inepte nimis loquitur Janſenius lib. 3. de Grat. Chriſti cap. 7. dicens, *non adfuiſſe hominibus ſub lege viventibus gratiam ſufficientem ſervandi legem, vel ullum præceptum ejus.* In eo autem conſiſtit hallucinatio Janſenii, quod non diſtinguat inter legem, ſeu gratiam exteriorem, & gratiam interiorem, qua homines adjuvantur ad legem ſervandam. Verum quidem eſt, quod lex Moſaica non conferebat gratiam ſufficientem ad non peccandum: (ſicut nec nobis illam confert nuda lex Euangelica) At tam iis, qui erant ſub lege, (ſeu quibus iniquitas dominabatur, ut explicavimus in theſi ſuperiore,) quam iis, qui ſunt ſub gratia, (ſeu quibus gratia dominatur) adjutorium, quod confertur, non eſt a nuda lege, quæ eſt gratia exterior, ſed eſt a gratia interna, ſeu illuſtratione Spiritus Sancti, quę in lege Moſaica univerſim erat remiſſa, non expugnans impotentiam moralem ad ſervandam legem, ortam ab inſultibus concupiſcentiæ, ſed conferens ſolum ſufficientiam phyſicam ad non peccandum, eſſentialiter requiſitam ad peccatum formale, & ad demeritum; in lege vero Euangelica ea eſt intenſior, ac vividior ex meritis Chriſti Dom. apta expugnare moralem illam impotentiam. Duo iſthæc, quæ Janſenius non diſtinguebat, D. Auguſt. lib. de Grat., & lib. arb. cap. 17. dilucide expreſſit in hæc verba: *Cum dicitur, diligamus invicem, lex eſt; cum dicitur, quia dilectio ex Deo eſt, gratia eſt; Sapientia quippe Dei legem, & miſericordiam in lingua portat; unde ſcriptum eſt in Pſalmo: Etenim benedictionem dabit, qui legem dedit.* Diſtinguitur itaque lex, ſeu gratia exterior a gratia, ſeu ab illuſtratione, & inſpiratione ſuperna; Deus tamen, qui legem dedit tam Moſaicam, quam Euangelicam, miſericordiam

diam in lingua portans, in utraque lege gratiam confert ſufficientem, ut ſervari poſſit, quamvis valde uberem in lege gratiæ iis, qui ſunt ſub gratia, præ illis, qui in lege Moſaica erant ſub lege. In eo autem ſenſu dicitur gratia conferri in novo fœdere, ſeu in lege gratiæ, non vero in fœdere veteri, ſeu in lege Moſaica, quatenus in lege gratiæ Sacramenta tanquam actiones Chriſti D. principaliter operantis continent, & cauſant gratiam, ſi rite ſuſcipiantur; contra vero in lege Moſaica Sacramenta, utpote *infirma*, *& egena elementa*, (ut loquitur Apoſtolus ad Gal. 4.) ad ſummum erant conditiones, quibus poſitis ex liberali divina promiſſione gratia conferebatur. E. g. Baptiſmus tanquam operatio Chriſti D. principaliter baptizantis cauſat gratiam, quam Chriſtus, ejuſque operatio in ſe continent: At circumciſio non erat operatio aſſumpta a Chriſto D. & ideo ſolum erat conditio a Deo requiſita, ut gratia conferretur infanti, qui circumcidebatur.

IV. Opponit Janſenius illud Auguſtini ſerm. 53. de Verb. Apoſtol. cap. 2. Legem Judæis datam eſſe, ut agnita propria ægritudine, ratione cujus facile labebantur, *Medicus, ideſt gratia adjuvans, quæreretur*. Ergo ex Auguſtino gratia adjuvans, & efficax ſolum datur in lege Euangelica; in Lege vero Moſaica nulla dabatur gratia; alioquin non eſſet ratio, cur medicus quæreretur in lege gratiæ. Propterea idem S. Doctor quæſt. 55. ſuper Exodum dicit, datam fuiſſe Judæis legem, *ut de ſua infirmitate, ac peccatis per legem convincerentur, ut lex fieret illis Pædagogus, a quo perducerentur ad gratiam, quæ eſt in fide Jeſu Chriſti*. Et ſimiliter Conc. 27. in Pſalm. 116. *Ad hoc data eſt lex, ut te de magno parvulum faceret, ut te ad faciendam legem vires de tuo non habere monſtraret, ac ſic opis indigens, & egenus ad gratiam confugeres, & clamares, Miſerere mei Domine*. Et in Pſ. 118. ſimiliter addit: *Ut jam corde humiliato diſcas clamare: Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Reſpondeo, adverſus eundem Janſenium facile argumentum retorqueri. Nam ſi data eſt lex Judæis, ut cognita propria imbecillitate ad medicum confugerent, hoc eſt ad gratiam adjuvantem, qua poſſent legem implere, manifeſte ſequitur, quod dederit eis Deus gratiam ſufficientem, ut poſſent orare, & petere gratiam immediate adjuvantem ad ferenda onera legis; non ſecus ac in lege Euangelica, quando quis ob habitum vitioſum acquiſitum experitur moralem impotentiam ad abſtinendum a culpis, non caret auxilio gratiæ ſufficientis, qua poſſit petere a Deo auxilium validum ad expugnandam illam difficultatem ortam a pravis habitibus, prout docuit Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. ubi dixit: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis:* Aliter niſi de facili poſſemus orare, & petere auxilium, quo de facili deinde poſſemus legem implere, non eſſet verum, quod ſtatim Tridentinum ſubdit: *Cujus mandata gravia non ſunt; cujus jugum ſuave eſt, & onus leve*. Præterquamquod ex hoc ipſo, quod Deus deſideria, ac preces contulerit Judæis pro obtinendo auxilio ad ferenda onera legis neceſſario, rite infertur, quod hujuſmodi auxilium illis communiter non denegarit. Ut quid enim eos excitaret ad deſiderandum, & poſtulandum id, quod in eo ſtatu nullatenus poſſent impetrare?

V. Confirmatur retorquendo ſimilitudinem, quam Janſenius adhibet lib. 3. de gratia Chriſti cap. 5. ad oſtendendum, quod in Judaico fœdere non ſolum deeſſet gratia ſufficiens ad implendam legem, ſed etiam gratia ſufficiens ad petendum a Deo hu uſmodi auxilium ſufficiens, ac neceſſarium ad ferenda onera legis. Sic ipſe loquitur: *Si quis verbis alicui diceret, Quia non ſufficis implere quod jubeo, ora pro gratia, qua ſufficias; ſtultus eſſe profecto crederetur, ſi jam ei poteſtatem, qua ſufficeret, donaviſſet*. Cenſet enim Iprenſis, quod habens poteſtatem petendi ſufficientiam, pariter haberet ipſam immediatam ſufficientiam ad implendum, quod jubetur. At ſic retorquendo telum inſurgo: Si quis verbis alicui diceret; Quia non ſufficis implere, quod jubeo, ora pro gratia, qua ſufficias; ſtultus profecto foret, & tyrannide imbutus, ſi linguam illi præcideret, & poteſtatem orandi denegaret. Idemque dicendum eſſet de Deo, ſi denegaſſet Judæis auxilium ſufficiens ad implendam legem, & iis dixiſſet: Quia non ſufficitis implere quod jubeo, orate pro gratia, qua ſufficiatis; & deinde gratiam ad orandum ſufficientem, & neceſſariam pariter denegaſſet. Quod citra blaſphemiam dici non poteſt de Numine clementiſſimo.

Directe ad argumentum Janſenii dicendum, vere Judæis legem gravem fuiſſe impoſitam, ut quærerent Medicum; & ut lex ipſa fieret eis Pædagogus, a quo ad gratiam, quæ eſt in fide Chriſti Dom. perducerentur. Quamvis autem lex illa eſſet gravis, non deerat tamen illis gratia ſufficiens, qua poſſent orare, & petere a Deo auxilia uberiora, quibus citra difficultatem poſſent legi ob-

obtemperare. Quoniam vero deerat illis gratia illa uberior, quæ datur in lege Euangelica per merita Chriſti D. (qui venit, ut vitam, ſeu gratiam habeamus, & abundantius habeamus) idcirco promiſſione bonorum temporalium, & comminatione ſimilium pœnarum ſæpe a Deo ad legem ſervandam excitabantur, ac proinde ſæpe illam ſervabant, & ad Deum peccatores revertebantur, ducti amore mercenario, & timore ſervili; qui tamen adhuc erat ſalutaris, nec poterat poni ſine gratia ſufficienti ſuperna, ut conſtat ex proſcriptione theſis decimæquartæ facta ab Alex. VIII. quæ dicit: *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis*: poteſt ſiquidem etiam timor pœnarum temporalium eſſe ſupernaturalis, ſi pœnę iſtæ lumine ſuperno cognoſcantur infligendæ a Deo vindice propter noſtra delicta. Ex hoc autem timore ſervili gradum deinde faciebant ad amorem Dei filialem; timor enim pœnæ paſſim inducit ad Charitatem a Spiritu S. infuſam, propriam filiorum Dei. Et in hoc ſenſu accipiendum eſt, quod in argumento dicitur ex Auguſtino, videlicet legem ęgrotis Judæis datam, ut quærerent medicum, & eſſet illis Pædagogus, a quo perducerentur ad gratiam, quatenus ex timore illo ſervili pœnæ, quo paſſim ducebantur, poſſent implorare medicum, ſeu gratiam adjuvantem, & ſic perduci ad ſpiritum dilectionis proprium novi Teſtamenti; juxta illud Apoſtoli ad Rom. 8. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.*

VI. Ex quibus omnibus colligitur, primo gratiam novi Teſtamenti in duobus differre a gratia veteris Teſtamenti. Primo quia gratia in lege Euangelica confertur per merita Paſſionis Domini affluenter; juxta illud Apoſtoli ad Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*; propterea de facili poſſumus expugnare difficultatem, & impotentiam moralem ad legem implendam, ortam ex concupiſcentia effræni, ſaltem ſi orationibus illam impetremus; qua de cauſa dicitur 1. Theſſal. 5. *Sine intermiſſione orate*, & Lucæ 18. *Oportet ſemper orare*; certiſſima quippe nobis ineſt ſecuritas obtinendi, quod petimus; Sponſor enim eſt ipſe fideliſſimus Dominus, qui ſic alloquitur Marci 11. *Dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipitis, & evenient vobis*. Etenim cum in novo Teſtamento Deus homines velut filios habeat, non ut ſervos, ſicut habebat homines in lege veteri; juxta illud Apoſtoli ad Gal. 4. *Jam non eſt ſervus ſed filius, quod ſi filius, & hæres per Deum*; idcirco facillimas præbet aures noſtris petitionibus; quod ipſe Dominus, ut nos ad orandum impelleret, arguendo a Patre terreno, & improbo, ad cęleſtem, & clementiſſimum, dixit Lucæ 11. *Si vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?*

Secundo differt gratia novæ legis a gratia veteris legis, quia ſuppoſita ea lege perterrefaciente, tunc ut plurimum homines ſub auxiliis gratiæ ad obſervantiam præceptorum inducebantur ſolum timore; in nova autem lege nunc inducuntur ſæpe homines etiam amore, ac timore filiali. Quod innuunt verba laudata Apoſtoli ad Rom. 8. *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed ſpiritum filiorum Dei*; Et docuit Auguſtinus qu. 15. ſuper Deuteron. dicens: *Homo poteſt facere opus legis per charitatem juſtitię, quod non poteſt per timorem pœnę; Quæ charitas gratia eſt novi Teſtamenti*: quamvis enim timor ſervilis, ſi procedat ex motivo lumine fidei attacto, ſit ſupernaturalis, & indigeat auxiliis gratiæ, ut dicemus in theſi 60. nihilominus ſpiritus hujus timoris, qui in veteri lege habebatur, non eſt adeo efficax ad inducendam obſervantiam mandatorum, ſicut eſt efficax amor filialis, ad quem de ſe inducit gratia, utpote uberior, novæ legis; & in hoc ſenſu dicit Auguſtinus, quod non poſſit homo opus juſtitiæ facere per timorem pœnę, quod poteſt facere per Charitatem, quæ eſt gratia novi teſtamenti. Quibus adde, quod multo minus poterant Judæi legem implere, ſi ſolum ducebantur timore ſervili formaliter, ſeu in quantum ſervili, qui, ut habet D. Th. 2. 2. qu. 19. art. 4. eſt peccaminoſus, eo quod ita quis legem ſervet, ob timorem pœnæ, ut hac circumſcripta, lex non impleretur. Similiter Auguſtinus in Epiſt. ad Gal. ubi dixerat, quod Judæi ducebantur timore ſervili, addit: *Ideo quædam opera legis implebant, quę in Sacramentis ſunt; illa vero, quæ ad bonos mores pertinent, implere non poterant; Non enim implet ea, niſi charitas*; ſive dicatur, quod ea impleat charitas, ſeu ſpiritus amoris, & quidem de facili, & alacriter; ſive dicatur, quod ea impleat charitas late ſumpta pro amore ſupernaturali cujuſcunque honeſtatis, ut explicat Vaſq. p. 2. diſp. 192. c. 2. Et idem S. Doctor loquens de gratia novi Teſtamenti dicit lib. de fide, & operibus c. 23. *Ab hoc reatu graviore liberat gratia Spiritus Sancti per Chriſtum, quæ diffuſa charitate in cordibus noſtris donat juſtitiæ dilectionem, qua immoderatio concupiſcentiæ ſu-*

peretur. Et in Pſ. 90. habet: *Data eſt illi lex ad timorem, non ad amorem; ut autem timor convertatur ad amorem, occiſus eſt juſtus, ac venit Spiritus Sanctus in plenitudine amoris, non in pœna timoris*. Quare auxilia gratiæ in novo teſtamento pertinent ad charitatem potius, & ad amorem juſtitiæ, quam ad timorem: Secus vero auxilia gratiæ veteris legis. Quia tamen lex antiqua terrens erat introductoria ad legem novam charitatis; ideo cultores illius, & quicumque ex puro timore legem ſervant, ab Auguſtino dici ſolent alieni a gratia, quatenus ſunt alieni ab illa ſpeciali gratia amoris, quæ eſt propria novi Teſtamenti, & quæ antonomaſtice venit nomine Gratiæ. Præterquamquod, ut annotavimus in theſi antecedenti, lex antiqua ratione ſui ſicut non juſtificabat, ita nec vires præbebat ad ſervanda præcepta; utrumque tamen tunc habebatur dependenter a lege gratiæ, ſeu per fidem in Chriſtum venturum, qui eſt Auctor, & pelagus omnium gratiarum.

VII. Colligitur etiam ex dictis falſitas hujus theſis, & duarum præcedentium; tum in eo, quod ſupponitur, caruiſſe ſcilicet Judæos gratia ſufficienti ad legem implendam; tum in eo, quod implicite aſſeritur, videlicet in nova lege nullam conferri gratiam ſufficientem, ſed quamcumque eſſe efficacem; tum demum in eo quod ſubdolis verbis exprimitur, videlicet, quod gratia efficax in lege nova non ſit talis, ut requirat liberum conſenſum voluntatis, ut proinde non operetur in nobis Deus, quod præcipit independenter a noſtra libera cooperatione, ratione cujus poteſt eſſe verum (& utinam non ſæpiſſime accideret,) quod Deus conferat ſuam gratiam ſufficientem ad obtemperandum, & imperet, non tamen per gratiam illam operetur in nobis id, quod nobis præcipit, ex contranitentia, quam voluntas exercet vocationi, & Gratiæ.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim VIII.

OCtava docet, eos duntaxat ad fœdus Chriſtianum pertinere, qui novi Teſtamenti gratiam participant, ideſt efficacem, quæ quicquid Deus nobis præcipit, in nobis operatur; eos vero, qui gratia efficaci deſtituuntur, quæ ſcilicet non operatur quicquid nobis Deus præcipit, pertinere ad fœdus antiquum, ſeu Judaicum, in quo Deus legis obſervantiam exigebat, relinquendo illos in ſua ægritudine, & impotentia; atque adeo in novo hoc Chriſtiano fœdere peccatores efficacis gratiæ expertes, qua v. gr. contritionem præceptam de facto ponant, deſtitui pariter gratia ſufficienti ad ponendam, ſi velint, præceptam contritionem; atque adeo laborare omnimoda impotentia ad obtemperandum. Quod ſi verum haberet, proculdubio non peccarent, ut diximus, contritionem omittendo, & fatue illis contritio præciperetur, ſi illam ponere neutiquam poſſent. Hinc Doctor Angelicus in cap. 1. Epiſt. 1. ad Cor. exponens illa verba: *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis in ſocietatem Filii ejus*, addit: *Non videtur eſſe fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocietatem Filii, & nobis denegaret, quantum in ipſo eſt, ea, per quæ ad eum devenire poſſumus; unde Joſue dicitur: Non te deſeram, neque derelinquam*. Negari itaque non poteſt, quod in utroque fœdere peccatori contritionem præceptam omittenti detur a Deo gratia ſufficiens ad obtemperandum; ita ut dicatur, Deum per ſummam injuriam proterere, & conculcare, qui tranſgreditur præcepta, quæ vi gratiæ collatæ implere poteſt, non tamen adimplet: Quod innuit Apoſtolus dicens ad Hebr. 10. graviſſima mereri ſupplicia eum, qui ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit. Quod ſi gratia ſufficiens non conferretur peccatori contritionem præceptam culpabiliter omittenti, nulli unquam gratiæ fieret contumelia; non quidem gratiæ efficaci, ut patet, quia ſub illa obtemperatur; neque ſufficienti, quia ea non obtemperantibus denegatur; unde nemo Gratiæ contumeliam faceret, & ſic laudata Apoſtoli verba eſſent deridenda.

PROPOSITIO IX.

Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus, & cum qua nunquam illum abnegamus. *Queſnellus* 1. *Cor.* 12. 3. *edit.* 1693.

SYNOPSIS.

I. Gratiam Queſnellus vult eſſe libertatis a neceſſitate interemptivam, ad mentem Janſenii putantis, ad meritum, ac demeritum ſatis eſſe libertatem a coactione.

II. Longe differt theſis iſthæc a ſententia Prædeterminantium, ut Janſenius ipſe fatetur. III. Cum prædeterminatione ad conſenſum admittitur a Prædeterminatoribus potentia ad diſſenſum in ſen-

ſenſu diviſo: ſecus vero cum gratia Janſeniſtica. IV. Præterea voluntas ipſa ſe determinat ſub prædeterminatione; non tamen ſub gratia medicinali. V. Phraſes hujus theſis ſunt longe diverſæ a phraſibus Prædeterminantium. VI. Prædeterminantes enim in opere honeſto, ac turpi agnoſcunt libertatem indifferentiæ, quam Janſeniani de medio tollunt. VII. Janſenianæ hæreſes in hac theſi edocentur.

I. QUid in hac Theſi, necnon in proxime ſequentibus Auctor contendat? An gratiam Chriſti ad ſupremum, quod excogitari poteſt, ſolium evehere, & ipſimet Omnipotentiæ quodammodo æquiparare? Ita ſane, ſi corticem verborum ſpectemus; at ſi nucleum introſpiciamus, illico palam fiet, quid lateat ſub hoc verborum apparatu, videlicet Gratia nimis ingrata, quippe quæ non eſt confortativa arbitrii, ſed libertatis interemptiva; non enim evehit ſupra naturæ vires arbitrii facultatem, ſed omnino proſternit, & abjectat in ordine ad operationem ſalutarem producendam; a qua proinde meritum vitę æternæ ita amandat, ut reddat illius incapacem ex defectu libertatis. Propterea licet ad gratiæ commendationem ſpectet, quod Theſis exprimit, eam ſcilicet eſſe ſupremam, ita ut ſine illa confiteri Chriſtum nunquam poſſimus ex defectu virium naturalium ad talem actum omnino ſupernum; falſiſſimum tamen eſt, quod affecti gratia interiori, qua vires ſuppetunt ad Chriſtum confitendum, nunquam illum abnegemus, in vacuum recipiendo ſupernas illas vires, quas exhibet gratia; Hoc enim non ad commendationem, ſed ad depreſſionem gratię ſpectat, quæ non confert arbitrio vires, ſed evertit omnino arbitrii poteſtatem, qua poſſit obſequium debitum Chriſto præſtare, illum libere confitendo, & ſibi præmium conſentaneum, atque adeo æternum promereri. Conſtat quippe ex proſcriptione tertiæ theſis Janſenianæ, libertatem a coactione ad meritum non ſufficere; ſicut nec ſufficit libertas in cauſa ſine libertate formali indifferentiæ, ut contendebat prima ex theſibus ab Alexandro VIII. confixis.

II. In patrocinium hujus theſis putarunt nonnulli adduci poſſe ſententiam Prædeterminantium, qui pariter docent, Prædeterminationem phyſicam ejus indolis eſſe, & efficacitatis, ut ſine illa ad confitendum Chriſtum non inducamur, & cum illa nunquam Chriſtum abnegemus.

Verum quantum diſtet gratia medicinalis Janſeniana a phyſica præmotione, quam Scholaſtici Prædeterminantes admittunt, docet ipſe Janſenius, qui lib. 1. de Grat. Chriſti cap. 2. hæc habet: *Qui medicinalem Chriſti gratiam ſic defendere conantur, ut eam in prædeterminationem phyſicam transforment, omni ſtatui hominum lapſorum, & innocentium, ex vi Primæ Cauſæ, & indifferentiæ voluntatis neceſſariam, magis profecto Ariſtotelici, quam Auguſtiniani ſunt. Nam talis prædeterminatio ſic aſſerta non ſolum nullo ejus teſtimonio probari poteſt, ſed potius univerſam ejus doctrinam innumeris locis traditam inexplicabili confuſione perturbat: tollit enim differentiam integræ, lapſæque voluntatis; necnon duplicis adjutorii quo, & ſine quo non, cum quorum altero Adamus velle, ſtareque potuit; & Angeli re ipſa voluerunt, ſteteruntque; lapſi homines velle, & ſtare non poſſunt: tollit, obſcuratque veram radicem gratiæ medicinalis; nec ſinit intelligere veram naturam ejus, dum æqualiter ſtatuit illam prædeterminationem omnibus neceſſariam.* Hactenus Iprenſis: Cujus diſcipulus in hac theſi non intendit per gratiam medicinalem invehere ſubjectionem debitam Primo libero, ad quam Prædeterminatores putant neceſſariam eſſe phyſicam præmotionem, quam nolunt eſſe libertatis indifferentiæ violativam; Aliter ſicut a prædeterminantibus ponitur in quocumque ſtatu naturæ tam integræ, quam lapſæ neceſſaria, ita gratia iſthæc medicinalis deberet in utroque pariter ſtatu reperiri, ut Janſenius annotavit. Vult itaque gratiam medicinalem eſſe ſolum neceſſariam in ſtatu naturæ lapſæ ob naturæ imbecillitatem a culpa originali contractam, & ſimul vult vi illius poni operationem ſalutarem citra formalem libertatem indifferentiæ; a qua certe hæreſi Catholica Prædeterminantium Schola omnino abhorret. Docet ſiquidem rite cohærere in voluntate cum Prædeterminatione ad actum bonum liberam facultatem ad illum non ponendum, quamvis nec Prædeterminatio illa ſtare poſſit ſine eo actu, nec actus unquam ponatur, & ſubſiſtere poſſit ſine tali Prædeterminatione. Eſto negotium non leve faceſſat myſterium id explicare; adeo ut Cajetanus 1. part. quæſt. 22. art. 4. adlaborans in conciliandа inevitabilitate actus prædeterminati cum ejus contingentia, dixerit: *Ad hanc dubitationem nihil reperi in Divo Thoma: In aliis vero Doctoribus nihil hactenus comperi ad quæſtionem iſtam, niſi quæ communiter dicuntur de ſenſu compoſito, & diviſo, de neceſſitate conſequentiæ, & conſequentis, de libertate electionis Divinæ in æternitate, deque natura cauſarum ad utrumlibet. Sed hæc omnia animum non*

quietant, quia non de neceſſitate, & contingentia, ſed de compoſſibilitate inevitabilium eventuum cum contingentia, & libertate eorundem eſt quæſtio.

Cæterum, ſive facilis, ſive perdifficilis ſit, qui diſſolvatur hic nodus apud Scholaſticos, aſſertio Prædeterminantium eſt Catholica, & juxta definitionem Tridentini definientis ſeſſ. 6. can. 4. *Liberum arbitrium aſſentiendo Deo excitanti poſſe diſſentire, ſi velit*; explicando hanc potentiam ad diſſentiendum per libertatem formalem indifferentiæ ad utramque partem. Janſeniani vero negant hanc libertatem indifferentiæ, & docent, quod arbitrium poſſit diſſentire, ſi velit, potentia ſolum remota, ſeu conditionata, quatenus poſſet diſſentire, ſi careret gratia medicinali, qua determinatur ad conſenſum: eo pacto, quo vinculis præpeditus poſſet ambulare, ſi eſſet a vinculis expeditus. Quod cum etiam Calviniani a Tridentino damnati admittant, dum docent, gratiam neceſſitare arbitrium ad conſenſum, dicendum non ſubſiſtere hanc laudati Canonis interpretationem; atque adeo ſententiam Calvinianam, & Janſenianam in hac re recedere a tradita Concilii definitione.

III. Et ratio diſcriminis inter Prædeterminatores, & Janſenianos eſt, quia prædeterminantes docent voluntate ſub prædeterminatione ad conſenſum retinere potentiam ad diſſenſum in ſenſu diviſo ab illa: nec obeſſe libertati, quod ab ea voluntas ſe dividere non poſſit, vel quia Prædeterminatio ſe tenet ex parte actus ſecundi, ut docent Neoterici, vel quia eſt ipſa applicatio cauſæ ſecundæ ad agendum facta a primo libero: voluntas autem, & judicium indifferens, quantum eſt ex ſe, cum utroque actu componi poſſunt in ſenſu diviſo, & ideo voluntas ſub prædeterminatione ad conſenſum remanet cum libertate indifferentiæ ad conſenſum, vel diſſenſum: ſiquidem prædeterminatio non ſpectat ad poſſe, ſed ad agere. At per Janſenianos gratia medicinalis non ſpectat ad agere, ſed ad poſſe, quatenus ſine illa juxta eorum erroneam doctrinam, non datur gratia ſufficiens, unde ſine illa non poteſt voluntas ponere operationes ſalutares, & ab illa duntaxat recipit vires ſupernas, & poteſtatem ad eas ponendas: & idcirco deſtruit libertatem indifferentiæ a Catholicis requiſitam ad ponendos actus meritorios, ac ſalutares.

IV. Præterea Janſeniani docent, voluntatem a gratia unice determinari ad conſenſum: At Prædeterminatores, ſi ſubſcribant Angelico Præceptori, docent, quod voluntas a ſe ipſa ſuo modo determinetur, & ideo ſit formaliter libera. Hæc enim habet D. Thomas in 2. diſt. 39. quæſt. 1. art. 2. *Ratio culpæ in actu deformi eſt in hoc, quod procedat ab eo, qui habet dominium ſui actus: hoc autem eſt in homine ſecundum illam potentiam, quæ ad plura ſe habet, nec ad aliquod eorum determinatur, niſi ex ſe ipſa: quod tantum voluntati convenit.* Utrum autem ſalvari poſſit, quod voluntas dum a Deo prædeterminatur, ipſa dicatur libere ſe determinare, quatenus *magis habet Deus in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas*, ut loquitur Auguſt. de Corrept. & Grat. cap. 14. inquirant Scholaſtici, cum id ad Polemicos non pertineat. Nobis ſatis ſit oſtendiſſe, quod Janſeniani gratiam ejus indolis comminiſcentes, ut ſine illa confiteri Chriſtum nunquam poſſimus, & cum illa nunquam abnegemus, nullum præſidium a ſententia Prædeterminantium habeant, eo quod iſti admittant libertatem indifferentiæ ſub prædeterminatione ad conſenſum: admittunt etiam poſſibilem gratiam ſufficientem, & quod poſſit voluntas gratiæ reſiſtere: quæ omnia non ſubſiſtunt admiſſa gratia medicinali in ſenſu Janſeniano.

Quod autem Prædeterminatores omnes diſerte fateantur citra errorem in fide negari non poſſe in natura lapſa gratiam ſufficientem ab efficaci condiſtinctam, atque adeo ab hoc Janſeniano errore abhorreant, in quo omnes quinque Janſenii theſes hæreſeos damnatæ continentur, (ut oſtendimus in Anacephaleoſi theſis ſecundæ) ſatis eſt eorum Codices, & ſcripta revolvere. Bannez 1. p. q. 23. a. 3. cum docuerit, neceſſe eſſe, quod peccantes adverſus aliquod præceptum ſupernaturale, puta fidei, pœnitentiæ, &c. receperint gratiam ad implendum præceptum ſufficientem, addit, id eſſe certum ex fide; ac probat tum ex illo Jo. 15. *Si non veniſſem, & locutus non fuiſſem eis, peccatum non haberent*; tum etiam ex eo, quod nemo peccat non faciendo, quod facere non poteſt, quod pariter dicit eſſe certum ex fide. Alvarez lib. 8. de Auxiliis diſp. 71. n. 12. ſic ratiocinatur. *Si non daretur gratia vere ſufficiens, ſequeretur, quod illi omnes, qui non convertuntur, revera converti non poſſent, aut ſalvari; quod tamen non poteſt admitti. Probatur antecedens: nam illi non habent gratiam efficacem, alias enim converterentur, & ſalvarentur; hæc enim gratia tribuit actualiter bene operari, vel perſeverare uſque in finem: ergo ſi non habeant vere gratiam ſufficientem,*

quæ

quæ tribuit poſſe, omnes illi converti, pie operari, vel ſalvari non poſſent; & ita non imputaretur eis ad culpam, quod non converterentur, nec adimplerent divina mandata, & conſequenter Deus irrationabiliter conquereretur de illis, & ſine cauſa illos increparet; quod tamen Sacrarum Literarum teſtimoniis videtur repugnare. Pariter Jo: a S. Thoma in p. 2. tom. 2. q. 3. diſp. 24. art. 1. aperte docet, omni homini, cui ponitur præceptum, dari auxilium ſufficiens ad talis præcepti impletionem; immo dicit Concluſionem hanc eſſe inter Theologos communem; illamque demonſtrat, *quia omne præceptum debet imponi habenti facultatem ad implendum illud; alioquin ſi facultas non ſuppetit, præceptum deobligat: qui habet facultatem, habet gratiam ſufficientem, quæ præciſe dat ipſum poſſe.* Franciſcus Zumel tom. 3. variarum diſputationum diſp. 4. ſect. 1. dicit: *Certum eſſe de fide, quod detur hominibus auxilium ſufficiens, quibus interdum non donatur efficax; quia Deus non præcipit aliquid impoſſibile: ſed præcipit omnibus peccatoribus, ut convertantur ad ipſum: ergo omnibus dat auxilium gratiæ ſufficientis, quo poſſint converti: Vel non ſunt digni reprehenſione, & damnatione, eo quod non convertantur; quod eſt contra expreſſas Scripturas, & contra univerſam doctrinam Eccleſiæ, & SS. Patrum.* Idem pariter aſſeverant Thomiſtæ omnes, qui propterea gratiam Janſenianam tanquam tartareum monſtrum ejurant.

V. Ex quibus infertur, non iiſdem, ſed longe diverſis verbis loqui Prædeterminantes, ac loquatur præſens Theſis. In hac quippe dicitur, quod ſine gratia Chriſtum confiteri non poſſumus; & quod cum ea nunquam illum abnegemus. Prædeterminantes vero non docent, quod voluntas, quæ peccat omittendo actum præceptum, dum caret prædeterminatione ad talem actum, non poſſit ſine tali prædeterminatione illum ponere: nam ſi ponere illum non poſſet, non eſſet libera: unde diſpar ratio in utraque ſententia.

VI. Ratio autem radicalis hujus diſcriminis eſt, quia Auctor hujus theſis ſolum admittit cum Janſenio libertatem a coactione tam in peccante, & demerente, quam in bene operante per gratiam Chriſti medicinalem, & merente; & ideo in hac ſententia qui caret gratia ad Chriſtum confitendum, non poteſt illum confiteri: Contra vero Prædeterminatores cum Angelico requirunt in merente libertatem indifferentiæ, & ideo conſequenter docent, quod carens prædeterminatione ad Chriſtum confitendum adhuc poſſit illum confiteri, quamvis ſi confiteretur, non ſine prædeterminatione illum confiteretur: Ad eum prorſus modum, quo omnes dicimus, quod carens concurſu Dei ad conſenſum adhuc poſſit conſentire, dum peccat; quamvis ſi conſentiret, non haberetur conſenſus ſine concurſu Dei ad illum: Et ſimiliter dicimus, quod Antichriſtus abſque præſcientia de bona operatione ab eo ponenda, adhuc poſſit bene operari, & non peccare, quamvis ſi eſſet bene operaturus, iſthæc bona operatio non haberetur ſine præſcientia de illa; Quicquid ſit, quod iſta præſcientia, quæ antecedit tempore noſtros actus, conſequatur ad illos logice, & idcirco ſit a nobis impedibilis, & non everſiva libertatis; prædeterminatio vero ſit omnino antecedens, & inimpedibilis, ut proinde in dubium revocari poſſit, num ſit everſiva libertatis: Quod tamen, ut diximus, ad Scholaſticas concertationes ſpectat, non ad Polemicas. Uſqueadeo autem ſanctum eſt apud Thomiſtas, quod requiratur in merente libertas a neceſſitate, & non ſufficiat libertas a coactione, ut Angelicus quinque ab hinc ſeculis dixerit, ſententiam docentem, nos eſſe duntaxat liberos a coactione, eſſe hæreticam. Hæc ſiquidem habet de Malo quæſt. 8. de elect. art. unico. *Opinio, qua quidam dicunt voluntatem hominis ex neceſſitate moveri ad eligendum, nec tamen cogi, eſt hæretica, tollit enim rationem meriti, ac demeriti, & ſubvertit omnia principia Theologiæ moralis: Si enim ex neceſſitate movetur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, & præceptum, & laus, & vituperium.*

VII. Oppones pro Queſnello, quod in hac theſi duo aſſerantur: Alterum eſt, quod ſine gratia non poſſimus Chriſtum confiteri; & de hoc nemo poteſt ambigere, cum non poſſit actus ſupernaturalis prodire ſine coinfluxu comprincipii ſupernaturalis; Alterum vero, quod ſub gratia nunquam Chriſtum abnegemus; quod non fert everſionem libertatis ad illum abnegandum, cum non dicatur, quod ſub gratia non poſſimus Chriſtum abnegare. Quare ſicut omnes Catholici docent, quod ſub gratia efficaci nunquam Chriſtum abnegamus; ita poteſt citra ullum inconveniens Queſnellus dicere, quod ſub Chriſti gratia nunquam illum abnegamus.

Sed contra eſt primo, quia licet vera ſit prima pars hujus theſis, quod ſcilicet ſine gratia non poſſimus Chriſtum confiteri, falſum tamen eſt, quod non poſſimus Chriſtum confiteri ſine iſta gratia, de qua ve-

rum ſit , quod nunquam cum illa Chriſtum abnegamus ; nam qui Chriſtum abnegat , caret proculdubio tali gratia , & tamen poteſt Chriſtum confiteri ; aliter non peccaret illum non confitendo . Sic etiam licet verum ſit, quod ſine gratia non poſſit homo conteri ; commentitium tamen eſt , quod ſine gratia efficaci homo non poſſit conteri ; peccator enim qui culpabiliter omittit contritionem præceptam , caret gratia efficaci , & tamen poteſt contritionem ponere , aliter non peccaret , illam omittendo . Contra eſt ſecundo , quia dum in altera parte hujus theſis dicitur , quod cum gratia Chriſti nunquam illum abnegamus , apertiſſime docetur ſecunda theſis Janſenii , quæ proſcripta eſt tanquam hæretica , quod ſcilicet *In ſtatu naturæ lapſæ interiori gratiæ nunquam reſiſtatur* . Contra eſt tertio , quia quando peccator omittit contritionem præceptam , vel habet gratiam , qua poſſit illam ponere , vel non . Si dicas primum , ergo falſum eſt , quod cum gratia nunquam peccemus ; ſin dicas ſecundum , ergo hic peccator eſt ſine libertate indifferentiæ ad non peccandum , ſed cum ſola libertate a coactione , juxta tertiam Janſenii proſcriptam theſim ; cum enim careat gratia requiſita ad contritionem ponendam , neceſſario illam omittit , unde caret libertate a neceſſitate , ſeu libertate indifferentiæ . Præterquamquod præciperetur illi contritio, quam ponere non poſſet ſine gratia , & tamen gratia illi deeſſet ; unde vera etiam eſſet prima ex quinque proſcriptis Janſenii theſibus . Contra eſt quarto , quia qui inſtructus gratia iſta Queſnelliana Chriſtum confitetur , vel poteſt illum abnegare , vel non poteſt ; ſi non poteſt , ecce tibi everſionem libertatis indifferentiæ ; ſin dicas , quod poſſit , ergo cohærere poſſunt hæc duo , quod ſcilicet homo habeat gratiam , & ſimul Chriſtum abneget.

Ad id quod additur de gratia efficaci . Primo falſum eſt , ut diximus , quod ſine gratia efficaci non poſſimus Chriſtum confiteri . Nam qui culpabiliter Chriſtum abnegat , caret gratia efficaci , & tamen poteſt illum confiteri , aliter non peccaret . Deinde licet verum ſit , quod cum gratia efficaci nunquam Chriſtum abnegemus , falſiſſimum tamen eſt , quod cum gratia nunquam abnegemus illum . Diſparitas eſt , quod gratia efficax importat gratiam , quæ vel trahit, vel involvit conſenſum , ſeu Chriſti confeſſionem : quid autem mirum eſt , quod ubi adſit gratia involvens , ſeu trahens conſenſum , ibi nunquam ſit diſſenſus ? At gratia ſecundum ſe , ut præſcindens ab efficaci , & pure ſufficienti , tam poteſt conjungi cum conſenſu , quam cum diſſenſu , & ideo poteſt eſſe verum , quod cum gratia diſſentiamus , & Chriſtum abnegemus : & de facto qui culpabiliter omittit Chriſtum confiteri , habet gratiam ſufficientem , qua poſſit ponere hunc actum ſupernaturalem præceptum ; aliter vel non peccaret illum omittendo , vel peccaret cum ſola libertate a coactione . Hæreſes itaque Janſenianæ ex hac theſi uſquequaque erumpunt ; ſicut etiam ex plurimis aliis ſequentibus .

Inſtabis . Tam in ſententia Prædeterminantium verum eſt , quod ſine prædeterminatione ad conſenſum non poſſit voluntas conſentire , & quod cum ea nunquam diſſentiat, quam in ſententia Societatis verum eſt , quod ſine concurſu Dei in actu ſecundo ad conſenſum non poſſit voluntas conſentire , & quod cum illo nunquam diſſentiat : ergo bene etiam poterit in hac theſi Queſnellus præſcindens ab utraque illa ſententia Scholaſtica in ſuis Aſceticis Obſervationibus pariformiter dicere , quod ſine gratia non poſſimus Chriſtum confiteri , & quod cum gratia nunquam illum abnegemus .

Sed falſiſſimum , & erroneum eſt antecedens . Solum verum eſt in utraque illa ſententia , quod ſine prædeterminatione ad conſenſum , vel ſine concurſu Dei in actu ſecundo ad conſenſum nunquam conſentiamus ; at non eſt verum , quod ſine illis non poſſit voluntas conſentire ; quandoquidem voluntas omittens contritionem præceptam illis caret , & tamen ponere poteſt contritionem : aliter non peccaret illam omittendo , cum nemo poſſit ad impoſſibile obligari . Propterea ſicut in utraque illa ſententia verum eſt , quod ſine Prædeterminatione , aut ſine concurſu Dei in actu ſecundo ad conſenſum poteſt voluntas conſentire , & quod cum illis nunquam diſſentit : ita Queſnellus loquens de gratia ſimpliciter (& non de gratia efficaci duntaxat) deberet viceverſa dicere , quod ſine gratia non poteſt voluntas Chriſtum confiteri , & quod cum gratia poſſit Chriſtum abnegare , ac ſæpe etiam abneget ; Aliter Janſeniſmum non effugeret . Rem totam paucis perſtringo . Vel theſis loquitur de gratia efficaci , & falſum eſt , quod ſine illa non poſſimus Chriſtum confiteri ; Vel loquitur de Gratia ut præſcindente ab efficaci , & ſufficienti , & falſum eſt , quod cum illa nunquam voluntas Chriſtum abneget ; atque adeo alterutrum hujuſce theſis aſſertum in utroque ſenſu eſt erroneum . Hæc autem obiter attingere non abs re fuit ,

fuit, ut omnibus perſpectum ſit, perperam Janſenianos pallio Doctrinæ Thomiſticæ abuti ad ſuas technas obtegendas, ac omnino inanem eſſe nonnullorum formidinem, ne Conſtitutio iſthæc *Unigenitus* libertati Scholarum, præſertim Angelicæ, officiat.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim IX.

NOna docens Chriſti gratiam eſſe illam ſine qua non poſſumus Chriſtum confiteri, & cum qua illum non abnegamus, luculenter inſinuat, Chriſti gratiam eſſe unice gratiam efficacem, cum qua Chriſtus non abnegatur, (aliter non eſſet efficax) & ſine qua Chriſtum confiteri non poſſumus; cum non poſſit homo gratia denudatus ſolis naturæ viribus Chriſti fidem profiteri. Iterum proinde in hac theſi expungitur gratia ſufficiens ad Chriſtum confitendum in eo, qui culpabiliter illum abnegat, ita ut eatenus ſit odii Divini, ac pœnæ æternæ reus, quia gratię ad Chriſtum confitendum collatæ contumeliam facit, illum abnegando. At ſi gratia ſufficiens deeſſet illi, cui Chriſti confeſſio præcipitur, quomodo peccaret illum abnegando? Auguſtinus lib. de duabus animabus cap. 2. diſerte hęc habet: *Peccati reum teneri quempiam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ.* Quare quamvis veriſſimum ſit, & quod ſine Chriſti gratia illum ſalutariter confiteri non poſſimus, & quod muniti gratia efficaci nunquam illum abnegemus: erroneum tamen eſt aſſerere, quod inſtructi gratia, ac viribus ſufficientibus ad Chriſtum confitendum, illum abnegare non poſſint, nec unquam illum abnegent. Aliter inepte Apoſtolus 1. ad Corinth. 2. diceret: *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quid enim eſt in vacuum recipere, niſi ejus effectum fruſtrari? Prædeterminatorum aſſerta toto cœlo ab hac hæreſi diſcrepant; docent quidem, quod cum prædeterminatione ad conſenſum nunquam diſſentiamus; negant tamen, ac pernegant, tam quod Deo vocanti, & gratiam conferenti nunquam homo diſſentiat, ac peccet, quam quod cum prædeterminatione ad conſenſum non poſſit pariter voluntas diſſentire; cum de fide ſit ex Tridentino ſeſſ. 6. can. 4. humanum arbitrium a Deo motum poſſe ipſi Deo excitanti, atque vocanti diſſentire, ſi velit.

PROPOSITIO X.

Gratia eſt operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare, *Queſn. Matth.* 30. 34. *edit.* 1693. *&* 1699.

SYNOPSIS.

I. Gratia iſthæc eſt libertatis everſiva.

II. Ex Queſnello operatio Gratiæ eſt operatio ſolius Dei, & nullatenus voluntatis creatæ.

III. Scripturæ luculentur docent effectum gratiæ poſſe a voluntate impediri, ac retardari.

IV. Ex Tridentino damnatur duplex error hujus Theſis. V. Ea quippe Lutheraniſmum ſimul ſapit, & Calviniſmum.

VI. Voluntas creata quamvis impedire non poſſit, quod Deus vult efficaciter efficacia ſimpliciter dicta: poteſt tamen divinæ voluntati reſiſtere, ſi hæc velit aliquid efficaciter ſolum quantum eſt ex parte ſua: & ideo poteſt effectum gratiæ impedire, ac retardare. VII. Deus diſcernit Electos a Reprobis per hoc, quod gratiam præviſam efficacem conferat qua efficacem.

VIII. Bona noſtra operatio Deo principalius tribuitur, non nobis. IX. Operatio tamen prava nullatenus Deo tribuitur, quamvis poſſit illam impedire. X. Ex hoc quod Deus prævideat culpam ſecuturam, non fit, quod illam amet, ac directe reprobationem intendat.

XI. Nequit Queſnellus a Janſeniſmo hic excuſari.

I. ECce tibi quam baſilice Gratia deſcribatur; & quantum ejus vires extollantur! ſuſpicienda ſub oculos ea ponitur, non ſolum tanquam operatio manus Omnipotentis Dei, ſed etiam tanquam ipſamet Omnipotentia, cui nihil poſſit reſiſtere, & contraniti; cum ne retardari quidem poſſit, nedum impediri ejus effectus. In theſi 21. ea pariter dicitur eſſe fortis, potens, ſuprema, invincibilis; & paſſim Janſenius cum Calvino vocat illam omnipotentem, inſuperabilem, invictam. Bracteata tamen iſthæc verba eo tendunt, ut ſeducant incautos. Etenim quo magis illa videntur gratiam commendare, eo magis deprimunt; & dum beneficium a Chriſto collatum, promerendo nobis gratiam, extollunt, illud extenuant, ac proſternunt; Quandoquidem ſi ejus indolis eſſet gratia, ut voluntas non poſſet ejus effectum impedire, aut retardare,

ea

ea non eſſet beneficium naturæ lapſæ collatum, ſed quadantenus maleficium, quippe quæ, ut alias innuimus, libertatem everteret, meritum omne de medio tolleret, ſolicitudinem, & curam de noſtra ſalute amandaret, & ad delicias hujus ſæculi captandas hortaretur; quoniam juſtificatio, & ſalus non eſſet conferenda laborantibus, vigilantibus, orantibus cum adjutorio gratiæ actualis, ſed iis duntaxat, pro quibus Chriſtus D. ad arbitrium orare voluit, & quos voluit inter Electos annumerari.

II. Quid autem ſonet apud Auctorem, quod gratia ſit operatio manus Omnipotentis Dei, ſatis advertet, qui vigeſimamprimam ex hiſce proſcriptis theſibus percurret: ibi enim, & in tribus proxime ſequentibus apertius exprimitur, quod Gratia ita ſit operatio voluntatis omnipotentis, ſicut eſt ejuſdem operatio productio Unionis hypoſtaticæ, Creatio mundi, Reſurrectio mortuorum, & alia id genus, in quibus non primas duntaxat, ſed omnes habet partes Omnipotentia, nullas arbitrium humanum. Ex quo legitima deductione infertur, quod nihil poſſit gratiam impedire, aut retardare, ſicut nihil poteſt impedire, aut retardare Incarnationem Verbi, Mundi Creationem, aut Reſurrectionem mortuorum, quandocunque Deus ea velit operari. Præterea cum dicatur in theſi, quod nihil poſſit gratiæ operationem impedire, aut retardare, ex vi verborum negatur omnis impedibilitas, ac retardabilitas gratiæ; atque adeo non ſolum negatur, quod poſſit impediri, ac retardari infuſio gratiæ, ſed etiam ejus fructus & efficacia.

III. Verum nemo eſt, quin videat, quantum hæc omnia a Catholicis veritatibus aberrent: Siquidem ex Scripturis, Conciliis, Patribus, ac Ratione manifeſte docemur, Gratiæ operationem ita eſſe operationem manus Dei omnipotentis, ut voluntas etiam debeat gratiæ cooperari, & quidem non ut determinata, ſed ut libera, ac determinans: qua de cauſa poteſt Divinam gratiæ operationem & impedire, & retardare, & ſic etiam gratiæ reſiſtere: Quod etiam liquido conſtat ex iis, quæ dicuntur adverſus ſecundam, & quartam ex quinque Janſenii proſcriptis theſibus, in quibus idem prorſus error aſſerebatur.

Et ſane, ſi non poſſet operatio Gratiæ a libero arbitrio impediri, ſed neceſſario deberet actum ſalutarem operari, fruſtra Apoſtolus 2. ad Cor. 6. diceret; *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Quid enim eſt in vacuum recipere gratiam, niſi ejus effectum impedire? quod ſi impediri non poſſet, nunquam in vacuum gratia reciperetur; adhortatio proinde illa eſſet omnino fruſtranea, & Apoſtolo indigna. Pariformiter ſi effectus gratiæ non poſſet retardari, incaſſum peccator terribilibus illis comminationibus moneretur Eccleſ. 5. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te*. Potius deberet peccator veluti manibus in ſinu compreſſis otiari, & ſuis duntaxat miſeriis quodammodo implorare Dei miſericordiam, ne differat gratiam conferre ad obtinendam ſuam converſionem, ſi unice a gratia medicinali, efficaci, & irreſiſtibili, & non etiam a ſufficienti converti poſſet. Præterea ſi effectus gratiæ retardari non poſſet a voluntate peccatoris, fruſtra Deus expectaret ejus converſionem: quin potius ſolus peccator deberet gratiam medicinalem miſericorditer conferendam expectare, ut illa convertatur; & tamen Iſaiæ 1. dicitur: *Expectavi, ut faceret uvas, fecit autem labruſcas*: poteſt itaque peccator retardare, ac etiam prorſus impedire gratiæ ſufficientis effectum a Deo per illam intentum, & ſic reddi odii Divini, ac pœnæ æternæ reus.

IV. Confirmatur ex 2. Petri 3. ubi dicitur: *Patienter Deus agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam converti*. Quænam autem patientia exerceri poſſet erga illos, quibus non eſſet integrum gratiæ effectum impedire, aut retardare, ut proinde abſque ullo reatu omitterent ad pœnitentiam converti? Quare citra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, & a Concilio etiam Senonenſi in decreto 15. fidei definitum, *Non eſſe tale Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit*. Quamvis autem iſtud Concilium non fuerit Generale, ejus tamen auctoritas tanti fit in Eccleſia, ut ſine temeritate nemo poſſit illi contradicere, ut notat Suar. de Gratia Proleg. 6. cap. 5. Quin etiam a Tridentino ſeſſ. 6. can. 4. definitur, poſſe hominem gratiæ diſſentire, atque adeo poſſe illi reſiſtere, ejuſque effectum a Deo intentum impedire, aut retardare, ſi velit; anathematizatur enim, *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit*. Ecce quomodo ex laudatis Concilii verbis utrumque damnatur, quod in hac Theſi audacter aſſeritur, & quod gratia ſit ſola operatio manus Dei omnipotentis, cum dicatur libe-

liberum arbitrium gratiæ cooperari; & quod effectus gratiæ non possit impediri, aut retardari, cum possit arbitrium inspirationi, seu gratiæ dissentire, si velit.

V. Ubi notandum, tam Lutherum, quam Calvinum negasse, quod divina gratia cohærere possit cum arbitrii libertate; Lutherus tamen negavit arbitrium gratiæ cooperari, putans illud se habere mere passive; & tanquam aliquid inanime. Calvinus vero admisit concursum voluntatis cum gratia, eo pacto quo Thomistæ docent intellectum Beati videre Deum, quamvis tota ratio agendi sit lumen gloriæ: negavit tamen posse arbitrium abjicere gratiam impediendo ejus operationem; sicut intellectus Beati non potest abjicere lumen gloriæ, ejusque operationem impedire. Adversus utramque hæresim definivit Tridentinum, & quod liberum arbitrium cooperetur gratiæ, & quod possit illam abjicere, dissentiendo, si velit. Utraque itaque hæresis in hac thesi continetur, quæ proinde Lutheranismum simul sapit, & Calvinismum.

VI. Opponitur primo: Cum gratia detur a Deo, ut per illam ponatur bona operatio, non vero mala, qui resisteret gratiæ, & ejus effectum impediret, resisteret pariter divinæ voluntati, & impediret effectum volitum a Deo; atqui nemo potest voluntati Divinæ resistere; dicitur enim Isaiæ 47. *Non resistet mihi homo;* & Esther. 13. *Dominus omnium tu es, nec est qui resistat majestati tuæ:* ergo non potest arbitrium humanum gratiæ resistere, ejusque operationem impedire.

Respondeo argumentum probare, quod neque detur gratia sufficiens in statu innocentiæ, atque adeo quod Dæmones non potuerint resistere gratiæ in eo statu; cum tamen per Jansenianos de facto restiterint. Quare aliud est, quod quis possit resistere divinæ gratiæ excitanti, & vocationi divinæ dissentire, non obtemperando ejus præceptis, & sic impedire quod Deus vult efficaciter solum quantum est ex parte sua: Aliud vero impedire quod a Deo est absolute volitum, & efficaciter efficacia simpliciter dicta: sive illud sit aliquid necessarium, sive sit aliquis actus liber creaturæ. In primo sensu certum est, quod possit creatura libera Deo resistere; eo enim ipso ac est libera, potest nolle ponere, quod Deus vult, ac præcipit: In secundo sensu nihil potest resistere Deo aliquid efficaciter volenti efficacia simpliciter dicta: Potest quippe Deus etiam a creatura libera infrustrabiliter obtinere consensum liberum conferendo illi auxilium indifferens prævisum efficax; Propterea Proverb. 12. dicitur: *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud:* Jer. 18. *Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu Dei;* & ad Rom. 3. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat;* Potest etiam pariter Deus citra præjudicium suæ bonitatis peccatum creaturæ permittere, (quamvis non possit illud intendere) conferendo illi auxilium prævisum inefficax, sincero tamen animo, ut per illud ponatur bona operatio; ut proinde illud idem daret, & quidem libentius, si illud prævideret efficax. Relate vero ad actum bonum liberum obtinendum potest dare auxilium efficax intendendo ejus efficaciam; quinimmo potest conferre auxilum A efficax qua efficax, hoc est eo animo, ut si prævideretur inefficax, non conferret illud, sed aliud ex efficacibus (saltem intra certam seriem) seligeret; quare sic infrustrabiliter potest velle actus liberos nostros citra detrimentum nostræ libertatis. Necessitas quippe actus præfiniti non est necessitas antecedens, sed consequens illum actum prævisum liberum per scientiam conditionalium; (sive ea sit scientia media, qua cognoscantur actus liberi conditionate futuri in seipsis, sive sit scientia visionis, qua hujusmodi actus cognoscantur in decreto divino absoluto ex parte actus, conditionato ex parte objecti, quod ad Polemicos non pertinet) sicut necessitas quod sit futurum peccatum Antichristi, est solum necessitas consequens ad peccatum prævisum per scientiam visionis, & ideo cohæret cum ejusdem libertate. Hinc Augustinus cap. 14. de corrept. & grat. dixit: *Sine dubio habet Deus humanorum cordium, quo placet inclinandorum omnipotentissimam potestatem: magis enim habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas.*

VII. Opponitur secundo, quod si voluntas posset ad libitum consentire, vel dissentire gratiæ, & ejus operationem impedire, sequeretur, quod ipsa se discerneret a reprobis, & electio ad gloriam tribueretur voluntati creatæ, non Deo; quod tamen est contra Apostolum dicentem 1. ad Cor. 4. *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti?* Ergo gratiæ operatio non est impedibilis a creatura. Etenim non aliter Deus discernit electos a reprobis, nisi conferendo illis gratiam ineluctabilem, ut docet August. lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 7. dicens: *Nec aliter Deus discernit, nisi quia unde discernaris impertit;* & in hoc sensu dicitur Deus Rom. 9. *Ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam;* quatenus uni dat ineluctabilem

bilem vim gratiæ ſuæ, quam alteri ratione ſui dominii citra injuſtitiam denegat.

Reſpondeo hoc etiam argumentum militare contra gratiam ſufficientem, ac reſiſtibilem in ſtatu innocentiæ, in quo Janſeniani illam admittunt poſſibilem. Etenim etiam Angelis dici poteſt, *Quis eſt, qui te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti?* & tamen Angelorum electio ad gloriam non tribuitur voluntati Angelicæ, quæ pie voluit gratiæ conſentire, ſed tribuitur Deo, qui illud quo diſcernerentur impertivit, videlicet gratiam prævisam efficacem, non tamen ineluctabilem, & læſivam libertatis, ut contendunt Janſeniani; ſed cui ita conſenſere, ut potuerint diſſentire. Et juxta hunc ſenſum verum eſt, quod Auguſtinus dicit in Enchir. cap. 69. *Neque enim veraciter Deus vocatur omnipotens, niſi quia quicquid vult, poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Gratiæ ſufficientis effectus impediri poteſt a libero arbitrio: At voluntatis Divinæ effectus a nemine impediri poteſt, & ei *volenti ſalvum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium* (ut habet idem Auguſt. lib. de corrept. & grat. cap. 14.) *Sic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Cum impediri non poſſit, quod habeatur conſenſus liber a Deo efficaciter intentus, ſi conferat illi auxilium prævisum efficax: Inde fit, quod ſimul cum libertate voluntatis creatæ cohæreat infruſtrabilitas voluntatis Divinæ, quando Deus vult aliquem prædeſtinare ad gloriam ut coronam: quod expreſſit Auguſtinus verbis illis loco laudato: *Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cœlo, & in terra omnia quæcumque voluit fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe, quod vult.*

VIII. Quod autem iſta electio ad gloriam, & actus bonus liber creaturæ tribuatur Deo principalius, & non ipſi creaturæ determinanti gratiam ad conſenſum, ut Deus dicatur diſcernere Electos a Reprobis, ex eo evincitur; tum quia, ut diximus in theſi octava, non ſolum poſſe, ſed etiam ipſum bene agere noſtrum, Dei beneficium eſt, juxta laudatum textum Apoſtoli: *Quid habes quod non accepiſti? aut quid gloriaris, quaſi non acceperis?* tum etiam quia Deus ſpeciali affectu intendit noſtras bonas operationes, quando confert nobis auxilium prævisum efficax; quandoquidem non ſolum præſtat nobis vires requiſitas, prout confert diſſentientibus, relinquendo arbitrio facultatem iis utendi, ſi velit; verum etiam ſeligit auxilium illud congruum præ incongruis, ut infallibiliter ponatur libera operatio meritoria vitæ æternæ, & ſic infallibiliter Prædeſtinati ſalventur, citra everſionem libertatis ad diſſenſum, quo æternam mererentur pœnam, & inter Reprobos recenſerentur. Hinc Deo principalius bona operatio, & ſalus noſtra aſcribitur: Sicut victoria magis tribuitur Duci conferenti arma militibus, & omnia apte ad triumphandum diſponenti, quam militibus in bello pugnantibus; Et homicidium magis tribuitur Mandanti illud, & auxilium porrigenti, quam Sicario Exequenti; ut proinde ad reſtitutionem damni prius teneatur Mandans, & ſolum in ejus defectu Exequens: præſertim quia Deus bene operanti dat ſimpliciter poſſe, & influit etiam phyſice in bonam operationem, & ex affectu ſpeciali ſeligit auxilium prævisum efficax, ut infallibiliter ea ſequatur, quod non contingit in Duce relate ad triumphantes, & in Mandante relate ad Sicarium. Definit quidem Tridentinum ſeſſ. 6. can. 32. *Hominis juſtificati bona opera ita eſſe Dei dona, ut ſint etiam bona ipſius juſtificati merita*; at non proinde noſtra merita æque debentur Deo, a quo donantur, ac voluntati noſtræ, a qua ponuntur; & multo minus debentur nobis principalius, qui cum gratia ad bonam operationem ponendam cooperamur, quam Deo exhibenti concurſum reſiſtibilem; idque ob rationes adductas; & ideo Tridentinum in eadem ſeſſ. 6. cap. 16. habet: *Abſit tamen, ut Chriſtianus homo in ſeipſo vel confidat, vel glorietur, & non in Domino; cujus tanta eſt erga omnes homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ſua dona.*

XI. Reprobi autem de Deo conqueri non poſſunt, quod gratia efficaci deſtituantur; cum Deus dando illis auxilium ſufficiens, in manu voluntatis poſuerit, quod illud redderetur efficax, & ob voluntatis culpabilem ſocordiam redditum eſt inefficax; non enim collatum fuit a Deo, ut eſſet ineſficax, & intendendo culpam (eo pacto quo dat Electis auxilium, ut ſit efficax, & intendendo efficaciter bonam operationem) quin potius etiam dum confert auxilium inefficax, bonam operationem, quantum eſt ex ſe, intendit, ſuadet, præcipit, exhibetque vires ſufficientes, ut voluntas annuat; & idcirco unice voluntati, non Deo aſcribitur diſſenſus, & ex illo conſequens reprobatio. Quod docuit Angelicus 1. p. qu. 112. art. 3. dicens: *Defectus gratiæ prima cauſa eſt a nobis; collationis vero gratiæ prima cauſa eſt a Deo, ſecundum illud Oſeæ 13. Perditio tua Iſrael; tantummodo in me auxilium tuum.*

Ne-

Neque dicas, quod Deus poſſet culpam, & reprobationem noſtram impedire, ſi ſcilicet conferret auxilium prævifum efficax, quod certe non deeſt in ærario ſuæ omnipotentiæ; & ideo etiam Deo, quatenus non impedienti, poterit noſtra reprobatio aſcribi.

Nam & culpa, & damnum nullatenus aſcribitur non impedienti illud, quando aliquis impedire non tenetur, licet poſſit. Sic naufragium non aſcribitur Angelo non apponenti impedimentum, ſed Nauclero, quia Nauclero, & non Angelo incumbit illud impedire: Non tenetur autem Deus ex munere Primæ Cauſæ impedire noſtras culpas; quinimmo ad ejus providentiam ſpectat permittere peccata: ſiquidem, ut notavit Auguſtinus in Enchirid. cap. 72. *Melius Deus judicavit ex malis bona facere, quam mala nulla eſſe permittere*. Propterea licet in noſtris bonis operibus primæ quidem partes ſint Dei: at aliquas etiam in eis habet partes arbitrium: ut proinde dixerit Apoſtolus 2. ad Corin. 12. *Si voluero gloriari, non ero inſipiens*: quamvis præmonuerit 1. ad Cor. 1. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Verum relate ad opera prava nullas omnino habet partes Deus, ſed omnes arbitrium; Siquidem non confert Deus auxilium inefficax eo animo, ut ſit inefficax, ſed eo animo, ut a nobis reddatur efficax, illud ipſum daturus, & quidem libentius, ſi prævifum fuiſſet efficax.

X. Ex eo autem, quod præviderit Deus ejus inefficaciam, & adhuc illud dederit, tantum abeſt, ut inde inferatur culpæ prævifæ amans, & auctor, ut potius ex hoc ipſo a Sanctis Patribus ejus bonitas mirum in modum commendetur: quatenus prævidens culpam, & audaciſſimam ingra[illegible] nem ejus, cui ingens beneficium [illegible] ficientis confertur, non per hoc [illegible] ab eo miſericorditer conferendo; ut ex hoc arguatur ejus beneficentia etiam relate ad ingratos: Quod annotavit Chryſoſtomus hom. 5. de Anathemate, ubi habet: *Mortuus eſt Chriſtus pro inimicis, quos tales ante conſtitutionem mundi ſciebat, eoſque præſciens formavit, vincente præſcientiam bonitate*.

XI. In calce hujus theſis adverte; conari nonnullos Queſnelli Aſſeclas illum excuſare, quod ſcilicet tam hanc, quam duodecimam, & decimamtertiam theſim uſurpavit in ſenſu Catholico; in quo ſenſu verum eſt, quod dicitur Eſtheris 13. *Domine Deus omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita; & non eſt qui poſſit reſiſtere tuæ voluntati, ſi decreveris ſalvare Iſrael*: non vero in ſenſu Janſeniano, & hæretico, quod ſcilicet in natura lapſa nunquam gratiæ interiori reſiſtatur; nec gratia interior ejus indolis ſit, ut poſſit humana voluntas illi reſiſtere, aut optemperare. Quod ex eo putant ſuadere, quia Queſnellus aliis in locis ejuſdem ſui Codicis non ſemel dixit, hominem gratiis a Deo oblatis repugnare; præſertim in cap. 19. Lucæ v. 42. in cap. 14. ejuſdem Lucæ v. 1. in cap. 22. Matth. v. 4. & alibi. Ex quibus etiam conantur excuſare Queſnellum in aliis hiſce theſibus de Gratia, in quibus videtur docere, quod gratia interior ſemper ſit efficax, perinde quaſi ſolum velit gratiam cooperantem, qua ſcilicet bene ut[illegible] mur, eſſe efficacem, non vero omnem qu[illegible] cunque gratiam.

Sed contra eſt primo, quia, ut t[illegible] liqua proſcriptionem mereatur, ſatis ſecundum ſe in germano, ac obvio rum ſenſu a veritatibus Catholicis det, quoties aut ex contextu, aut e adjunctis in ſano ſenſu eam uſurpar conſtiterit: hujuſmodi autem eſt theſis decima, necnon duodecima, ac de tia, quæ diſerte loquuntur de ſtibilitate; (& idem dicas bus gratia ſemper dicit Cum enim de fide ſit, impedimentum libere gratiæ; & de fid mnes homine luntate qu de ad id ſpicu th

[illegible]ia, [illegible]ntat Deo volenti animam ſalvam facere, ac tangenti illam interiori manu gratiæ ſuæ. Univerſim enim in theſibus dogmaticis ſpectandus eſt germanus, ac obvius verborum ſenſus; ut proinde verba Bibliorum, & Conciliorum ſemper in proprio ſenſu accipienda ſint, ut docet Auguſtinus, niſi aliunde liquido conſtet, quod in ſenſu minus proprio uſurpentur: Alioquin nihil certi ab iis haberi poſſet.

Contra eſt ſecundo, quia licet theſes iſtæ eſſent æquivocæ (quales reapſe non ſunt) poſſentque tam in ſenſu Catholico, quam in ſenſu Janſeniano uſurpari, de facto tamen ex adjunctis temporis, loci, & codicis paſſim Janſenizantis, obvius earum ſenſus eſt Janſenianus; atque adeo ex hoc etiam ca-

pite

pite erant proſcribendæ. Certum quippe eſt, quod propoſitio æquivoca ex circumſtantiis ad hunc potius, quam ad alium ſenſum determinatur: (ſicut hæc verba *Abſolvo te*, ex circumſtantiis Confeſſionis Sacramentalis determinantur ad ſignificandam abſolutionem a peccatis, & in circumſtantiis fori externi ſignificant abſolutionem a reatu pœnæ) Quare cum theſes iſtæ doceantur poſt condemnationem theſium conſimilium Janſenii, & in iis locis, ubi Janſenius eos errores diſſeminavit, & in codice, qui paſſim Janſenizat, ex his circumſtantiis determinantur ad ſenſum Janſenianum, adeo ut Auctor excuſari non poſſit, dum verbis illis ambiguis utitur; præſumitur quippe id fieri ad fallendum, & ad cenſuras effugiendas. Quod magis perſpicuum fiet in expoſitione quinquageſimæ primæ.

Secundo eſt tertio, quia falſum eſt, quod in ejuſdem codicis textibus Queſnellus aſſeruerit, humanam voluntatem gratiæ interiori reſiſtere in natura lapſa. Etenim in locis adductis vel loquitur de gratiis exterioribus, ac de exhortationibus in theſi quinta dixit non indurari cor magis obdurandum, ſi de gratia interioris; vel loquitur de impulſu, ac viribus naturæ ſine operandum invitatis gratia interiori ſine operationes bona, quod *nihil habet niſi*

quæ [illegible] dum, ut ſit pure ſufficiens. [illegible] iſtæ ex triplici titulo proſcribendæ fuerunt; Et quia in proprio, ac obvio verborum ſenſu veritatibus Catholicis refragantur; Et quia ex adjunctis loci, temporis, & Codicis erroneum ſenſum præſeferunt: Et quia ſenſus Catholicus, ad quem Queſnelliani verba illa conantur detorquere, non ſolum nuſquam ab Auctore docetur, quin etiam alibi paſſim docetur ſenſus erroneus, quem exhibent verba. Unde ſicut Innocentius XII. in litteris datis ad Epiſcopos Belgii in forma Brevis anno 1694. & 1696. declaravit quinque propoſitiones ex libro Janſenii excerptas damnatas eſſe, tum in ſenſu obvio, quem ipſamet verba exhibent, ac præſeferunt, tum in obvio ſenſu, quem in Janſenii libro habent, ac in ſenſu intento a Janſenio; ita dicendum de theſibus iſtis e Queſnelli libro excerptis, quod ſimiliter in iiſdem ſenſibus proſcribi meruerint.

Addunt etiam ad excuſandum Queſnellum, non in alio ſenſu voluiſſe, quod gratia ſemper ſit efficax, niſi in quantum ſemper aliquid efficit, juxta doctrinam Angelici p. 2. qu. 110. art. 1. ubi docet, gratiam ſemper ponere aliquid in anima. Quod autem noluerit Queſnellus gratiam eſſe irreſiſtibilem juxta theſes proſcriptas Janſenii, videtur ſatis colligi ex eo, quod non ſemel dixerit, nos reſiſtere gratiæ; etenim in cap. 20. Lucæ v. 10. dicit, contumeliam facere Spiritui Dei, qui gratias rejicit; & in cap. 22. Matth. v. 4. habet: *Etſi repulſam paſſus, & cordis reſiſtentiam Deus, haud tamen a propoſito ceſſat.*

Hæc tamen non eſt excuſatio, ſed eluſio. Angelicus enim loco laudato ſolum docet, quod Deus conferendo gratiam aliquid ponat in anima, non vero quod gratia ſemper efficiat id quod Deus jubet, quin poſſit illam voluntas impedire, aut retardare, ut vult Queſnellus. Deinde ubi Queſnellus dicit voluntatem reſiſtere gratiæ, vel loquitur de gratia interiori, quæ det ſufficientiam ad ponendum actum præceptum, puta contritionem; vel de gratia, quæ non conferat hanc ſufficientiam; Non poteſt intelligi, quod loquatur de gratia ſufficiente, cum illam paſſim in his theſibus rejiciat; in prima enim dicit, in peccatore adeſſe impotentiam generalem ad quodcunque opus bonum; in ſecunda, quod ſine gratia efficaci nihil fieri poſſit; & ſic in aliis plurimis. Quod ſi loquatur de gratia interiori, quæ [illegible] det ſufficientiam ad ponendum actum [illegible]tum, puta contritionem, ſed ſolum [illegible]a, quod peccator ob omiſſionem [illegible] præceptæ damnetur; certe talis gratia eſſet, & non eſſet gratia; eſſet quidem, quia eſſet donum ſupernaturale, ut ſupponitur; non eſſet vero, quia ſi per illam peccator non redderetur potens ponere contritionem præceptam, ſolum deſerviret in ejus condemnationem, unde non eſſet beneficium, ſed ingens maleficium, a quo rationabiliter peteremus liberari: Ad eum modum, quo ſi præcipiatur homini volatus, & non conferantur vires ſufficientes ad volandum, ſed ſolum conferantur vires tenues, ratione quarum damnetur, ſi non volet, certe vires iſtæ non eſſent beneficium, ſed maleficium, quippe quæ ſolum deſerviret, ut omittens volatum poſſit condemnari, prout docet Queſnellus in theſi 39.

ut

ut proinde nequeat a Janſeniſmo excuſari, dum docet, gratiæ effectum non poſſe a voluntate impediri, aut retardari.

Denique Queſnellum excuſant, quia non negat poſſe hominem gratiæ interiori aliquatenus reſiſtere, aut quia dum conſentit ſub gratia efficaci, concupiſcentia contranititur impreſſioni gratiæ; aut quia voluntas conſentiens ſub gratia efficaci adhuc retinet poteſtatem ſibi intrinſecam, & eſſentialem, qua poſſit etiam cum diſſenſu conjungi.

Sed contra eſt, quia ſi voluntas ſolum hoc pacto poſſet gratiæ interiori reſiſtere, non poſſet illi reſiſtere in ſenſu Catholico, ſeu retinendo libertatem indifferentiæ ad conſentiendum, vel diſſentiendum; ſed ſolum poſſet reſiſtere ad mentem Janſenianorum cum ſola libertate a coactione; Unde neque juxta hanc viam Janſeniſmus declinatur.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim X.

DEcima errat enormiter docendo, quod gratia ſit operatio manus omnipotentis Dei, quam nemo poteſt impedire, aut retardare. Errat quidem, dum vult gratiam ſemper eſſe efficacem, (hoc eſt ſemper efficere conſenſum) nec dari gratiam, cujus unquam effectus aut impediatur, aut retardetur. Errat pariter dum docet, gratiæ ipſi efficaci, ſub qua de facto ponitur conſenſus, non poſſe hominem contraniti, impediendo, aut retardando conſenſum, adeo ut gratia hæc, quæ de facto eſt efficax, & conjungitur cum conſenſu, ex libera determinatione voluntatis, non potuerit hac efficacia carere, adeoque potuerit conſenſus, qui ſub hac gratia de facto ponitur, culpabiliter impediri, aut retardari. Etenim ſi homo libere operatur ponendo ſub gratia iſta ſibi collata conſenſum, ac reddendo illam efficacem, ſeu conſenſus effectivam, conſequens eſt, ut poſſit etiam conſenſum non ponere, retinendo ſolum potentiam ad conſentiendum abſque conſenſu ab ea cauſato, (atque adeo retinendo gratiam, ſine qua iſthæc potentia non habetur) unde gratiam retineret pure ſufficientem ad ponendum conſenſum liberum, excluſa ejus efficacia. Hoc fert ipſe conceptus libertatis a neceſſitate, ſine quo meritum conſiſtere non poteſt, ut docent Catholici adverſus tertiam Janſenii proſcriptam theſim. Hoc etiam diſerte docet Tridentinum ſeſſ. 6. can. 4. ubi definit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum ita aſſentiri Deo excitanti, & vocanti, ut ſimul *poſſit diſſentire, ſi velit*. Poteſt itaque homo eo ipſo, ac ſub gratia efficaci operatur libere, eidem gratiæ reſiſtere, ejuſque effectum impedire, aut retardare; propterea adverſus quartam Janſenii proſcriptam theſim definitum eſt, Gratiam talem eſſe, cui poſſit humana voluntas reſiſtere, aut obtemperare. Quod ſi effectus gratiæ retardari non poſſet, quomodo diceretur Eccleſ. 5. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*. Si enim gratia conferretur peccatori, cui converſio præcipitur, cum ejus effectus juxta hanc theſim retardari non poſſit, inepte præciperetur, quod converti non tardet; quod ſi nulla eidem gratia conferretur, pariter inepte cita converſio præciperetur; non ſecus ac deſtituto pedibus diceretur, Ne tardes ambulare. Neque dici poteſt, quod ei conferatur gratia quædam debilis, cui de facto reſiſtit, ut explicabimus in Anacephalæoſi theſis decimætertiæ.

PROPOSITIO XI.

Gratia non eſt aliud, quam voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet. *Queſnellus Marc. 3. 11. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Sub his paucis verbis quatuor hæreſes latent. II. Quas tamen alias fuſe rejecimus.

III. Iterum ex Tridentino demonſtratur, ad merendum, & demerendum requiri libertatem indifferentiæ. IV. Non ſufficere libertatem a coactione, quam aſtruit Janſenius, olim etiam proſcriptum fuerat. V. Nodus Gordianus, qui habetur in concilianda efficacia Gratiæ cum libertate arbitrii, multas hæreſes invexit. VI. Ex quo fit, Janſenianam doctrinam non ſubſiſtere. VII. Explicatur quomodo Deus expectet, ut miſereatur noſtri. VIII. Et quomodo gratia efficax ad bonam operationem ſit neceſſaria, quamvis hæc poni poſſit circumſcripta gratia efficaci.

IX. Ex ſocordia duntaxat voluntatis oritur, quod Gratia ſufficiens careat effectu a Deo per illam intento. X. Diluuntur objecta adverſus gratiam Sufficientem.

I. IN roſeto harum theſium, ſi ſpeciem ſpectemus, in dumeto tamen, ſi ſpectemus doctrinam, non una duntaxat latitat peſ-

peſtilens fera : paſſim reperias Amphiſibænam, bicipitem anguem : paſſim Cerberum triſaucem : paſſim Hydram Lernæam, quæ uſquequaque virus eructat. Quam multi errores paucis doloſæ hujuſce theſis verbis conteguntur! Quod gratia ſit Dei voluntas; quod eidem competat vis quædam omnipotens, cui nemo adverſetur: quod nulla ſit cooperatio voluntatis ad operationes ſalutares; denique quod gratia natura ſua faciat, quod jubet.

II. Quod attinet ad primum; in theſi 19. quæ huic eſt valde affinis, oſtendemus, neque gratiam habitualem, neque gratiam actualem eſſe Dei voluntatem, ſed utramque eſſe qualitatem animæ intrinſecam, & inhærentem: juxta doctrinam Tridentini, & Patrum. Quod attinet ad ſecundum, oſtendimus in ſuperiore theſi, voluntatem creatam ratione propriæ libertatis poſſe effectum a Deo per gratiam intentum impedire; Cum hoc omnipotentiam divinæ voluntatis, & gratiæ exaltet potius, quam extenuet: etenim Dei omnipotentiam commendat, quod poſſit condere creaturas liberas, quibus integrum ſit divinam voluntatem, & legem impie contemnere, ac illi contraniti; unde poſſit Deus ſua Attributa Miſericordiæ, ac Juſtitiæ erga illas exercere. Quod attinet ad tertium, dicemus in theſi 21. & ſequentibus ita gratiam Chriſti efficacem operari in nobis, quod Deus jubet, ut cum gratia etiam voluntas libere cooperetur; adeo ut hæc operationem gratiæ non impediat. Quoad ultimum dixímus in octava theſi, & in duabus aliis illi proxime præcedentibus gratiam per Chriſtum non ſemper eſſe efficacem, idque ex ſola culpa noſtræ voluntatis, non ex gratiæ defectu; ac proinde non ſemper Dei omnipotentis voluntas gratiam conferens operatur in nobis, ſeu facit, quod jubet.

III. Quoniam autem ex eadem infecta radice tot erroneæ theſes, & venenata germina pullulant, videlicet ex eo, quod nulla agnoſcatur a Janſenianis gratia pure ſufficiens in natura lapſa juxta antiquam hæreſim Joviniani, Calvini, Molinæi, & aliorum Heterodoxorum, idcirco operæ pretium eſt iterum Hydram hanc inſectari, noviſque ſemper telis contundere, confodere, ac conterere. Et ſane Tridentinum ſeſſ. 6. can. 6. anathematizat, *Qui dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie & per ſe, adeo ut ſit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli.* Hoc autem non ſubſiſteret, ſi ſolum daretur gratia illa Janſeniana, qua Deus facit, quod jubet; nam quomodo eſſet in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſi deeſſent illi vires ſufficientes ad viam bonam capeſſendam, & ad declinandum a mala? Cum autem vires ſufficientes ad capeſſendam viam, quæ ducit ad vitam, ſubminiſtrentur a gratia ſufficienti, ubi iſta deſit, jam non eſt amplius in poteſtate hominis divertere a via, quæ ducit ad perditionem. Ex quo etiam fit, quod opera mala hominis, æque ut bona, Deus operaretur; non enim eſſet integrum homini operari mala opera, ita ut Deus ea ſolum permittat; cum ex defectu gratiæ ſufficientis non ſit liberum homini illa declinare; non ſecus ac non eſt liberum homini a bonis operibus abſtinere, ubi donatur a Deo gratia Janſeniana, qua irreſiſtibiliter Deus facit in nobis, quod ipſe jubet.

Hanc autem libertatem ad viam mandatorum Divinorum arripiendam, & ad odio habendam viam iniquitatis paſſim Scripturæ commemorant. Eccleſ. 31. *Beatus* dicitur, *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.* Zachar. 5. *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Iſaiæ 55. *Derelinquat impius vias ſuas, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ei, quoniam multus eſt Dominus ad ignoſcendum.* Eccleſ. 15. *Appoſuit tibi aquam, & ignem; ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Quibus Scripturæ locis Patres concinunt uniformiter. Auguſt. lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 2. *Quis noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* & Baſil. Hom. in Pſalm. 61. *Unicuique noſtrum intus eſt ſtatera quædam a Conditore noſtro fabricata.* Quod autem per has, aliaſque innumeras auctoritates indicetur libertas indifferentiæ, ad quam gratia ſufficiens eſt omnino neceſſaria, & non ſola libertas a coactione, nemo niſi fatuus, qui ſit in ſua pervicacia obduratus, poterit inficiari; proinde Bellarm. lib. 3. de Grat. & lib. arb. cap. 5. ait, *libertatem a neceſſitate omnino requiri ad liberum arbitrium; neque ſatis eſſe libertatem a coactione, demonſtrari poteſt ex teſtimonio Scripturæ, ex definitione Eccleſiæ, ex traditione Patrum, ex lumine rationis.*

IV. Janſenius tamen (cui auctor harum theſium, ac multi Aſſeclæ aſtipulantur) perfricta fronte audacter dixit lib. 8. de Grat. Chriſti cap. 15. *Gratia quantumcumque efficax, etiam talis, qualis in Cœlo cum ſumma delectatione dabitur, nullo modo tollit libertatem*, id-

que

que ob eam duntaxat rationem ſanæ Philoſophiæ, nedum Theologiæ, adverſam, quam tradit cap. 19. quia ſcilicet ſola vis, & coactio (cujus eſt incapax voluntas relate ad actus ſuos) adverſatur libertati: *Nulla*, inquit, *gratiæ efficacia, nulla neceſſitas actibus liberis formidanda eſt, ſed ſola vis, coactio, & neceſſitas violentiæ*. Vis autem, coactio, & neceſſitas violentiæ cadere non poſſunt in ipſos actus elicitos voluntatis, ſed ſolum cadere poſſunt in actus imperatos aliarum potentiarum, qui ſolum poſſunt provenire ab extrinſeco contra voluntatis inclinationem; & ideo Janſeniani docent nullum actum voluntatis eſſe neceſſarium, ſed quemcumque liberum, libertate videlicet a coactione, quam docent ad meritum, ac demeritum eſſe ſatis. Utrumque autem proſcriptum fuit olim a Pio V. Greg. XII. & Urb. VIII. in theſibus Baji dicentis: *Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit*; Ea ſcilicet libertate, quæ ad meritum, & demeritum ſit ſatis, prout Bajus contendit, dicendo in alia theſi; *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit*.

V. Addo, hinc validiſſime confirmari, quod in peccante detur libertas indifferentiæ ad non peccandum, atque adeo gratia pure ſufficiens ad declinandum peccatum, ex hoc ipſo, quod in explicanda, ac ſtabilienda concordia gratiæ efficacis cum libero arbitrio adverſus Hæreticos, Doctores Catholici jam inde a primordiis Eccleſiæ ſemper deſudarint: Ea enim difficultate preſſi multi cum Pelagio gratiam, alii vero cum Monachis Adrumetinis liberum arbitrium de medio ſuſtulere, ut notavit Auguſtinus in Epiſtola ad Valentinum illorum Abbatem, dicens: *Quidam in vobis ſic gratiam prædicant, ut negent hominis liberum arbitrium*. Quod pariter Pennottus Tapperus, aliique Calvino exprobrant, quaſi renovarit hæreſim Joviniani, & aliorum, qui gratiæ vim ita extulere, ut humanæ voluntatis libertatem funditus everterint. Et Janſenius ipſe lib. 5. de hæreſi Pelag. cap. 14. annotavit, in hac perdifficili quæſtione tam erraſſe qui gratiæ vim extulerunt, ita ut liberum arbitrium everterent; quam eos, qui ut ſartum tectumque ſervarent arbitrium, gratiæ efficaciam enervarunt; Enormius autem erraſſe tum Pelagianos, tum Monachos Adrumetinos, qui difficultate preſſi negarunt gratiæ vim, & efficaciam cum libero arbitrio poſſe conciliari; Hæc addens: *Illud tamen inter utroſque diſcrimen eſt, quod Pelagiani, ne libertas tolleretur, gratiam ſuſtulere; Adrumetini, ut ſalva maneret gratia, libertatem. Nempe quia illi erant hæretici inimici crucis Chriſti; hi Catholici, qui quidlibet ſibi tolli mallent, quam gratiam Dei*. Verum quamvis Adrumetini Catholicos imitarentur in hoc, quod mallent Cœlo ipſo privari, quam gratia, ſeu amicitia divina; Hæreticis tamen aſtipulabantur negando arbitrii libertatem. Veritas quippe Catholica habet, quod Deus utrumque nobis benigne contulerit, & liberum arbitrium, & gratias auxiliares, quæ ab arbitrio determinarentur ad ſalutares operationes: Quoniam autem id percipere non valebat Janſenius, Calvinianam hæreſim in medium adduxit, dicendo, ad ponendas operationes ſalutares vitæ æternæ meritorias ſatis eſſe libertatem a coactione; pietatem quidem in ſpeciem, ac vafre oſtentavit verbis illis exprimentibus, malle ſe libero arbitrio privari, quam gratia, ſuppoſita eorum incompoſſibilitate; ſed revera ultra modum impie adverſus Catholicas veritates pugnavit contendendo, quod gratiæ efficacia cum arbitrii libertate a neceſſitate abſolute cohærere non poſſet.

VI. Sed redeamus ad vim noſtræ ratiocinationis: Perdifficile ſemper penes Catholicos fuit explicare viam conciliandi efficaciam gratiæ cum arbitrii libertate, ut proinde tot hæreſes in hac re paſſa ſit Eccleſia; atqui ſi ſubſiſteret concordia iſta, quam in medium adducit Janſenius, dicendo gratiam eſſe ineluctabilem per hoc, quod arbitrium ſolum polleat libertate a coactione, non libertate indifferentiæ, nulla prorſus eſſet difficultas in ea concordia explicanda, ac percipienda: ergo ſententia iſta Janſeniana nullatenus ſubſiſtit.

VII. Confirmatur ulterius directe ex verbis illis Iſaiæ 30. *Expectat Deus, ut miſereatur veſtri*. Quid autem Deus a peccatore expectat, niſi pœnitentiam, ut poſſit illi ſuam miſericordiam elargiri, non elargiturus, ſi pœnitentiam, & converſionem negligeret? ergo poteſt peccator & converſionem ponere, cum ea expectetur a Deo, & converſionem omittere, cum ad illam Deus hortetur, illamque jubeat; atqui niſi daretur in peccatore negligente ſuam converſionem gratia ſufficiens ad illam ponendam, non poſſet Deus illam expectare; ſicut non poteſt expectari viſio a cæco, cui deeſt potentia ad videndum; ergo datur in natura lapſa gratia pure ſufficiens, qua poſita Deus jubet, nec tamen facit id quod jubet, ex culpabili contranitentia arbitrii. Quomodo autem verum ſit, quod Deus in ſenſu Catholico, & non in ſenſu Semipelagiano expectet noſtras operationes, ut miſereatur

noſtri, explicabimus theſi 18. ubi dicemus, non moveri Deum ad conferendam nobis miſericorditer gratiam ſuam ſive prævenientem, ſive juſtificantem a noſtris naturalibus operationibus honeſtis, ſed a ſupernaturalibus duntaxat, quas ponimus adjuti a ſua gratia auxiliante, moveri Deum ad ulteriores gratias conferendas. In ſcholis autem fuſe Catholici explicant, unuſquiſque juxta ſua principia, Gordianum, & implexum nodum de concordia gratiæ efficacis cum libero arbitrio.

VIII. Illud hic videtur negotium faceſſere, quonam pacto dici poſſit, quod gratia efficax, qua Deus cum cooperatione voluntatis facit, quod jubet, ſit abſolute neceſſaria ad bonam operationem præceptam, ut de facto eſt, & tamen ſine gratia efficaci adhuc poſſit ea operatio poni vi gratiæ pure ſufficientis: ut proinde non poſſit peccator in excuſationem ſuæ tranſgreſſionis adducere defectum gratiæ efficacis ad habendam operationem præceptam perneceſſariæ. Videtur enim aciem intellectus effugere, quod A fieri poſſit ſine B, quando ad habendum A eſt ineluctabiliter neceſſarium ipſum B.

Sed advertenti facile eſt percipere, quod B ſit aliquando neceſſarium, ut ponatur, quin vero ſit neceſſarium ut poſſit poni A; ſicut viſio eſt neceſſaria, ut habeatur oculus videns, ſeu ut ponatur denominatio videntis, quin tamen ea ſit neceſſaria, ut poſſit poni iſta denominatio; ſufficit enim ſolus oculus, ut poſſit poni viſio, & per illam ponatur oculus videns. Sic etiam, ut ponatur peccatum neceſſe eſt, quod illud præcognoverit Deus ab æterno: at ut poſſit poni peccatum ab eo, qui libere legem implet, non eſt neceſſe, quod fuerit ab æterno præſcientia de peccato: Et ut Judas ſalvetur, requiritur ejus prædeſtinatio ab æterno: quæ tamen non requiritur, ut poſſit ſalvari: Nam de facto poterat ad Dominum reverti, & ſalvari, quin fuerit ulla ejus prædeſtinatio ab æterno. Eodem prorſus pacto, ut ponatur bona operatio, requiritur gratia efficax, ſive quia ea trahit, ſive quia involvit ipſam bonam operationem: at vero ut poſſit bona operatio poni, ſatis eſt gratia pure ſufficiens, quippe quæ dat ſufficientes vires ad bene operandum: Et hinc eſt, quod non poſſit in ſententia Catholica peccator excuſationem adducere de peccato ſuo, & Deum cauſari, quod denegarit ſibi gratiam efficacem: Sufficit enim, quod ſibi non defuerit gratia ſufficiens, ut eatenus dici poſſit, quod ipſe defuerit gratiæ, non gratia ſibi: ac proinde omittendo operationem præceptam reus ſit odii Divini, & pœnæ æternæ; & inſuper defectus gratiæ efficacis imputari debeat uni arbitrio, quod culpabiliter noluit gratiæ ſufficienti ſibi præſtitæ conſentire, & cum illa cooperari, non vero Deo conferenti gratiam prævifam pure ſufficientem, cum poſſet conferre aliam gratiam ex prævifis efficacibus. Deus quippe, dum confert gratiam pure ſufficientem, ac prævifam inefficacem, non confert illam qua inefficacem, videlicet aut intendendo inefficaciam, aut conferendo illam eo animo, ut ſi prævideretur efficax, illam denegaret, & aliam ſeligeret ex inefficacibus; ſiquidem intendendo inefficaciam gratiæ, intenderet Deus ipſam culpam; quod obſtrepit Bonitati Divinæ; unde Deus eſſet peccati auctor, & peccatum hominis tribueretur principalius Deo: ſicut principalius tribuitur Deo bona hominis operatio, quando Deus in ordine ad illam confert auxilium prævifum efficax, aut ſi conferat auxilium A efficax qua efficax, hoc eſt eo animo, ut ſi auxilium A prævifum fuiſſet inefficax, non fuiſſet collatum illud, ſed aliud ſeligendum ab efficacibus.

IX. Ex hoc autem, quod Deus auxilium inefficax ſolum conferat qua ſufficiens, non qua inefficax, ſeu intendendo ejus ſufficientiam dumtaxat, non vero inefficaciam, ſequitur, quod culpa, & inefficacia gratiæ uni creaturæ tribuatur, quæ licet gratiæ illi culpabiliter deſit, in vacuum illam recipiendo, adhuc tenetur rependere Deo grates ob ingens beneficium ſibi collatum per collationem gratiæ ſufficientis ex intentione, quod per illam a nobis ponatur bona operatio:

Ad eum modum quo (ut exemplificat Hugo de S. Victore) exiſtens in fovea grates debet offerenti manum, ut ex ea poſſit extrahi; quamvis ille ob deſidiam nolit manum oblatam apprehendere, ut extrahatur. Et quamvis majus beneficium conferret Deus peccatori, ſi vice gratiæ, quam prævidit inefficacem, conferret aliam efficacem, non per hoc poterit ille juſte conqueri, aut in excuſationem ſuæ culpæ adducere defectum gratiæ efficacis, quam diximus neceſſariam, ut habeatur bona operatio; Etenim ea non eſt neceſſaria, ut bona operatio poſſit poni: Nec Deus ex munere cauſæ primæ tenetur ſemper creaturæ conferre gratiam prævifam efficacem: aliter non poſſet peccatum permittere, nec poſſet condere creaturas liberas ad peccandum: unde nec poſſet erga iſtas exercere ſua attributa miſericordiæ, juſtitiæ, liberalitatis, & alia id genus. Hinc Auguſtinus lib. 11. de Geneſi

ad

ad litt. cap. 9. inquirens, Cur Adamum Deus non præſervaverit a culpa, conferendo ei gratiam efficacem: reſpondet: *Poſſet plane: Cur ergo non fecit? quia noluit: Cur noluerit, penes ipſum eſt.* Quæ omnia fuſius in tertia theſi explicavimus.

X. Quia tamen multa congerunt Janſeniani ad tollendam de medio gratiam ſufficientem in ſtatu naturæ lapſæ, paucis hic ea ſubjicimus, quæ negotium aliquod videntur faceſſere, ut eorum futilitas etiam parum in Theologica paleſtra inſtructis innoteſcat.

Primo quidem objectant. Si gratia ejus indolis eſſet, ut poſſet voluntas pro libito illi conſentire, vel diſſentire, ejuſdemque ductum proſequi, aut reſpuere, ut proinde præter gratiam efficacem daretur gratia ſufficiens, ſequeretur, quod non gratia (ſeu Deus per gratiam) ſubjiceret ſibi voluntatem, ſed potius gratia Dei voluntati hominis ſubjiceretur. Quid enim importat alteri ſubjici, quam ad alterius arbitrium operari? quare ſicut habitus acquiſitus vere ſubjicitur voluntati; quia ad ejus nutum operatur, ita prorſus gratia voluntati ſubjiceretur: quod tamen derogat conceptui gratiæ; ſiquidem gratia, ſeu Deus per gratiam, eſt, quæ operari facit voluntatem, non vero liberum arbitrium, quod operari facit gratiam, reddendo illam pro libito efficacem, vel inefficacem; etenim ut dicitur ad Philipp. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Et ſane jure merito ab Innocentio XI. confixæ fuerunt die 23. Novembris 1679. duæ illæ theſes tanquam ad minimum temerariæ, & novæ, videlicet, *Deus donat nobis omnipotentiam ſuam, ut ea utamur, ſicut aliquis donat alteri villam, aut librum:* necnon, *Deus ſubjicit nobis ſuam omnipotentiam*; quare a fortiori digna, quæ proſcribatur, erit hæc theſis: *Deus donat nobis ſuam gratiam, ut ea utamur, ſicut aliquis donat alteri librum*: necnon hæc alia: *Deus ſubjicit nobis ſuam gratiam*; quod importaret Deum ſubjicere nobis ſuam omnipotentiam in ordine ad operationes liberas ſupernaturales.

Reſpondetur tamen primo, argumentum hoc ſolvendum ab ipſis Janſenianis, qui docent gratiam collatam Angelis, & Protoparentibus in ſtatu innocentiæ non determinaſſe voluntatem ad operationes ſupernas, ſed in eorum poteſtate fuiſſe, ut ea ad arbitrium uterentur. Deinde dicendum, quod licet omnipotentia cooperetur cum voluntate ad hujus arbitrium in ordine ad operationes naturales, & Gratia in ordine ad operationes ſupernas, non eatenus dici poteſt in rigore, quod aut Omnipotentia, aut Gratia voluntati ſubjiciatur, aut quod donentur nobis, ut iis utamur, ſicut donatur villa, aut liber. Et ratio eſt, quia (ut diximus in Appendice Trutinæ §. 4. exponendo duas iſtas confixas theſes ab Innocentio XI.) diſſonant perfectiſſimo Dei dominio erga creaturas, necnon conceptui gratiæ locutiones iſtæ: quandoquidem quando Omnipotentia præparat concurſum ſuum in actu primo indifferentem, ut poſſit voluntas ad arbitrium operari, tunc adhuc retinet ſuum perfectiſſimum dominium erga creaturas liberas, qua liberas, quatenus nihil creatura poteſt libere operari citra Divinam prædefinitionem, aut permiſſionem; Unde non poteſt dici, quod voluntati creatæ ſubjiciatur. Illud autem intercedit diſcrimen inter Dominum creatum, & ſupremum Dominum, quod ſi Dominus creatus det ſervo facultatem, ut ad arbitrium operetur, hic eatenus ab ejus ſubjectione eximitur. At ſi Deus det facultatem creaturæ, ut libere operetur, adhuc creatura eſt Deo ſubjecta, etiam relate ad operationes liberas, quatenus videlicet poteſt Deus prædefinire, aut permittere operationes liberas creaturæ; dicitur enim Prov. 21. *Cor Regis in manu Dei, quocunque voluerit inclinabit illud;* Et Jerem. 18. *Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu Dei;* & diſertiſſime Auguſtinus de Spir., & lit. cap. 14. *Sine dubio habet Deus humanorum cordium, quo placet inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem; magis enim habet in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas.* Hinc licet Omnipotentia, & Gratia ponatur in manu voluntatis, non eatenus dici poteſt, quod Omnipotentia, & Gratia voluntati creatę ſubjiciantur, aut quod creaturę donentur, ſicut donatur villa, aut liber. Ubi advertendum, quod licet voluntas utatur præſtito ſibi concurſu Omnipotentiæ in actu primo indifferenti parato ad concurrendum in actu ſecundo tam ad operationes honeſtas liberas, quam ad peccaminoſas; Gratia tamen, quæ poteſt ad arbitrium voluntatis influere ad operationes ſupernas, poteſt quidem ad eas non influere, non tamen poteſt influere ad operationes peccaminoſas; cum non indigeant operationes peccaminoſæ concurſu Gratiæ, indigeant tamen concurſu Omnipotentiæ. Hinc deridendi ſunt, qui gratiam ex libertate voluntatis influentem in actum bonum vocant per ludibrium *gratiam verſatilem*, perinde quaſi poſſit utroque verti, & tam ad actum bonum, quam ad malum influere, quod eſt falſiſſimum.

Præterea illud eſt diſcrimen inter Gratiam.

tiam, & habitum naturalem acquiſitum, quod licet ad arbitrium voluntatis tam Gratia, quam habitus iſte operetur, nihilominus non determinamus nos gratiam ad operandum, ſed voluntas ex virtute gratiæ determinat ſe ipſam ad conſenſum cum poteſtate diſſentiendi, quatenus determinatio ad conſenſum principalius eſt a gratia, ſeu a Deo per gratiam intendente infallibiliter conſenſum Contra vero voluntas non determinat ſe ad actum ex virtute habitus acquiſiti, ſeu per virtutem ab eo acceptam; unde habitus non eſt principalis cauſa actus; imo voluntas ſine tali habitu poteſt actum ponere (quamvis non cum eodem conatu, & facilitate). Quare licet habitus acquiſitus dici poſſit ſubjici voluntati, non tamen Gratia, nec Omnipotentia; & ideo primæ partes relate ad actum non ſunt habitus, ſed ſunt ipſius voluntatis; contra vero primæ partes relate ad conſenſum ſalutarem ſunt gratię, non voluntatis. Et ratio a priori eſt, quia gratia congrua confertur ut medium infallibiliter inductivum conſenſus liberi, ſuppoſita præſcientia divina de conſenſu ſecuturo, & ideo relate ad hunc conſenſum primæ partes ſunt gratię; at habitus acquiſitus non eſt hujuſmodi, ut patet; unde diſpar ratio; Etenim licet tam gratia, quam habitus acquiſitus ex determinatione voluntatis influant in actum liberum, determinatio tamen voluntatis ad conſenſum ſalutarem eſt ex virtute gratię, quę infallibiliter eſt inductura talem conſenſum, ſuppoſita ea præſcientia: at determinatio voluntatis ad actum liberum naturalem non eſt ex virtute habitus acquiſiti, ſed ex propria virtute.

Secundo objectant: Sive dicatur cum nonnullis, in poteſtate hominis eſſe, ut gratiam faciat efficacem, quę de ſe eſſet ſolum ſufficiens, (quorum modum loquendi rejicit tanquam alienum a mente D. Auguſtini, & a locutionibus Scripturarum Bellarm. lib. 1. de Grat. cap. 12.) ſive dicatur cum aliis, eſſe ſolum in poteſtate hominis, quod vocatio ſit congrua, & gratia ſit efficax ſaltem in actu ſecundo, quatenus poſſumus illi libere conſentire cum poteſtate diſſentiendi; eſſe tamen in poteſtate, ac libertate ſolius Dei, quod homini conferatur vocatio congrua, & gratia efficax: Sive cum aliis dicatur, quod liberum arbitrium in virtute gratiæ poſſit ſe determinare ad conſenſum reſiſtibiliter; ita ut determinatio ad conſenſum ſit a gratia principaliter, quatenus voluntas poteſtate accepta a gratia determinat ſeipſam ad conſenſum, quin tamen gratia a voluntate determinetur ad coagendum: Ad eum videlicet modum, quo a voluntate determinatur ad coagendum habitus acquiſitus; cum voluntas non habeat ab habitu poteſtatem ad ponendum actum liberum, habeat vero a gratia facultatem ad ponendum conſenſum ſalutarem, ut proinde in virtute gratiæ illum ponat: Sive quocunque alio modo explicetur libertas indifferentiæ in voluntate relate ad actum ſalutarem, nunquam Semipelagianiſmus declinatur; ergo non eſt ejus indolis gratia, ut poſſit voluntas illi aut obtemperare, aut obſiſtere; atque adeo præter gratiam efficacem, qua voluntas indeclinabiliter, ac neceſſario ad conſenſum determinatur, nulla alia datur gratia ſufficiens. Antecedens probatur, quia Semipelagianiſmus in hoc conſiſtit, quod initium ſalutis ſit a nobis, non a gratia; atqui ſi non eſt gratia, quæ determinat voluntatem, ſed voluntas eſt primum eligens, & determinans relate ad conſenſum ſalutarem, initium ſalutis eſſet a voluntate, ſeu a nobis, non vero a gratia, ergo niſi dicatur gratia determinare voluntatem, non declinatur Semipelagianiſmus.

Reſpondetur, utrumque ſcopulum eſſe vitandum, nimirum tam Calviniſmum, ac Lutheraniſmum, quo negatur liberum arbitrium, & dicitur eſſe titulus ſine re, quam Semipelagianiſmum, quo dicitur, Initium ſalutis eſſe a nobis, & non a gratia; Si dicatur voluntas in virtute gratiæ ſe determinare ad conſenſum ſalutarem, liberum arbitrium non eſt titulus ſine re, ſicut eſſet ſi gratia determinaret arbitrium irreſiſtibiliter ad mentem Janſenianorum; unde vitatur a nobis, non a Janſenianis Calviniſmus; Vitatur etiam Semipelagianiſmus, quia initium ſalutis non eſt ratione operationum naturalium, ut ſomniabant Semipelagiani, ſed initium ſalutis eſt in nobis a gratia, ſeu ab illuſtrationibus, ac inſpirationibus ſupernis gratis omnino nobis collatis, quibus tamen libere conſentimus, ut proinde conſenſus hic ſalutaris non ſit naturalis, quamvis facultas naturalis noſtræ voluntatis ad illum concurrat; Quia ſcilicet non concurrit ad illum voluntas viribus ſuis, ſed elevata a gratia. Propterea Auguſtinus lib. de Gratia, & Lib. arb. cap. 17. habet: *Ut ergo velimus, ſine nobis operatur; cum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum operatur.* Etenim relate ad illuſtrationes, & inſpirationes nulla datur noſtra libera cooperatio, ſed illæ uni Deo omni ex parte debentur, relate vero ad noſtrum conſenſum ſalutarem, ita debetur in radice uni Deo, ut etiam

iam voluntas ad illum cooperetur ; Quod expreſſit Auguſtinus in eod. lib. de Grat. & Lib. arb. cap. 5. , expendens illud Apoſtoli : *Non ego, ſed gratia Dei mecum*, ubi ait: *Nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus; ſed gratia Dei cum illo. Ut autem a Cœlo vocaretur , & tam magna , & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola.*

Ex quibus ſequitur, quod licet voluntas ſe determinet tam ad conſenſum, quam ad diſſenſum, quia tamen ad diſſenſum non ſe determinat virtute accepta a gratia , ſed viribus ſuis; contra vero virtute accepta a gratia determinat ſe relate ad conſenſum , ideo voluntas eſt cauſa ſuæ perditionis , gratia vero principaliſſima cauſa eſt noſtræ ſalutis . Quare dum dicitur , quod voluntas relate ad conſenſum ſit primum eligens , ſeu primum determinans , non alia primitas conceditur voluntati, niſi primitas ſecundum quid, & logica, ſeu in genere cauſæ formalis, non vero primitas ſimpliciter, & phyſica, ſeu in genere cauſæ efficientis ; Sicut enim rationale v. gr. in homine ſolum logice eſt prius animali, habet enim prioritatem ſolum a ſubſiſtendi conſequentia , quatenus ex rationali infertur animal , & non e contra ; quia non poteſt dari rationale , quod non ſit animal; poteſt tamen e converſo dari animal, quod non ſit rationale: Ita in caſu noſtro ex hoc , quod voluntas virtute gratiæ eligat , ac ſe determinet ad conſenſum , infertur , quod gratia , ſeu Deus per gratiam principaliter concurrat ad talem conſenſum, & non e contra; quia non poteſt voluntas ſe determinare ad conſenſum , quin Deus ſua gratia principaliter ad illum concurrat ; Poteſt tamen e converſo Deus aliquem effectum ſupernaturalem cauſare in voluntate, quin ad illum voluntas cooperetur , ut accidit quando Deus gratiam infundit, & illi voluntas reſiſtit.

Tertio objectant : Si daretur gratia , cui voluntas poſſet diſſentire , ſequeretur, quod voluntas gratiam redderet efficacem , quando conſentit ; Hoc autem dici non poteſt, quia ſi voluntas gratiam redderet efficacem libere conſentiendo , conſenſus aſcriberetur voluntati, non gratiæ, ſeu Deo per gratiam operanti , unde voluntas eſſet , quæ ſe diſcerneret , non Deus diſcerneret Electos a Reprobis.

Reſpondeo , quamvis voluntas ita conſentiat gratiæ efficaci , ut poſſit diſſentire, juxta doctrinam Tridentini, nihilominus caſtigatius videtur dici , quod non ſit voluntas, quæ gratiam reddit efficacem ; quandoquidem , ut ſupra diximus , non eſt voluntas, quæ determinat gratiam ad conſenſum , ſed voluntas ex virtute gratiæ prævisæ efficacis , & collatę a Deo ex intentione abſoluta conſenſus per ipſam infallibiliter ſecuturi , determinat ſe ipſam ad conſentiendum, ita tamen , ut poſſit diſſentire ; ut proinde infallibiliter quidem ratione Divinę præſcientiæ , ſed tamen contingenter conſentiat . Hinc fit primo , quod conſenſus Deo magis tribuatur , illum per gratiam infallibiliter inducenti , quam voluntati ſe determinanti ad conſentiendum ; ſicut Homicidium v. gr. magis tribuitur mandanti , quam exequenti , ut fuſius explicavimus in theſi antecedenti . Fit ſecundo , quod Deus ſit , qui diſcernat ; non voluntas diſcernat ſe ipſam, cum primæ partes ſint gratiæ , non voluntatis . Fit tertio , quod Deus per gratiam operetur in nobis velle, & perficere , quamvis voluntas libere ſe determinet ad conſenſum, quia hoc ipſum ſe determinare ad conſenſum habet voluntas vi gratiæ prævisæ efficacis , & ad hunc finem a Deo collatæ , ut infallibiliter conſenſum operetur . Fit quarto, quod noſtra prædeſtinatio non ſit currentis , neque volentis, ſed miſerentis Dei , quippe qui miſericorditer ſeligit auxilia prævisa efficacia , ad quæ indubitanter ſalus conſequatur , ut proinde vi talis gratiæ habeatur infallibilitas noſtræ prædeſtinationis . Fit quinto , quod cum poſſimus huic gratiæ infallibiliter inducenti conſenſum diſſentire , conſenſus noſter meritorius ſit , & ſalutaris . Fit ultimo , quod ſic explicando gratiam efficacem ſerventur tum jura omnia Divini dominii , tum jura omnia libertatis creatæ : ſervantur quidem jura Divini dominii , quia hoc pacto Deus habet omnipotentiſſimam poteſtatem inclinandorum , quo libet , cordium, quin tamen diſſenſus , & culpa ullatenus Deo tribuatur ; quando gratia collata eſt pure ſufficiens per reſiſtentiam noſtræ voluntatis ; ſervantur etiam jura libertatis creatæ, ſine qua nullum haberetur meritum, aut demeritum ; quia gratia efficax infallibiliter ſimul , & contingenter conſenſum inducit , eo quod poſſit voluntas illi libere diſſentire.

Denique objectant , quod ſi daretur gratia pure ſufficiens , ſequeretur primo , quod gratia efficax non aliunde eſſet efficax , niſi ex libera determinatione voluntatis : Unde, quod eſt potiſſimum in auxilio efficaci , & in noſtra prædeſtinatione , eſſet a nobis , non a Deo . Secundo ſequeretur , quod homo poſſet reſiſtere gratiæ efficaci ; quod videtur abſonum, quia ea procedit ex propoſito Dei abſoluto , intendente ſimpliciter ,

& abſolute noſtrum conſenſum ; Huic autem divinæ prædefinitioni quis reſiſtat ? Tertio ſequeretur converſionem peccatoris ultimate reſolvi in humanam , non in divinam voluntatem ; Unde ſi a Deo Petrus , & Judas vocentur , & Petrus conſentiat , Judas diſſentiat , ultimata ratio hujus diverſitatis eſſet humana voluntas , quia ſcilicet Petrus vult conſentire , & Judas vult diſſentire ; Cum tamen ex Scripturis dicendum ſit, ideo Petrum conſentire , quia Deus illum benigniſſime traxit, juxta illud Jo. 6. *Nemo poteſt venire ad me , niſi Pater , qui miſit me , traxerit illum* , ac propterea non eſt volentis , neque currentis , ſed miſerentis Dei converſio, & ſalus peccatoris .

Reſpondeo cum Suar. lib. 5. de grat. cap. 29. , Gratiam habere ex ſe ſuam efficaciam , quamvis illam exercere non poſſit ſine concurſu voluntatis , quæ poteſt illi contraniti , ejuſque efficaciam impedire : idemque dicas de habitu infuſo charitatis , qui non recipit efficaciam in actu primo a voluntate , ſed ex ſe eſt determinatus ad cauſandum actum charitatis , eſto non poſſit cauſalitatem hanc exercere abſque coinfluxu , & determinatione voluntatis . Quod etiam in ſententia Prædeterminantium eſt dicendum ; ſi tranſmittatur , quod Prædeterminatio cum voluntatis libertate cohæreat . Auxilium quippe prædeterminans efficere non poteſt conſenſum ſine libera cooperatione voluntatis , nec proinde efficaciam ſuam illud haurit a voluntate , ſed habet formaliter a ſe ipſo , quamvis in actu ſecundo exerceri non poſſit abſque exercitio libero voluntatis , eo quod auxilium (ſicut etiam habitus infuſus) non eſt integrum principium actus , ad quem de ſe habet determinationem , ſed indiget concauſalitate voluntatis ; quæ propterea dicitur poſſe diſſentire , ſi velit , & efficaciam auxilii , ſeu habitus infuſi, impedire. Quod ſi auxilium conſideretur non ſecundum ſe, ſed ut confertur a Deo præſciente , quod ſit conjungendum cum conſenſu , tunc habet infallibilem , quamvis contingentem , connexionem cum conſenſu , & ideo in ejus collatione elucet ſpecialis Dei miſericordia ; ut notavit Auguſt. de Spir. & lit. cap. 34. Ubi adverte , quod ſicut ſcientia viſionis v. gr. de conſenſu abſolute futuro Petri ſupponit hunc conſenſum ſolum tanquam conditionem prærequiſitam , non tanquam prædeterminativam intellectus Divini ad illum exprimendum , cum Divinus intellectus ex ſe ſit eſſentialiter determinatus ad omnem veritatem exprimendam ; ita conſenſus Petri conditionate prævius per Scientiam conditionalem eſt conditio ſolum prærequiſita , non tamen eſt determinativum gratiæ ad illum infallibiliter cauſandum , cum gratia de ſe ſit determinata ad cauſandum conſenſum , quem tamen cauſare non poteſt ſine concauſalitate voluntatis ; Et idem dicas de habitu infuſo charitatis .

Ex quibus patet, id , quod potiſſimum eſt in gratia efficaci , & in noſtra Prædeſtinatione , tum ſecundum intentionem , ſeu propoſitum Dei , tum etiam ſecundum executionem , non eſſe a nobis , ſed a gratia , ſeu a Deo per gratiam ſuam . Primo , quia gratia non datur nobis propter conſenſum noſtrum conditionate futurum , quippe qui in ſtatu illo conditionato nullum habet meritum , ſed confertur gratia , ut conſenſus conditionate futurus ſub tali gratia ſit infallibiliter , & contingenter futurus ſub illa ; ut proinde Apoſtolus 1. ad Epheſ. 4. dicat : *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem , ut eſſemus Sancti* , non vero dicit , Elegit nos , quia futuri eramus Sancti ; Et 1. ad Cor. 7. ut advertit Arauſicanum can. 25. ex Auguſt. dicitur : *Miſericordiam conſecutus , ut ſim fidelis* , non vero quia eram fidelis : Et diſerte Auguſt. lib. de Prædeſt. Sanctor. cap. 19. *Non quia credidimus , ſed ut credamus vocamur* . Aliter etiam Tyriis , & Sidoniis debuiſſet dari auxilium efficax , ſub quo prævidebantur a Deo pœnitentiam acturi , ſi verum eſſet , quod conſenſus conditionate prævius ſub aliquo auxilio eſſet ratio , cur a Deo conferatur tale auxilium . Quare quod eſt potiſſimum in gratia efficaci ſecundum propoſitum Dei , eſt ab ipſo Deo , non a nobis . Deinde quod eſt potiſſimum in gratia efficaci ſecundum executionem , neque eſt a nobis , ſed a Deo , quia quamvis ad conſenſum ponendum requiratur determinatio , ſeu concauſalitas voluntatis , hæc tamen determinatio , & concauſalitas eſt principaliter a Deo conferente gratiam præviſam efficacem , ut per illam conſenſus ponatur a voluntate ; ut proinde conſenſus principaliſſime tribuatur Deo , & gratiæ ad illum ponendum de ſe determinatæ , & ſolum aliquatenus tribuatur voluntati , quæ poteſt impedire efficaciam gratiæ illi reluctando , & non impedit .

Ad ſecundam ſequelam dicendum , voluntatem poſſe reſiſtere gratiæ efficaci ſpecificative , non reduplicative , hoc eſt poteſt reſiſtere gratiæ efficaci ſpectatæ ſecundum entitatem ſuam , aliter a gratia efficaci everteretur libertas , quod repugnat Tridentin. , Senonenſi , & Auguſtino dicenti lib. 3. de liber. arbitr. cap. 8. *Quæcunque*

cau-

cauſa eſt voluntatis, ſi ei reſiſti non poteſt, ſine peccato ei ceditur. Non poteſt tamen voluntas reſiſtere gratiæ efficaci, inquantum efficaci, quia inquantum eſt efficax, vel trahit, vel involvit conſenſum prævisum in Divina præſcientia, & prædefinitum a Deo ſub tali auxilio: & ideo ſicut repugnat, quod in ſenſu compoſito conſenſus detur diſſenſus, ita repugnat, ut voluntas gratiæ efficaci in quantum efficaci, atque adeo involventi conſenſum reſiſtat; Sic enim poneret diſſenſum in ſenſu compoſito conſenſus; quod eſt implicatorium.

Ex quibus ſequitur primo, auxilium efficax de ſe, & in actu primo non diſtingui a ſufficienti; quandoquidem auxilium ſufficiens eſt de ſe efficax, ſeu habet ſufficientem efficaciam, ut ponatur conſenſus cum concauſalitate voluntatis, potentis tamen diſſentire: at auxilium efficax in quantum efficax diſtinguitur a ſufficienti, quia illud præter entitatem gratiæ importat præſcientiam conſenſus conditionate futuri, ac prædefinitionem talis conſenſus ponendi ſub eo auxilio, unde importat etiam ipſum conſenſum prędefinitum infallibiliter ac libere ponendum. Sequitur ſecundo, auxilium efficax ſpecificative ſumptum, & ſecundum entitatem ſuam non eſſe per ſe efficax in actu ſecundo, ſed ſolum in actu primo: Contra vero auxilium efficax in quantum efficax ſuppoſita congruitate eſt per ſe ac neceſſario efficax, ſic enim ſumptum eſſentialiter involvit conſenſum a Deo prædefinitum.

Sequitur ultimo, converſionem peccatoris non eſſe unice, ac immediate reſolvendam in divinam voluntatem; ita ut vera ſit hæc cauſalis, Ideo unice peccator convertitur, quia Deus vult, ut convertatur; ſic enim converſio non eſſet libera: quare immediate debet reſolvi in voluntatem peccatoris, dicendo, Ideo peccator libere convertitur, quia vult converti, & non vult gratię reſiſtere, prout poſſet; At ultimate converſio libera peccatoris reſolvitur in divinam voluntatem, dicendo, Ideo peccator libere convertitur, quia Deus confert illi gratiam prævisam efficacem prædefiniendo liberam converſionem; Unde talis converſio non debet unice, & immediate in ſolam voluntatem divinam reſolvi, ſed in divinam ſimul, & humanam: in hanc quidem immediate, in illam ultimate.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XI.

UNdecima pariformiter errat vehementer, dum ſimiliter docet, gratiam eſſe dumtaxat voluntatem Omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet; quaſi vero nulla alia agnoſcatur gratia in natura lapſa præter efficacem, quæ ſemper conjungitur in corde hominum cum actibus ſupernis liberis a Deo imperatis: ut proinde horum actuum omiſſio non ſit tribuenda ſocordiæ voluntatis, ſed defectui gratiæ, atque adeo ipſi Deo nolenti gratiam, ac vires requiſitas conferre ad obtemperandum, non homini, qui ad impoſſibile obligari non poteſt, prout a Tridentino definitum eſt ſeſſ. 6. can. 18. Quomodo enim dici poſſet 1. Joann. 5. *Mandata ejus gravia non ſunt*; & Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, ſi peccatori contritionem præciperet, nec gratiam, ſeu vires requiſitas ad illam ponendam ullatenus conferret? Quomodo peccantibus exprobrare poſſet Deus illud Iſaiæ 5. *Quid eſt quod debui ultra vineæ meæ facere, & non feci? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Certe qui vineam non irrigat, ita ut valeat uvam producere, nonniſi fatue dicitur ab ea uvam expectare: debuerat ergo Deus non ſolum vineam ſepire, ac electam plantare, ædificando turrim in medio ejus, & torcular in ea extruere, ſed etiam vi ſufficientis auxilii illam irrigare, ut uvę defectus poſſet vineę aſcribi; unde Dominus jure conqueri de illa poſſit, quod feciſſet labruſcas, & comminationibus illis inſectari. *Auferam ſepem ejus, & erit in direptionem; diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem, & ponam eam deſertam; non putabitur, & non fodietur, & aſcendent vepres, & ſpinæ, & nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem.*

Objectatur paſſim a Janſenii Aſſeclis non percipientibus vim gratiæ efficacis, & ſufficientis, quod ſi Deo aſcribenda eſſet culpa peccatoris omittentis contritionem præceptam, per hoc quod non contulerit illi gratiam ſufficientem neceſſariam ad illam ponendam, pariter ejuſdem peccatoris culpa aſcribenda eſſet Deo, per hoc quod illi non conferat (prout poteſt) gratiam efficacem, quæ etiam neceſſaria eſt ad ponendam contritionem prœceptam; quod tamen nemo dixerit. Sed pueriliter hallucinantur. Siquidem gra-

tia ſufficiens neceſſaria eſt, ut poſſit poni contritio; gratia vero efficax non eſt neceſſaria, ut contritio poni poſſit, ſed ſolum ut ea ponatur. Ad eum modum quo in homine potentia viſiva, & facultas aperiendi oculos requiruntur, ut poſſit videre: viſio vero non requiritur, ut poſſit videre, ſed ut ſit videns. Et ratio a priori eſt, quia gratia efficax juxta varias Scholaſticorum opiniones, de quibus non diſputo, vel trahit, vel involvit ipſam bonam operationem, non ſecus ac denominatio videntis involvit ipſam viſionem; & ideo ſicut omnino neceſſaria eſt viſio, ut oculus ſit videns, non vero ut poſſit videre: ita neceſſaria eſt gratia efficax, ut voluntas bene operetur, non vero ut poſſit bene operari. Propterea ſicut Deo aſcriberetur, quod homo non videat, ſi denegaret illi potentiam viſivam, & facultatem ad aperiendos oculos, aut ſi non eſſet paratus concurrere ad viſionem, quoties oculi libere aperiuntur; contra vero homini aſcribitur, quod non videat, ſi iis poſitis nolit oculos aperire: Ita prorſus Deo aſcriberetur, quod a peccatore non ponatur contritio præcepta, ſi illi denegaret gratiam ſufficientem, & non eſſet paratus cum illa concurrere ad contritionem, quandocunque libere vellet ea uti peccator ad obtemperandum: contra vero peccatori aſcribendum, quod non conteratur, ſi nolit libere gratia ſufficienti ſibi collata uti ad contritionem ponendam. Quare univerſim illud eſt alicui imputabile, quod eſt ei liberum: hinc cum non ſit liberum homini videre, ſi caret potentia viſiva, ſit autem liberum, ſi habens potentiam viſivam nolit oculos aperire, idcirco in hoc ſecundo caſu eſt illi imputabile, quod non videat, non vero in primo: & eodem modo, quia non eſt libera peccatori contritio, ſi careat gratia ſufficienti, ſit autem ei liberum dolere, ſi inſtructus gratia ſufficienti nolit ea uti ad ponendam contritionem; idcirco in hoc ſecundo caſu imputatur peccatori contritionis omiſſio, non vero in primo. Idemque dicas in ſententia Prædeterminantium, qui communiſſime nunc docent, præmotionem phyſicam non ſpectare ad actum primum, ſed ad actum ſecundum; & ideo peccatori eſt imputabile, quod non conſentiat, quia quamvis ei deſit præmotio, non deeſt tamen integra potentia ad conſentiendum.

Adde demum, in eo etiam errare theſim iſtam, quod aſſerat, gratiam eſſe Dei omnipotentis voluntatem: cum tamen re vera non ſit Divina voluntas, ſed effectus divinæ voluntatis animæ intrinſecus; ſiquidem gratia habitualis ex Tridentino ſeſſ. 6. can. 11. in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illis inhæret; gratia vero actualis, cum conſiſtat in ſupernis illuſtrationibus, & inſpirationibus, quæ ſunt actus vitales, pariter intrinſeca nobis eſſe debet; unde neutra eſt Dei omnipotentis voluntas.

PROPOSITIO XII.

Quando Deus vult ſalvare animam, quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei. *Queſnel. Marc.* 2. 11. *edit.* 1693. *&* 1699.

SYNOPSIS.

I. Si theſis hæc ſubſiſteret, incaſſum laboraremus, & oraremus ad ſalutem aſſequendam.

II. Falſa veris permiſcent heterodoxi ad decipiendum, dum docent, in manu Dei eſſe ſalutem hominum.

III. Dupliciter poteſt Deus velle ſalutem hominum, videlicet volitione ſolum efficaci quantum eſt ex ſe, & volitione efficaci ſimpliciter. IV. Janſeniani docent, Deum nullatenus velle ſalutem Reproborum. V. Multipliciter explicant, quod docet Apoſtolus, Deum ſcilicet velle omnes homines ſalvos fieri. VI. Calvinus docet, ſumi Omnes homines non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum. VII. D. Auguſtinus, & D. Proſper aperte docent, Deum velle ſalutem omnium omnino hominum. VIII. Damnatur Janſenius, qui docet id ſapere Semipelagianiſmum.

IX. Videtur in præſenti providentia Deus prædefinire omnes noſtros actus ſalutares in particulari ſub circumſtantiis temporis, ac loci. X. Non tamen juxta ſenſum hujus theſis. XI. Conſenſus prædefinitus eſt ſolum neceſſarius neceſſitate conſequente, ſeu neceſſitate dicti, non vero neceſſitate antecedente, ſeu rei.

I. QUis non dixerit, eo Auctorem in hac theſi tendere, ut palam faciat hominibus, ubinam abſconditus noſtræ ſalutis theſaurus deprehendi poſſit, ad hoc ut proni ad Deum recurramus, dicentes cum Pſalmiſta Pſal. 30. *In manibus tuis ſortes meæ?* At ſubdole, & non obſcure ad oſcitantiam incitamur, dum in ea aſſeritur, infallibilem noſtræ ſalutis effectum unice a Divina voluntate pendere, ita ut illi dumtaxat ſalventur indubitabiliter, quorum Deus vult ſalutem. Hinc implicite in hac theſi dicitur, quod relate ad eos, qui non

ſal-

ſalvantur , nullam Deus habet voluntatem illos ſalvandi , ne inefficacem quidem , & ſolum ex parte ſua efficaeem ; Unde fieret , quod Reprobi ſalutem non conſequantur , ex eo quod nullatenus Deus velit illos ſalvare , & non ex defectu propriæ voluntatis nolentis gratiæ auxiliis cooperari . Quod verbis luculentioribus infra Queſnellus exprimit tum in theſi vigeſimaprima , & tribus ſequentibus , ubi docet , gratiæ operationem imitari operationem Dei Incarnantis Filium ſuum , producentis creaturas ex nihilo , & ſanantis corpora : tum in trigeſima , quæ habet : *Omnes , quos Deus vult ſalvare per Chriſtum , ſalvantur infallibiliter* . Fruſtra proinde Apoſtolus Philipp. 2. inclamaret : *Cum timore , & tremore ſalutem veſtram operamini* , ſi nullatenus ad ſalutem conferrent noſtræ operationes , ſed ſalus unice , & indubitabiliter conferenda eſſet ad arbitrium Divinæ voluntatis ; non ſecus ac ad arbitrium Divinæ voluntatis huic potius , quam alteri Humanitati Unio hypoſtatica collata eſt , quin ullatenus ad illius unionis productionem liberum Humanitatis aſſumptæ arbitrium influxerit . Fruſtra pariter Divinum adjutorium imploraremus verbis illis Pſ. 26. *Adjutor meus eſto , ne derelinquas me* , ſi Deus non præberet opem conantibus , & laborantibus ad ſalutem conſequendam , ſed illam ad arbitrium conferret indubitabiliter , nulla expectata voluntatis creatæ opera , ac ſedulitate , ne a recto tramite exorbitet . Fruſtra demum 2. Pet. 1. diceretur : *Fratres , magis ſatagite , ut per bona opera certam veſtram vocationem , & electionem faciatis* , ſi certus , & indubitabilis ſalutis effectus unice a Divina voluntate promanaret , quæ quando vult animam ſalvare , quocunque tempore , quocumque loco id velit , ſalvat infallibiliter .

II. Qua in re falſis vera permiſcentur , ut falſitas occultetur , juxta ſolemnem Heterodoxorum morem , ut poſſint de facili incautis inſidiæ comparari . Quod notavit Auguſt. lib. 2. Quæſt. Evang. cap. 40. dicens : *Nulla falſa doctrina eſt , quæ non falſis vera intermiſceat* . Etenim quod indubitabiliter ſalutem aſſequantur , etiam per proprias operationes liberas , & meritorias , quotquot Deus efficaciter ſalvare deſiderat , nemo eſt qui ambigat . Competit quippe Divino dominio in creaturas liberas , qua liberas , *Omnipotentiſſima poteſtas* , ut loquitur Auguſtinus , *inclinandorum quo libet cordium* , atque adeo poteſt ineluctabiliter Deus conferendo auxilium prævisum efficax obtinere a qualibet voluntate creata conſenſum liberum , & ſalutarem , & ſic conferre illi gloriam ut coronam : & huc referri poſſunt verba illa Mardochæi , quæ habentur Eſtheris 13. *Domine Deus omnipotens in ditione tua cuncta ſunt poſita , & non eſt , qui poſſit reſiſtere tuæ voluntati , ſi decreveris ſalvare Iſrael* : At in eo Catholici a Janſenianis diſcrepant , quod illi doceant , Deum omnium omnino ſalutem velle , etiam Reproborum , conferendo ad hunc finem illis auxilium ſufficiens ; quo poſſint illam pro libito conſequi per operationes meritorias , quin tamen relate ad Reprobos effectus ſalutis a Deo intentæ proveniat , idque ex culpa dumtaxat ipſorum Reproborum : Janſeniani ex oppoſito docent , Deum nullatenus voluiſſe ſalutem Reproborum ; itemque negant , ac pernegant , conferri illis auxilium ſufficiens ad ſalutem ; putantes , quod ſi Deus eorum ſalutem vere , ac ſincero animo voluiſſet , gratiam illis contuliſſet efficacem , irreſiſtibilem , & omnipotentem , qua poſita indubitabilis ſequeretur effectus , nempe ſalvatio reproborum præintenta . Iſthæc falſitas illi veritati Catholicæ in hac theſi non incallide permiſcetur .

III. Ad eam infringendam duplex in Deo diſtinguenda eſt voluntas ſalvandi homines ; Altera efficax dumtaxat quantum eſt ex parte ſua , ita ut nihil deneget voluntati creatæ neceſſarium , ut ſalutem adipiſcatur ; & in hoc ſenſu Apoſtolus 1. ad Timot. 2. dicit : *Deus omnes homines vult ſalvos fieri , & ad agnitionem veritatis venire* , addens , quod in hunc finem Chriſtus D. *Mediator Dei , & hominum dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* . Altera vero eſt voluntas ſalvandi homines efficax ſimpliciter , qua ponatur non ſolum quod ſe tenet ex parte Dei , videlicet auxilium ſufficiens , ſed etiam quod ſe tenet ex parte creaturæ , videlicet bona operatio ſalutaris , qua auxilium a Deo collatum reddatur efficax ex electione libera voluntatis . Quoties autem Deus vult hoc ſecundo modo homines ſalvare , tunc confert auxilium prævisum efficax præfiniendo bonam operationem , & ſic indubitabiliter ſequitur effectus Divinæ voluntatis , atque adeo animæ ſalus : Quod ſi non dignatur hoc pacto ſalutem hominum prædefinire , ſed ſolum juxta primam viam vult homines ſalvos fieri , (ut de facto vult relate ad Reprobos) tunc tenetur dumtaxat gratiam ſufficientem conferre , qua poſita , quantum eſt ex parte Dei ſalus indubitabiliter ſequeretur , niſi culpabiliter voluntas creata reſiſteret gratiæ , ejuſque operationem impediret .

Co-

Cohærenter ad hanc duplicem voluntatem Divinam, diverſimode paſſim loquutus eſt Auguſtinus, adeo ut imperitis videatur loquutus eſſe pugnantia, & ſibimet contrarius fuiſſe, quod de tanto Doctore affirmare, non leve piaculum eſt. Ex contextu quippe facile eſt animadvertere, quod modo loquatur de voluntate Divina ſalvandi homines ſpeciali, quæ ſit ſimpliciter efficax, & abſoluta, ratione cujus non ſolum confert auxilia ſufficientia, ſed etiam auxilia per ſcientiam conditionalium prævisa efficacia; & huic Divinæ voluntati neminem reſiſtere poſſe firmiter aſſeverat, ut proinde infallibiliter ſalventur quotquot hac voluntate ſalvare decernit, ac ſemper ad hanc voluntatem indubitabilis effectus ſubſequatur: Modo vero loquatur de voluntate Divina ſalvandi homines generali, quæ ſit efficax ſolum quantum eſt ex parte Dei; unde ſit abſolute efficax tantum relate ad media, ſeu relate ad auxilia conferenda, ſit tamen conditionata relate ad ſalutem inducendam, ſi ſcilicet homo bene utatur auxiliis ſufficientibus, & non in vacuum illa recipiat; & relate ad hanc Divinam voluntatem docet, poſſe humanum arbitrium reſiſtere, ac effectum a Deo ſerio intentum impedire; Unde fit, quod licet Deus hac voluntate velit Reprobos ſalvare, non proinde ſalvantur ob reſiſtentiam ab iis appoſitam Gratiæ. De priori voluntate ſimpliciter efficaci loquitur Auguſtinus lib. de corrept., & grat. cap. 14., ubi habet: *Deo volenti ſalvum facere nullum humanum reſiſtit arbitrium; Sic enim velle, ſeu nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Et infra pariformiter addit: *Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cœlo, & in terra omnia quæcunque voluit fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus is faciat, quod vult:* Dum dicitur Divina voluntas impediri non poſſe, nec Divina poteſtas ſuperari, ſermo dumtaxat eſſe poteſt de voluntate ſimpliciter efficaci, & abſoluta; qualis eſt voluntas prædeſtinans; ut proinde idem S. Doctor lib. de dono perſeverantiæ cap. 14. definiat Prædeſtinationem, quod ſit *Præſcientia, ac Præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur quicunque liberantur.* Quamvis enim per media, ſeu auxilia indifferentia ſalus obtinenda ſit; at præſuppoſita præſcientia de eorum efficacia, contingenter quidem, ſed indeclinabiliter ſalutem operantur; & ideo huic Divinæ voluntati reſiſti non poteſt. De eadem abſoluta Dei voluntate loquitur lib. 1. ad Simplic. quæſt. 2. n. 13. dicens: *Effectum miſericordiæ non eſſe in hominis poteſtate, ut fruſtra Deus miſereatur, ſi homo nolit.* De poſteriori vero voluntate, quæ eſt efficax ſolum ex parte Dei, & conditionata, loquitur Auguſtinus lib. de Spir., & lit. cap. 33., ubi docet, velle Deum omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: *Non ſic tamen, ut iis adimat liberum arbitrium, quo bene, vel male utentes juſtiſſime judicentur; Quod cum fit, Infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt; cum ejus Evangelio non credunt; Nec ideo tamen eam vincunt, ſed ſeipſos fraudant magno, & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis ejus poteſtatem, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.* Manifeſte hic ſermo eſt de voluntate Divina conditionata, & ſolum ex parte ipſius Dei efficaci, cui humanum arbitrium reſiſtere poteſt, cum dicantur Infideles contra voluntatem Dei facere, dum non credunt Evangelio, & miſericordiam Divinam contemnere. Addit tamen S. Doctor, quod Divinam hanc voluntatem homines non vincant per hoc, quod illi reſiſtant; Tunc enim vinceretur, ut habet idem Auguſtinus loco laudato, *quando non inveniret, quid de contemptoribus faceret, aut illo modo poſſent evadere, quod de talibus ille conſtituit*; hoc eſt quando poſſent evadere pœnas, quas Deus comminatus eſt iis, qui ſuæ voluntati reſiſtunt, & miſericordiam contemnunt: Similiterque de hac poſteriori voluntate loquitur Auguſtinus lib. 3. de Lib. Arbit. cap. 19. dicens: *Non tibi deputatur ad culpam, quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis*; quando enim homines volenti ſanare reſiſtunt, & volentem miſereri contemnunt, tunc voluntas ſanandi, & miſerendi in Deo eſt ſolum efficax ex parte ſua, non vero efficax ſimpliciter, & abſolute. De hac pariter voluntate diſertis verbis docet S. Doctor lib. de catech. rud. num. 51., quod poſſimus illi reſiſtere, dicens: *Omnia viſibilia tranſeunt, & omnis hujus ſæculi pompa, & deliciæ, & curioſitas interibunt, & ſecum ad interitum trahunt amatores ſuos, a quo interitu, hoc eſt pœnis ſempiternis, Deus miſericors volens homines liberare, ſi ſibi non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ Creatoris ſui &c.* Cum dicatur, quod velit liberare homines ab interitu miſericors Deus, ſi ejus miſericordiæ non reſiſtant, aperte vult, quod poſſit homo gratiæ, ac voluntati Dei reſiſtere, ut proinde voluntas iſthæc miſerendi dici debeat ſolum efficax quantum eſt ex parte Dei, ſeu ex parte mediorum, & conditionata ex parte noſtra, ſi ſcilicet nos gratiæ non reſiſtamus, non ve-

ro ſit abſoluta ſimpliciter, cui nullum humanum arbitrium reſiſtere poſſit.

IV. Calvinus, & cum eo Janſeniani, ut ſuum errorem tueantur, (quod ſcilicet non poſſit Deus aliter in natura lapſa velle ſalutem hominum, quam conferendo gratiam efficacem everſivam libertatis a neceſſitate, qua poſita indubitanter ſequatur ſalus a Deo volita) audacter pernegant Deum ullatenus velle ſalutem Reproborum; & ad textum Apoſtoli laudatum, ubi dicitur Deus velle omnes homines ſalvos fieri, multiplicem adhibent eluſionem.

Primo quidem dicunt, Deum velle omnes ſalvos fieri, quatenus nemo ſalvatur, niſi quem Deus ſalvare voluerit: In quo ſenſu 1. Cor. 15. dicitur: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur;* quatenus nemo vivificatur, niſi per Chriſtum; & ſimili locutione dicitur Jo. 1. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quatenus nemo illuminatur, niſi per Chriſtum: Cui explicationi videtur favere Auguſtinus lib. 4. contra Julianum cap. 8. ubi habet: *Sic ergo debet intelligi, quod dictum eſt: Omnes homines vult ſalvos fieri: quemadmodum intelligitur, quod dictum eſt: Per unius juſtificationem in omnes homines ad juſtificationem vitæ.*

V. Secundo dicunt, textum illum intelligendum eſſe cum diſtributione accommoda, videlicet non pro ſingulis generum, ſed pro generibus ſingulorum, itaut non ſit ſenſus, quod velit Deus ſalutem omnium omnino hominum in particulari cujuſcumque conditionis, ſed ſolum quod velit ex omni hominum claſſe, ac genere dari prædeſtinatos, vid. ex Judæis, Paganis, divitibus, pauperibus, magnatibus, ſervis, doctis, & indoctis, parvulis, & viris, &c. Quod videtur etiam eſſe de mente Auguſtini, qui lib. de corrept. & grat. cap. 14. habet: *Hic unum dicam; ita dictum eſt: Omnes homines vult ſalvos fieri, ut intelligantur omnes Prædeſtinati, quia omne genus hominum in eis eſt; ſicuti dictum eſt Phariſæis: Decimatis omne olus: ubi non eſt intelligendum, niſi omne quod habebant; neque enim omne olus, quod erat in orbe terrarum decimabant. Secundum iſtum locutionis modum dictum eſt: Sicut & ego omnibus per omnia placeo.*

Tertio dicunt, Deum velle omnium ſalutem, quatenus facit, ut nos omnium ſalutem velimus, & optemus; dum enim hoc deſiderium nobis non ſolum præcipit, ſed etiam inſpirat, videtur ipſe etiam in idem conſpirare. Quod etiam docuit Auguſtinus lib. de corrept. & grat. cap. 15. dicens: *Poteſt ſic intelligi, quod omnes homines Deus vult ſalvos fieri, quoniam nos facit velle: Sicut miſit Spiritum Filii clamantem Abba, Pater; ideſt nos clamare facientem.*

VI. Ex hiſce tribus expoſitionibus laudati textus, ſecundæ potiſſimum fidit Calvinus, qui lib. 3. Inſtit. cap. 4. in 1. ad Timoth. 2. habet: *Quo nihil aliud profecto ſignificat, quam Deum nulli hominum ordini viam ſalutis præcluſiſſe.* & infra addit: *Pueriliter hallucinantur, qui hunc Pauli locum prædeſtinationi opponunt: Si Deus, inquiunt, indifferenter vult ſalvos fieri, falſum eſt, alios ad ſalutem, alios ad exitium, æterno ejus judicio, eſſe prædeſtinatos: Aliquid forte dicerent, ſi Paulus hic de ſingulis hominum ageret;* Et juxta hanc expoſitionem videtur locutus Auguſtinus ſerm. 22. de diverſ. cap. 5. dicens: *Prorſus nullum genus hominum de ſua vocatione deſperet; pro omnibus paſſus eſt Chriſtus. Veraciter de illo ſcriptum eſt: Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

VII. Verum ex hiſce expoſitionibus, auctoritate dilucida D. Auguſtini vallatis non evincitur, quod Deus non velit ſalutem etiam reproborum modo explicato. Nam primo tres iſtæ expoſitiones juxta mentem Auguſtini ſolum deſerviunt ad oſtendendum quonam pacto dici poſſit, quod Deus volitione ſimpliciter efficaci velit omnium hominum ſalutem, cum tamen nolit hoc pacto ſalutem reproborum. Deinde tres iſtæ expoſitiones prout ab Auguſtino indicantur, ita ſunt veræ, ut tamen non contradicant quartæ illi expoſitioni communiſſime a Sanctis Patribus, & ab Eccleſia admiſſæ, quod ſcilicet Deus velit omnes, & ſingulos homines ſalvos fieri, volitione non ſimpliciter efficaci, ſed ſolum efficaci quantum eſt ex parte ipſius Dei. Immo ipſemet Auguſtinus lib. de corrept. & grat. cap. 14. dicit multis modis exponi poſſe textum Apoſtoli, quin unus alteri contradicat. Et quod etiam in hoc quarto ſenſu accipi poſſit, & debeat, pluribus in locis docet idem Sanctus Doctor, præſertim lib. de catechizandis rudibus c. 26. ubi habet: *A quo interitu, hoc eſt pœnis ſempiternis, Deus miſericors volens homines liberare, ſi ſibi non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ Creatoris ſui, miſit Unigenitum Filium ſuum.* Quare ex Auguſtino Deus etiam reprobos vult ab interitu liberare, & ad æternam ſalutem perducere, ſi per ipſos non ſtet. Apertius idem docuit D. Proſper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 31. diſtinguens inter voluntatem Dei ſimpliciter efficacem, quam Deus habet relate ad ſalutem Electorum, & voluntatem efficacem

quan-

quantum eſt ex parte ipſius Dei relate ad ſalutem Reproborum, diſtinguendo pariter inter gratiam efficacem, quæ datur electis, & ſufficientem, quæ datur reprobis; hæc enim habet: *Gratiam Dei omnibus hominibus adfuiſſe, providentia quidem pari, & bonitate generali, ſed multimodo opere, diverſaque menſura; Quoniam ſive occulte, ſive manifeſte ipſe eſt, ut Apoſtolus ait, Salvator omnium hominum, maxime fidelium. Quæ ſententia ſubtiliſſimæ brevitatis, & validiſſimi roboris, ſi tranquillo conſideretur intuitu, totam hanc, de qua agimus, controverſiam dirimit; dicendo enim: Qui eſt Salvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei ſuper omnes homines eſſe generalem; Adjiciendo autem, Maxime fidelium, oſtendit eſſe partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inſpiratæ, ad ſummam, atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficiis provehatur.*

VIII. Huic apertiſſimæ catholicæ veritati Semipelagianiſmi notam inurere auſus eſt Janſenius, quaſi vero initium ſalutis noſtræ eſſet quodammodo a nobis deſtitutis auxilio gratiæ: Quod uſqueadeo aberrat a veritate, ut proſcripta fuerit ab Innoc. X. theſis illa quinta Janſenii dicens: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe.* De qua theſi ita in ſua Bulla Summus Pontifex enunciavit: *Falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

IX. Alia plura in hanc rem dicemus in expoſitione trigeſimæ theſis, quæ ſimiliter habet: *Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.* Quoniam autem impræſentiarum dicitur, quod ſi Deus vult animam ſalvare, quocunque tempore, quocunque loco indubitabilis effectus ſequatur Dei voluntatem; idcirco præſcindendo ab ea quæſtione inter Theologos valde celebri, Num in omni providentia neceſſaria ſit in Deo prædefinitio noſtrorum actuum honeſtorum, de qua fuſe dixi in Curſu Theolog. p. 3. diſp. 2. q. 2. hic ſolum ut appareat diſcrimen inter hanc erroneam theſim, & doctrinam communiſſimam Theologorum, paucis innuo, pro certo haberi a Theologis apud Ruiz de Providentia diſp. 9. ſect. 3. quod Deus de facto in præſenti providentia actus noſtros ſalutares efficaciter prædefiniat, & quidem in particulari, ſub omnibus ſuis circumſtantiis, ut proinde effectus Divinæ voluntatis volentis animam ſalvare ſequatur infallibiliter juxta ſenſum Catholicum (videlicet citra præjudicium libertatis) pro eo tempore, loco, & aliis adjunctis, ſub quibus actus ſalutares fuerunt prædefiniti. Conſtat quippe ex Scripturis, & Sanctis Patribus, quod Deus de facto omnes actus honeſtos univerſim prædefiniat, ac efficaciter velit efficacia ſimpliciter dicta, & quidem ſub omnibus circumſtantiis ſuis. Diſerte D. Proſper hæc habet: *Dubium non eſt, Deum & præſciſſe ſimul, & prædeſtinaſſe, quæ ipſo erant Auctore facienda, vel quæ malis meritis juſto erant judicio retribuenda; præſciſſe autem, & non prædeſtinaſſe, quæ non ex ipſo erant cauſam operationis habitura.* Iſaiæ enim 45. dicitur *Sanctus Iſrael Plaſtes ejus*; hoc eſt tanquam figulus præfiniens per decretum efficax, & abſolutum operationes honeſtas, & non per meram velleitatem, aut per voluntatem conditionatam, quæ communis ſit tam relate ad Electos, quam relate ad Reprobos. Quod autem Deus operationes honeſtas prædefiniat etiam in particulari, & ſub omnibus ſuis circumſtantiis temporis, loci, &c. luculenter exprimitur verbis illis Pſal. 32. *Qui finxit ſigillatim corda hominum*, videlicet, ut advertit Auguſtinus, *cogitationes, & volitiones.* Et ratio videtur eſſe, quia cum Deus ſit prima cauſa, fons, & origo omnis boni, inde fit, quod bonorum quodcunque, & a fortiori operationes honeſtas cauſet per ſe, & ex intentione efficaci cauſandi illas, atque adeo illas prædefiniendo ſub ſuis adjunctis: Si enim capillus non naſcitur citra divinam prædefinitionem, ſeu voluntatem efficacem, cum non poſſit aliter poni effectus neceſſarius; a fortiori idem dicendum de actibus honeſtis, qui ſunt bonum præſtantius. Quod etiam evincitur ex gratitudine, ad quam naturæ inſtinctu inclinamur erga Deum, gratias illi rependendo, non ſolum quia contulit nobis poſſe bene operari, ſed etiam quia contulit ipſam bonam operationem; quæ tamen non eſſet novum beneficium, niſi illam efficaciter prædefiniret; ita ut Deo magis, quam nobis adſcribatur.

X. Neque dicas, quod ſi Deus juxta communem hanc ſententiam in præſenti providentia efficaciter prædefinit omnes actus honeſtos ſub ſuis adjunctis temporis, & loci relate ad eos, quos vult ſalvare, jam admittitur, quod aſſeritur in hac theſi, quam diximus erroneam, videlicet, quod effectus indubitabilis ſequatur voluntatem Dei.

Nam contra eſt, quia theſis non eſt erronea per hoc, quod aſſerat indubitabiliter ſequi actum bonum, & ſalutem efficaciter a Deo volitam, & prædefinitam; ſed eſt erronea tum per hoc, quod implicite aſſerat

Deum

Deum nolle ſalutem reproborum efficaciter quantum eſt ex ſe, dum dicit, quod relate ad eos, quorum ſalutem vult, (quacunque videlicet voluntate, quod denotatur per verba illa, *Quando Deus vult*, ſeu quandocunque, & qualicunque voluntate) indubitabilis effectus ſequatur; tum per hoc quod velit effectum hunc indubitabilem ſequi non ratione Divinæ volitionis infruſtrabilis immediate, ſed immediate ratione gratiæ medicinalis a Deo volitæ efficacis, & everſivæ libertatis a neceſſitate, ut ex contextu Queſnellianarum theſium fit perſpicuum.

Et ſane ignorant Janſeniani conciliare infruſtrabilitatem Divinæ volitionis cum libertate actus a Deo efficaciter voliti in ſtatu naturæ lapſæ. Et tamen iſta conciliare debent in ſtatu naturæ integræ, in quo admittunt poſſibilitatem gratiæ pure ſufficientis, necnon gratiæ efficacis non everſivæ libertatis. Catholici omnes ea conciliare tenentur in utroque naturæ ſtatu, quamvis non unam omnes viam teneant ad ea concilianda, ſed unuſquiſque ratiocinatur juxta principia ſuæ Scholæ; ita ut ſolum ad Scholaſticum inſtitutum ſpectet diſcutere, num hæc, vel illa via ſit expeditior; non vero, an ea ſimpliciter concilianda ſint: Ad eum modum, quo Catholici omnes tenentur conciliare neceſſitatem Divinæ voluntatis cum contingentia decretorum, quæ cum illa identificantur realiter; & ſolum inter Scholaſticos perveſtigatur num hoc, vel illo pacto ea in concordiam adducantur. Doctores Societatis juxta ſua principia putant, concordiam inter infruſtrabilitatem Divinæ volitionis, & libertatem actus efficaciter voliti, ac prædefiniti facile explicari beneficio ſcientiæ conditionalium: Sicut enim optime conciliatur in omnium ſententia infallibilitas Divinæ præſcientiæ cum libertate actus præſciti, ita ut ſit æque verum, & quod infallibiliter ſit futurum peccatum Antichriſti præſcitum a Deo, & quod tale peccatum libere ſit ponendum ab Antichriſto, quatenus ſi non eſſet ponendum, ejus præſcientia non fuiſſet ab æterno; ita prorſus docent, quod optime concilietur infruſtrabilitas Divinæ prædefinitionis cum libertate conſenſus prædefiniti, quatenus ſi non eſſet ponendus conſenſus ſub tali auxilio indifferenti, non fuiſſet ab æterno prævifus a Deo per ſcientiam conditionalium ſub illo auxilio, & ſic Deus talem actum liberum non prædefiniſſet. Utrum autem ſcientia iſta conditionalium attingat actus liberos conditionate futuros in ſeipſis, an vero in decreto abſoluto ex parte actus, conditionato ex parte objecti, diſcutiant Scholaſtici; Sufficit nobis, quod ea ſcientia in Deo negari non poſſit.

XI. Ex quibus fit, verum eſſe, quod indubitabiliter, & neceſſario ponendus ſit conſenſus a Deo prædefinitus, quamvis talis conſenſus non ſit neceſſarius neceſſitate antecedente, ſed ſolum conſequente; ſicut verum eſt, quod peccatum Antichriſti præſcitum a Deo ſit indubitabiliter, & neceſſario ponendum, quamvis citra neceſſitatem antecedentem. Admittit Angelicus, quod peccatum Antichiſti ſuppoſita ejus præſcientia poſſit dici neceſſarium, videlicet neceſſitate dicti, non vero neceſſarium neceſſitate rei, quatenus neceſſario verum eſt hoc dictum, quod res ſit prout cognoſcitur a Deo, quamvis ea res ſit libera, & non procedens a cauſa determinata ad unum. Et in hoc eodem ſenſu poteſt dici, quod conſenſus a Deo prædefinitus ſit neceſſarius neceſſitate ſolum dicti, non vero rei, quatenus pariter eſt neceſſario verum hoc dictum, quod res ſit, prout præfinitur a Deo, quamvis ea res ſit libera, & non profluens a cauſa ad eam ponendam determinata. Hæc tamen, quæ ad Scholaſticos ſpectant, non abs re fuit primoribus labris delibaſſe. De iis, quæ ad Polemicos in hac theſi pertinent, recurret ſermo in theſi vigeſimatertia, necnon in trigeſima, quæ huic eſt affinis. Quæ vero perperam adducuntur a Queſnelli Aſſeclis ad illum excuſandum, perinde quaſi poſſit hæc theſis benigne accipi in ſenſu Catholico, retulimus in calce theſis decimæ.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XII.

DUodecima aſſerens indubitabiliter ſalvari animam, quam Deus vult ſalvam eſſe, adverſatur Catholicæ doctrinæ, & Apoſtolo dicenti, Deum velle omnes homines ſalvos fieri; cum tamen non omnes ſalventur. Stat ergo, quod Deus voluerit animam Judæ v. gr. ſalvam eſſe, quin tamen ab ea divina voluntate talis effectus promanarit, non quidem ex defectu gratiæ illi collatæ, qua potuiſſet conſequi ſalutem a Deo volitam, ſed ex culpa propriæ libertatis, quæ gratiæ collatæ cooperari renuit. Propterea Eccleſ. 5. dicitur: *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi*: quibus verbis indicatur diſertiſſime in manu noſtrę voluntatis eſſe, & cooperari gratiæ, & conſequi ſalutem æternam. Aliter deluſorie 2. Petri 1. hortaremur verbis

bis illis. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis:* Incaſſum enim eſſet noſtra ſedulitas, ſi noſtra electio unice adſcribenda eſſet voluntati Omnipotentis.

PROPOSITIO XIII.

Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit. *Queſn. Luc.* 5. 13. *edit.* 1693.

SYNOPSIS.

I. Iterum Queſnellus docet, Gratiæ voluntatem reſiſtere non poſſe.

II. Hujus theſis falſitas hic demonſtratur ex præcepto Spei. III. Firmitas Spei Theologicæ oritur ex divina Fidelitate, & Miſericordia, quæ infallibiliter collatura eſt omnibus auxilium ſufficiens ad ſalutem: deficeret autem ea firmitas, ſi Reprobis gratia ſufficiens denegaretur. IV. Promiſſiones etiam divinæ eſſent deceptoriæ. V. Timor, qui Spei annectitur, ſolum eſt, ne nos Gratiæ deſimus, non vero ne Gratia deſit nobis.

VI. Verum quidem eſt, quod petitio non ſit de iis, quæ ſunt in manu noſtra adæquate; at bona operatio ita eſt in manu noſtra, ut principalius illa ſit Dei, & ideo a Deo petimus bonas operationes. VII. A Deo pariter petimus gratiam, qua poſſimus moraliter operari ſalutariter, quamvis non deſit gratia, qua poſſimus phyſice. VIII. Ne ad orandum quidem conari teneremur, ſi non poſſemus gratiæ reſiſtere.

IX. Poſſumus de bonis operibus in Domino gloriari, quamvis ea a Deo acceperimus.

X. Explicatur, in quo ſenſu nemo poſſit reſiſtere voluntati divinæ, cum re vera qui peccat, illi reſiſtat.

I. ILlud intereſt inter hanc, & ſuperiorem theſim, quod in ea indubitabilis effectus ſalutis Electorum aſcribatur Deo volenti illam; In hac vero tribuatur immediate ipſi gratiæ a Deo collatæ iis, quos vult ſalvos facere; In utraque tamen theſi eadem eſt Auctoris calliditas, quam jam detexi-mus, ſub verbis iſtis ſpeciem quandam pietatis, ac inconcuſſæ veritatis præſeferentibus. Cæterum ſicut Deus poteſt ſalutem reproborum velle, & de facto vult, prout in ſuperiori theſi oſtendimus, non quidem voluntate ſimpliciter efficaci, ſed ſolum efficaci quantum eſt ex parte ſua, ut proinde vero, ac ſincero animo velle poſſit, ac de facto velit ſalutem eorum, qui nunquam illam aſſecuturi ſunt; ita poteſt Deus ad obtinendam eorundem ſalutem conferre gratiam ſufficientem, prout de facto confert, tangendo omnes interiori gratiæ ſuæ manu, quin tamen omnes ab hoc contactu de ſe ſalutari curentur, & ſalvi fiant, eo quod interiori iſti gratiæ reluctentur.

In hac itaque theſi Auctor reponit ſubdole ſecundam Janſenii propoſitionem, hæreſeos nota inuſtam ab Innoc. X., ubi dicitur; *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Cum enim Deus gratiam interiorem conferat homini ex voluntate ſalvandi illum, ſi verum eſt, quod nulla voluntas reſiſtat gratiæ interiori, quando Deus vult animam ſalvare, ut hic Queſnellus docet, verum pariter erit juxta errorem Janſenii, quod interiori gratiæ in natura lapſa nunquam reſiſtatur. Quinimo ſi verum eſt, quod nunquam voluntas gratiæ interiori reſiſtat, verum pariter erit, quod gratia interior non ſit ejus indolis, cui poſſit humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare, juxta quartam Janſenii theſim, cui pariter nigrum theta præfixit idem Innoc. X. Etenim ſi nunquam gratiæ interiori reſiſtitur, conſequens eſt, quod peccatori, cui præcipitur v. gr. contritio, deſit gratia interior, quando non conteritur; unde non confertur illi gratia, cui poſſit reſiſtere, aut obtemperare, atque adeo nunquam confertur hujus indolis gratia interior: Si enim ea huic peccatori conferretur, de facto illi reſiſteret omittendo contritionem præceptam.

Non pauca diximus adverſus hunc Janſenianum, ac peſtiferum errorem in decima ex hiſce theſibus Queſnellianis, in qua pariter dicebatur, *Gratia eſt operatio manus omnipotentis, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.* Quamvis autem Theologica pharetra innumeras Catholicis Doctoribus ſagittas ſubminiſtret ad monſtrum hoc confodiendum, equidem amentatam haſtam illam hic intorqueo, quæ ex Theologica Spe omnibus præcepta robur accipit validiſſimum. Sic itaque ratiocinationem contexo.

II. Non ſolum Electi, ſed etiam Reprobi tenentur ſpe certa, & firmiſſima ſperare a Deo gratiam, ſi ſint in ſtatu peccati, & gloriam, ſi ſint in ſtatu gratiæ; ergo etiam Reprobis confertur gratia ſufficiens ad ſalutem aſſequendam, cui reſiſtere poſſunt, & cui de facto reſiſtunt, poſito quod non ſalventur. Antecedens eſt indubitatum; tum quia idcirco infunduntur in juſtificatione ſimul

mul cum gratia habitus ſupernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, ut docet Trident. ſeſſ. 6. cap. 6., & idcirco amiſſa per peccatum gratia, habitus infuſi Fidei, & Spei non amittuntur, (niſi peccatum his virtutibus opponatur,) ut poſſimus hujuſmodi actus exercere; & ne fruſtra infundantur, & conſerventur, tenemur aliquando eos exercere; Tum etiam quia Tridentinum diſerte docet ſeſſ. 6. cap. 13. id nobis a Deo præcipi, dicens: *In Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent*: Aliter ſi ſpes non eſſet omnibus præcepta, ſed ſolis Electis, nemo peccaret adverſus præceptum ſpei, cum nemo ſciat ſe eſſe in numero Electorum, qui eatenus eo præcepto obligentur. Præterquamquod uniuſcujuſque ſpes eſſet incerta, ac trepida, cum nemo citra revelationem poſſit eſſe de ſua prædeſtinatione ſecurus; unde quilibet ambigere poſſet, an comprehendatur in eorum numero, qui certo, ac firmiſſime ſperare poſſent nixi auxilio Dei indefectibili; nititur quippe ſpes noſtra fundamento firmiſſimo Divinæ fidelitatis promittentis nobis auxilia ſufficientia ad ſalutem conſequendam. Quod docuit Apoſtolus ad Hebræos 10. dicens: *Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem; fidelis enim eſt, qui repromiſit.*

Conſequentia itaque probatur, quia ſpei noſtræ firmitas omnino deficeret, ſi deficere poſſit gratia nobis promiſſa ſufficiens de ſe ad promerendam gloriam, ita ut reapſe illam conſequamur, ſi per nos non ſtet, per hoc quod gratiæ reſiſtamus; & conſequenter verum eſt, quod Deus velit Reprobos ſalvare, & ſimul tangat illos interiori gratiæ ſuæ manu, & tamen humana eorumdem voluntas ei reſiſtat. Hinc D. Thom. in epiſt. 1. ad Cor. 1. lect. 1. ex fidelitate Divina infert firmitatem noſtræ ſpei, & quod ſperanti non defuturum ſit auxilium ſufficiens, cui tamen nos deficere poſſimus; hæc enim habet: *Non videretur Deus eſſe fidelis, ſi non vocaret ad ſocietatem Filii, & nobis negaret quantum in ipſo eſt ea, per quæ pervenire ad illum poſſemus; Unde Joſue 1. dicit: Non te deſeram, neque derelinquam.* Quod etiam docuit 2. 2. quæſt. 18. art. 8. dum inquirit, quomodo poſſit ſpes noſtra eſſe certa, & firmiſſima, cum multi poſt actus plurimos ſpei ſupernaturalis beatitudinem non conſequantur? Ad quod reſpondet: *Hoc quod aliqui habentes ſpem deficiant a conſecutione beatitudinis, contingit ex defectu liberi arbitrii ponentis obſtaculum peccati, non autem ex defectu divinæ potentiæ, vel miſericordiæ, cui ſpes nititur: unde hoc non præjudicat ſpei.* Et ſane ſicut certitudo fidei nititur in auctoritate Dei revelantis, qui nec fallere poteſt, nec falli; ita certitudo noſtræ ſpei nititur in divina fidelitate, ac miſericordia, quæ infallibiliter collatura eſt auxilium promiſſum de ſe ſufficiens ad ponendas operationes ſalutares, itaut de facto eas ponamus, ſi illud non rejectemus: ut proinde incertitudo, quod de facto ſimus gloriam adepturi, non proveniat ex eo, quod ſimus incerti de auxilio ſufficiente nobis conferendo, ſed ſolum quia ſumus incerti, an illi ſimus reſtituri: poteſt proinde humana voluntas reſiſtere interiori auxilio nobis collato ad ſalutem conſequendam, quam Deus vult quantum eſt ex ſe nobis conferre.

III. Confirmatur, quia ſi Deus denegaret Reprobis auxilium ſufficiens ad ſalutem obtinendam, quam non obtinent ex eo, quod illi reſiſtant, ſequeretur, quod ſpei ſupernaturalis firmitas, & certitudo omnino deficeret: quia quamvis certiſſimum ſit, Deo non deeſſe omnipotentiam ad auxiliandum, & fidelitatem ad exequendum, quod promiſit, necnon miſericordiam, qua inclinetur ad miſerendum: nihilominus ſi Reprobis de facto hoc auxilium denegaſſet, dicendum eſſet, quod non omnibus illud promiſerit, nec velit omnium miſereri: unde incertum eſſet, an Deus mihi hoc auxilium eſſet collaturus: & ideo ſpes a me elicita de gloria obtinenda, ſi per me non ſteterit, careret certitudine illa ad id requiſita nixa in Dei fidelitate, & miſericordia, quod mihi etiam collaturus ſit auxilium ſufficiens.

IV. Confirmatur ulterius, quia Deus præcipiendo nobis ſpem firmiſſimam nixam ſuis promiſſionibus, & miſerationibus, illuderet, ſi negaret deinde auxilia ſufficientia ad ſalutem obtinendam neceſſaria: ſicut dives illuderet pauperi, ſi ſuis promiſſionibus, ac mellitis verbis erigeret illum ad ſperandum felicem ſtatum, & deinde denegaret, quod eſt illi neceſſarium, ut liberetur ex anguſtiis, quibus premitur; eſſent quippe promiſſiones doloſæ, & indignæ viro cordato, & fideli: ut habetur Eccleſ. 53. ubi deſcribuntur divites hujus ſeculi, qui ſuis promiſſionibus, & benignis exhibitionibus inducunt pauperes ad ſperandum, & deinde illos decipiunt, & ſubſannant: *Subridens ſpem dabit, narrans tibi bona, & dicet; Quid opus eſt tibi? Et confundet te in cibis ſuis, donec exinaniat te bis, & ter, & in noviſſimo deridebit te.* Nonne ſimilis deceptoriæ huic ſpei eſſet ſpes, quam nobis præcipit Deus, & ad quam hortatur, & inducit ſuis promiſſionibus, ſi auxilia ſufficientia denegaret iis,

quos

quos prævidet ſalutem non eſſe conſecuturos? dum enim Deus peccatores conſolatur, & narrat iiſdem bona, ad quæ deſtinavit, ut erigantur ad ea ſperanda; dum interrogat, quid vobis eſt opus, ut ea adipiſcamini? ſi tamen vellet denegare, quod neceſſarium eſt ad ea obtinenda, certe illos deciperet, & in noviſſimo illos derelinquens derideret.

V. Neque dicas, quod ſpei noſtræ theologali timor annectendus ſit ex Apoſtolo dicente ad Phil. 2. *Cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini*. Quid autem timere debemus, niſi quod ſubtrahat nobis Deus auxilium ſuum? ergo non confertur omnibus auxilium ſufficiens, cui voluntas humana poſſit reſiſtere.

Nam contra eſt, quia ex hoc timore nobis neceſſario potius infertur, quod Deus conferat nobis auxilium ſufficiens ad ſalutem, cui poſſimus reluctari; etenim hujuſmodi timor eſt filialis, quo non a Deo, ſed a noſtra voluntate timemus nobis malum culpæ, ratione cujus iram divinam laceſſamus, & ſic a Deo deſeramur; cum enim Deus non deſerat, niſi prius deſeratur, injuriam illi irrogaremus, ſi timeremus, ne ſponte nos deſerat; & rationabiliter, ac ſalutariter timemus, ne nos illum deſeramus, unde & deſeramur ab illo. Timere autem debemus ex D. Bernardo ſerm. 54. in Cant. & cum adeſt gratia, ne non digne cum illa operemur; & ſubtracta gratia, ne Deum ſentiamus iratum; & poſt recuperatam gratiam, ne denuo amittatur; hinc dicitur Proverb. 28. *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus*. Hęc ſunt verba melliflui Doctoris: *In veritate didici, nihil æque efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam ſi omni tempore coram Deo inveniaris non altum ſapere, ſed timere: Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus: Time ergo, cum arriſerit gratia, time cum abierit, time cum denuo revertetur, & hoc eſt ſemper pavidum eſſe*. Quare cum timor hic non ſit mundanus, & cum affectu ad culpam, ſed filialis, & cum affectu erga Deum, & ejus amicitiam; & dato quod ſit quodammodo ſervilis, quatenus timemus iram divinam, adhuc tamen eſt virtuoſus, & procedens ex auxilio gratiæ, ut dicemus in theſi 62., idcirco ex hoc timore, qui ſpei theologali annectendus eſt, manifeſte colligitur, quod conferat Deus nobis gratiam ad timendum, cui reſiſtere poſſit humana voluntas: quæ ſi timore prætermiſſo in ſuperbiam efferatur, & dicat in abundantia ſua, quod habetur in Pſ. 29. *Non movebor in æternum*, in cauſa erit, ut Deus avertat faciem ſuam, & gratiam ſubtrahat.

Ex hoc itaque, quod poſſimus, & teneamur ſperare ſpe certa, ac firmiſſima ſalutem æternam, infertur, quod gratia ſufficiens ad illam obtinendam non ſit nobis citra culpam noſtram ex mero divino beneplacito defutura; ex hoc vero, quod cum metu & tremore debeamus ſalutem noſtram operari, infertur, quod poſſimus gratiæ illi a Deo ſumme fideli nobis conferendæ contraniti; unde fit, quod poſſit Deus velle animam ſalvare, & eam tangere interiori gratiæ ſuæ manu, & tamen voluntas humana ei reſiſtat. Et ratio a priori eſt, quia gratiæ *conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt*, ut advertit Auguſtinus cap. 34. de ſpir. & lit., aliter non daretur in voluntate libertas indifferentię, quæ ad meritum, & demeritum eſt omnino neceſſaria, ut definitum eſt adverſus tertiam Janſenii theſim.

VI. Opponunt Janſeniani primo: Si in manu voluntatis eſſet conſentire gratiæ vocanti, vel diſſentire, unde poſſet homo gratiæ reſiſtere, ſequeretur, quod fruſtra peteremus a Deo conſenſum ſalutarem, & victoriam tentationum; ſiquidem ex Auguſt. lib. de natura, & gratia cap. 18. *Quid ſtultius, quam orare, ut facias, quod eſt in tua poteſtate?* conſentire autem gratiæ eſſet in noſtra poteſtate; ergo fruſtra hujuſmodi conſenſum peteremus a Deo.

Opponunt ſecundo, quia ex Apoſtolo ad Philipp. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*; ergo ſi conſenſum noſtrum operatur in nobis gratia divina, non poteſt dici, quod conſenſus ſit in manu voluntatis, & quod poſſimus gratiæ diſſentire, ac obluctari.

Opponunt tertio id, quod dicitur Eſtheris 13. *In ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ, ſi decreveris ſalvare Iſrael: Dominus omnium es, nec eſt qui reſiſtat Majeſtati tuæ*. Quo quid luculentius dici poteſt ad comprobandum aſſertum hujus theſis, vid. quod quando Deus vult animam ſalvam facere, tangendo illam ſua interioris gratiæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit? Præſertim quia Auguſt. lib. de correpț. & grat. c. 14. pene iiſdem verbis hujus theſis uſus eſt, dicens: *Deo volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium*.

Ad primum tamen fit ſatis primo, quod argumentum æque militet in natura lapſa, ac in ſtatu naturæ integræ, quando in ſententia Janſenianorum erat in manu voluntatis Angelorum, & Protoparentum conſentire, vel diſſentire gratiæ, ſeu Adjutorio

fine

ſine quo non ; & tamen etiam tunc tenebantur illi petere a Deo victoriam tentationum , & bonam ipſam operationem præceptam ; ut egregie oſtendit P. Stephanus de Camps lib. 3. diſp. 3. cap. 9. tum auctoritate dilucida Gelaſii Pontificis , qui in dicto cap. adverſus hæreſim Pelagianam diſerte docet , ideo Protoparentes cecidiſſe , quia non oraverunt , & ideo in acceptis donis non perſeveraſſe , quia de iiſdem gratias Deo debitas non retulerunt ; nec ut eadem intemerata durarent , ſuppliciter implorarunt : Tum etiam multiplici auctoritate Auguſtini , ac validis ratiocinationibus . Etenim ſi gratia efficax , & perſeverantia in manu Dei eſt , & ab eo miſericorditer duntaxat conferri poteſt , oportebat illa infimis precibus deprecari ab ipſo Deo , qui omnipotentiſſimam habet humanorum , quo libet , cordium inclinandorum poteſtatem . Unde Auguſtinus l. 11. de Geneſi ad literam habet : *Quis audeat credere , aut dicere , ut neque Angelus , neque homo caderet , in Dei poteſtate non fuiſſe ?*

Perperam itaque Janſenius lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 1. adverſus hanc patentiſſimam veritatem docet , Angelos , & Adamum in ſtatu innocentiæ nullatenus oratione indiguiſſe , ne caderent , quia ſcilicet prædiți erant auxilio ſufficienti , quo adjuti in manu propria perſeverantiam habebant ; perinde quaſi bonum , quod ex propria libertate cum Dei adjutorio pro libito creatura ponit , illud non ſit potius Dei , quam creaturæ liberæ , itaut principalius Deo aſcribatur . Hæc enim ſunt verba Gelaſii Pontificis , quibus ea falſa opinatio prorſus elidítur : *Si in ipſis primis hominibus , dum ſua nimium felicitate confidunt , & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes , non orando (quod utique nuſquam feciſſe referuntur) nec de perceptis gratias referendo , nec ut eadem intemerata durarent ſuppliciter implorando , incolumes conſtare nequiverunt ; quanto magis poſt prævaricationis ruinam , in quam mala ſui confidentia Creatorem nullatenus inquirendo lethaliter inciderunt , abſque Divino munere ſuis viribus , vel ægri ſtare non poſſunt , ſine quo nec integri perſiſtere valuerunt ?* Adverſatur itaque doctrina catholica errori Janſenii ; cum Edicto hoc Gelaſii Pontificis doceamur , ideo Protoparentes noſtros cecidiſſe , quia non oraverunt , & ideo in donis acceptis non perſeveraſſe , quia ut ea intemerata durarent ſuppliciter non implorarunt .

Deinde directe dicimus , quod habens a Deo gratiam ſufficientem , qua poſſit vincere tentationes , & ſalutariter operari , unum recipit beneficium , & quidem valde ingens ; qui vero habet a Deo gratiam adjuvantem , ſeu auxilium præviſum efficax , per quod Deus vult efficaciter , & prædefinit ipſam liberam operationem ſalutarem , novum recipit a Deo beneficium ; & hoc eſt illud , quod noſtris orationibus petimus a Deo , cui , ut alias diximus , principalius tribuitur noſtra bona operatio , quam nobis , juxta illud Apoſtoli : *Non ego , ſed gratia Dei mecum ; Non eſt volentis , neque currentis , ſed miſerentis Dei* . Quod tamen non accidit in humanis ; ſi enim dives dat pauperi poteſtatem accipiendi pecuniam , non petit ab illo , quod det etiam ipſam pecuniæ acceptionem , quia hæc unice dependet a paupere , nullatenus a divite .

VII. Adde ulterius , quod licet non deſit nobis gratia ſufficiens , cui poſſimus phyſice conſentire , vel diſſentire , deeſt tamen ſæpe in pœnam culparum præteritarum gratia , qua poſſimus etiam moraliter conſentire , cum ſæpe ex concupiſcentia effræni inſurgat impoſſibilitas moralis ad conſentiendum : & ideo hanc etiam uberem gratiam , qua expugnetur moralis iſta impoſſibilitas , petere debemus a Deo , & quidem inſtanter , ac ſine intermiſſione , ut loquitur Apoſtolus : Et hujuſmodi orationem eſſe perneceſſariam docuit ipſe Chriſtus Dominus Lucæ 18. dicens : *Oportet ſemper orare , & non deficere ;* etenim vi orationis de facili expugnatur moralis impoſſibilitas implendi legem : Quod innuit Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. dicens : *Deus impoſſibilia non jubet , ſed jubendo monet , & facere quod poſſis , & petere quod non poſſis , & adjuvat ut poſſis ;* & ideo ſtatim ſubdit . *Cujus mandata gravia non ſunt : Cujus jugum ſuave eſt , & onus leve* . Ad orandum tamen non facile quis patitur impoſſibilitatem moralem , cum Divina gratia ſemper in promptu ſit , qua ad orandum excitemur , noſtra ipſa miſeria , & ægritudine ad id extimulante magis , quam miſeria , aut ægritudo corporalis extimulet homines ad implorandam opem a divite , aut ab Archiatro : Niſi forte ad eam cæcitatem quis devenerit , ut miſeriam ſuam non videat , juxta illud Apoc. 3. *Dicis quod dives ſum , & locupletatus , & nullius egeo ; & neſcis , quia tu es miſer , & miſerabilis , & pauper , & cæcus , & nudus* . De hoc enim apte dici poterit : *Nihil miſerius miſero non miſerante ſeipſum* ; ut proinde ſolum expectare poſſit opem a Divina clementia , illam implorans , non ſuis orationibus , ſed ſuis miſeriis , juxta illud Pſalmi 41. *Abyſſus abyſſum invocat* : quod Sancti Patres ita exponunt : Abyſſus miſeriarum invocat Abyſſum miſericordiarum .

VIII. Addo demum, quod vel Janſeniani contendunt eſſe in manu voluntatis conſentire, vel non conſentire gratiæ invitanti ad orandum, vel non: Si primum, jam admittunt, quod poſſit voluntas reſiſtere gratiæ: Et ſic poterit reſiſtere gratiæ invitanti directe ad legis obſervantiam, & ad victoriam tentationum. Si ſecundum, ergo ne ad orandum quidem tenemur conari, cum pariter gratia efficax ad orandum conferatur a Deo ſolis Electis: & ita recurrit, quod fruſtra Chriſtus D. & præcepiſſet orationem, & docuiſſet nos orandi modum, cum ille ſolum oret, & quidem neceſſario neceſſitate antecedente, cui Deus confert gratiam efficacem ad orandum, & is, cui hæc deficit, orare non poteſt. Ecce barathrum, quo perducit hæreſis Janſeniana.

IX. Ad ſecundum; jam diximus quomodo noſtra cooperatio Divino auxilio ſit novum Dei beneficium diſtinctum a collatione gratiæ ſufficientis, & quod noſtra bona operatio magis tribuatur Deo conferenti vires ad illam, & ſimul eandem prædefinienti per collationem auxilii prævii efficacis, quam noſtræ voluntati determinanti ſe ad illam ponendam, ut ſuſius oſtendimus in theſi tertia, & decima. Hinc dicitur *Deus operari in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*. Quoniam autem bona operatio principalius eſt Dei, & ipſi aſcribenda, ac ipſi accepta referenda eſt, ideo ſimpliciter, & abſolute de ea gloriari non poſſumus, dicente Apoſtolo: *Quid habes, quod non accepiſti? aut quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Verum quia ad hanc eandem bonam operationem libere cooperatur voluntas, (licet ex ſpeciali Dei beneficio) idcirco poſſumus aliquatenus de ea gloriari, non quidem præſumptuoſe, quaſi vero ex noſtris viribus cooperati ſimus gratiæ, ſed modeſte, humiliter, & in Domino. Quod idem Apoſtolus monet 1. ad Cor. 1. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, quatenus hæc ipſa libera voluntatis determinatio novum Dei donum eſt. Et in hoc ſenſu Apoſtolus 1. ad Cor. 4. dixit: *Si voluero gloriari, non ero inſipiens*: Etenim, ut habetur ad Rom. 2. *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum*.

X. Utrum autem gratia efficax ſit efficax ab intrinſeco, quia trahit ineluctabiliter conſenſum liberum, aut quia per ipſum conſenſum liberum conſtituitur, diſcutiant Scholaſtici. Illud inconcuſſum eſſe debet apud Polemicos, Gratiam efficacem non eſſe everſivam libertatis ad diſſentiendum; nec voluntatem peccare, ſi deſtituta auxilio efficaci careat libertate ad conſentiendum, conſtituta per gratiam ſufficientem ad ponendum conſenſum præceptum: Quod diſerte docuit Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio, ubi poſtquam fuſe in hanc rem diſſeruiſſet, paucis omnia complectitur dicendo: *Si laborioſum eſt omnia mandare memoriæ, hoc breviſſimum tene: Quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur*.

XI. Ad ultimum. In theſi antecedenti, & in decima jam explicavimus, quomodo utrumque ſit verum, & quod non ſit, qui poſſit reſiſtere voluntati Divinæ, (quæ ſcilicet aliquid velit, ſive neceſſarium, ſive liberum abſolute, & efficaciter efficacia ſimpliciter dicta) & quod poſſit voluntas humana reſiſtere tum gratiæ Divinæ, tum voluntati ipſius Dei aliquid ſuadentis, vel præcipientis, & volentis illud efficaciter efficacia ſolum quantum eſt ex parte ſua. Aliter quomodo diceretur Act. 7. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis?* Quomodo Chriſtus Dominus Matth. 13. Judæos exprobraret verbis illis: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Cæterum creaturę non liberæ nullatenus Deo reſiſtere valent; & ideo Deus *Omnia quæcunque voluit fecit in Cœlo, & in terra. Ipſe dixit, & facta ſunt*; Creaturæ vero liberæ ita poſſunt divinis mandatis reſiſtere, ut tamen competat Deo *omnipotentiſſima poteſtas inclinandorum quo libet cordium*, ut loquitur Auguſtinus, itaut poſſit ineluctabiliter ab eis obtinere conſenſum, non ſolum neceſſarium, prædeterminando ad illum, ſed etiam liberum, conferendo ſcilicet auxilium prævium efficax, cum non deſint in ærario omnipotentiæ infinita auxilia, ſub quibus prævideatur creatura libere conſenſura; adeout communiſſime doceant, repugnare creaturam inemollibilem, ſeu quæ prævideatur omnibus auxiliis diſſenſura, unde emolliri non poſſit, obtinendo ab illa liberum conſenſum. Quicquid ſit, an pariter repugnet creatura inobdurabilis, quæ ſcilicet omnibus auxiliis prævideatur conſenſura, unde obdurari non poſſit, permittendo ejus liberum diſſenſum. Denique quod verba hujus theſis neque ſecundum ſe, neque ex adjunctis poſſint in ſenſu Catholico accipi, oſtendimus in calce theſis decimæ. Contra vero quod verba laudata Auguſtini dicentis, *Deo volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium*, ſumi debeant in ſenſu Catholico, conſtat, tum quia paſſim Auguſtinus docet homines Spiritui Sancto, ſeu gratiæ interiori reſiſtere; tum ex ipſo contextu, quia in tantum eo loco aſſerit nullum hu-

humanum arbitrium reſiſtere voluntati divinæ volenti ſalvum facere, quia ibidem docet, *Deum habere humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem*; propterea nemo illi reſiſtit, quando vult alicujus conſenſum liberum, non ſolum efficaciter quantum ad ſe ſpectat, (in quo ſenſu vult etiam ſalutem reproborum) ſed efficaciter efficacia ſimpliciter dicta.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XIII.

DEcimatertia Janſenizat, dum docet, hominem, quem Deus vult ſalvare, nunquam reſiſtere gratiæ interiori ad ſalutem libere promerendam collatæ. Omnes ſiquidem Reprobos Deus vult ſalvos eſſe, omnibus gratiam confert, cui ſi cooperarentur, ſalutem profecto ſibi compararent, illam tamen non aſſequuntur, quia culpabiliter vocationi gratiæ non reſpondent; atque adeo omnium Reproborum voluntas gratiæ interiori reſiſtit, quamvis Deus velit illos ſalvos fieri: vult enim Deus eorum ſalutem voluntate ſolum efficaci quantum eſt ex ſe, itaut per ipſum non ſtet, quominus illam aſſequantur; cum quo bene ſtat, quod eorum voluntas voluntati huic divinæ reſiſtat; ſicut ſuo modo divinæ voluntati repugnat, qui divinis mandatis non obtemperat. Hinc Actor. 7. dicitur; *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*: & a Concilio Senonenſi in decreto 15. fidei definitur: *Non eſſe tale Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit*, ut deliravit in quarta ex ſuis proſcriptis theſibus Janſenius. Ubi notandum, quod Queſnellus tam in hac, quam in decima theſi (ubi pariter dicit, non poſſe hominem gratiæ reſiſtere) diſerte loquatur de gratia interiori juxta hæreſim Janſenianam: Propterea quando in aliis locis videtur docere, quod voluntas gratiis reſiſtat, vel ibi loquitur de gratiis exterioribus, quarum mentionem facit in theſi quinta; vel loquitur de illuſtrationibus, ac piis deſideriis, quæ ſolum deſerviunt ad aberrandum, & ad ſe præcipitandum (ut habet in theſi 39.) non vero de iis, quæ ſufficientiam dent ad operandum ſalutariter.

Ad excuſandum Queſnellum ejus Aſſeclæ dicunt, eum admiſiſſe gratiam interiorem, cui voluntas reſiſtat, cum non ſemel doceat, homines reſiſtere illuſtrationibus, ac piis deſideriis, quæ non ſunt gratia exterior, ſed interior; unde non eſt notandus, quod ſecundæ, & quartæ ex proſcriptis Janſenii theſibus ſubſcripſerit.

Sed perperam id effingunt. Primo enim nuſquam Queſnellus diſerte docuit, hominem gratiæ interiori reſiſtere, paſſim vero diſerte docet, quod gratiæ interiori reſiſtere non poſſit, ut in hac, & multis aliis ſubſequentibus theſibus: unde ubi loquitur de illuſtrationibus, & piis deſideriis, quibus voluntas reſiſtit, non eſt intelligendus de illuſtrationibus ſupernis, quæ ſunt gratia interior, ſed de illuſtratione, & propenſione naturali, quæ in ſententia Queſnelli paſſim præfocatur a cupiditate victrici everſiva libertatis. Deinde ſi voluiſſet ab hæreſi Janſeniana recedere, debuiſſet aliquando diſertis verbis explicare, quod voluntas poſſit interiori gratiæ contraniti; aliter præſumitur, quod ſemper loquatur in ſenſu Janſeniano, quem præſeferunt verba, dum docet in plurimis theſibus, nullam voluntatem gratiæ interiori reſiſtere, ut explicabimus in Anacephalæoſi theſis 51. Denique ſi illuſtrationes, & inſpirationes, quibus voluntas dicitur a Queſnello reſiſtere, eſſent gratia interior; vel hæc gratia eſſet ſufficiens ad ponendam operationem ſalutarem præceptam, vel non: Si ſufficeret, jam rueret tota machina Queſn., necnon Idea gratiæ interioris, quam in theſibus ſequentibus vult eſſe, quod *Deus imperet, & omnia fiant*; ac proinde in peccatore, qui non convertitur, daretur gratia, qua poſſet converti, quod in his theſibus non admittitur, & omnes Janſeniani mordicus negant, ac pernegant. Sin autem ea gratia interior, cui voluntas reſiſtit, dicatur eſſe adeo debilis, ut non ſit ſufficiens ad ponendam operationem ſalutarem præceptam, ea non poſſet dici gratia, ſed eſſet ingens maleficium, a quo rationabiliter peteremus liberari: Etenim ea ſolum daretur ad noſtram condemnationem, non ad ſalutem; quippe quæ ſolum deſerviret ad aberrandum, ad ſe præcipitandum, ad ſe vulnerandum, ut dicitur in theſi 39. atque adeo ſolum deſerviret ad purum, ac æternum animæ detrimentum. Ad eum modum quo, ſi Sacerdoti detur lumen exiguum, quod non ſit ſufficiens ad Breviarium illuminandum, itaut poſſet legere Horas Canonicas, & ob omiſſionem Horarum ille deberet damnari, certe tale lumen non daretur ad hoc, ut poſſet legere Horas, & ſic evadere gehennam, ſed daretur ad hoc ut poſſet illi exprobrari, quod accepto lumine Horas non legerit, & ſic poſſet in gehennam detrudi; propterea parvum illud lumen non eſſet gratia, & beneficium, ſed ingens male-

leficium : Ita prorſus in caſu noſtro . Quare prorſus nequit Queſnellus a Janſenianiſmo excuſari .

PROPOSITIO XIV.

Quantumcumque remotus a ſalute ſit peccator obſtinatus , quando JESUS ſe videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ , oportet , ut ſe dedat , accurrat , ſeſe humiliet , & adoret Salvatorem ſuum . *Queſnel. Marc.* 5. 7. *editione* 1693.

SYNOPSIS.

I. Per verbum , Oportet , indicat Queſnellus dari de hoc neceſſitatem phyſicam , non moralem . II. Conſtat id a veritate abhorrere exemplo Judæ . III. Necnon ex ratione conjugii ſpiritualis inter Chriſtum , & animam juſtam , quod ex parte Sponſæ dirimi poteſt . IV. Sicut non eſt neceſſe , quod Chriſti ſponſa a Suo Sponſo non recedat ; ita nec eſt neceſſe , quod Sponſa per peccatum adultera , illuſtrata lumine gratiæ ad illum revertatur . V. Ex hoc quod multi ſint vocati , pauci vero Electi , infertur , quod non pauci irradiati ſuperno lumine gratiæ non ſtatim ſe dedant Salvatori ſuo .

I. ITerum , iterumque Auctor in eodem luto , ac fæce volutatur , contendens in hac theſi , oportere , ut Peccator obſtinatus ſuperno lumine gratiæ illuſtratus ad pedes Redemptoris ſe proſternat , illumque humiliatus adoret , exclamando vocibus Apoſtoli Thomæ : *Dominus meus , & Deus meus .* Si Janſenii diſcipuli per verbum illud *oportere* ſolum denotare vellent , quod aliquando gratia extraordinaria (qualis data fuit v. gr. Apoſtolo Paulo , & Mariæ Magdalenæ) moraliter neceſſitet peccatorem ad reſipiſcendum , etiamſi valde remotus ſit a ſalute , & obſtinatus , nemo eſt , qui refragetur . At per verbum illud *oportere* Janſeniani ſolam libertatem a coactione admittentes , quæ conferat ad meritum , & demeritum , indicant neceſſitatem gratiæ phyſicam , prout aperte illam admittebat Calvinus eorum Anteſignanus : & idcirco theſis hæc longe aberrat a Catholica veritate , quæ ad meritum , ac demeritum libertatem a neceſſitate requirit . Quod autem in hoc ſenſu loquatur Queſnellus , ex eo patet , quia docet , peccatorem quantumcunque remotum a ſalute , & obduratum , citra ullam gratiam extraordinariam , ſi ſolum ſeſe conſpiciendum exhibeat Chriſtus Dom. lumine ſuæ gratiæ , oportere ſe dedere , illumque adorare ; cum autem ex quacunque gratia neceſſitas moralis ad conſentiendum non detur , ſequitur , quod ad mentem Queſnelli neceſſitas iſta ad conſentiendum per quamcunque gratiam , præſertim in peccatore obdurato , non ſit moralis , ſed phyſica .

II. Profecto quis non credat , Judam ſuperno lumine Divinæ Gratiæ irradiatum fuiſſe , quando Chriſtus Dom. ſeſe obtulit , non videndum duntaxat , verum etiam oſculandum , benigniſſime illum nuncupando Amicum , ac dicendo , *Amice ad quid veniſti ?* Quanam ſalutaris gratiæ luce non perfuſum exiſtimabimus , quando ad ſuos pedes provolutum conſpexit Dominum , qui eum ab omni labe mundaret ? Nihilominus in ſua fixus perfidia , nec ſe dedit gratiæ , nec ſeſe humiliavit , nec adoravit Salvatorem ſuum ; ſed triginta argenteis venditum tradidit illum ſuis hoſtibus crucifigendum : Uſqueadeo verum eſt , quod libere peccator gratiæ conſentiat , utut intenſæ , & ſpeciali affectu collatæ .

III. Et ſane cum poſſit juſtus cœleſti lumine irradiatus gratiæ reſiſtere , ac Deum per culpam contemnere , a fortiori poterit idipſum peccator conſimili gratia inſtructus . Quod autem Juſtus Sponſum animæ ſuæ contemnere poſſit , non ex eo , quod ſibi deſit gratia ad perſeverandum in amore requiſita , ſed ex eo , quod ipſe deſit gratiæ , conſtat ex ipſa ratione ſpiritualis conjugii inter Deum , & Animam juſtam iniri , quod ſacræ literæ commemorant ; præſertim Apoſtolus 2. ad Corinth. 11. dicens : *Deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto* , quod ſonat , Deſpondi exhibere vos Chriſto , velut virginem caſtam uni viro . Sicut autem conjugium fert vinculum perpetuum , & indiſſolubile , juxta illud Matth. 19. *Quos ergo Deus conjunxit , homo non ſeparet* , ita deſponſatio tam Animæ , quam Eccleſiæ cum Chriſto Domino fert vinculum ex parte ipſius Dei indiſſolubile , ut habetur Oſeæ 2. *Sponſabo te mihi in ſempiternum , & ſponſabo te mihi in juſtitia , & in miſericordia , & in miſerationibus .* Quare ex parte Dei fides iſtius conjugii promittitur ſempiterna , nec unquam violatur , aut dirimitur , dando libellum repudii , niſi quando repudii cauſa datur ab ipſa Sponſa , quæ cœleſtem amatorem aſpernans , alteri deceptori potius , quam amatori tanquam adultera adhæret : de quo conqueritur Jeremias , dicens : *Quomodo ſi contemnat mulier amatorem ſuum , ſic contempſit me domus Iſrael ,*

Iſrael, dicit Dominus. Anima itaque juſta peccando amatorem ſuum deſerit, & contemnit, quin unquam hic ab amore deficiat, niſi prius illa deſciſcat: At deficeret Chriſtus Sponſus ab amore ſuæ Sponſæ, & repudium ipſe inchoaret, ſi nullis Sponſæ culpis ad iram provocatus illam deſereret, denegando auxilium gratiæ ſufficiens ad ſuam legem ſervandam neceſſarium; Propterea inficiari nemo poteſt, quod animæ nunquam deſit gratia ſufficiens ad ſervandam fidem conjugii cum Chriſto initi, atque adeo ad non peccandum; cum hoc ferat amor proprius Sponſi, qui non cohæret cum ſubtractione talis auxilii. Ex quibus fit, quod poſſit Juſtus conjugii, ac neceſſitudinis vinculis Deo aſtrictus, & multo magis peccator iiſdem ſolutus, ſi ſuperno lumine gratiæ illuſtretur, citra ullam neceſſitatem Deum diligere, ita ut per ipſum ſtare poſſit, quin ſe dedat amoribus Redemptoris, accurrat, ac ſe ſe illi humiliet.

IV. Confirmatur ex iis, quæ habentur Jeremiæ 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te. Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere, ergo ſaltem amodo voca me.* Deus itaque tantam beneficentiam oſtendit erga eos, quos de facto odit, benigniſſime revocando ad ſe, & dando vires ſufficientes, ut revertantur; quomodo itaque poterit Sponſæ, quam de facto diligit, vires ſufficientes denegare, ne diſcedat a ſe, quærendo alium amatorem? Quod ſi vires ſufficientes præbet, & tamen ſæpe deſeritur a ſponſis, & amicis ſuis, manifeſte deducitur præſentis theſis falſitas, quod ſcil. oporteat, ut illuſtratus ſuperno lumine Peccator revertatur ad Redemptorem ſuum, quando nec eſt neceſſe, quod Chriſti Sponſa lumine gratiæ irradiata a ſuo Sponſo non recedat.

V. Confirmatur iterum, quia ut habetur Matt. 2. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Nunc ſic; Vel vocati ad pœnitentiam illuſtrantur lumine gratiæ, ita ut habeant ſufficientes vires ad reſipiſcendum, vel non: Si non illuſtrantur, & carent gratia ſufficienti, fruſtra vocantur; non ſecus ac fruſtra invitatur ad volandum homo alis deſtitutus. Quod ſi illuſtrantur a Spiritu Sancto, & tamen pauci divinis vocationibus reſpondent, ſequitur, non oportere, ſed liberum eſſe peccatori, præſertim obſtinato, quod ſtatim ac lumine ſuperno, ac ſalutari gratiæ videt Salvatorem ſuum expanſis ulnis eundem expectantem, & ad ſe vocantem, illi ſe dedat, accurrat, ſe humiliet, & illum adoret; alioqui omnes peccatores ſalvarentur, cum omnes ad pœnitentiam invitentur, ac obligentur, & ad viam ſalutis capeſſendam lumine ſuperno gratiæ ſufficientis adducantur; niſi quis delirando velit, quod incaſſum, ac deluſorie ad pœnitentiam invitentur peccatores, qui in ſuis fœcibus volutantur.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XIV.

DEcimaquarta docet, oportere, ut Salvatorem ſuum adoret peccator, quantumvis obſtinatus, ſi lumine gratiæ illuſtratus illum conſpiciat. At ſi oportet gratiæ conſentire, nonne evertitur a tali gratia libertas arbitrii? nonne radix meriti, ipſumque meritum corruit? Ita ſane, ſi velimus a Janſenii erroribus recedere, qui docuit, meritum, ac demeritum conſiſtere cum ſola libertate a coactione, quæ vere & proprie libertas non eſt. Unde Bellarm. lib. 3. de Grat. & Lib. Arbit. dixit: *Libertatem a neceſſitate omnino requiri ad liberum arbitrium; neque ſatis eſſe libertatem a coactione, demonſtravi poteſt ex teſtimonio Scripturæ, ex definitione Eccleſiæ, ex traditione Patrum, ex lumine rationis.*

PROPOSITIO XV.

Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui Spiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit. *Queſn. Luc. 9. 60. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Theſis hæc Janſeniana contendit deeſſe gratiam ad obediendum in iis, qui non obtemperant mandatis divinis.

II. Deus non præcipit impoſſibilia. III. Si verum haberet, quod omnes, quibus interior gratia confertur, divinis mandatis obedirent, & omnes gratia deſtituti non obedirent, nemo deberet eſſe de ſua ſalute ſolicitus.

IV. Tyrannidem ſapit præceptum de re impoſſibili. V. Idque etiam in natura lapſa. VI. Inutile, ac Deo indignum eſſet præceptum, ſi executioni mandari non poſſet. VII. Quamvis peccatores gratiam obtinerent ad implenda præcepta,

pta, ſi orarent; at ſi non orarent, ſolum puniri poſſent ob orationem omiſſam, non ob tranſgreſſionem præceptorum. VIII. Quoties Deus in natura lapſa præcipit impoſſibilia moraliter, tunc ex Tridentino petendæ a nobis vires ſunt, ut poſſimus moraliter; non petimus tamen, ut poſſimus phyſice implere præcepta, quia nunquam Deus nos obligat præceptis ſuis, ſi ea phyſice implere non poſſumus.

I. UTinam ſemper homo divinis mandatis obtemperaret, quoties æternam Dei præcipientis locutionem comitatur Spiritus Sancti gratia interior ſufficiens ad juſſa exequenda! Cum enim nunquam deſit gratia iſta ſufficiens, (niſi velimus aſſerere, quod Deus præcipiat impoſſibilia, non dando vires, nec gratiam, qua poſſibilia fiant, prout contendebat Janſenius in prima ex ſuis confixis theſibus) nunquam deeſſet obedientia debita divinis mandatis. At Auctor in hac theſi inhærens veſtigiis ſui Anteſignani, profligatam illam theſim ſub verbis iſtis hypocritis, & fucoſis, pietatem quandam oſtentantibus, iterum obtrudit, dum docet, gratiam operari ſemper obedientiam divinorum mandatorum, atque adeo deeſſe gratiam ad obediendum in iis, qui mandatis non obtemperant; Quod ſi deſit gratia ad obediendum neceſſaria, eo ipſo mandatis divinis voluntas obtemperare non poteſt, unde Deus mandat, ac præcipit ea, quæ præſtari non poſſunt.

II. Nemo tamen adeo eſt hebes, ac ſtupidus, quin videat, Deum non præcipere impoſſibilia, nec impoſſibilem eſſe Divinæ legis obſervantiam, prout Lutherus, & Calvinus effutiebant, jure merito damnati a Trid. ſeſſ. 5. can. 18. ubi habetur: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.* Quod ſi nunquam deſunt vires gratiæ ad obtemperandum mandatis, quæ ſine gratia executioni mandari non poſſunt, ut eſt peccatoris reſipiſcentia, manifeſte infertur theſis hujuſce falſitas, quæ docet, ſemper divinam gratiam operari obedientiam, quam petit. Aliter ſemper peccatores a gratia cœleſti adjuti ad ponendam pœnitentiam præceptam, illam ponerent. Auguſtinus ſerm. 191. de Tempore habet: *Execramur blaſphemiam eorum, qui dicunt impoſſibile aliquid homini a Deo eſſe præceptum, & mandata Dei non a ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſervari.* Et lib. 2. de peccat. merit. & remiſſ. *Dubitare non poſſum, nec Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe, nec Deo ad opitulandum, & adjuvandum quo fiat, quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe; ac per hoc poteſt homo, ſi volit, eſſe ſine peccato adjutus a Deo:* Et lib. de lib. arb. c. 18. *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt?* Hinc proſcripta fuit prop. 54. Baji dicentis; *Definitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falſo tribuitur Auguſtino, cum Pelagii ſit;* Necnon 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit.* Sed quid plura? cum plurima dixerimus hac de re in expoſitione primæ theſis Janſenii, necnon in expoſitione primæ theſis ab Alex. VII. confixæ, quæ habet: *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, & liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.* Aug. lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagii habet: *Quis noſtrum dicat, quod per hominis peccatum perierit liberum arbitrium de humano genere?*

III. Illud duntaxat recolo, vafre, & ſubdolis verbis in plurimis hiſce theſibus commendare Queſnellum gratiæ interioris efficaciam, tamquam humanæ infirmitatis ſanativam vi meritorum Chriſti D., ſed fucoſis iſtis verbis contendi, etiam ſub gratia Chriſti D. libertatem formalem ad meritum, ac demeritum requiſitam eſſe a natura lapſa extorrem, eoſque duntaxat homines ad bonam frugem ſe recipere, quibus Chriſtus Dominus ſuam gratiam largitur, & pro quibus in Cruce oravit, reliquos carere bonis operationibus ex defectu duntaxat divinæ gratiæ, qua deſtitutis vires deficiunt ad bene operandum. Quod ſi hæc omnia verum haberent, nemo eſſet, qui de ſua æterna ſalute deberet eſſe ſolicitus, nemo qui bonis operibus daret operam; ſiquidem illuſtratus lumine gratiæ non poſſet carere ſalutaribus operibus, nec poſſet iiſdem ſupernis illuſtrationibus adjutus non conſequi vitam æternam; deſtitutus vero gratia, quantumcumque viribus naturalibus conaretur ad ſalutariter operandum, incaſſum laboraret, cum non valeat natura ſine viribus gratiæ ſalutarem ponere operationem. Propterea doctrina Calvini, Baji, Janſenii, & Queſnelli eo tendit, ut homines ad libere vivendum, atque adeo ad perditionem inducat, quamvis ſub cortice pietatis commendet maximopere gratiam Chriſti medicinalem ac ſalutarem.

IV. Deſcendo nunc ad oſtendendam neceſſitatem gratiæ ſufficientis ex vi mandatorum divinorum, ut appareat, quomodo non ii duntaxat illuſtrationibus Sancti Spiritus, & vi gratiæ interioris muniantur, qui obedientiam, quam Deus petit, operantur, ſed etiam

etiam ii, qui mandatis non obtemperant, & per hoc deſunt gratiæ, & in vacuum illam recipiunt. Præcepta non ſolum obligant eos, qui obediunt, ſed etiam tranſgreſſores, qui proinde contrahunt culpę, & pœnæ reatum; ergo utriſque confertur ſufficiens gratia, & Spiritus S. illuſtratio, & inſpiratio; aliter qui non obediunt, obligarentur ad impoſſibile, quod quamvis a Bajo, & Janſenio tranſmittatur, omnibus tamen non Catholicis duntaxat, ſed etiam ratione utentibus videtur abſonum, & inopinabile. Quis enim uſque adeo tyrannide imbuitur, ut legem ſubditis imponat, quam implere non poſſunt, & pœnas exigat ob tranſgreſſionem? Quod ſi poſſit quidem lex impleri, ſed nonniſi mediis in ſolius præcipientis poteſtate conſtitutis, & ea media legislator ſuis ſubditis denegaret, nonne hic eſſet iniquorum iniquiſſimus? Quomodo autem hoc ſomniari poteſt de clementiſſimo Numine, quod ſic dilexit homines ſubditos, ac rebelles, ut pro iis Filium ſuum Unigenitum daret? Deuteron. 30. dicitur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, ſed juxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Conſidera, quod propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum, & e contrario mortem, & malum; elige ergo vitam.* At quomodo eligere poſſemus, ſi gratiæ vires neceſſariæ ad eligendum non exhiberentur? Matth. 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* & 1. Jo. 5. *Mandata illius gravia non ſunt.* quomodo autem non eſſent gravia, ſi executioni mandari non poſſent? Trid. ſeſſ. 5. c. 11. *Nemo temeraria illa, & a Patribus ſub anathemate prohibita voce uti debet, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia.* Et Aug. de nat. & grat. c. 69. *Eo ipſo quo firmiſſime creditur, Deum juſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Cum autem peccatoribus obduratis, & a ſalute remotis difficilis ſit reſipiſcentia, facile tamen ſit iis orare, ac petere a Deo non ſolum uberem gratiam, ut facile poſſint reſipiſcere, ſed etiam unctionem Sancti Spiritus, qua de facto reſipiſcant; idcirco ut præceptum revertendi ad Dominum impleant, tenentur media neceſſaria adhibere, videlicet orationem, qua poſtulent gratiam illam a Domino; advertentes, quod ut noſtræ petitiones vim habeant apud Dominum, ipſe etiam Spiritus Sanctus, ut habetur Rom. 8. *adjuvat infirmitatem noſtram; nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* In eandem ſententiam reliqui SS. PP. conſpirant apud Rip. diſp. 23. n. 118. præſertim Baſilius dicens: *Sine dubio non præcepiſſet hoc, qui bonus, ac juſtus eſt, niſi etiam facultatem, qua id faceremus, fuiſſet largitus*: & D. Leo, *Juſte nobis inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio.*

V. Reſpondent Janſeniani, Deum præcipere non poſſe impoſſibilia in natura integra, quia id ſaperet tyrannidem, non tamen in natura lapſa, quia poteſt in pœnam peccati originalis auxilium cæteroqui debitum ſubtrahere. Sed Scripturæ, Concilia, & Patres adducti loquuntur de præceptis Divinis, quæ de facto dantur in natura lapſa. Quamvis enim ob peccatum originale potuerint homines tamquam filii iræ privari gratia juſtificante naturæ indebita, non poterant tamen novis præceptis onerari, quæ implere non poſſent, & ob eorum violationem pœna æterna puniri. Cum enim iſta nova tranſgreſſio non eſſet culpabilis, non poterat pœnam demereri; Sicut qui Breviarium projicit reddendo ſe impotentem ad Horas præceptas recitandas, poterit quidem ob Breviarii projectionem a Deo puniri, non tamen ob omiſſionem Horarum, pro quando ea non eſt culpabilis, niſi in cauſa; & ſimiliter nec homicidium in ebrietate patratum puniri poteſt a Deo nova pœna præter illam, quam meruit homicida inebriando ſe, & prævidendo periculum homicidii ſecuturi. Aliter amens a nativitate, ſi poſt ſuſceptum baptiſmum, & gratiam baptiſmalem alium inculpabiliter occideret, & decederet, deberet in infernum detrudi propter tale homicidium, tanquam culpabile in ſua cauſa, nempe in peccato originali, quod reddit homines amentiæ obnoxios, vi cujus citra libertatem formalem patratum fuit hujuſmodi homicidium. Quis autem id deglutiat?

VI. Adde, quod præcepta Divina eſſent prorſus inutilia, ſi finis illorum, nempe opus præceptum, obtineri non poſſet; non ſecus ac eſſet inutile, ac indignum Deo præceptum impoſitum catenis vincto, ut ambulet, ſi catenæ non ſolvantur, quamvis ob culpas præteritas in vincula fuerit conjectus; & fatuum eſſet præceptum impoſitum homini, ut mortuos exſuſcitet, ſi deſit illi gratia miraculorum patrandorum.

VII. Quod ſi reponant Adverſarii, præceptum deſervire hominibus, ut orent, & petant gratiam medicinalem efficacem, qua præceptum impleant, juxta illud Tridentini ſeſſ. 6. cap. 11. *Impoſſibilia non jubet, ſed ju-*

bendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis : Contra eſt, quia in tali caſu ſi ſolum urgerentur præcepto orandi, ut poſſent gratiam ſufficientem conſequi ad alia præcepta ſervanda, ſolum peccarent, & punirentur ob neglectam orationem, quam poſſent ponere, non propter tranſgreſſionem præceptorum, quæ non poſſent implere. Præterquamquod ſi urgentur præcepto orandi; ergo jam habent ſufficientiam ad orandum, & ſic ad obtinendas vires requiſitas ad alia præcepta implenda; atque adeo falſum omnino eſt, quod deſit in natura lapſa auxilium ſufficiens ad legem implendam.

VIII. Neque replicent, quod obduratis, & obcæcatis hæc auxilia deſint. Nam ſi aliquando iſti carent gratia ſufficienti ad implenda præcepta, tunc ſi non adimpleant, nullam certe contrahunt novam culpam diſtinctam ab ea qua gratiæ ſubtractionem meruerunt. Hinc ſi peccator in pœnam ſuæ culpæ de cœlo tangatur, quin poſſit elicere actum dilectionis Dei præceptum in articulo mortis, non punietur in inferno per hoc, quod hunc actum omiſerit, quem phyſice ponere non potuit, ſed ſolum ob culpam, ob quam meruit de cœlo tangi, & carere auxiliis, quæ Deus aliis non denegat in articulo mortis ad ponendos actus Theologales præceptos. Cæterum quando a Tridentino monemur ad orandum, & petendum, quod non poſſumus, ut præcepta, cæteroqui impoſſibilia, ſervemus, non ſolum eſt ſermo de impoſſibilitate phyſica, ſed etiam de morali: Poteſt quippe Deus præcipere, quæ ſunt moraliter impoſſibilia, ſed ſemper eſt paratus oranti dare vires, ut facile ponatur, quod cæteroqui eſſet moraliter impoſſibile; quod Auguſtin. lib. de Perfect. juſtorum cap. 3. docuit docens: *Ut cum ſe non poſſe perſpexit, medicinam requirat*. Hac de cauſa Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11., ubi docet, Deum impoſſibilia non jubere, ſed jubendo ſimul monere, ut faciamus quod poſſumus, & quod non poſſumus, petamus, quia adjuvat ut poſſimus, ſtatim ſubdit, quod habetur Matth. 11. Mandata ejus gravia non eſſe, ſed ejus jugum eſſe ſuave, ac onus leve, ut doceret, licet aliquando jubeat, quæ ſine magna difficultate executioni mandari non poſſunt, unde de ſe ſunt moraliter impoſſibilia, ſi tamen petamus ab eo auxilium, ut facile obtemperare poſſimus, illud benigniſſime nobis eſſe conferendum, ut præcepti durities gratia emolliatur, & nullum faceſſat negotium ejus obſervantia. Idque Auguſtinus advertit lib. de perfect. juſtit. n. 21. dicens: *Oret gemitu voluntatis, & impetret donum facilitatis*; necnon Leo ſerm. 5. de Quadrageſ. ubi habet: *Si quid arduum in mandatorum effectibus experitur, non in ſe remaneat, ſed ad jubentem recurrat, qui ideo dat præceptum, ut excitet deſiderium, & præſtet auxilium*.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XV.

DEcimaquinta pariter docet, Deum vi interioris gratiæ operari in humano corde obedientiam illam, quam petit. Ex quo fit, eum, qui non obedit, gratia deſtitui, atque adeo carere viribus requiſitis ad obtemperandum: Quod ſi verum haberet, nullatenus hic peccaret non obtemperando. Etenim ex Auguſtino de liber. arbit. cap. 48. *Quis peccat in eo, quod cavere nullo modo poteſt?* Quid autem abſurdius, quam de ſe citra culpam tranſgredi mandata divina? Niſi quis ſubſcribere velit theſi illi Bajanæ, quæ habet: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit*.

PROPOSITIO XVI.

Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti. *Queſnel. Act.* 8. 12. *edit.* 1693. & 1699.

SYNOPSIS.

I. Gratiæ illecebræ non ſemper neceſſitant moraliter, nedum phyſice.

II. Aliter aut nunquam, aut raro admodum homines invitamentum gratiæ reſpuerent. III. Parabola invitantis ad cœnam, quam levibus de cauſis invitati recuſarunt, ſymbolum eſt gratiæ invitantis ad ſalutariter operandum. IV. Janſeniani admittunt in peccatoribus tenuem quandam gratiam interiorem inſufficientem ad operandum, quippe quæ præfocatur a cupiditate victrici. At quomodo poſſent a Deo exprobrari, ſi deeſſet illis gratia omnino ſufficiens? V. Ex Scripturis, & Tridentino perſpicuum fit, poſſe hominem illecebris gratiæ, ac ipſi Omnipotenti ſuo modo reſiſtere; quamvis verum pariter ſit, quod nemo poſſit reſiſtere voluntati divinæ.

I. Qui-

I. QUis dubitet illecebras gratiæ uſque adeo poſſe creſcere, ut neceſſitatem moralem inducant ad bene operandum ? non ſecus ac illecebræ humanæ cupiditatis uſque adeo ſæpe creſcunt, ut inducant moralem neceſſitatem ad peccandum ; quamvis Deus id non permittat, niſi in pœnam culparum præteritarum, quibus circumſcriptis, *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra illud, quod poteſtis*, ut habetur 1. ad Cor. 10. Neque enim Deus ſolum non patitur nos tentari ſupra illud, quod phyſice poſſumus, cum tentatio non cadat niſi relate ad ea, quæ phyſice omitti poſſunt, nec requiritur ulla Dei benigna promiſſio, aut fidelitas ad non permittendam tentationem adverſus ea, quæ phyſice poni non poſſunt : ſed nec patitur nos tentari ab illecebris hujus ſeculi ſupra id, quod moraliter poſſumus, niſi noſmet culpis noſtris ingentes vires tentationibus, ac illecebris ſuperaddamus. Ex hoc autem quod illecebræ gratiæ ſint ſecundum ſe longe præſtantiores, & efficaciores quibuſcumque aliis illecebris, non fit, quod Deus ſemper ac gratiam ſuam donat nobis, ſimul neceſſitatem moralem ad bene operandum imponat, & multo minus neceſſitatem phyſicam, quam Auctor hujus theſis contendit, enunciando, quod nihil Omnipotenti reſiſtat, ex dictis in theſi decima quarta.

II. Hujuſce aſſerti falſitas ex eo elucet, quia ſi gratia imponeret neceſſitatem phyſicam ad bene operandum, nullum meritum haberetur in noſtris operationibus, ſicut non habetur meritum, aut demeritum in motibus primo primis ; Si vero ſolum imponeret neceſſitatem moralem, ſequeretur, quod aut nunquam, aut raro admodum homines gratiam invitantem reſpuerent, atque adeo vix eſſet in hominibus peccata reperire ; cum tamen ſtultorum, ſeu peccatorum infinitus ſit numerus, ut dicitur Eccleſ. 1. ; ergo illecebræ non ſemper neceſſitatem moralem inducunt, & nunquam neceſſitant phyſice.

III. Ad vivum exprimit gratiæ invitamentum ad bene operandum parabola illa Chriſti Domini Lucæ 14. de homine invitante ad cœnam ; ad quam alii ex invitatis alias intexuerunt excuſationes, hic, quod villam emptam eſſet inviſurus, ille quod juga boum, quæ emerat, erat probaturus, alius quod uxorem duxerit ; ecce quomodo magnis cœnæ illecebris levibus de cauſis nuntium omnes remiſerint. Qua de cauſa iratus homo ex vicis, & plateis Civitatis pauperes, ac debiles, cæcos, & claudos introduxit, compellendo etiam illos ad ingreſſum : quod fuit ſymbolum gratiæ compellentis, hoc eſt moraliter neceſſitantis ſuis illecebris pauperes ſpiritu, cœcos ad hujus ſæculi vanitates, & ſimpliciter debiles, & claudos, qui malunt uno duntaxat oculo, ac pede in Cœlum ingredi, quam duobus mitti in gehennam.

IV. Janſenius, & Janſenii affeclæ admittunt in natura lapſa in iis, qui legem tranſgrediuntur, quandam tenuem gratiam interiorem, ſed inſufficientem ad bene operandum, eo quod a cupiditate victrice præfocetur : Hujus tantum gratiæ illecebris putant poſſe hominem citra libertatem indifferentiæ reſiſtere, quoad effectum, quem illa poſſet producere, ſi non præfocaretur a cupiditate, quem tamen numquam producit, nec Deus vult, ut producatur. Quod ſi illecebræ gratiæ ex Chriſti meritis collatæ ad curandam ægritudinem naturæ lapſæ vincant illecebras cupiditatis, eo ipſo voluntas citra libertatem indifferentiæ producit infallibiliter effectum, quem Deus intendit, & vult, ut producatur. At Catholici ex oppoſito docent, quod non poſſit homo tranſgredi legem demeritorie, quin polleat gratia de ſe ſufficienti ad bonam operationem ponendam, & cui poſſit voluntas aut conſentire, aut reſiſtere impediendo effectum, ſeu legis obſervantiam, quam Deus intendit, ac præcipit. Quomodo enim poſſet peccatori Deus exprobrare, quod in vacuum gratiam Dei receperit, quod fuerit lumini rebellis, quod gratiæ defuerit, ſi nullatenus poſſet gratiæ illi conſentire ? Sicut enim non poteſt exprobrari ægroto, quod non curetur, ſi careat pharmaco ſufficienti ad illum curandum, & ſolum propinetur illi cibus, qui ſufficeret ad curationem, ubi vis morbi vires talis cibi non præfocaret ; nec poteſt exprobrari mancipio, quod non ſe redimat, ſi ſolum detur ei pecunia inſufficiens ad ſe redimendum ; nec quiſquam, cui cor ſapiat, exprobrabit compedibus præpedito, quod non fugiat, ſi careat viribus ad effringendas compedes neceſſariis ; ita non potuiſſet Chriſtus Dom. Judæis exprobrare, quod non egerint pœnitentiam, quam Tyrii, & Sidonii egiſſent, ſi tot ſigna, & virtutes vidiſſent, ubi Judæis defuit gratia interior non præfocata a cupiditate victrice, ſufficiens ad pœnitentiam agendam, quæ Tyriis, & Sidoniis non defuiſſet ; nec poteſt ulli exprobrari, quod deſit gratiæ, ſi hæc ſuperata, ac depreſſa a cupiditate ſolum producit effectum quem poteſt producere, & Deus vult, ut producat, non producit tamen bonam operationem, eo quod illam producere non

pot-

poteſt, nec Deus vult, ut producatur, juxta doctrinam, ſeu potius errores Janſeniſtarum. Negata quippe gratia de ſe ſufficienti nemo peccaret tentationibus ſuccumbendo, ac violando præcepta, cum nemo peccet ex Auguſt. in eo, quod vitare non poteſt. Ubi adverte, Janſenianos, ut videantur recedere a ſecunda Janſenii proſcripta theſi, in qua dicitur, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, commentum hoc effinxiſſe, quod ſcilicet omnis gratia ſit efficax, in quantum quælibet habet effectum, quem Deus vult illam habere, non tamen omnis gratia ſit victrix, cui non reſiſtatur, quandoquidem aliqua gratia Deo annuente ſuperatur, ac vincitur a concupiſcentia prævalente, & a carnis delectationibus, unde ex Dei voluntate nequeat actum ſalutarem præceptum, puta contritionem peccatoris, producere, quamvis ſpectata duntaxat natura, ſeu entitate ſua poſſet illam producere. Sed effugium eſt omnino inane, ac excogitatum ad fucum faciendum rudibus Catholicis, & incautis. Etenim juxta hanc viam voluntas non poſſet gratiæ reſiſtere in ſenſu Conciliorum, videlicet cum libertate indifferentiæ ad ponendum, vel non ponendum actum ſalutarem præceptum. Quomodo enim gratiæ voluntas reſiſtit reſiſtentia proprie dicta, ſi neceſſario determinatur a delectatione carnali, & trahitur ad actum pravum? Quomodo dici poſſet, quod Deus ſit Adjutor, & Auxiliator noſter in bello, in quo jugiter verſamur adverſus carnem, ejuſque deſideria, ſi nullam nobis opem ferret, aut ejus indolis præſtaret auxilium, ut impar eſſet ad carnis deſideria, ac delectationes expugnandas?

V. Conſtat itaque, quod in ſtatu naturæ lapſæ detur gratia ſufficiens, cujus illecebris voluntas reſiſtat, per hoc quod nolit illi conſentire, prout Deus præcipit: Et juxta hunc ſenſum poteſt humana voluntas ipſi Omnipotenti obluctari; quamvis in alio ſenſu (quem in theſi 13. explicavimus) nemo ſit, qui divinæ voluntati reſiſtere poſſit. Hinc Prov. 1. dicitur: *Vocavi, & renuiſtis:* & Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. *Tangente Deo cor hominis, &c. inſpirationem illam recipiens abjicere poteſt.* Idemque pariter definivit Concilium Senonenſe anno 1528. in decr. Fidei 15. dicens: *Non eſt hujuſmodi trahentis Dei auxilium, cui reſiſti non poſſit.* Quod confirmatur ex eo, quod Trid. ſeſſ. 6. cap. 11. docet ex Auguſt. de nat. & grat. c. 26. dicens: *Deus ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur;* non poteſt autem aliter homo Deum deſerere, quam divinæ gratiæ obluctando. Quare poteſt voluntas humana illecebras gratiæ omnipotentis Dei reſpuere; ſicut etiam poteſt illas libere amplecti, conſentiendo gratiæ, ac obtemperando Omnipotenti.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XVI.

DEcimaſexta negat, illecebras gratiæ ſuperari poſſe a quibuſcunque aliis illecebris, puta concupiſcentiæ, docens id oriri ex eo, quod nihil poſſit reſiſtere Omnipotenti. Falſum tamen eſt primo, quod in eo, qui moraliter ad peccandum neceſſitatur, non ſint vividiores illecebræ, quas habet a concupiſcentia, quam ſint illecebræ, quas habet a gratia, a qua vires habet requiſitas ad reſiſtendum illecebris concupiſcentiæ: (ſi enim ea gratia careret, ſuccumbendo illecebris concupiſcentiæ, procul dubio non peccaret) quis enim ignoret, ſæpe nos magis allici a delectabili, quam ab honeſto? Falſum pariter eſt, quod homo gratiæ, ac ipſi omnipotenti Deo nunquam reſiſtat, cum non aliter poſſit homo peccare, quam reſiſtendo gratiæ, qua fit potens, & allicitur ad non peccandum, ac reſiſtendo omnipotenti voluntati Divinæ, omittendo, quæ Deus vult, ac præcipit, & ponendo, quæ Deus non vult, ac prohibet.

PROPOSITIO XVII.

Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad JESUM Chriſtum; Quicunque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus eſt doctus a Patre. *Queſn. Jo. 6. 45. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Queſnellus ex Calvino negat eſſe doctum a Patre, ſeu præditum gratia ſufficienti ad ſalutem, qui non didicit, nec venit ad Chriſtum per operationes ſalutares.

II. Verum quidem eſt, quod omnis, qui didicit, & venit ad Chriſtum, ſit doctus a Patre: at non e converſo; plures quippe illuſtrantur lumine ſuperno, & audiunt doctrinam Patris, quin tamen diſcant, & veniant ad Chriſtum.

III. Erronee dicitur, quod qui non diſcit, nec

venit

venit ad Chriſtum, nullatenus a Patre edoceatur, & illuſtretur. IV. Ex Tridentino, qui inſpirationem, ſeu doctrinam Patris recipiunt, poſſunt illam abjicere per diſſenſum, & ſic non diſcere. V. Deluſorie Chriſtus Dominus invitaret omnes, ut veniant ad ſe, ſi denegaret illis illuſtrationem præbentem vires, qua venire poſſent.

I. ITem in hac theſi diſerte docet Auctor, deeſſe peccantibus Gratiam interiorem ſufficientem ad non peccandum, cum dicat nullatenus eſſe doctum a Patre, qui ad Filium non vadit, poſtquam ejus exteriorem vocem invitantem audivit. Videtur theſis hæc niti verbis Chriſti dicentis Joan. 6. *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.* Ex quibus videtur inferri, quod qui non venit, non didicerit, atque adeo non ſit doctus a Patre. Quod videtur etiam innuere ipſe Auguſtinus lib. de prædeſt. Sanct. cap. 8. ubi, *Quid eſt*, inquit, *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me, niſi, Nullus eſt, qui audiat, & diſcat a Patre, & non veniat ad me? Abſit, ut quiſque non veniat, qui a Patre audivit, & didicit.* Quibus Auguſtini verbis inaniter nixus Calvinus, ut gratiam ſufficientem a Tridentino aſſertam expugnaret, in Antid. Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. dixit: *Aperte repugnat, quod hic pronunciant Tridentini Patres, cum illa ſententia, Quiſquis audivit a Patre, & didicit, venit ad me. Nam ut prudenter advertit Auguſtinus, inde ſequitur nullum a Deo audire, & diſcere, quin ſimul in Chriſtum credat; motumque Spiritus S. ſic eſſe efficacem, ut fidem gignat: Conſtituere autem hoc in hominis optione, ut Dei inſpirationi, ſi velit, auſcultet, hoc nullo modo conciliari poteſt.*

II. Verum quod nec verba Chriſti D. nec Auctoritas Auguſtini faveat huic theſi, expungenti gratiam pure ſufficientem, ex eo manifeſte colligitur, quod Calvinus teſtatur, videlicet ſententiam hanc repugnare doctrinæ Synodi Tridentinæ, quæ loco laudato anathematizat, qui dixerit liberum arbitrium a Deo motum, & excitatum non poſſe Deo excitanti, & vocanti diſſentire, ſi velit; atque adeo ex Tridentino ſtare poteſt, quod Deus excitet, & vocet hominem, & hic audiat a Patre docente, quid facere debeat, quin tamen conſentiat, & diſcat veniendo ad Filium. Quare verba laudata Chriſti D. ſignificant, (prout exponuntur ab Angelico in Jo. Lect. 5.) quod quicunque a Patre interius illuſtrante, ac inſpirante audierit, & ſimul libere conſentiendo didicerit, venit ad Filium per fidem, ſpem, & dilectionem ſupernaturalem. Propterea Auguſtinus loco laudato docet impoſſibile eſſe, quin veniat ad Filium, qui audivit a Patre, & ſimul conſentiendo didicerit, non tamen negat multos vocari, edoceri, & audire, quin tamen libere conſentiendo diſcant, & veniant; quia ſcilicet gratiæ vocanti, ac Spiritui Sancto inſpiranti reſiſtunt, nolentes profectum a doctrina Patris reportare.

III. Et ſane, quod poſſit homo vocari a Patre, & vocem audire, ac ſuo modo in actu primo edoceri de via ſalutis capeſſenda, quin veniat per fidem, ſpem, & dilectionem ad Filium, atque adeo quin diſcat, & veluti in actu ſecundo edoceatur, profectum ex auditione doctrinæ reportando, conſtat ex Scripturis paſſim id teſtantibus. Prov. 1. dicitur: *Vocavi, & renuiſtis.* Pſalm. 94. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* 2. ad Cor. 7. *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quid enim eſt reſpuere vocantem, & cor obdurare vocibus invitantis ad pœnitentiam, ac in vacuum gratiam recipere, niſi a ſuperna gratia, & cœleſti doctrina illuſtrari, & moneri, nolle tamen doctrinam excipere, ſeu in actu ſecundo per liberum conſenſum edoceri, ac diſcere? Hæc enim optime cohærent, quod aliquis doctrinam audiat, & ab ea illuſtretur, & quadantenus doceatur, quin tamen in actu ſecundo edoceatur, ſeu diſcat, doctrinam excipiat, illique adhæreat. Profecto Judæi ſuo modo a Chriſto D. edocebantur, quando Lucæ 14. *erat quotidie docens in Templo*, & quando Jo. 9. Judæi dixerunt: *In peccatis natus es totus, & doces nos?* Nihilominus doctrina Chriſti ita illuſtrabantur, ut illi non acquieſcerent; unde non diſcebant, nec in actu ſecundo per liberum conſenſum edocebantur. Hinc dici non poterat, quod nullatenus edoceantur a Patre (prout exprimit hæc theſis Queſnelliana) qui audiunt vocem, ac doctrinam Filii, & ad illum non vadunt, nec ſatagunt diſcere. Et in hoc eodem ſenſu accipiendum eſt id, quod dicitur etiam Jo. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*; non enim ſignificatur, quod non poſſit venire, niſi qui trahitur in actu ſecundo, ita ut de facto veniat, videlicet per gratiam efficacem; ſed ſit ſenſus, quod non poſſit venire, niſi per gratiam ſufficientem trahatur, ſeu alliciatur; ut proinde vere trahatur, ac poſſit venire, etiam qui non venit; Sicut vere docetur, ac poteſt diſcere, etiam qui non diſcit: Aliter non diceretur Pſ. 94. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, ſi idem eſſet audire, & doceri,

ac

ac diſcere, idemque eſſet trahi, ac venire. Quod ex eo fit perſpicuum, ut advertit Suar. lib. 5. de Grat. cap. 16. quia cum dicatur nemo poſſe ad Chriſtum venire, niſi trahatur, aperte ſequitur e converſo, quod qui poteſt venire, de facto trahatur; atqui etiam per gratiam ſufficientem homo poteſt ad Chriſtum venire; ergo etiam per gratiam ſufficientem, & non duntaxat per efficacem homo trahitur a Patre, quamvis ad Chriſtum venire renuat.

IV. Confirmatur, quia Trid. ſeſſ. 6. cap. 5. habet: *Tangente Deo cor hominis*, &c. *inſpirationem illam recipiens abjicere poteſt*, quibus verbis denotatur apertiſſime, quod in peccatoribus divinam inſpirationem abjicientibus detur gratia ſufficiens, qua edoceri poſſint in actu ſecundo, ſeu diſcere per liberum conſenſum; quia tamen diſſentiunt, ſolum habent internam inſpirationem, & illuſtrationem, atque adeo doctrinam velut in actu primo, quin tamen inſpirationem illam recipiant ediſcendo, ac debitum ex illa profectum reportando. Quare nequit dici, quod nullatenus ſit edoctus a Patre quicumque non didicit, & eatenus ad Chriſtum non venit, poſtquam vocem Filii exterius audivit.

V. Quod ſi deficeret iis gratia interior ſufficiens, ut ea adjuti ad Filium venire poſſint, quomodo a Chriſto D. invitarentur verbis illis Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos?* Nonne deluſorie invitantur ii, qui venire non poſſunt? Ne ergo dicamus, quod deluſorie inviteatur, dicendum, omnibus, etiam peccatoribus, & infidelibus gratiam ſufficientem interiorem ex Chriſti meritis conferri, qua illuſtrati, & ſufficienter edocti a Patre, ac adjuti diſcere poſſint, & ad Filium per fidem, & liberum conſenſum venire, excipiendo doctrinam ab eo traditam; dicitur enim Eccleſ. 32. *Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus.*

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XVII.

DEcimaſeptima definit gratiam, dicendo eſſe Interiorem doctrinam Patris, quæ facit hominem ad Chriſtum venire; additque nullatenus eſſe doctum a Patre, hoc eſt, nullam habere gratiam interiorem eum, qui audiendo vocem exteriorem Filii, puta adhortationes, ac conciones, ad illum non venit. Ex quo fit, quod peccator non veniens ad Chriſtum careat interiori gratia, cæteroqui ad veniendum requiſita, unde ad veniendum ſit impotens, & ideo non veniendo non peccet. Adverſus hanc theſim Concilium Colonienſe par. 7. cap. 32. declarat: *Quanquam nemo convertatur ad Dominum, niſi tractus per Patrem; attamen nemo hic excuſationem prætexat, quod non trahatur: cum ille ſemper ſtet ante oſtium pulſans, nimirum per internum, & externum verbum, commonens, ut convertamur a via noſtra peſſima.* Falſum itaque eſt, quod nullatenus ſit doctus a Patre, hoc eſt, nulla gratia interiori ſit inſtructus, qui audiendo exteriorem vocem Filii, ad illum non vadit, & tanquam Doctore deſtitutus non diſcit: Et hac de cauſa peccat, qui audiendo voces exteriores Filii, ad illum non vadit, quia ſcilicet etiam vocatur, ac inſtruitur interius, & ex ſua ſocordia non proficit.

PROPOSITIO XVIII.

Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum. *Queſnel. Act.* 11. 29. *edit.* 1693. *&* 1699.

SYNOPSIS.

I. Apertiſſime theſis hæc a veritate aberrat: paſſim quippe ſemen Verbi a Deo ſine fructu irrigatur.

II. Aliter fruſtra a ficulnea illa Lucæ 13. *per alium annum fructus expectaretur. III. Nec poterat exprobrari vineæ illi apud Iſaiam* 5., *quod feciſſet labruſcas, ubi uvæ expectabantur. IV. Uvæ tamen, ſeu bonæ operationes dicuntur a Deo expectari in ſenſu Catholico, non in ſenſu Semipelagiano. V. Semen, quod Deus irrigat gratia efficaci, ſemper affert fructum ſuum, non tamen quod irrigat gratia ſufficienti.*

I. SIcut non ſemper qui audit interius Patrem vocantem homines, ut ad Filium veniant, vocationi conſentit, ut diximus in theſi proxime præcedente; ita non ſemper ſemen verbi, quod manus Dei irrigat, affert fructum ſuum. Semen verbi divini ſemper irrigatur Sanguine Redemptoris, quatenus ex meritis Chriſti Domini datur unicuique gratia ſufficiens ad fructum ex tali ſemine reportandum (ut conſtat ex theſibus quarta, & quinta proſcriptis ab Alex. VIII. in quibus dicebatur, quod Chriſtus Dom. dederit ſemetipſum pro omnibus, &

ſolis

ſolis Electis: & quod Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum recipiant a Jeſu Chriſto influxum; unde careant omni gratia ſufficienti) fructus tamen ſolum reportatur a ſemine, quod cadit in terram bonam, in qua retinetur, & fructum affert in patientia, non vero a ſemine, quod ſeminatur ſecus viam, aut ſupra petram, aut ſupra ſpinas, ut dicitur Luc. 8.; non quia manus Dei illud non irrigat, ſed quia ſi ſecus viam cadat ſemen Verbi, diabolus venit, & tollit illud; ſi ſupra petram, radices non ponit, ſed areſcit, unde in tempore tentationis non fert auxilium opportunum; ſi ſupra ſpinas, hoc eſt inter ſolicitudines, divitias, & voluptates vitæ, ſuffocatur, & non refert fructum expectatum: Defectus itaque hujus fructus non eſt a Deo ſeminante verbum, & irrigante ſemen, ſed a terra noſtri cordis, quæ illud non cuſtodit a Diabolo, & a tentationibus, ac illecebris ſeculi.

II. Apertius id innuitur in parabola de quærente fructum in ficulnea, quæ per triennium non dederat fructum; unde Dominus dixit cultori, Lucæ 13. *Succide illam: ut quid etiam terram occupat?* At ille reſpondens dixit: *Domine dimitte illam & hoc anno, uſquedum fodiam circa illam, & mittam ſtercora; Et ſi quidem fecerit fructum, ſin autem, in futurum ſuccides eam.* Quare defectus fructuum non oriebatur niſi ex defectu, & ſocordia cultoris, non ex defectu humoris, qui ficulneæ deeſſet; Aliter fruſtra dominus vineæ expectaret per alium annum ad illam ſuccidendam; cum nonniſi fatuus a trunco, & ſtipite, aut a lapide carentibus humore debito fructum potuerit expectare.

III. Adhuc apertius id exprimitur verbis illis Iſaiæ 5. *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Si Dominus fecit vineæ id, quod potuit; *ſepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit eam electam, & ædificavit turrim in medio ejus, & torcular extruxit in ea;* Vinea vero loco uvarum dat labruſcas, defectus eſt ſolum ex parte vineæ male utentis beneficiis a Domino præſtitis. Quod ſi defectus eſſet etiam ex parte Domini non irrigantis illam, fruſtra hic expectaret uvas, nec poſſet vineæ illi exprobrare, quod ipſe fecerit quodcunque potuit, ut uvas produceret.

IV. Ubi adverte, in duplici ſenſu poſſe dici, quod Deus expectet noſtram operationem bonam; quorum alter eſt Semipelagianus, alter Catholicus. Senſus Semipelagianus eſt, quod Deus expectat noſtram operationem bonam naturalem; ut conferat gratiam ſupernaturalem, *ne penitus dormienti*, (ut loquitur Caſſianus Semipelagianorum Anteſignanus, coll. 13. cap. 13.) *aut inerti otio diſſoluto ſua dona conferre videatur.* Sed adverſus hoſce hæreticos Concilium Arauſicanum damnat has theſes, videlicet can. 6. *Sine auxilio gratiæ credentibus, volentibus, conantibus adjungitur gratia*; & can. 25. *In opere bono nos incipimus, & poſtea per Dei miſericordiam adjuvamur.* Et ratio eſt, quia ſi bonis operationibus naturalibus adjungeretur gratia, illæ eſſent quoddam meritum ad gratiam, unde gratia daretur ut præmium, & ut debita illis operationibus, atque adeo gratia non eſſet gratia; quod aperte docet Apoſtolus ad Roman. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia.* Et ad Rom. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.* Utrum autem operationes naturales poſſint ad gratiam diſponere ſaltem mere negative, itaut Deus exigat illas ſolum ut conditionem ad gratiam conferendam, non vero tanquam diſpoſitiones poſitivas, & meritum congruum, diſcutiant Scholaſtici. Equidem in Curſu Theologico p. 3. diſp. 1. q. 8. negandum cenſui, quia niſi lis ſit de voce, adhuc haberent rationem meriti congrui; eatenus enim conferretur gratia ſuppoſitis illi operibus honeſtis naturalibus, quia congruum eſt, ut hæc potius, quam alia opera aut indifferentia, aut mala viam muniant ad gratiam.

Senſus deinde Catholicus eſt, quod Deus expectet noſtram operationem bonam, quatenus expectat noſtram cooperationem auxilio gratiæ ſuæ, ut expleatur voluntas ſua conferendi gratiam illam propter bonam noſtram operationem. Hoc poſito non poteſt a Deo hæc noſtra cooperatio expectari, niſi detur gratia, cui cooperamur. Quod ſi Deus hanc noſtram cooperationem expectat, etiam quando non cooperamur, & ex propria culpa illam ſubtrahimus, conſectarium eſt, quod detur gratia ſufficiens, etiam quando noſtra operatio deſideratur; dari autem gratiam ſufficientem ſine noſtra operatione ſalutari, nihil aliud eſt, quam ſemen verbi a manu Dei irrigari, quin afferat fructum ſuum.

Confirmantur hæc omnia verbis illis 2. Cor. 6. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quæ verba expendentes D. Ambroſius, & D. Thomas apud Suar. lib. 5. de Grat. cap. 31. dicunt: *Tunc gratia in vacuum recipitur, quando nullus ex ea fructus percipitur*, juxta illud Iſaiæ 55. *Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur*

tur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui. Quare ne deriſioni exponatur Apoſtoli adhortatio, dicendum, conferri ſæpe a Deo gratiam ſufficientem, ſeu gratiam, quæ ex intentione divina producat effectum ſalutarem, niſi ex noſtra culpa impediatur, unde in vacuum ea recipiatur: Propterea Auguſtinus lib. de Gratia, & lib. Arbit. cap. 5. execrans gratiam, quæ imponat neceſſitatem utendi illa, oſtendit fruſtraneam fore hanc Apoſtoli adhortationem, ſi gratia deberet neceſſario eſſe efficax, & non poſſet ad arbitrium noſtræ voluntatis eſſe mere ſufficiens, dicendo: *Ut quid eos rogat, ſi gratiam ſic ſuſceperunt, ut amitterent liberum arbitrium?*

Hanc pariter Catholicam veritatem diſerte inſinuant verba illa Apoſtoli 1. Cor. 15. *Gratia Dei ſum id, quod ſum, gratia ejus in me vacua non fuit*; ſiſenim efficax gratia Paulo collata non potuiſſet eſſe vacua, & inefficax, inepte gloriaretur, quod abundantius aliis Apoſtolis laboraſſet: Quia tamen gloriatio iſthæc non erat de propria virtute, ſed de virtute gratiæ, ideo ſubdit: *Non ego, ſed gratia Dei mecum*; quaſi diceret, ut exponit Auguſtinus, *Nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo*; Quandoquidem gratia Dei efficaciam non habet ſine habitudine ad liberam arbitrii cooperationem, ex qua fit, ut vocatio non ſit vacua, ſeu pure ſufficiens, ſed ſit efficax. Quod pariter docuit Angelicus in 1. Theſſalon. 5. ubi exponens verba illa, *Spiritum nolite extinguere*, ac declarans quibus modis poſſit extingui Spiritus Sanctus, non quidem in ſe, ſed in nobis, docet unum ex modis eſſe, quod ejus vocationem reddamus vacuam, impediendo, ne ſemen Verbi fructum afferat a Spiritu Sancto intentum, dicens: *Cum aliquis bonus motus ſurgit, & homo impedit, extinguit Spiritum Sanctum. Act. 7. Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.*

V. Ex quibus fit, ſemen, quod Deus irrigat gratia ſua efficaci, ſemper afferre fructum ſuum, non tamen ſemen, quod Deus irrigat gratia ſufficienti; non quod iſta non ſit ſatis, ut fructus detur, aut quod Deus non det eo animo gratiam ſufficientem, ut fructus inde exurgat, ſed quia voluntas culpabiliter renuit gratiæ cooperari. Hinc Auguſtinus Pſalm. 124. dixit: *Cor eorum congelaſcit adverſus Deum, & fit durum adverſus imbrem gratiæ ipſius, ne fructum ferat.* Dari autem gratiam ſufficientem, & quidem etiam Infidelibus, conſtat ex proſcriptione quintæ theſis facta ab Alexandro VIII. quæ habet: *Pagani, Judæi; Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jeſu Chriſto influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſine omni gratia ſufficienti.* Quare ſemen verbi Sanguine Chriſti Dom. irrigatur etiam relate ad Infideles, quin tamen fructus reportetur ex ipſorum culpa; quod fuſius dicendum in theſi vigeſimaſexta.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XVIII.

DEcimaoctava vult, ſemen verbi a Deo irrigatum ſemper afferre fructum ſuum, hoc eſt ſemper homines obtemperare Deo, ſi verbum Dei, quo ad obedientiam incitantur exterius, cum gratia interiori conjungatur: Ut proinde Queſnellus velit, gratia omni interiori deſtitui peccatorem, qui verbum Dei audit, & non affert fructus contritionis, ac pœnitentiæ. Cum autem inconcuſſum ſit, requiri in peccatore gratiam interiorem ſupernam ad ponendam contritionem præceptam, quæ ad juſtificationem diſponat, (cum non poſſit actus naturæ viribus elicitus ad gratiam diſponere) ſequitur, quod ſi ea gratia careat peccator excitatus a Concionatoribus ad reſipiſcentiam, non peccet non ponendo reſipiſcentiam, quippe quam ponere non poteſt. Sequitur etiam, quod nunquam gratiæ interiori peccator reſiſtat, contritionem omittendo: (quæ eſt ipſiſſima hæreſis Janſeniana) non enim reſiſtit gratiæ interiori efficaci, quippe quæ ſemper affert fructum ſuum; neque gratiæ interiori ſufficienti, ſi quoties datur gratia, ſemper conjungitur cum fructu intento: ergo nulli unquam gratiæ interiori in natura lapſa reſiſtitur: hac etiam de cauſa nunquam peccatur.

PROPOSITIO XIX.

Dei gratia nihil aliud eſt, quam ejus omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis. *Queſn. Rom.* 14. 4. *edit.* 1693.

SYNOPSIS.

I. Duplex error ſub his verbis obtruditur, & quod gratia ſit extrinſeca, & quod ſit irreſiſtibilis.

II.

II. Quod habitualis gratia ſit nobis inhærens, & intrinſeca docet Tridentinum. III. Ea quippe radix eſt habituum ſupernaturalium, qui nobis infunduntur velut quædam potentiæ ſupernaturales, quæ connaturaliter ſunt intrinſecæ. IV. Diverſimode Adam fuit caput generis humani, ac Chriſtus Dominus eſt caput omnis principatus, & poteſtatis; idcirco licet per peccatum Adæ poſteris extrinſecum phyſice potuerint infantes evadere peccatores; gratia tamen Chriſti nobis phyſice extrinſeca non reddit homines juſtos. V. Gratia pariter actualis, de qua hic eſt ſermo, eſt etiam nobis, ſaltem connaturaliter, intrinſeca. VI. Hanc conſiſtere in actibus intellectus, & voluntatis innuit Tridentinum. VII. Idea gratiæ in ſenſu Auctoris, quæ ſcilicet ſit extrinſeca, & irreſiſtibilis, pugnat cum Scripturis, Conciliis, & Patribus. VIII. Perperam, ac inſulſe nonnulli hic Queſnellum excuſare contendunt.

I. BIceps anguis latet ſub verbis adeo ſpecioſis, videlicet & quod gratia ſit Dei voluntas, & quod ſit omnipotens. Etenim nec apte dicitur, quod gratia ſit Dei voluntas, ita ut excludatur gratia, quæ ſit homini intrinſeca; quod videtur exprimi in Theſi 36., & 37.; ubi dicitur Gratia Adami in ſtatu Innocentiæ recipi in propria perſona, ſecus vero gratia Chriſtiana; (quamvis non videatur in hac ſententia fuiſſe Janſenius) Nec apte dicitur, quod Gratia ſit Omnipotens, ita ſcilicet, ut non poſſit homo gratiæ interiori reſiſtere in natura lapſa. Quod attinet ad hoc ſecundum, ſatis ſuperque hactenus diximus, necnon in expoſitione 2. & 4. ex quinque Theſibus Janſenianis.

II. Quod attinet ad primum; ſive ſermo ſit de gratia habituali juſtificante, & gratum faciente, ſive de Actuali, qua hic, & nunc dantur in nobis vires ſupernaturales ad ſalutariter operandum, utraque eſt gratia intrinſeca, & non mere extrinſeca, & Dei voluntas, aut gratia Chriſti per Dei voluntatem, tanquam per formam extrinſecam, nobis appropriata. Et ſane circa gratiam habitualem juſtificantem varie errarunt Heterodoxi; Lutherus docuit, haberi per juſtitiam Chriſti nobis imputatam; quod pariter docuit Calvinus; quamvis hic voluerit, quod ſolum remiſſionem peccatorum nobis conferret; Oſiander docuit haberi per juſtitiam Dei nobis imputatam; Bucerus, & Pichius duplicem cauſam formalem juſtificationis noſtræ agnoſcebant, alteram imperfectam conſiſtentem in virtutibus inhærentibus, alteram perfectam conſiſtentem in imputatione juſtitiæ Chriſti in nobis. Doctrina tamen Catholica exprimitur a Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. ubi dicitur, unica eſſe cauſa formalis noſtræ juſtificationis, Juſtitia Dei, *non qua juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modo reputamur, ſed filii Dei nominamur, & ſumus.* Et can. 11. ab eodem Trid. anathematizatur, qui dixerit, *Homines juſtificari vel ſola imputatione Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat.* Quare eſto poſſit in multorum ſententia divinitus haberi effectus formalis gratiæ habitualis per formam extrinſecam, nempe per Dei voluntatem, qua det homini jus ad amorem ſui amicabilem, & ad hæreditatem, de facto tamen juxta propriam connaturalitatem eſt forma intrinſeca, & nobis inhærens; ut loquitur Concilium laudatum.

III. Et ratio apud Theologos eſt, quia dantur de facto in nobis actus Theologales Fidei, Spei, & Charitatis, ad quos aliquando exercendos obligamur; ergo debent etiam in nobis dari principia intrinſeca horum actuum, videlicet habitus ſupernaturales harum virtutum: ergo dari pariter debet gratia juſtificans habitualis nobis intrinſeca, & inhærens, quæ ſit qualitas phyſica permanens ſupernaturalis, prima radix tam habituum, quam actuum ſupernaturalium. Utraque conſequentia eſt probanda. Prima evincitur, quia quamvis Deus poſſet ſpeciali concurſu aſſiſtere potentiis naturalibus ad eliciendos actus ſupernaturales; at connaturalis modus operandi potentiæ creatæ poſtulat, ut per principium intrinſecum reddatur proxime potens, atque adeo connaturaliter dari debent principia intrinſeca, & permanentia ad actus Fidei, Spei, & Charitatis ſupernaturales eliciendos, nempe habitus infuſi: Ad eum modum, quo connaturaliter datur in Beatis lumen gloriæ intrinſecum in ordine ad producendam viſionem Dei. Altera conſequentia ex eo elucet, quia cum habitus infuſi ſint quædam potentiæ, & proprietates ſupernaturales, quæ dant ſimpliciter poſſe relate ad actus ſupernaturales, debent pariter ſupponere naturam ejuſdem ordinis, quæ ſit qualitas permanens, & intrinſeca, cujuſmodi eſt gratia, quæ dicitur eſſe ſupernaturalis, ſeu prima radix omnis ſupernaturalitatis, a qua habitus infuſi vel phyſice, vel moraliter fluunt, ita ut ab iis exigantur hic & nunc auxilia ſupernaturalia in ordine ad actus ſupernaturales eliciendos.

IV. Opponunt illud Apoſtoli ad Rom. 5. *Si-*

Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per obedientiam unius juſti conſtituuntur multi; cum autem inobedientia Adæ conſtituerit homines peccatores, & non per formam intrinſecam, ſed per hoc, quod peccatum Adæ fuerit nobis moraliter, & interpretative proprium, ſequitur, quod obedientia Chriſti reddat nos pariter juſtos, & non per formam intrinſecam, ſed per imputationem juſtitiæ Chriſti factam per voluntatem Dei tanquam per formam extrinſecam.

At longe diverſo modo inobedientia Adæ reddit infantes injuſtos, ac obedientia Chriſti reddit eoſdem juſtos per lavacrum Baptiſmi. Etenim peccatum Adæ non poterat phyſice ad infantes profluere; & propterea peccatum originale eſt proprium infantium proprietate actionis moralis: eo modo, quo voluntas Tutoris contrahentis eſt moraliter propria pupilli, ex hoc quod Tutor a Republica ſit conſtitutus caput pupilli in ordine ad contrahendum; At Chriſtus D. non eſt eodem modo conſtitutus caput morale fidelium; itaut obedientia Chriſti ſit moraliter, & interpretative propria fidelium per unionem moralem voluntatum noſtrarum cum voluntate Chriſti, eo pacto quo Adam fuit conſtitutus caput hominum; Sed Chriſtus eſt noſtrum Caput, in quantum ex meritis illius obtinemus gratiam phyſice inhærentem cum ſuis proprietatibus, ſeu virtutibus infuſis exigentibus auxilia ſupernaturalia ad ponendos actus ſalutares meritorios vitæ æternæ. Quod docuit Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. dicens; *Cum enim ille ipſe Chriſtus Jeſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto meritoria eſſe poſſunt, &c.* In hoc etiam ſenſu dicitur ab Apoſtolo ad Epheſ. 1. *Ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam:* Et ad Coloſſ. 2. *Eſtis illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis.* Non eſt autem Chriſtus Caput Eccleſiæ eo modo tantum, quo Pontifex, (videlicet in ordine ad gubernationem) ſed eſt etiam Caput in ordine ad meritum gratiæ, & influxum in juſtificatos, tanquam in ſua membra. Cum autem non ſit mortuus ad Angelos redimendos, idcirco non dicitur Caput Angelorum per hoc, quod illis gratiam meruerit, & in illos gratiam influat ex meritis ſuis, ſed inquantum eſt illorum dominator, itaut cum debito obſequio ejus mandatis morem gerant.

V. Quod attinet vero ad gratiam actualem, quod ſcilicet pariter ſit intrinſeca, & non ſit Dei voluntas extrinſeca, conſtat, tum quia debent auxilia actualia proportionari habitibus infuſis, & gratiæ habituali, a quibus exiguntur; tum etiam quia actus naturales voluntatis connaturaliter procedunt a principio adæquate intrinſeco. Cum autem Gratia, juxta commune effatum, accommodet ſe naturæ, ſequitur, quod connaturaliter etiam actus ſupernaturales procedere debeant a principio adæquate intrinſeco; atque adeo auxilium ſupernaturale, quo producitur actus ſalutaris connaturaliter eſt intrinſecum voluntati. Tum demum quia nomen hoc gratiæ actualis, ſeu auxiliaris proprie convenit actibus intellectus, & voluntatis, videlicet piis, & ſupernaturalibus cogitationibus, per quas, ut habet Auguſt. *apparet, quod latebat*, & ſanctis ac ſupernaturalibus inſpirationibus, ac delectationibus, per quas, ut habet idem Sanctus Doctor, *ſuave fit, quod non delectabat*; nec in Scripturis, Conciliis, & Patribus, aut Traditionibus fit mentio auxilii ullius ſupernaturalis conſiſtentis in alia forma, aut qualitate mortua, ſeu non vitali, quæ diſponat, & moveat voluntatem ad ſalutariter operandum; cum autem hujuſmodi illuſtrationes, & inſpirationes ſupernaturales ſint actus vitales, proculdubio ſunt qualitates phyſice inhærentes animæ; atque adeo gratia actualis, & auxiliatrix non eſt voluntas Dei omnipotentis, ſed aliquid animæ intrinſecum, quod fit in nobis ſine nobis, hoc eſt ſine nobis libere operantibus; ſiquidem a Deo illuſtrationes iſtæ, & inſpirationes nobis infunduntur, & iis adjuti ponimus actus liberos ſupernaturales, quos gratia efficax infallibiliter ſive trahit, ſive involvit, ut explicavimus in theſi tertia.

VI. De his illuſtrationibus, & inſpirationibus ſupernaturalibus mentionem facit Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. dicens: *Itaut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere poteſt; neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit*: Necnon Concilium Milevitan. cap. 4. ubi habet: *Utrumque eſt donum Dei, & ſcire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus*: Quod pariter Auguſtinus lib. 2. de peccat. meritis, & remiſſ. cap. 19. dixit: *Cum a Deo adjutorium deprecamur, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat?* Et ſane Deus in ordine gratiæ accommodat ſe naturæ, ut omnes fatentur, atque adeo per gratiam

auxi-

auxiliarem movet homines ad ſalutariter operandum modo conſentaneo naturæ rationali; modus autem naturæ rationali conſentaneus eſt, ut ad bonum proſequendum moveatur, tum ab illius cognitione, tum a complacentia, & delectatione, quæ ex eadem cognitione conſurgit. Deus itaque in ordine gratiæ ad actus ſalutares pariter tam per cognitiones, quam per delectationes ſupernaturales movet voluntatem; atque adeo in his actibus, non in Dei voluntate, conſiſtit ratio gratiæ actualis.

VII. Denique quod Deus non tradat in omnibus ſuis Scripturis hanc ideam gratiæ, prout Auctor in hac Theſi comminiſcitur, ex eo fit perſpicuum, quod Scripturæ omnes conciliari debent cum ſenſu Conciliorum, quæ hac in re laudavimus: Juxta Concilia autem, quæ verum Scripturarum ſenſum nobis ediſſerunt, Gratia Dei, quæ nobis confertur, ſive habitualis ea ſit, ſive actualis, non eſt voluntas Dei, niſi in ſenſu cauſali, non formali, quatenus a Divina voluntate nobis confertur; Et quando in Scripturis dicitur, quod Dei voluntas ſit Omnipotens, quin poſſit quiſquam ei reſiſtere, intelligendum eſt juxta ſenſum in decimatertia, & in decimaſexta theſi expoſitum, quod ſcilicet beneficio ſcientiæ conditionalium poſſit ineluctabiliter Deus a quacumque voluntate conſenſum liberum obtinere: cum habeat, ex Auguſtino, *inclinandorum, quo libet, cordium omnipotentiſſimam poteſtatem*. Propterea ſi per ſcientiam conditionalium (ſive ſcientia media illa ſit attingens futura libera conditionalia in ſeipſis, ſive ſit ſcientia Viſionis illa attingens in decreto abſoluto ex parte actus, conditionato ex parte objecti) prævideat conſenſum ſub auxilio A, illumque præfiniat conferendo tale auxilium ex animo conſenſus obtinendi, fieri non poteſt quin conſenſus ponatur. Nihilominus poteſt homo in alio ſenſu voluntati omnipotenti Dei reſiſtere, & contraniti, quatenus libere poteſt non ponere, quod Deus præcipit, & ſic Divinam tranſgredi voluntatem.

VIII. Ad excuſandum Queſnellum comminiſcuntur nonnulli, quod in hac theſi ſolum loquatur de Gratia efficaci, quæ in bono aliquo ſenſu dici poteſt Omnipotens, quatenus quomodocunque explicetur, ea eſt infruſtrabilis, & nunquam caret effectu ſuo. Sed quiſnam excuſationem hanc non derideat? Etenim ſive germanus verborum ſenſus ſpectetur, ſive mens Auctoris in aliis Theſibus non ſemel diſerte explanata, ſermo eſt de gratia ſecundum ſe, & in ſua ampla ſignificatione, unde non poteſt apte dici, quod theſis loquatur de Gratia in ſenſu reſtricto: Præſertim quia in hac theſi traditur Idea, ac definitio Gratiæ. Quare ſicuti ſi quis diceret Animalis ideam eſſe, quod ſit Principium diſcurrendi, derideretur, ſi deinde ad excuſandum errorem diceret, ſe loqui de Animali in ſenſu reſtricto, ſeu de Animali rationali: ita prorſus in caſu noſtro deridenda eſt excuſatio, dum dicitur, quod hic ubi traditur Idea Gratiæ ſecundum ſe, ſermo ſolum ſit de Gratia in ſenſu reſtricto, ſeu de Gratia efficaci; quæ tamen neque eſt Dei voluntas. Præterquamquod cum dicatur in hac theſi Dei gratia nihil aliud eſſe, quam ejus omnipotens voluntas, expreſſe excluditur a conceptu gratiæ quicquid non habet rationem gratiæ efficacis.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XIX.

DEcimanona audacter aſſerit, gratiæ ideam ex omnibus Scripturis deſumptam, eſſe duntaxat omnipotentem Dei voluntatem. Quomodo autem ex Scripturis deſumi poteſt, quod omnino a veritate abhorret, ſicut eſt iſthæc gratiæ Idea? Siquidem ex Conciliis, & Patribus perſpicuum fit, gratiam tam habitualem, quam actualem eſſe homini intrinſecam, atque adeo non eſſe meram Dei voluntatem extrinſecam. Præterquamquod nomine voluntatis Dei omnipotentis ſignificatur voluntas ejus, qui poteſt omnia, quæ vult, atque adeo ejus, qui de facto ponit quicquid vult; aliter quomodo vellet, ſi non poneret id, quod vult ſimul, & poteſt ponere? In hoc autem ſenſu, qui proculdubio eſt ſenſus verborum proprius, ac legitimus, latent errores Janſenianorum, quod ſcilicet omnis gratia ſit efficax, eo quod omnis gratia dicatur eſſe Dei voluntas omnipotens ponens de facto quicquid vult; cum tamen conſtet dari in peccatoribus gratiam ſufficientem ad ponendam contritionem præceptam, quin tamen iſta ponatur, non quidem ex defectu divinæ voluntatis, ſed ex defectu proprii arbitrii nolentis gratiæ cooperari: Vult enim Deus a peccatore contritionem, quæ dependenter ab ejus arbitrio ponatur. Præterea ſi omnipotens Dei voluntas eſſet gratia, ſequeretur, quod relate ad reprobos, quibus deeſt gratia Prædeſtinationis, deeſſet pariter Dei voluntas omnipotens, quod ſalventur;

unde verum non eſſet illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 2. *Deus omnes homines vult ſalvos fieri.*

PROPOSITIO XX.

Vera Gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi a nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt, loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt. *Queſnel. Marc. 3. 39. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Non ſemper ac Deus vult obediri a creaturis liberis, obeditur; aliter nunquam peccarent.

II. Janſenius docuit, theſim hanc eſſe D. Auguſtini. III. Cum potius ſit Calvini, Lutheri, & aliorum docentium inobedientibus non dari a Deo vires ad obediendum. IV. Quod ſi verum haberet, inanis fuiſſet exprobratio Judæis facta a Chriſto Domino. V. Divina providentia exigit, ut gratiis externis, quas Chriſtus non denegat peccatoribus, conjungantur internæ ſufficientes ad imperata facienda. VI. Quod Patres communiter docent, præſertim exemplo Pharaonis, & Nabuchodonoſoris, qui iiſdem donis a Deo fuerunt inſtructi, hic tamen ingemuit, illius vero cor libere obduratum fuit.

VII. Delectatio victrix Janſeniana ſive concupiſcentiæ ad malum, ſive gratiæ ad bonum exponitur, & exploditur.

I. IN hac Theſi eundem Auctor recudit errorem, quem in ſuperioribus, præſertim in undecima, & decimaquinta, cum quibus etiam phraſibus hæc valde concordat. Si vult Deus a creaturis irrationabilibus obediri, obeditur ſtatim. *Ventis, & mari imperat, & obediunt ei*, Lucæ 8. loquitur tamquam Dominus, & creaturas ad nutum de nihilo extrahit. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt:* Pſalm. 32. At creaturis rationalibus liberis imperat, & paſſim non obeditur. Jerem. 35. *Populus iſte non obedivit mihi.* Rom. 50. *Non omnes obediunt Evangelio.* Queſnellus id tribuit defectui gratiæ, quam docet eſſe in natura lapſa adeo efficacem, ut impoſſibile ſit Deum aliquid præcipere, quin obediatur. At ſi non obtemperantibus deeſſet gratia ſufficiens ad ponendam operationem præceptam, nonne præceptum eſſet Deo indignum, & inobedientia aſcriberetur Deo potius non ſubminiſtranti vires, quam creaturis non obtemperantibus? Ad eum modum, quo ſi Deus Soli præciperet, ut Orbem illuminet, nec vires daret ad illuminandum, ſi igni ut calefaciat, nec vellet præbere ſuum concurſum omnino neceſſarium ad quamcumque operationem creaturæ, nonne mandatum hujuſmodi eſſet Deo indignum, & ipſi duntaxat imputabilis inobedientia? Quare ut poſſit homo, etiam in natura lapſa, libere mandatis divinis obtemperare, requiritur, ut gratia ſupernaturalis, quę ex Chriſti meritis confertur obtemperantibus, non auferat libertatem indifferentię ad non obtemperandum; & ea, quę confertur iis, qui non obediunt, pariformiter cohæreat cum libertate ad obediendum, atque adeo ſit ſufficiens ad ponendam operationem ſalutarem præceptam. Aliter Deus præciperet impoſſibilia, nullam conferens gratiam, qua poſſibilia fiant, quæ eſt prima ex quinque Theſibus Janſenii, quam hæreſeos notavit Innocentius X.

II. Docet tamen Janſenius in hanc ſuam ſententiam iviſſe Div. Auguſt. Hæc enim habet lib. 7. cap. 2. *Dico igitur S. Auguſtini principiis inſiſtendo, aliquid omnino eſſe præter nudam voluntatis facultatem, quod eam faciat velle, vel nolle, quo omnino abſente, ſit impotens, præſente potens, ſive ad bonum, ſive ad malum.* & cap. 2. dicit id eſſe *delectationem victricem;* quatenus ſi in voluntate delectatio ſupernaturalis orta a gratia præfocet, & vincat delectationem cupiditatis, tunc voluntas ſit potens ad bene operandum; ſi vero delectatio cupiditatis præfocet, ac vincat quandam tenuem delectationem ortam a charitate, tunc voluntas ſit determinata ad malum, & impotens ad bonum; Cum autem uni Deo tribuatur gratia, quę vincat delectationem ortam a cupiditate, idcirco uni Deo tribuitur bona operatio; & quia ſine tali delectatione voluntas eſt impotens ad bene operandum, idcirco qui caret gratia efficaci, impotens eſt ad obtemperandum Deo præcipienti; quando vero confertur gratia efficax, & delectatio victrix, tunc Deus vult ſibi a nobis obediri, & obeditur, imperat, & omnia fiunt, loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi miſſa ſunt.

III. Verum tam auctor hujus theſis, quam ejus magiſter Janſenius perperam jactitant id hauſiſſe ex fontibus puriſſimis doctrinę Auguſtinianę, cum re vera hauſerint ex lacunis Hæreticorum, quod fuſe oſtendit Rip. diſp. 23. ſect. 2. Calvinus l. 2. Inſtit. cap. 7. habet. *Sit extra controverſiam, impoſſibile eſſe in*

ſe in hac carne legis implementum; & ibid. §. *Ejuſmodi argutia vexabant Auguſtinum Pelagiani, injuriam fieri Deo, ſi plus jubeat, quam per ejus gratiam præſtare queant fideles.* Et Lutherus in Confut. Rationis Latonomianæ: *Tot ſcripturæ teſtimonia probant mandatum eſſe impoſſibile nobis, ut nihil ſit manifeſtius.* Similiter Melanchthonius ad cap. 4. Epiſt. ad Rom. *Cum mandat lex diligi Deum, perinde impoſſibilia jubet, ac ſi præcipiat nobis tranſvolare Caucaſum.* Et Chemnitius ad ſeſſ. 6. Trid. can. 4. & 5. *non ſunt fruſtra præcepta, etſi nihil poſſit liberum arbitrium ſine gratia neceſſitante, quam ſoli Electi habent;* quæ eſt ipſiſſima Queſnelli peſtilens doctrina in hiſce proſcriptis theſibus; cum doceat, præcepta divina, quibus aliquis actus ſupernaturalis injungitur, (puta contritio peccatori) ſi adſit gratia, eo ipſo adjunctam habere ſecum obedientiam, ſeu contritionem præceptam; Quod ſi deſit obedientia, ſeu contritio injuncta, tunc deeſſe etiam gratiam, ſine qua contritio ſupernaturalis poni non poteſt; atque adeo tunc præceptum de ponenda contritione eſſe præceptum de re impoſſibili.

IV. Adverſus hæc placita militant Scripturæ, Concilia, Patres, & rationes in ſuperioribus theſibus adductæ, & infra etiam ulterius adducendæ: Exprobrationes quippe, quæ in Scripturis paſſim fiunt inobedientibus comparative ad alios obedientes Divinis Mandatis, indicant, utroſque gratia ſufficienti, & ad minus æquali eſſe inſtructos ad legem ſervandam, cæteroqui vana eſſet exprobratio: poſſent enim exprobranti reponere, quod ea de cauſa ſint inæquales relate ad obedientiam, quia fuerunt inæquales in ordine ad obediendi poteſtatem, ex defectu gratiæ ſufficientis. Celebris eſt illa exprobratio facta Judæis Matth. 11. & Lucæ 10. *Tunc cœpit exprobrare Civitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes ejus, quia non egiſſent Pœnitentiam. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent.* Ubi ſedulo advertendum, increpationem Chriſti fieri Judæis, quod non agant pœnitentiam ſub illis virtutibus non ſolum externis, ſed etiam internis gratiæ, ſub quibus Gentiles pœnitentiam egiſſent; alioquin recurrit, quod exprobratio non eſſet juſta, & efficax, ſed vana. Quare cum Gentiles egiſſent pœnitentiam ſub virtutibus externis, & ſub gratia interiori, ſequitur, quod pariter Judæi debuerint eſſe affecti conſimili gratia interiori, ſub qua Gentiles pœnitentiam egiſſent; Cum autem pœnitentiam non egerint Judæi, ſequitur, quod habuerint gratiam pure ſufficientem, cum qua poſſent bene operari, & ex culpa voluntatis bene operati non ſint.

V. Ratio autem a priori, cur virtutibus externis, ſeu ſignis, & miraculis, quæ Chriſtus operatus eſt in Judæa, ut ad fidem illos adduceret, adjuncta fuerint auxilia gratiæ interioris, eſt, quia hoc ſpectat ad providentiam divinam, ut ex cultura externa poſſit homo ferre fructus internos ſalutares. Propterea ſaltem regulariter in præſenti providentia, in qua homo elevatus eſt ad finem ſupernaturalem, quoties datur cogitatio naturalis, qua poſſit voluntas viribus ſuis ponere actum bonum naturalem, conſurgit ſimul, & infundit Deus animæ illuſtrationem ejuſdem objecti honeſti ſupernaturalem, ut voluntas poſſit viribus gratiæ concurrere ad operationem ſupernaturalem. Quare Chriſtus D. non objectavit Judæis ſolas virtutes externas, ſed etiam auxilia interna, quibus erant prædiți, nempe gratiam ſufficientem.

VI. Quod innuit D. Anſelmus in eum locum dicens: *Sed quare Deus negat gratiam libenter ſuſcepturis, & gratiæ conſenſuris, videlicet Gentibus; eligit vero non conſenſuros gratiæ, ſcilicet Judæos? non eſt noſtrum ſcire.* Et Theophylactus Matth. 11. *Poſtquam monſtravit*, inquit, *quod quæcumque oportebat, fecerat, & manſerunt abſque pœnitentia, conſequenter exprobrat: Væ tibi Corozain*, &c. Non dediſſet autem Judæis *quæcumque oportebat*, ſi iis gratiam ſufficientem interiorem denegaſſet. Hinc Auguſtinus comparans Pharaonem cum Nabuchodonoſore lib. de Prædeſt. & Grat. cap. 15. oſtendit, utrumque iiſdem affectum fuiſſe donis; Pharaonis tamen impœnitentiam non aſcribit defectui gratiæ ſufficientis, ſed ſolum libero ejus arbitrio; hęc enim habet: *Quantum ad naturam ambo homines erant, quantum ad dignitatem ambo Reges, quantum ad cauſam ambo captivum populum poſſidebant, quantum ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit eſſe diverſos, niſi quod unus manus Dei ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnavit arbitrio?* Quod apertius expreſſit Chryſoſtomus Rom. 9. ſerm. 16. dicens: *Unde igitur alii quidem vaſa ſunt iræ, alii vero miſericordiæ? Ex propria voluntate. Deus vero quoniam bonus eſt erga utroſque, bonitatem ſuam declarat; nec enim eorum tantummodo, quos ſalvavit, ſed etiam quantum*

in ſe fuit, Pharaonis miſertus eſt: Quod autem ſalvatus non eſt, totum per ſuam ipſius voluntatem ſtetit; quantum ad Deum attinebat, nihil ab illis qui ſalvati ſunt, minus habuit. Quare ſicut Pharaoni, ita peccatoribus omnibus gratiam ſufficientem interiorem benigniſſime Deus confert, ut poſſint reſipiſcere, & ad bonam frugem redire. Ea autem gratia collata Deus vult obediri, & non obeditur, imperat, & imperata non fiunt, loquitur ut Dominus, & tamen cor peccatoris ſubmiſſum non habet; longe itaque diverſa eſt Idea gratiæ ab ea, quam in hac theſi auctor comminiſcitur.

VII. Opponitur, quod Auguſtinus in Epiſt. ad Galat. dicat: *Quod amplius nos delectat, ſecundum illud operemur neceſſe eſt:* ergo ex Auguſtino voluntas neceſſario ſequitur delectationem præponderantem, ſive cupiditatis ad malum, ſive gratiæ, & charitatis ad bonum; cum autem gratia medicinalis in natura lapſa conferatur ad ſanandam ægritudinem contractam per peccatum, & ægritudinem non ſanaret, niſi pareret majorem delectationem in bono honeſto, quam pariat cupiditas in bono delectabili, idcirco neceſſe eſt, ut ſequamur ductum gratiæ medicinalis, ubi illa conferatur; atque adeo vera idea hujus gratiæ eſt, quod Deus velit ſibi a nobis obediri, & obediatur, imperet, & omnia fiant.

Reſpondeo, ſenſum illorum verborum non eſſe, ut Janſeniani contendunt, quod a delectatione victrici, ac prædominante, ſive cupiditatis ad malum, ſive gratiæ, & charitatis ad bonum evertatur libertas indifferentiæ in voluntate; cum hoc adverſetur Catholicæ veritati; ſed ſenſus eſt, quod voluntas propoſito ſibi duplici bono oppoſito, puta honeſto, & delectabili, neceſſario illud amplectatur, in quo magis ſibi complacet, & majorem percipit oblectationem, etiamſi ab altero oppoſito magis alliciatur. Quare ſi bonum delectabile turpe, v. gr. comeſtio carnis vetita, magis alliciat, quam bonum honeſtum, v. g. obſervantia præcepti, voluntas poterit ſibi libere magis complacere, & delectari in hoc bono honeſto præeligendo iſtud; & hoc pacto neceſſario neceſſitate conſequenti operatur voluntas juxta allicientiam objecti honeſti, minus quidem allicientis, ſed in quo magis oblectatur, libere illud amplexando, ac reſpuendo bonum delectabile, quod magis allicit, ſed in quo minus vult oblectari. Sicut enim de Judæis dicitur Jo. 17. quod non poterant credere, utpote excæcati; ſed Auguſtinus advertit, hanc impotentiam non fuiſſe antecedentem everſivam libertatis ad credendum, ſed conſequentem, & ideo ſic exponit ea verba Sanctus Doctor: *Quare non poterant credere? ſi a me quæris, cito reſpondeo; Quia nolebant. Non poterant credere, non quia homines mutari in melius non poſſunt, ſed quandiu talia ſapiunt, non poſſunt credere.* Ita pariter in caſu noſtro, dictum illud Auguſtini intelligendum eſt de neceſſitate conſequente, quatenus in ſenſu compoſito, quod voluntas libere magis oblectatur in bono honeſto, in quo eſt minor allicientia, neceſſe eſt, ut operatio voluntatis tendat in tale bonum. Vel dicas expeditius, quod operatio externa, puta obſervantia præcepti, quæ non eſt formaliter libera, neceſſario ſequatur ad id, in quo magis voluntas oblectatur, & quod prælegit, vid. ad amplexum boni honeſti.

Ubi advertendum, quod in voluntate, antequam ſe determinet ad amplexum unius boni præ alio, puta boni honeſti præ delectabili turpi, conſurgunt regulariter duo motus indeliberati, ac neceſſarii, quibus fertur erga utrumque bonum. Cum enim voluntas a natura habeat inclinationem inditam in bonum in genere, ſtatim ac apparet bonum aliquod particulare, conſurgit motus quidam, ſeu amor neceſſarius, ac indeliberatus erga illud, qui eo eſt intenſior, & magis inclinat voluntatem ad liberum amplexum talis boni, quod bonum illud eſt præſtantius, ſeu vividius repræſentatur. Quando autem repræſentantur duo bona incompoſſibilia, ut ſunt honeſtum, ac turpe, tunc conſurgunt duo illi amores indeliberati, & neceſſarii, ſed voluntas alterutrum præeligit amplexando illud amore libero, & ſic in eo magis oblectatur, quamvis illud remiſſius alliciat. Hinc patet, quomodo neceſſe ſit, quod ſecundum illud operemur, quod amplius nos delectat, ſeu quod præeligimus; quia illud, quod præeligimus, quamvis minus alliciat, amamus tum amore illo indeliberato, ac neceſſario, tum amore libero, & ſic dupliciter in illius amplexu oblectamur: relate vero ad bonum, quod reſpuimus, ſolum habemus amorem indeliberatum, qui naturaliter in voluntate conſurgit.

Quod autem in hoc ſenſu loquutus ſit Auguſtinus dicens, neceſſe eſſe, quod operemur ſecundum id, quod amplius delectat, videlicet ob amorem, & amplexum illius neceſſarium ſimul, ſeu indeliberatum, ac liberum, conſtat, quia lib. 8. Confeſſ. cap. 4. diſerte docet, ſe olim non operatum fuiſſe ſecundum id quod amplius delectabat ſo-

ſolum delectatione indeliberata, & præveniente, ſeu ſecundum id, quod magis alliciebat, ſed operatum fuiſſe ſecundum id, quod amplius delectabat, delectatione ſcilicet libera, & concomitante. Hæc ſunt verba S. Doctoris: *Non faciebam, quod incomparabili affectu amplius mihi placebat:* ubi luculenter diſtinguit inter delectationem indeliberatam, quæ erat valde magna de bono, quod reſpuebatur, & deliberatam, ac liberam, quæ erat de bono, quod minus alliciebat; propterea ibidem ſubdit: *Et mox ut vellem, poſſem*, indicans, quod ſi vellet libere ferri in bonum illud, quod magis alliciebat, procul dubio poſſet; cum poſſit voluntas ad arbitrium oblectari delectatione libera, & concomitante, tam in bono, quod allicit magis, & incomparabili affectu amplius placet, quam in bono, quod allicit minus; Quod pariter Auguſtinus docuit lib. de ſpir. & lit. c. 33. dicens, Deum nos ſua miſericordia prævenire alliciendo ad fidem, ſed vocationi Dei *conſentire, vel non conſentire propriæ voluntatis eſt*. Hinc illud Poetæ: *Video meliora, proboque, deteriora ſequor;* quia ſcilicet voluntas libere ſequi poteſt, & amplius delectari delectatione libera in deterioribus bonis, reſpuendo meliora, quæ magis oblectant delectatione indeliberata, & neceſſario conſurgente ad proſpectum cujuſcunque boni juxta menſuram vividæ repræſentationis, quæ de illo habetur.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XX.

VIgeſima iterum vult, veram Gratiæ ideam eſſe, quod Deus velit a nobis obediri, & obediatur, imperet, & omnia fiant. At ſi res ita ſe haberet, peccator, cui contritio imperatur, & illam negligit, deſtitueretur gratia ſufficienti ad illam ponendam, & ſolum eſſet præditus gratia efficaci ille, qui contritionem præceptam poneret; atque adeo juxta hanc etiam theſim alia gratia non datur præter efficacem; quod non ſemel diximus repugnare: Etenim ſi peccator ad contritionem ſupernaturalem ponendam obligatur, & caret gratia ſufficienti, reus non eſſet, ſi illam omitteret; ſicut reus non fit homo per hoc, quod v. gr. non ambulet, ſi pedibus, aut viribus careat ad ambulandum neceſſariis. Et ſicut citra ſummam impietatem, aut dementiam non poſſet huic præcipi, quod ambulet; ita nec peccatori præcipi poſſet, quod conteratur; quando denegatur illi gratia ad talem actum ponendum requiſita. Quocirca Janſenianæ hæreſes in hac, & aliis ejuſdem furfuris theſibus aperte recuduntur: quod ſcilicet peccatori non ponenti contritionem præceptam præcipiatur aliquid impoſſibile, nec tribuatur illi gratia ſufficiens, qua contritio reddatur poſſibilis; ſicut etiam, quod ad demeritum ab hujuſmodi peccatore contrahendum in omiſſione contritionis præceptæ non requiratur gratia ſufficiens, eo quod non requiratur libertas a neceſſitate, ſed ſatis ſit libertas a coactione. Recurrit etiam, quod ponens contritionem ſub gratia efficaci, poneret illam ſub gratia, ſub qua ineluctabiliter fit, quod imperatur a Deo, atque adeo ſub gratia irreſiſtibili, ad mentem Janſenii.

PROPOSITIO XXI.

Gratia Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpote quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela, & intentio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis Filium ſuum. *Queſnel. 2. ad Cor. 5. 21. edit. 1693.*

SYNOPSIS.

I. In hac, & quatuor ſequentibus theſibus uni gratiæ tribuit Queſnellus operationes noſtras ſalutares. II. Sicut uni voluntati Divinæ tribuitur operatio Incarnationis, & Reſurrectionis.

III. Duplex tamen in his error continetur; & quod mere paſſive ſe habeat voluntas in ordine ad operationes ſalutares, & quod non poſſit gratiæ obluctari. IV. Pluribus oſtenditur, quod voluntas non ſe habeat mere paſſive. V. Non ſufficit, quod voluntas agat ut quæ recipiendo gratiam, qua agit. VI. Idemque ſuadetur ex conceptu actus vitalis, & liberi.

VII. Non eſſet libera voluntas, ſi Gratiæ operatio eſſet inſtar operationis Dei Incarnantis, ac Reſuſcitantis Filium ſuum. VIII. Non ſufficit ad meritum, ac demeritum libertas eſſentialis ad mentem Janſenii, ſeu libertas a coactione.

I. IN hac, & quatuor ſequentibus theſibus virus eructat ſuum Auctor. Conſueta calliditate, verbis pigmento quodammodo delibutis Gratiam Dei efficacem ſummopere commendat, eamque fortem nuncupat, ſupremam, invincibilem: Addit tamen eam eſſe voluntatis Omnipotentis operationem, atque

atque ad vivum adumbrare operationem Dei Incarnantis, ac Reſuſcitantis Filium ſuum.

II. Quod gratia interior non ſit invincibilis, ſeu irreſiſtibilis, oſtendimus in expoſitione theſis decimæ, ſicut etiam decimætertiæ, ac decimæſextæ, ubi effugia Queſnellianorum præcluſimus, & eluſiones deteximus: Conſtatque ex proſcriptione ſecundæ theſis Janſenii, quæ habet: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*. Quod vero gratia, quæ Dei Incarnantis, ac Reſuſcitantis Filium ſuum operationem conſequitur, illam non imitetur, apertiſſime oſtenditur, quia tam operatio Dei Incarnantis, ſeu producentis unionem hypoſtaticam inter Verbum, & Humanitatem, quam operatio Dei Reſuſcitantis Filium ſuum, ſeu producentis unionem inter Animam, & Corpus Humanitatis aſſumptæ jam vita functę, eſt operatio ſolius Divinæ voluntatis Omnipotentis, cui nihil ullatenus poteſt reluctari; Contra vero operatio Dei operantis *in nobis eſſe, & perficere pro bona voluntate*, ut loquitur Apoſtolus ad Philipp. 2., ſeu operantis in nobis gratiam efficacem, & conſenſum ſalutarem, non eſt operatio ſolius voluntatis Divinæ, ſed eſt etiam operatio voluntatis creatæ, quæ ratione ſuæ libertatis poteſt Divinæ voluntati reſiſtere, impediendo hujuſmodi divinam operationem, ut diximus in theſi tertia, & decima; ergo latiſſimum diſcrimen intercedit inter operationem Dei Incarnantis, & Reſuſcitantis Filium ſuum, ac operationem Dei conferentis nobis gratiam, & conſenſum ſalutarem. Quod ſi dicatur voluntas Chriſti D. potuiſſe mereri, immo etiam de facto meruiſſe Reſurrectionem corporis ſui, adhuc diverſiſſima eſt operatio Gratiæ ab operatione Dei Reſuſcitantis Filium ſuum; tum quia licet potuerit voluntas Chriſti Domini eſſe cauſa meritoria Reſurrectionis, non poteſt tamen voluntas eſſe cauſa meritoria primæ gratiæ; cum prima gratia non poſſit cadere ſub meritum: tum etiam quia unio inter animam, & corpus Chriſti Domini, quę cauſatur a Deo reſuſcitante Filium ſuum, non eſt formaliter libera, debet tamen eſſe formaliter liber conſenſus ſalutaris cauſatus a gratia.

III. Duo proinde errores Heterodoxorum proprii ſub pallio iſtorum verborum continentur in hac Theſi. Primus eſt quod voluntas creata relate ad conſenſum ſalutarem, (qui proculdubio eſt gratia Jeſu Chriſti) omnino paſſive ſe habeat; non ſecus ac omnino paſſive ſe habet Humanitas in operatione Dei Incarnantis Filium ſuum, & omnino paſſive ſe habent Corpus, & Anima in operatione Dei Reſuſcitantis eundem. Alter eſt, quod non poſſit voluntas gratiæ interiori reſiſtere, ſed quod ab illa neceſſitetur ad conſenſum; ſicut non poteſt Humanitas reluctari operationi Dei aſſumentis illam, nec poteſt Anima, & Corpus Chriſti Domini reſiſtere, aut impedire operationem Dei Reſuſcitantis illum. Propterea Lutheraniſmus in primo, Calviniſmus in altero errore callide hic ab Auctore inſinuatur, ut annotavimus in theſi decima.

IV. Quod attinet ad primum: Voluntatem creatam relate ad conſenſum ſalutarem, quem in nobis Deus operatur, non ſe habere tantum paſſive, ſed Deo cooperari, itaut primas partes habeat Deus in ratione efficientis, & intendentis conſenſum, & creatura in ratione eligentis, conſtat ex Scripturis. Apoſtolus enim 1. Corinth. 15. dicit: *Non ego, ſed gratia Dei mecum*, atque adeo gratia, & operatio Dei ſimul cum creatura, ponunt conſenſum ſalutarem. Pſalm. 16. dicitur: *Dominus factus eſt adjutor meus*; & Rom. 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram*: & Pſal. 23. *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitaſſet in inferno anima mea*; & paſſim in Scripturis dicitur gratia hominem adjuvare ad ſalutariter operandum; ubi denotatur, quod gratia promoveat operationem arbitrii, atque adeo arbitrium non ſe habeat paſſive ad gratiam, ſed cum illa operetur, & agat. Quod innuit Auguſtinus tract. 4. in Epiſt. Joan. ubi habet *Si dicis, Adjutor meus eſto, aliquid agis; nam ſi nihil agis, quomodo ille adjuvat?* Quod etiam docuit D. Thom. pluribus in locis, præſertim quæſt. 27. de Verit. tract. 4. Et quamvis Thomiſtæ doceant, ſolam gratiam eſſe totam rationem agendi, ſeu producendi actum ſalutarem, non proinde docent, quod voluntas noſtra omnino paſſive ſe habeat; cum velint, quod gratia agat ut quo, voluntas vero agat ut quod. Sicut enim ignis eſt id, quod ignem producit; tota vero ratio producendi ignem per Thomiſtas eſt ſolus calor, producens ignem ut quo, ſeu tanquam virtus ignis; ita in eorundem ſententia voluntas eſt, quæ libere ponit actum ſalutarem, ſicut intellectus eſt, qui videt Deum: tota vero ratio productiva hujus conſenſus ut quo eſt ſola gratia, & tota ratio producendi Viſionem beatam eſt ſolum lumen glorię. Præterea Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 4. anathematizat, qui dixerit: *Liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet: neque poſſe diſſentire, ſi velit,*

velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere. Quare ex Tridentino voluntas aliquid agit, & gratiæ cooperatur, ac proinde gratia non eſt operatio ſolius voluntatis Omnipotentis, & invincibilis, ſed eſt pariter operatio voluntatis creatæ, cui in quantum liberæ competit poſſe operationem gratiæ impedire, & ſic illi reſiſtere.

V. Nec valet reſponſio, quod voluntas ſit Agens ut quod recipiendo gratiam, qua agit; nam hoc non negabatur ab Hæreticis, quos damnat Tridentinum; negabatur ſolum, quod voluntas libere ſe determinet ad conſenſum, & quod poſſit gratiæ operationem impedire; Et adverſus hanc hæreſim Concilium docet, quod voluntas non ſe habeat mere paſſive.

VI. Confirmatur tum ex conceptu actus vitalis, tum ex conceptu actus liberi, qualis eſt conſenſus ſalutaris. Quatenus enim conſenſus eſt actus vitalis, eſt motus ab intrinſeco, atque adeo procedere debet a principio vitali ſe ipſum movente, ac perficiente altiori modo, quam perficiantur inanimata. Quatenus vero eſt actus liber, eſt Electio libera, & ideo debet eſſe a principio eligente, ſeu a voluntate; ac proinde actus ſalutaris procedere debet a gratia cum concurſu voluntatis; cum ſola voluntas ſit potentia electiva conſenſus præ diſſenſu: gratia vero non poteſt eſſe electiva, cum non poſſit influere in alteram partem, videlicet in actum malum, ſicut poteſt voluntas.

VII. Quod ſpectat ad ſecundum errorem hujus theſis, quod ſcilicet non poſſit voluntas operationem gratiæ impedire, ac veluti expugnare victricem delectationem gratiæ efficacis, ad eum modum, quo non poteſt Humanitas impedire operationem Dei Incarnantis Filium ſuum, ex eo falſitas eluceſcit, quia ſi hujuſmodi eſſet gratia, eſſet omnino læſiva libertatis indifferentiæ, quæ proculdubio ad meritum, & demeritum requiritur. Quomodo enim voluntas ſub operatione Voluntatis Divinæ omnipotentis, qua vult conſenſum, poſſet dici libera ad conſenſum omittendum, ſi operationem iſtam gratiæ ſuperare non poſſet? Sicut non poteſt Humanitas dici libera ad carendum unione hypoſtatica, ſi non poteſt impedire operationem Dei Incarnantis Filium; nec poſſunt anima, & corpus Humanitatis aſſumptæ habere libertatem indifferentiæ, ad hoc ut Chriſtus revocetur, vel non revocetur ad vitam, ſi non poſſunt impedire operationem Dei ducentis unionem inter animam, & corpus, ac reſuſcitantis Chriſtum.

VIII. Quod demum libertas hæc indifferentiæ requiratur in voluntate ponente actum ſalutarem meritorium vitæ æternæ, quin ſufficiat ſola libertas a coactione, conſtat ex proſcriptione tertiæ ex quinque Janſenii theſibus, qui lib. 7. de Gratia Chriſti hæc habet: *Libertati arbitrii ſolam neceſſitatem coactionis, quæ, etſi nolumus, efficit id, quod poteſt, eſſe contrariam, omnemque actum voluntarium, ſeu ſpontaneum eſſe liberum.* Hanc autem libertatem, quam vocat eſſentialem, conſiſtentem in eo, quod actus ſit voluntarius, ſeu procedens a voluntate cum cognitione prævia finis, ac plena advertentia, ſufficere ad meritum, ac demeritum, circumſcripta indifferentia voluntatis ad bonum, & malum, docent communiſſime Janſenii Aſſeclæ ex Bajo, cujus ſunt illæ theſes proſcriptæ: *Quod voluntarie ſit, etiamſi neceſſario fiat, libere tamen fit. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit.* Catholici tamen omnes docent, neminem eſſe aut pœnæ reum, aut præmio dignum ob operationes neceſſarias, etiamſi voluntarias, dicente Auguſtino lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt?* Et lib. de duab. animab. cap. 12. *Dicere reum teneri quempiam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ eſt iniquitatis, & infamiæ.* Et Chryſoſt. homil. 22. in Geneſ. habet: *Quia poſt gratiam in noſtra poteſtate totum relictum eſt, ideo locum habet retributio.* Hinc nemo ſanæ mentis dixerit eſſe pœna æterna dignum, qui die feſto non audit Sacrum, ſi compedibus irretitus non poteſt illud audire; nec dixerit eſſe præmio dignum, qui aut cæcus, aut in tenebris poſitus in objecta turpia non figit obtutum; idque quia ad hujuſmodi actus caret indifferentia formali, quamvis non careat indifferentia radicali, quam unice Janſeniani admittunt, videlicet indifferentia potentiæ volitivæ de ſe vertibili ad bonum, & malum, aut indifferentia remota, & conditionata, ſicut habet cæcus ad videndum, quatenus videre poſſet, ſi careret cæcitate. Hinc Angelicus quæſt. 6. de malo docet: *Quidam poſuerunt, quod voluntas hominis ex neceſſitate moveatur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur. Hæc autem opinio eſt hæretica: Tollit enim rationem meriti, ac demeriti in humanis actionibus; Non enim videtur eſſe meritorium, aut demeritorium, quod aliquis ſic ex neceſſitate agit, ut vitare non poſſit.* Hanc autem libertatem indifferentiæ de facto dari in natura lapſa, in theſi ſequenti adverſus Janſenium oſtendemus.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXI.

VIgeſimaprima docet, Gratiam eſſe invincibilem, quippe quæ eſt operatio voluntatis omnipotentis, ac imitatio operationis Dei Incarnantis, & Reſuſcitantis Filium ſuum. Omnimoda cæcitate laborat, qui non advertit quot erroribus ea ſcateat. Gratiam eſſe invincibilem fert, quod gratiæ non poſſit humana voluntas obluctari, juxta hæreſim Janſenianam. Gratiam eſſe operationem voluntatis omnipotentis fert, ut ſupra oſtendimus, gratiam ſemper eſſe efficacem; atque adeo eum, qui culpabiliter omittit actum ſupernaturalem præceptum, carere gratia ſufficienti ad illum ponendum, & ideo non peccare, dum peccat. Denique gratiam eſſe operationem omnipotentis voluntatis, quæ imitatur operationem Dei incarnantis Filium ſuum fert, quod ſicut citra ullam libertatem, aut cooperationem Humanitatis aſſumptæ fuit operatio incarnationis, ita citra libertatem, aut cooperationem humanæ voluntatis ſit operatio gratiæ; quo nihil abſurdius fingi, aut excogitari poteſt.

PROPOSITIO XXII.

Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu demonſtratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ; quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio. *Queſnel. Luc.* 1. 38. *edit.* 1693. & 1699.

SYNOPSIS.

I Operatio Dei incarnantis Filium ſuum diſtordat ab operatione Gratiæ; illa quippe eſt neceſſaria Humanitati aſſumptæ, hæc vero eſt libera voluntati. II. Negat Queſnellus voluntatem in natura lapſa poſſe gratiæ reſiſtere, & habere libertatem indifferentiæ ad bonum, & malum.

III. Multipliciter oſtenditur falſitas adverſus Janſenium. IV. Non ſalvant Lovanienſes libertatem indifferentiæ per hoc, quod voluntas poſſit omittere actum in ſenſu diviſo a prærequiſitis ad actum. V. Auguſtinus longiſſime abeſt ab hac hæreſi Janſeniana. VI. Vanum eſt effugium Queſnellianorum.

I. NOn concordia, ſed apertiſſime diſcordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipſius voluntatis conſenſu illico demonſtraretur, ſi talis eſſet iſthæc operatio Dei in corde hominis gratiam operando, ſicut eſt operatio Dei in Incarnatione operando unionem Hypoſtaticam: hæc enim eſt quidem fons omnium aliarum gratiarum, ſed non eſt Archetypum omnium omnino aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ. Et ratio eſt, quia quamvis omnis gratia ex conceptu gratiæ ſit omnino gratuita, excedens omnem naturalem exigentiam tam phyſicam, quam moralem: non tamen omnis gratiæ operatio ita dependet a Deo, ſicut ipſa originalis operatio, nempe ſicut operatio Dei in Incarnatione, quæ eſt origo reliquarum gratiarum; ſiquidem, ut explicavimus in Theſi ſuperiore, operatio Dei in Incarnatione eſt operatio ſolius Dei, atque adeo ipſi uni libera, & omnino dependens a ſolo Deo; contra vero operatio Dei operantis in corde hominis conſenſum liberum non eſt operatio ſolius Dei, ſed eſt pariter operatio voluntatis creatæ, quæ ex ratione ſuæ libertatis poteſt Dei operationem impedire: ut proinde valde diſcrepet ab operatione Dei in Incarnatione: Hæc enim Humanitati aſſumptæ eſt omnino neceſſaria; operatio vero Dei in corde hominis eſt operatio voluntati hominis prorſus libera. Hinc ſi in Incarnatione, tanquam in Archetypo, demonſtraretur Dei operatio in corde hominis, demonſtraretur hanc diſcordare cum libero ipſius voluntatis conſenſu: quandoquidem conſenſus deberet eſſe voluntati neceſſarius: non ſecus ac in Incarnatione neceſſaria eſt Humanitati aſſumptæ operatio Dei producentis unionem Hypoſtaticam.

II. Queſnellus eo ſemper tendit, ut oſtendat in natura lapſa non dari libertatem indifferentiæ ad bonum, & malum, ſed vel dari gratiam Redemptoris efficacem, quæ ſit operatio Dei omnipotens unice dependens a Deo, non ſecus ac operatio Dei infundentis alias gratias nullatenus dependentes ab arbitrio voluntatis creatæ; Vel nullam aliam dari gratiam ſufficientem, qua poſſit voluntas ponere operationem ſalutarem, & ex propria culpa illam non ponat.

Cen-

Cenſent enim omnes Janſenii Aſſeclæ, quod poſt lapſum natura humana ea infirmitate laboret, ut ſemper a cupiditate vincatur, niſi de iſta triumphet inexpugnabiliter medicinalis gratia Redemptoris, cui humana voluntas contraniti non poſſit.

III. Verum quod in natura lapſa detur libertas indifferentiæ ad bonum, & malum ſub gratia Redemptoris, itaut viribus gratiæ adjutus poſſit homo ponere conſenſum ſalutarem citra ullam neceſſitatem; atque adeo ſi illum ponat, gratia dicatur, & ſit efficax; ſi vero non ponat, gratia dicatur, & ſit pure ſufficiens, & ſolum efficax quantum eſt ex parte Dei, conſtat ex Scripturis, Conciliis, Patribus, & Ratione. Eccleſ. 31. dicitur: *Beatus vir, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit*: Ad Cor. 7. *Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc judicavit in corde ſuo, ſervare virginem ſuam, bene facit.* Trident. ſeſſ. 6. can. 5. habet: *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum extinctum, & amiſſum eſſe dixerit, anathema ſit.* Quamvis ergo natura lapſa fuerit in culpa, liberum tamen arbitrium ſartum tectum remanſit, prout erat in ſtatu innocentiæ; atque adeo eadem quoad ſubſtantiam libertas indifferentiæ eſt in utroque ſtatu; eſto in natura lapſa ſæpe cum libertate phyſica ſtet neceſſitas moralis ad peccandum in pœnam culparum præteritarum; & in natura per Chriſtum reparata ſæpe ex vi meritorum Chriſti Domini detur gratia moraliter neceſſitans ad bene operandum. Idem docet paſſim Auguſtinus, præſertim lib. 1. retract. cap. 7. dicens: *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt?* & lib. de nat. & grat. cap. 47. *Aut ego non intelligo quid dicam, aut ipſe. Quomodo enim in poteſtate noſtra eſt videndi poſſibilitas, ſi in poteſtate noſtra non eſt videndi neceſſitas?* Et ratio eſt, quia deficiente in natura lapſa libertate indifferentiæ, deficeret radix meriti, ac demeriti, ut diximus in theſi ſuperiore; nequeunt enim in laudem, ac pœnam imputari, quæ in præcurrente neceſſitate conſtiunt, ut patet in pueris, & amentibus, qui in ſuis operationibus nec laudantur, nec exprobrantur. Propterea D. Th. qu. 24. de veritate dixit: *Nullus debet puniri, vel præmiari in eo, quod non eſt in ejus poteſtate facere, vel non facere.* Quare cum de facto homo puniatur, ac præmietur ob turpes, aut rectas operationes, conſequens eſt, ut de facto detur in voluntate libertas indifferentiæ ad bonum, & malum. Propterea Eccleſ. 15. dicitur: *Ante hominem vita, & mors; ad quodcumque voluerit extendet manum ſuam.* & ibid. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata: Si volueris ea ſervare, conſervabunt te.* Fatetur autem diſerte Janſenius lib. 7. cap. 14. huic libertati indifferentiæ diametraliter opponi operationem divinæ gratiæ, quam ille comminiſcitur, dicens: *Et ſane, ſi non eſt alia libertas noſtræ voluntatis, quam agendi, & non agendi, operatio divinæ gratiæ diametraliter opponitur philoſophicæ libertati, ſeu indifferentiæ libertatis; quia illam extrahit ab indifferentia agendi, eamque determinate facit agere, & non agere, velle, & non velle.*

IV. Putarunt nonnulli ex Neotericis Lovanienſibus, haberi ſufficientem libertatem indifferentiæ requiſitam ad meritum, aut demeritum, ſi voluntas poſſit omittere actum in ſenſu diviſo a prærequiſitis ad actum; ſicut per Prædeterminantes voluntas poteſt omittere conſenſum prædeterminatum in ſenſu diviſo a prædeterminatione ad conſenſum prærequiſita. Hæc tamen doctrina nec eſt ad mentem Janſenianorum, (quippe qui neceſſitatem gratiæ cum libertate voluntatis ſolum conciliant per hoc, quod voluntas ſit libera tantum a coactione) nec eſt vera; quia ſi voluntas ſub requiſitis ad agendum non poſſet non agere, componendo cum iiſdem requiſitis omiſſionem operationis, proculdubio neceſſario poneret actum, & careret libertate indifferentiæ ad meritum, & demeritum requiſita: Sicut qui compedibus irretitus non poteſt ponere ambulationem, neceſſario non ambulat, & caret libertate indifferentiæ ad non ambulandum; quamvis poſſet in ſenſu diviſo a compedibus ambulare: ad libertatem enim formalem indifferentiæ ſpectat, ut cum omnibus requiſitis ad operandum tam poſſit componi operatio, quam omiſſio operationis. Utrum autem ex his principiis inferatur, quod pariter prædeterminatio phyſica ſit everſiva libertatis, quamvis ſpectet ad actum ſecundum, aut ſit applicatio cauſæ ſecundæ ad agendum facta a Primo Libero, diſcutiant Scholaſtici, qui acerrime hac in re digladiantur. Illud indubium eſt, Prædeterminatorum aſſerta ab aſſertis Janſenianis hac in re toto cœlo diſſidere, ut fuſe oſtendimus in theſi nona; ſiquidem Prædeterminantes non contendunt Prædeterminationem neceſſitare ad Actum prædeterminatum, ut docet Janſenius; a quo etiam recedunt, dum contendunt, non deeſſe in natura lapſa gratiam pure ſufficientem: eſto in Scholaſticis concertationibus conentur Adverſarii ſententiam illam Prædeter-

mi-

minantium ad has anguſtias adigere, & in obſequium Angelicæ doctrinæ conentur pariter oſtendere, Divo Thomæ prædeterminationis nomen, ac munus fuiſſe prorſus ignota.

V. Quare concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominum cum libertate conſenſus habetur juxta Janſenii Aſſeclas per hoc ſolum, quod voluntas non agat coacte, ſed ſponte, eſto agat citra libertatem indifferentiæ, juxta doctrinam, quam per calumniam tribuunt D. Auguſtino; ut conſtat ex his verbis Janſenii lib. 8. de Gratia Chriſti cap. 8. *In hoc unice concordium gratiæ, & liberæ voluntatis ab Auguſtino ſtatui, quod arbitrium non inſtar trunci velit, & cogatur invitum, ſed ſimul etiam propria voluntate velit, & agat, tam eſt perſpicuum, & toties repetitum, ut profecto neceſſe ſit vel cæcum eſſe, qui non viderit, vel contentioſiſſimum, qui negaverit.* Auguſtinus tamen longe abeſt ab hac hæreſi, ut multis oſtenditur a Stephano de Champs, Ripalda, & aliis; habet enim in Homil. 15. cap. 50. *In tua poteſtate eſt, conſentire, vel non conſentire*: & lib. 2. contra Felic. Manich. cap. 4. *Habet unuſquiſque in voluntate eligere, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona; aut eligere, quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala*, & ſic alibi paſſim. Immerito itaque, & per ſummam injuriam Auguſtino tribuitur a Janſenio, quod voluntati humanę in natura lapſa ſolum competat libertas a coactione, eo quod per peccatum Adæ (ut habet lib. 1. cap. 9.) ita in imperium libidinum præcipitarit, ut neceſſario ſequatur delectationem victricem, ſive terrenam concupiſcentiæ ad malum, ſive cęleſtem a Deo infuſam ad bonum; adeo ut ſi delectatio terrena ſit intenſa, e. g. ut quinque, & cęleſtis intenſa ut quatuor, illa debeat prævalere, & e converſo, unde neceſſario juxta delectationem victricem operetur.

VI. Ad excuſandum in hac Theſi Queſnellum, dixerunt nonnulli, ſolum docuiſſe, quod concordia Omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ejus conſenſu demonſtretur in Incarnatione, hoc eſt in libero conſenſu B. Virginis, quem præſtitit, quando dixit: *Ecce Ancilla Domini*: Sicut enim Deus poſtulavit a B. Virgine conſenſum, quem ſine ulla neceſſitate exhibuit: ita poſtulat a nobis conſenſum ſalutarem, quem citra ullam neceſſitatem exhibemus: qua in re nullus error continetur: unde theſis non videtur fuiſſe proſcribenda. Hæc ſunt verba Queſnelli in caput primum Lucæ n. 38. in latina editione 1695. *Creaturam ſuam honorat Deus* (nempe B. Virginem) *poſtulando ejus conſenſum in id, quod ipſe in ea operaturus eſt, ſed ipſe dat, quod poſtulat. Omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero voluntatis humanæ conſenſu concordia jam nobis in Incarnatione exhibita eſt veluti in origine, & exemplari operationum omnium miſericordiæ, & gratiæ, quæ non minus gratuitæ ſunt, nec minus a Deo pendent, quam hæc operatio originaria.*

Sed excuſatio iſthæc ulterior criminatio eſt. Nam primo ex verbis relatis perſpectiſſimum fit, conferri a Queſnello operationem divinam, relate ad conſenſum liberum voluntatis humanæ, non quidem cum conſenſu B. Virginis, ſed cum Incarnatione, ſeu cum operatione Dei Incarnantis Filium ſuum, (ut loquitur idem Queſnellus in theſi antecedenti) atque adeo cum operatione, qua producitur Unio hypoſtatica. Quod ex eo etiam patet, quia hæc eſt fons, & origo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ. Unde ſicut productio Unionis hypoſtaticæ non fuit libera Humanitati aſſumptæ, ita nec voluntas eſſet libera relate ad conſenſum ſalutarem, ſed mere paſſive ſe haberet ad illum. Deinde ſi Gratia per Queſnellum eſt operatio voluntatis Omnipotentis, quæ imitatur operationem Dei Incarnantis Filium ſuum, ſequitur, quod ſicut conſenſus noſter ſalutaris non eſt nobis liber, (ut non fuit libera Humanitati aſſumptæ Unio hypoſtatica) ita nec fuerit liber libertate indifferentiæ conſenſus ille ſupernus B. Virginis. Ex quo fieret, quod fruſtra Deus a Virgine poſtulaſſet conſenſum, ſi daturus erat illum, eo modo quo dedit Unionem Hypoſtaticam Chriſti Humanitati: Sicuti fruſtra, ac fatue (ut diximus ex Auguſtino in theſi 2.) Deus præciperet peccatori contritionem, ſi non præberet illi ſufficientes vires, unde liber eſſet ad obtemperandum. Quomodo autem concordia Omnipotentis voluntatis Dei in corde hominis cum libero ejus conſenſu explicari facili negotio poſſit, diximus in theſi tertia, & iterum in theſi ſequenti innuemus; quatenus ſicut bene cohæret infallibilitas Divinæ præſcientiæ cum libertate actus præviſi, ita optime cohæret infruſtrabilitas Divini decreti cum libertate conſenſus prædefiniti.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXII.

VIgeſima ſecunda putat, apte demonſtrari in Incarnatione, tanquam in Archetypo

typo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, concordiam omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero conſenſu voluntatis; quatenus ſicut Incarnatio eſt omnino gratuita, ac dependens a Deo, ita omnino gratuita, ac dependens a Deo ſit gratiæ, ſeu omnipotentis voluntatis Dei in corde hominum operatio. Verum quanta inter utramque operationem intercedat diverſitas, ac diſcordia, clarius eſt ipſa luce meridiana. Siquidem in Incarnatione operatio divina ita eſt gratuita, ac dependens a Deo, ut ad illam nullatenus cooperetur Humanitas aſſumpta, nec ab iſtius etiam arbitrio dependeat; Contra vero ad operationem gratiæ debet voluntas humana libere cooperari; ita ut ab hujus etiam libertate ea dependeat; quatenus gratia non operaretur conſenſum voluntatis, niſi voluntas libere cum illa cooperaretur, juxta illud Apoſtoli: *Non ego, ſed gratia Dei mecum.*

PROPOSITIO XXIII.

Deus ipſe nobis ideam traddidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, qua creaturas e nihilo producit, & mortuis reddit vitam. *Queſnel. Rom. 4. 17. edit. 1693. & 1696.*

SYNOPSIS.

I. Operatio gratiæ, cum ſit libera voluntati, omnino diſcordat ab operatione Divina, quæ aliquid creat, aut mortuos revocat ad vitam, quippe quæ creaturis eſt neceſſaria.

II. Quamvis arduum ſit infruſtrabilitatem Divinæ prædefinitionis cum libertate arbitrii conciliare, potius fateri debemus hebetudinem noſtri intellectus, quam in dubium revocare, quod ea concilianda ſint.

III. Videntur beneficio ſcientiæ conditionalium facili negotio ea poſſe componi.

IV. Sicut fatue olim negabant nonnulli Divinam libertatem, eo quod ignorarent quonam pacto cohærere illa poſſet cum neceſſitate exiſtendi; ita fatue negatur in noſtra voluntate libertas indifferentiæ, per hoc quod difficile ſit eam cum infruſtrabilitate Divinæ voluntatis componere. V. Tridentini, & Auguſtini auctoritas hac in re eſt perſpicua.

VI. Janſenii interpretatio eſt inepta.

VII. Explicatur in quonam ſenſu ab Apoſtolo peccator mortuo comparetur.

I. ITerum redit ad ingenium Auctor, eumdemque errorem in hac theſi recudit, quem in duabus theſibus proxime ſuperioribus; videlicet, Omnipotentem operationem gratiæ æquiparari, ac denotari per illas Dei operationes, quibus creaturas de nihilo extrahit, & mortuos revocat ad vitam. Oſtendimus ulnare, nedum palmare, diſcrimen inter iſtas operationes divinas, qua aliquid creat, aut unionem producit inter corpus, & animam vita functorum, ac illam, qua ponit conſenſum liberum in voluntate hominum; iſta quippe eſt operatio Dei ſimul, & creaturæ conſentientis cum plena libertate ad diſſentiendum, atque adeo cum poteſtate ad impediendam Dei operationem citra ullum præjudicium omnipotentiſſimæ voluntatis divinæ; quippe quæ communicando creaturæ libertatem, communicat pariter facultatem reſiſtendi auxiliis gratiæ, & ſuæ divinæ voluntati præcipienti bonam operationem, & conferenti auxilium ſufficiens ad illam ponendam; cum ex ſubjectione creaturæ liberæ magis omnipotentia commendetur, quam ſi ſolum ſibi ſubjicerentur creaturæ non liberæ, relate ad quas non poteſt ſua attributa Miſericordiæ, Juſtitiæ, & alia hujuſmodi exercere: Contra vero illæ divinæ operationes, quibus creaturas producit Deus, & mortuis reddit vitam, cum ſint operationes ſolius Dei, nullam exigunt cooperationem, aut determinationem a creaturis; unde nullatenus poſſunt creaturæ hujuſmodi operationes impedire; ſicut poteſt impediri a voluntate creata operatio divina relate ad conſenſum ſalutarem liberum, (qui procul dubio eſt gratia per Chriſtum) non ſecus ac poteſt ipſe conſenſus ab eadem impediri.

II. Quomodo autem cohæreat infruſtrabilitas divinæ voluntatis præfinientis conſenſum liberum, & omnipotentis Dei operatio cum libertate voluntatis, atque adeo cum poteſtate impediendi hujuſmodi conſenſum, ac Dei operationem, nodus eſt valde implexus; & quamvis in eo extricando deſudent Theologi, non idcirco aures præbendæ erroribus Hæreticorum, qui potius inſcitiam propriam fateri deberent ingenue, quam a recta Fidei Catholicæ ſemita declinare, aut negando in libero arbitrio libertatem indifferentiæ ad conſenſum, vel diſſenſum, aut invehendo neceſſitatem ullam in gratia Salvatoris. Et ſane ſicut in ſtatu innocentiæ, in quo admittitur a Janſenio, ejuſque Aſſeclis gratia pure ſufficiens, optime conciliatur infruſtrabilitas divinæ voluntatis præfinientis conſenſum cum libertate voluntatis

ad

ad illum non ponendum ; ita conciliantur hæc in natura lapſa ; eſto alii alias vias ineant ad id explicandum ob materiæ arduitatem. Etenim, ut habet Auguſtinus lib. de Grat. Chriſti cap. 47. *Iſta quæſtio, ubi de libero arbitrio voluntatis, & de Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Et lib. 2. de peccat. meritis cap. 17. *Si tibi proponam quæſtionem : Quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimiſit arbitrio? fortaſſe eam difficile ſoluturus es. Quomodo enim attrahit, ſi dimittit, ut quis quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum eſt, ſed intellectu hoc penetrare pauci valent.*

III. Nihilominus, ut diximus in theſi tertia, nodus hic Gordianus ſolvitur præſupponendo ſententiam cummuniſſimam, quod in Deo detur ſcientia conditionalium, qua prævideat quid Petrus facturus eſſet, ſi vocaretur : ſicut prævidit, ac revelavit, quid facturi eſſent Tyrii, & Sidonii, ſi vocati fuiſſent ad pœnitentiam ; dicitur enim Lucæ 10. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere ſedentes pœniterent.* Quamvis enim in ſcholis diſputetur, num Deus videat actus liberos conditionate futuros in ſeipſis, ſeu per ſcientiam mediam, an in decreto abſoluto ex parte actus, & conditionato ex parte objecti per ſcientiam viſionis ; certum tamen eſt, quod eos de facto Deus cognoſcat ; & Amicus diſp. 12. docet id eſſe de fide, cum ex Scripturis liquido conſtet ; & plerique Thomiſtæ docent, id negari non poſſe ſine injuria Divinitatis. Hanc ſcientiam conditionalium in Deo dari expreſſe docuit Auguſt. lib. de Bon. Perſev. n. 35. dicens : *An quiſquam dicere audebit, Deum non præſciſſe, quibus daturus eſſet, ut crederent, aut quos daturus eſſet Filio ſuo, ut ex eis non perderet quenquam? Quæ utique ſi præſcivit, profecto beneficia ſua, quibus nos dignatur liberare, præſcivit. Hæc eſt prædeſtinatio Sanctorum, nihil aliud ; Præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur.*

Hoc poſito, dicendum, quod ſicut optime conciliatur infallibilitas ſcientiæ Divinæ de peccato futuro Antichriſti cum hujus libertate ad non peccandum, quatenus ſi non eſſet hic peccaturus, non fuiſſet ea præſcientia ; ita conciliatur infruſtrabilitas divinæ voluntatis præfinientis conſenſum liberum Petri præviſum ponendum ſub tali auxilio per ſcientiam conditionalium cum libertate voluntatis ad non conſentiendum, quatenus ſi Petrus non conſentiret, non fuiſſet præviſum efficax tale auxilium per illam ſcientiam, & ſic conſenſus liber non fuiſſet prædefinitus : Unde ſicut Antichriſtus Præſcientiam Dei infallibilem non poteſt falſificare, ſed impedire ; ita Petrus divinam voluntatem infruſtrabilem de tali conſenſu non poteſt fruſtrare, ſed ſolum impedire, impediendo ſcientiam illam conditionalium prærequiſitam ad talem prædefinitionem.

IV. Verum utut iſta concilientur, ſicuti fatue ab aliquibus Philoſophis Ethnicis negatur Deo libertas, eo quod ignorent contingentiam actuum liberorum conciliare cum neceſſitate exiſtendi, & identificandi ſecummet ſuos actus, quæ debetur Aſeitati ; ita fatue negatur humanis actibus libertas ab iis, qui nequeunt illam conciliare cum infruſtrabilitate Divinæ prædefinitionis præfinientis bonos actus liberos ; cum Scripturæ, Concilia, Patres, experientia, ac innumeræ ratiocinationes indifferentiæ libertatem in hominibus oſtendant ; ut proinde ſicut fatalis neceſſitas, quæ a Gentilibus aſſerebatur relate ad noſtros actus, communiter tanquam humano generi injurioſa, ac redolens inſipientiam exploditur, adeo ut Auguſtinus dixerit, *Fatum non ponunt, niſi fatui* : ita neceſſitas iſta ad operationes ſalutares inducta a gratia Redemptoris, tanquam ipſi etiam Redemptori injurioſa exſibilanda ſit.

V. Pro omnibus, quæ in hanc rem adduci poſſent, ſatis ſit Tridentini Canon 4. ſeſſ. 6. ubi anathematizatur, qui dixerit, *Liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet ; neque poſſe diſſentire, ſi velit.* Quod antea docuerat Auguſt. lib. de Spiritu, & Lit. cap. 33. dicens : *Ipſum bonum velle Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos ; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt.* Nonne verbis iſtis clarius, quam ſolaribus radiis illuſtratur veritas Catholica de libertate a neceſſitate etiam in natura lapſa? Propterea Bellarm. lib. 3. de Gratia, & Lib. Arbit. cap. 5. advertit : *Qui poteſt conſentire, vel diſſentire, acceptare, vel rejicere, non ſolum a coactione, ſed etiam a neceſſitate liberum ſe eſſe demonſtrat.* Quod uſqueadeo verum eſt, ut Calvini Breviator Joannes Scharpius non audeat Tridentini verba ad hæreſim Calvinianam detorquere interpretatione aliqua val-

valde impropria, ut faciunt Janſeniani, qui volunt haberi Catholicæ fidei ſectatores; ſed aperte affirmant Tridentini verba cum doctrina Calviniana omnino pugnare, dicentes: *Status controverſiæ inter nos, & Pontificios eſt; Sitne homo poſt lapſum vere liberi arbitrii in iis rebus, quæ pertinent ad ſalutem; & quamvis nihil poſſit ſine auxilio gratiæ, tamen per gratiam prævenientem excitatus, & a Deo adjutus ita valeat operari, ut poſſit etiam non operari. Affirmativam partem tuetur Tridentinum ſeſſ. 6. Nos vero dicimus, in homine poſt lapſum Deum ita efficaciter agere, & voluntatem flectere, ut hominis voluntas Deum converſionem hominis volentem, & operantem non ſequi non poſſit, licet non coacte, ſed ſponte ſequatur.*

VI. Janſenius ergo lib. 6. de Gratia Salvat. cap. 35. ne videatur a Tridentino recedere, ſic illud ineptiſſime interpretatur, ut ſenſus illorum verborum ſit, poſſe arbitrium diſſentire, ſi velit, non tamen poſſe id velle; Sicut diceretur de Beato, qui ad Deum amandum neceſſitatur, quod poſſet non amare, ſi velit, quamvis non poſſit id velle. Sed adverſus hanc interpretationem ſic loquitur Gabriel Pennotus lib. 9. cap. 15. *Quando Concilium docet liberum arbitrium Divinæ gratiæ poſſe diſſentire, ſi velit, ſupponit poſſe velle diſſentire; alioquin nihil contra Hæreticos definiviſſet, quia & Calvinus, & ipſe Vvigleph, & quilibet alius Fati aſſertor ſine ulla contradictione admitteret hanc conditionalem, Voluntas a Deo mota per gratiam poteſt divinæ motioni diſſentire, ſi velit; ſed negabunt illam poſſe velle. Quare debet Catholicus ab iſtis Gloſſis frigidis cavere.*

Pariter verba laudata Auguſtini inſulſe interpretatur cum Martino Chemnitio Janſenius l. 2. de Grat. Chriſti cap. 34. dicens, quod conſentire, vel non conſentire ſit propriæ voluntatis, quatenus utrumque ſpectat ad voluntatem; ſicuti cum dicimus, quod intelligere ſpectet ad intellectum, & velle ad voluntatem; non vero quod voluntas affecta gratia per Chriſtum poſſit ad arbitrium conſentire, vel diſſentire. Hæc ſunt verba Janſenii: *Non ſignificatur aliud iſtis, & ſimilibus locis, quam quod velle, & nolle conſentire, & diſſentire, credere, vel non credere, officia ſunt voluntatis.* Sed quam futilis ſit iſta interpretatio aperte oſtendit Bellarminus; tum quia Auguſtinus verbis illis oſtendere voluit, quod conſenſus, & diſſenſus ſit voluntati liber, non vero volitio indeliberata; tum etiam quia ſi ſolum intendebat aſſerere, quod aſſenſus, & diſſenſus ſpectent ad voluntatem, non diceret, *conſentire, vel diſſentire*, ſed diceret, *conſentire, & diſſentire propriæ voluntatis eſt*; quandoquidem utrumque ad voluntatem ſpectat, non vero alterutrum. Quare ex Tridentino, & Auguſtino aperte conſtat, gratiam efficacem non evertere libertatem indifferentiæ ad conſentiendum, vel diſſentiendum. Quod apertius Tridentinum dixit ſeſſ. 6. cap. 5. iis verbis: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agit inſpirationem illam recipiens, quippe qui & illam abjicere poteſt: neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poteſt.* Ex quibus omnibus fit, operationem omnipotentis Dei relate ad hominem creandum diverſam eſſe ab operatione omnipotentis Dei per gratiam relate ad ponendum conſenſum liberum in corde hominis. Illa quippe eſt operatio uni Deo libera; hæc vero libera etiam arbitrio humano. Unde illud Auguſtini: *Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te.*

VII. Illud videtur huic theſi favere, quod dicitur Epheſ. 2. *Cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, cujus gratia eſtis ſalvati.* Mortui autem non cooperantur Deo, ſi forte velit eos ad vitam revocare; neque liberum eſt eis, aut reſurgere, aut in morte remanere: ergo gratia Chriſti citra noſtram libertatem nos vivificat; atque adeo idea gratiæ optime ſignificatur per operationem, qua Deus mortuis reddit vitam.

Reſpondeo tamen cum Bellarm. lib. 6. de Lib. Arbitr. cap. 13. ex hoc textu recte inferri, quod peccator, utpote mortuus, non poſſit propriis viribus in vitam reſtitui; non vero quod non poſſit per gratiam prævenientem excitatus, & adjutus a Deo ad vitam revocante eidem libere cooperari: Id enim non præſtaret ut mortuus, ſed ut habens vitalem virtutem a Deo: Ubi notandum, ſimilitudines non debere in omnibus convenire; hinc licet cadavera, quæ omnibus modis mortua ſunt, non poſſint ad propriam reſurrectionem cooperari; qui tamen ſunt mortui in peccatis, quoniam adhuc vivunt vita naturali, quamvis non vivant vita gratiæ, poſſunt, non ut mortui, ſed ut viventes uno genere vitæ cooperari libere ad reſurrectionem ſpiritualem, ſi virtutem cooperandi a Deo accipiant. Facultatem iſtam noſtræ voluntatis expreſſit Auguſtinus lib. 3. de Lib. Arbit. cap. 1. diſputans cum Manichæis, & oſtendens diſcrimen inter motum lapidis deſcendentis deorſum, & motum, quo liberum arbitrium cupiditate abſtractum, & illectum inferiora diligit, dicens: *Hic motus, ſi culpæ deputatur voluntarius eſt, & in poteſtate voluntatis; in utroque ſimi-*

milis eſt illi motui, quo deorſum verſus fertur lapis, quod ſicut iſte proprius eſt lapidis, ſic ille animi: Verumtamen in eo diſſimilis, quod in poteſtate lapis non habet cohibere motum, quo fertur inferius; animus vero, dum non vult, non ita movetur, ut ſuperioribus deſertis, inferiora deligat. Propterea quid opus eſt quærere, unde iſte motus exiſtat? cum eum nonniſi animi, & voluntarium, atque in noſtra poſitum poteſtate, & ob hoc culpabilem eſſe fatemur; ut eo motu improbato, atque cohibito, voluntatem noſtram ad fruendum ſempiterno bono ab amore temporalium convertamus. Sicut autem ratione libertatis indifferentiæ diverſimode lapis movetur deorſum, ac voluntas a cupiditate trahitur ad inferiora; ita ratione ejuſdem libertatis diverſimode mortuus revocatur ad vitam, & creaturæ a Deo extrahuntur ex nihilo, ac peccator Deo mortuus revocatur libere ad vitam gratiæ, & ex nihilo meritorum creat Deus in eo cor mundum, & innovat ſpiritum rectum in viſceribus illius.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXIII.

VIgeſimatertia vult Ideam omnipotentis operationis gratiæ ſignificari per operationem, qua Deus creaturas extrahit e nihilo, & mortuos revocat ad vitam. Propterea iterum vult exulare a nobis libertatem ad bene operandum, & noſtram cooperationem operationi gratiæ. At Trident. ſeſſ. 6. can. 4. docet, liberum arbitrium excitatum a Deo, ut ad juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, gratiæ excitanti cooperari, & poſſe diſſentire; ſi velit, atque adeo poſſe operationem gratiæ impedire: creatura autem ad ſuam creationem, & cadaver ad ſuam reſurrectionem non cooperantur, nec poſſunt illam impedire. Quare Queſnelliana iſthæc idea operationis gratiæ Catholicæ doctrinæ refragatur; ac diſerte D. Auguſtino dicenti ſerm. 15. de Verbis Apoſtoli: *Sine te fecit te Deus; non enim adhibuiſti conſenſum, ut te faceret Deus; qui ergo fecit te ſine te, non juſtificat te ſine te: ergo fecit neſcientem, juſtificat volentem.*

PROPOSITIO XXIV.

Juſta idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & JESU Chriſti in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus a cupiditate. *Queſ. Luc. 7. 7. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Operatio Dei ſanantis corpora non poteſt eſſe juſta idea operationis Dei curantis animam: in hac quippe nos Dei actionem, & concurſum determinamus; in illa vero Deus determinat.

II. Juſta idea eſſet curatio illius languidi, cui dixit Chriſtus Joan. 5. Vis ſanus fieri?

III. Sicut in ſtatu innocentiæ, ita in natura lapſa gratia non evertit libertatem.

IV. Sex celeberrimis Auguſtini auctoritatibus, quas pro ſe Janſeniani adducunt, fit ſatis.

I. EX hactenus dictis in tribus proxime ſuperioribus theſibus dilucide infertur, non haberi juſtam ideam gratiæ ex operatione omnipotentis Dei relate ad effectus uni ſibi liberos, & ſecundum ſe neceſſarios, ut eſt operatio Dei incarnantis, ac reſuſcitantis Filium ſuum, aut operatio, qua Deus creaturas producit ex nihilo, & mortuos ad vitam revocat: quandoquidem operatio omnipotentis voluntatis, qua dat nobis actum ſalutarem, eſt etiam nobis libera; unde poſſimus Dei omnipotentis operationem impedire citra detrimentum noſtræ ſubjectionis, ſuæque omnipotentiæ, ac infruſtrabilitatis ſuæ voluntatis, qua conſenſum noſtrum liberum ab æterno prædefinit. Hinc fit, quod quamvis omnipotens operatio gratiæ curantis omnes noſtros languores, & ægritudines analogiam quandam habeat cum operationibus Chriſti Domini, quibus corpora ſanabat ſolo motu ſuæ voluntatis; nihilominus idea, quam Centurio habuit de Omnipotentia Dei, & JESU Chriſti in ſanandis corporibus, non eſt imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia gratiæ in ſanandis animabus a cupiditate, & a vulneribus culpæ. Et ratio eſt eadem, quia operatio Dei ſanantis corpora eſt uni Deo libera; operatio vero qua Deus operando in nobis conſenſum ſalutarem ſanat noſtra vulnera, eſt operatio nobis etiam li-

be-

bera; & ita libera, ut nos modo libertati conſentaneo determinemus Dei concurſum operantis in nobis velle, & perficere pro bona voluntate, ut loquitur Apoſtolus, non vero Deus determinet nos ad cooperandum cum illo. Quamvis enim Deus ſit primum liberum, a quo omnis creata libertas, & ſit etiam primum in genere cauſæ efficientis, & intendentis noſtrum conſenſum; in ratione tamen eligentis conſenſum præ diſſenſu primas partes obtinet creata voluntas, (licet hæc ipſa electio voluntatis creatæ non fiat ſine Deo nobiſcum agente, & cooperante, & eandem electionem antecedenter intendente) aliter non ipſa ſe determinaret; ſed determinaretur a Deo, atque adeo non eſſet libera; nec poſſet dici, quod bonum opus juſtificati ita ſit Dei beneficium, ut ſit etiam ipſius Juſti meritum, juxta doctrinam Trident. quod ſeſſ. 6. can. 36. definit. *Si quis dixerit hominis juſtificati bona opera ita eſſe Dei dona, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita, anathema ſit.*

II. Itaque juſta idea operationis gratiæ deſumi deberet potius ab ea operatione, qua Chriſtus languidum in piſcina jacentem (ut habetur Jaonn. 5.) ſanavit, dicendo prius, *Vis ſanus fieri?* qui certe ſi reſpondiſſet, ſe nolle curari, ſanitatem, quam Chriſtus illi dare cupiebat, non reportaſſet; eo quod non vellet Chriſtus Dominus ſanitatem illi conferre abſolute, ſed dependenter a ſua voluntate.

III. Quod autem hujuſmodi ſit operatio gratiæ relinquens nobis libertatem indifferentiæ ad diſſentiendum divinæ vocationi, & nullatenus neceſſitans ad conſenſum, jam multis oſtendimus in theſibus ſuperioribus. Addo hic, futiles omnino eſſe ratiocinationes, quibus conantur Janſeniani invehere in natura lapſa gratiam ſanitatis medicinalem neceſſitantem, non agnoſcentes illam in Angelis, & in Adamo in ſtatu innocentiæ; in quibus ſolum agnoſcunt *Adjutorium ſine quo non*, ſeu gratiam ſupernaturalem ſufficientem, ſine qua non poterant ſalutariter operari, & cui poterant reſiſtere, ut de facto Dæmones, & Protoplaſtæ peccando reſtiterunt; in natura vero lapſa agnoſcunt *Adjutorium quo*, ſeu gratiam ſanitatis efficacem, cum qua ineluctabiliter homines ex meritis Chriſti Domini ſalutariter operantur citra libertatem indifferentiæ cum ſola libertate a coactione.

IV. Primum argumentum ducunt ex iis Auguſtini textibus, in quibus paſſim docet, gratiam Chriſti *operari ipſum velle, efficere ut velimus, largiri voluntatem bonam, dare nobis virtutes, & merita*; quibus verbis Calvinus, & Janſenius putant indicari, quod gratia Chriſti neceſſitatem inducat, perinde quaſi idem ſit *efficere, ut velimus*, ac efficere ut velimus neceſſario; *operari ipſum velle*, ac operari cum neceſſitate.

Secundum, ut habet Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 3. *ex precationibus ſanctorum, quæ ſic compoſitæ leguntur; Inclinet cor noſtrum ad ſe Dominus;* & ut habet Janſenius lib. 2. de gratia Chriſti cap. 17. *ex precibus Eccleſiæ, quæ actualem motionem datricem voluntatis, & operationis implorant, & quibus ipſa voluntatis determinatio a Deo poſcitur*: perinde quaſi idem ſit petere a Deo bonam voluntatem, ac petere gratiam neceſſario efficientem talis conſenſus.

Tertium ex eo, quod D. Auguſtinus velit divino munere concedi nobis perſeverantiam; perinde quaſi non poſſit a Deo perſeverantia nobis concedi citra gratiam neceſſitantem.

Quartum ex eo, quod gratia electos diſcernat a reprobis: quaſi vero non poſſit diſcretio ab ea gratia prodire, quam voluntas repudiare poteſt, ſi velit.

Quintum ex eo, quod Auguſtinus gratiam efficacem vocet *indeclinabilem, efficaciſſimam, omnipotentiſſimam, inſuperabilem*; percipere quippe non poſſunt Janſeniani, quod iſthæc prædicata competant gratiæ, quin inferat neceſſitatem bonæ operationis.

Sextum ex eo, quod paſſim Auguſtinus gratiam medicinalem vocet *Adjutorium quo*, illamque comparet beatitudini, qua, cum data fuerit homini, *continuo fit beatus*, ubi gratiam datam Angelis, & Adamo in ſtatu innocentiæ vocat *Adjutorium ſine quo non*; ex quibus verbis Calvinus, & Janſenius inferunt eſſentiale diſcrimen inter gratiam in ſtatu innocentiæ, & gratiam Chriſtianam, quod illa cohæreat cum libertate indifferentiæ, iſta neceſſitatem inducat.

Verum quam infirmis fundamentis machina hæc gratiæ neceſſitantis erigatur, ex hactenus dictis in ſuperioribus theſibus, præſertim in tertia, facile eſt intelligere. Profecto ea æque militant pro gratia ſtatus innocentiæ, ac pro gratia in ſtatu naturæ per Chriſtum reparatæ; atque adeo ſicut in eo ſtatu per Calvinum, & Janſenium gratia non inferebat neceſſitatem bonæ operationis, ita neque in natura lapſa auxilium efficax, quod confertur ex meritis Chriſti Domini; imo a fortiori, quia gratia per Chriſtum non debet eſſe inferioris, ſed altioris conditionis, quam gratia in ſtatu innocentiæ gratis a Deo collata, & non intui-

tuitu meritorum Chriſti ; atque adeo non debet illa neceſſitatem inferre , & radicem meriti , nempe libertatem , evertere. Non inficior , nodum eſſe Gordianum , & valde implexum , efficaciam divinæ gratiæ explicare conciliando infruſtrabilitatem divinæ voluntatis in gratiæ efficacis collatione ſimul cum libertate creaturæ ; nos illam explicavimus in theſi tertia , ſicut etiam in præcedenti , ubi advertimus , potius confitendam eſſe noſtram imbecillitatem , ſi id percipere non poſſimus , quam contra Catholicam veritatem deliramenta eſſe comminiſcenda.

Ad primum itaque argumentum adductum a Calvino , & Janſenio reſpondetur, in utroque ſtatu , tam innocentiæ , quam naturæ per Chriſtum reparatæ, Deum *efficere*, *ut velimus*, *& largiri nobis bonam voluntatem* , quatenus ex animo, ut ſequatur conſenſus , largitur nobis gratiam, quam prævidit efficacem, qua collata Deus non ſolum confert nobis poſſe, ſed etiam operatur ipſum velle.

Ad ſecundum . Huc etiam tendunt orationes Sanctorum , & preces Eccleſiæ , ut impetrent auxilia prævisa efficacia, non vero gratiam neceſſitantem : ſicut enim potuit, & debuit Adam petere a Deo , *ut non caderet* , ut oſtendimus in theſi 13. ex Auguſtino ipſo , (necnon petere poſt lapſum , ut voluntatem in bonum converteret , dicendo : *Converte me Domine* , juxta doctrinam ejuſdem Auguſtini) quod poterat per gratiam efficacem non everſivam libertatis obtinere , ut Calvinus , & Janſenius admittunt; ita poſſumus nos idem a Deo petere, & eodem modo.

Ad tertium . Sicut Angelos bonos Deus miſericorditer cuſtodit, ita poteſt nobis perſeverantiam conferre, conferendo ſemper auxilia prævisa efficacia.

Ad quartum , Deus ſua gratia diſcrevit Angelos bonos a malis ; cum ad Angelos etiam pertineat illud Apoſtoli: *Quis eſt, qui te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti?* & ſic diſcernit electos a reprobis vi auxilii prævisi efficacis , (ut explicavimus in tertia , ac in decima theſi) videlicet conferendo illud eo animo , ut infallibiliter bene operentur Electi , & ſalutem æternam conſequantur: Reprobis vero datur auxilium ſufficiens prævisum inefficax , non quidem ut inde mala operatio conſurgat , cum non requiratur hujuſmodi auxilium ſupernaturale ad malam operationem ſed potius confertur eo animo , ut conſurgat ſalutaris operatio , ad quam prærequiritur ; nec datur illud qua inefficax , ſeu eo animo , ut ſi prævisum fuiſſet efficax , non daretur illud , ſed datum fuiſſet aliud ineffi-cax; quin potius ſi prævisum fuiſſet efficax , libentiori animo illud ipſum a Deo collatum fuiſſet.

Ad quintum ; vere in utroque ſtatu tam innocentiæ , quam naturæ reparatæ gratia efficax eſt ineluctabilis , indeclinabilis , omnipotentiſſima , ut loquitur Auguſtinus , non tamen everſiva libertatis , ut in theſi antecedenti explicavimus.

Ad ultimum , pariter in utroque ſtatu agnoſcendum eſt tam adjutorium ſine quo non, ſeu auxilium ſufficiens , quam adjutorium quo , ſeu gratia efficax non neceſſitans . In duplici autem ſenſu ſumi poteſt adjutorium quo : Primo pro cauſa efficiente , quatenus a gratia adjuvante efficienter fit conſenſus liber, ſicut a gratia ſufficiente, ſeu ab adjutorio ſine quo non efficienter fieri poteſt conſenſus liber ſupernaturalis : Secundo pro cauſa formali, ſeu pro ipſo conſenſu libero , quo ſanatur anima a ſua cupiditate, & homo fit bonus, & perſeverans in gratia.

In hoc ſecundo ſenſu ſumitur ab Auguſtino , quando lib. de corrept. & grat. cap. 12. comparat illud beatitudini , qua homo formaliter fit beatus: dicit enim: *Beatitudo, quam non habet homo , cum data fuerit, continuo fit beatus: adjutorium eſt enim, non ſolum ſine quo non fit , verum etiam quo fit propter quod datur*. Et quod in hoc ſecundo ſenſu *Adjutorium quo* datum fuerit Angelis, nemo eſt quin videat . Quare ſicut in hoc ſenſu in ſtatu innocentiæ *Adjutorium quo* non indicabat in gratia neceſſitatem antecedentem , ſed ſolum conſequentem , quæ non pugnat cum libertate indifferentiæ in voluntate Angelorum ; ita in ſtatu naturæ reparatæ *Adjutorium quo* ſumptum in ſenſu formali importat ſolum in voluntate affecta gratia medicinali neceſſitatem conſequentem compoſſibilem cum libertate indifferentiæ, vi cujus poſſet voluntas gratiæ reſiſtere. Quod ſi *Adjutorium ſine quo non* importet gratiam in ſenſu efficienti , procul dubio in ſtatu innocentiæ datum fuit Angelis, qui efficienter adjuti a Gratia actuali conſenſum liberum poſuerunt ; & eodem pacto datur hujuſmodi in natura reparata per Chriſtum ; eo quippe elevatur voluntas ſupra vires naturales ad efficiendum conſenſum ſupernaturalem , & quidem liberum , cum detur hujuſmodi gratia tam Angelis , quam hominibus, ut ad arbitrium voluntatis agat, ac influat in talem conſenſum.

Quod autem ab Auguſtino *Adjutorium quo*

quo ſumatur in ſenſu formali, unde ſolum involvat neceſſitatem conſenſus conſequentem, non vero antecedentem everſivam libertatis, ex eo etiam liquet, quia criminatus invidioſiſſime Sanctus Doctor a Maſſilienſibus Presbyteris, quod in lib. de corrept. & gratia capite duodecimo videretur perſeverantiæ donum prædeſtinatis conceſſum ita commendare, ut quandam perſeverandi neceſſitatem agnoſceret, in hæc verba ſcripſit ad Hilarium ſuum olim diſcipulum, qui in Galliis degebat. *Sed nolunt, ut ſcribitis, iſti fratres ita hanc perſeverantiam commendari, ut non vel ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter poſſit. Ubi quid dicam, parum diligenter attendite. De illa enim perſeverantia loquitur, qua perſeveratur uſque in finem; quæ ſi data eſt, perſeveratum eſt uſque in finem; ſi autem non eſt perſeveratum uſque in finem, non eſt data. Hoc ſane donum ſuppliciter emereri poteſt, ſed cum datum fuerit, amitti contumaciter non poteſt.* Ecce quomodo *Adjutorium quo*, relate ad perſeverandum, ab Auguſtino ſolum ſumatur in ſenſu formali invehente ſolam neceſſitatem conſequentem. Idipſum exemplificat ibidem dicendo, quod ſicut denominatur *caſtus, qui habet caſtitatem, ſive ſit, ſive non ſit in ea manſurus; ita qui aliud divini muneris habet, quod teneri, vel amitti poteſt, dicimus eum habere quamdiucumque habet; & ſi amiſerit, dicimus habuiſſe.* Quare *Adjutorium quo*, ſeu gratia efficax ſumpta in ſenſu formali pro ipſa gratia efficaci in actu ſecundo involvente ipſum conſenſum liberum, & operationem liberam creaturæ, nullam importat neceſſitatem antecedentem, ſed ſolum conſequentem, quatenus in ſenſu compoſito talis conſenſus adjutorium quo, & gratia ſanativa ſine ſuo effectu formali conſiſtere non poteſt: ad eum modum quo denominatio volentis libere, conſtituta per liberam volitionem, abſque tali effectu formali conſiſtere non poteſt; cum quo bene ſtat, quod voluntas libere ſuſcipiat denominationem volentis, & quod eam libere amittere poſſit; ſicut etiam quod gratia efficax a Deo nobis miſericorditer conferatur, & quod Deus operetur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXIV.

VIgeſima quarta in idem recidit, contendendo, quod Idea, quæ haberi debet de omnipotentia gratiæ in ſanandis animabus a cupiditate, ſit ea ipſa, quam Centurio habuit de Omnipotentia Dei, ac Chriſti Domini in ſanandis corporibus ſolo nutu ſuæ voluntatis. Si res ita ſe haberet, ſicut uni voluntati Divinæ, ac voluntati Chriſti Domini liberum eſt curare corpora, ac morbos depellere: ita pariter uni gratiæ liberum foret animarum morbis mederi, & cupiditates cohibere, ac depellere. Hinc non deberet Apoſtolus ad Philipp. 2. dicere: *Cum timore, ac tremore ſalutem veſtram operamini;* ſed potius dixiſſet, Nihil eſt cur ad operandum conemini, cum ſolus Deus operetur in vobis velle, & perficere. Ex quo fieret, quod in operationibus gratiæ nullum eſſet nobis meritum, cum radix meriti ſit libertas a neceſſitate; nec poſſemus nos gratiæ reſiſtere, ac illius operationem impedire: Utrumque autem a doctrina Catholica omnino abhorret, & ad Theſes Janſenianas ſpectat, quæ tanquam hæreticæ proſcriptæ fuerunt ab Innocentio X. quam deinde proſcriptionem Alexander VII. ac regnans Pontifex Clemens XI. in ſuis conſtitutionibus confirmarunt.

PROPOSITIO XXV.

Deus illuminat animam, & eam ſanat æque ac corpus ſola ſua voluntate; jubet, & ipſi obtemperatur. *Queſn. Luc.* 18. 42. *edit.* 1693. & 1699.

SYNOPSIS.

I. Triplex error in hac Theſi recuditur: quod Deus voluntate duntaxat ſua peccatores ſanet: quod ſemper ac jubet, ipſi obtemperetur: & quod non aliter Deus ſanet animam, ac corpus.

II. Oſtenditur tam gratiam habitualem, quam actualem eſſe nobis intrinſecam. III. Oſtenditur etiam, ſæpe Deum lumine ſuæ gratiæ illuſtratis aliquid præcipere, quin tamen ipſi obediatur. IV. Oſtenditur demum inter ſanitatem corporis, & animæ diſcrimen palmare intercedere.

V. Satisfit pluribus Scripturæ locis, quæ ex Calvino objectant Janſeniani.

I. IN eadem iterum fæce volutatur Auctor recudendo in hac theſi eundem errorem, quem valde affinibus, ac fucoſis verbis in ſuperioribus theſibus in medium adduxerat, præſertim in undecima, ubi pariter dixit, Gratiam eſſe voluntatem Omnipotentis Dei jubentis, & facientis id quod jubet; necnon in vigeſima, ubi dixit, veram ideam gratiæ eſſe, quod Deus vult ſibi a nobis obediri, & obeditur, imperat, & omnia fiunt. Addit nunc in hac theſi, quod anima vi gratiæ illuſtrantis ſanetur æque, ac corpus, quod in antecedenti theſi aliter expreſſerat. Non pauca hactenus jacula intorſimus ad Cerberum iſtum trifaucem confodiendum, ſeu ad tres iſtos errores expugnandos, videlicet: Quod Deus illuminet ac ſanet ſola ſua voluntate, & non per gratiam intrinſecam voluntati: Quod ſemper ac jubet, iis, quos ſua gratia illuſtrat, ſtatim obediatur: & Quod non aliter ſanetur divina gratia corpus, ac anima.

II. Adverſus primum errorem oſtendimus in theſi decimanona, non ſolum gratiam juſtificantem habitualem eſſe nobis intrinſecam, ſed etiam de facto, & connaturalius eſſe intrinſecam gratiam actualem, nempe illuſtrationes intellectus ſupernaturales, quibus *apparet nobis*, *quod latebat*, ut loquitur Auguſtinus, & Inſpirationes cęleſtes, quibus *ſuave fit*, *quod non delectabat*, & hujuſmodi auxilia eſſe actus vitales non liberos: quamvis enim poſſet divinitus per aſſiſtentiam ſpecialem omnipotentiæ elevari voluntas ad ponendos actus liberos ſupernaturales citra comprincipium ſupernum intrinſecum, connaturalius tamen hujuſmodi actus procedunt a principio adæquate intrinſeco, atque adeo a gratia actuali intrinſeca, quæ ſe teneat ex parte objecti, & ab habitibus infuſis, (ſi præſupponantur in anima) qui ſe teneant ex parte potentiæ: non ſecus ac Viſio beatifica connaturalius procedit a lumine gloriæ intrinſeco; eſto poſſet divinitus elevari intellectus Beati ad producendam viſionem beatam abſque ulla forma intrinſeca vi ſpecialis influxus exhibiti ab Omnipotentia, ut docent complures Theologi adverſus Thomiſtas, qui putant, ne divinitus quidem id accidere poſſe.

III. Adverſus alterum errorem diximus in theſi vigeſima, paſſim Deum ſua gratia illuſtratis imperare, quin iſti obediant, non quidem ex defectu gratiæ, (nam ſi hæc non eſſet ſufficiens, excuſarentur, ſi non obtemperarent, & Deus inſipientiam oſtenderet, & tyrannidem exerceret imperando impoſſibilia, & puniendo eos, qui hujuſmodi mandata tranſgrediuntur) ſed ex culpa voluntatis, quæ gratiæ reluctatur, & renuit imperata facere. Quod ſi non libere obtemperaremus mandatis Dei, ut quid tot promiſſiones Divinæ obedientibus? ut quid tot comminationes tranſgredientibus, & non cuſtodientibus divinam legem? Quare non eſt univerſim verum, quod ſi Deus illuminet animam, ac jubeat, ipſi obtemperetur. Quis autem non advertat, theſim hanc abſolute prolatam ſenſum facere univerſalem, ac denotare, juſſionem divinam ſub illuſtratione ſuperna ſemper ſubſequi noſtram obtemperationem?

IV. Adverſus tertium, in ſuperiore theſi, & aliis proxime antecedentibus palam fecimus diſcrimen inter corporis, & animæ curationem, quod illud citra propriam operationem curetur, & ſolum paſſive ſe habeat, quoties divinitus curatur, nullatenus cooperando divinæ operationi ſanativæ; ſecus vero anima curatur vi gratiæ per Chriſtum libere conſentiendo divinis auxiliis, & iis cooperando, ita ut ſanitas a voluntate propria impediri poſſit, ſi hæc renuat gratia a Deo ſponte oblata utiliter uti; unde ipſa deſit gratiæ de ſe curativæ, non vero gratia ſibi. Ex quibus fit, & quod Deus nec illuminet, nec ſanet animam ſola ſua voluntate, & quod non ſanet æque animam, ac corpus, & quod non ſemper ac jubet, ipſi a nobis obtemperetur, quamvis animam illuminet ſupernis illuſtrationibus, & muniat illam gratia ad curandum idonea, ac parata.

Et ſane niſi cum illuſtratione ſuperna ſtaret in voluntate libertas ad obtemperandum, vel non obtemperandum divinis mandatis, & ſimul ad volendam, vel nolendam animæ ſanitatem, conſentiendo divinæ vocationi, aut illam libere reſpuendo, ſequeretur primo nullum eſſe meritum obedientiæ in iis, qui ſuperna luce illuminantur: Sicut nullum fuiſſet meritum obedientiæ in Chriſto Domino impeccabili, ſi aliquo modo non fuiſſet liber ad declinandam mortem præceptam, ut fatentur Theologi communiter: quamvis in concilianda Chriſti impeccabilitate cum hac libertate deſudent. Secundo nullum eſſe demeritum in iis, qui divinis mandatis non obtemperant, ſi ea illuſtratione ad obediendum neceſſaria carerent: immo nullum in his haberent locum præcepta, cohortationes, conſilia, objurgationes, comminationes, exempla, aliaque

que id genus ; Sicuti nullum eſt demeritum in iis, qui non prophetant, non patrant miracula, non linguis loquuntur, ſi careant gratia gratis data ad hæc præſtanda omnino neceſſaria : Imo nullum in his haberent locum præcepta, promiſſiones, minæ : quis enim, niſi fatuus, exigat prophetias, & miracula ab iis, qui deſtituti ſunt viribus ad ea præſtanda neceſſariis ? Tertio tolleretur etiam de medio omnis diligentia, conatus, & induſtria ad agenda, & excolenda opera pietatis ; ad eum modum, quo fruſtra homo conatur, & diligentiam adhibet ad prophetandum, ſi dono prophetiæ non ſit inſtructus ; poſſet proinde quilibet, veluti manibus in ſinu compreſſis, otiari, ac ſtertere.

V. Opponunt Hetorodoxi nonnullos Scripturarum textus, quibus videmur nos gratiæ non cooperari, ſed gratia operari in nobis, quæ Deus jubet, & vult a nobis. Pſalm. 50. dicitur : *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis*. Sicut enim nemo cooperatur ad propriam creationem, ita videtur, quod non cooperemur gratiæ creanti in nobis cor mundum. Jo. 6. *Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me* ; quibus verbis videtur non eſſe in poteſtate hominis gratiam recipere, vel reſpuere, alioquin poſſet aliquis audire, & non venire. Ezech. 36. *Auferam a vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum ; Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis :* Cor lapideum denotat malam hominis voluntatem ; Sicuti autem nulla eſſet lapidis cooperatio, ſi deberet in carnem converti ; ita nulla videtur eſſe hominis cooperatio, ſi ejus mala voluntas in bonam convertatur : præſertim quia additur : *faciam, ut in præceptis meis ambuletis*, & non dicitur, *ut ambulare poſſitis* : 1. ad Cor. 12. *Qui operatur omnia in nobis ;* & ad Philip. 2. *Qui operatur velle, & perficere pro bona voluntate ;* operari autem velle, non eſt ſolum adjuvare, ut velle poſſimus, ſed eſt ſimpliciter facere, ut velimus. Denique ad illud 1. Jo. 3. *Qui natus eſt ex Deo, non poteſt peccare, quia ſemen Dei manet in eo*, addit Calvinus ; *Citra controverſiam elicitur ex verbo Joannis, ſic efficaciter gubernari divinitus piorum corda, ut inflexibili affectu ſequantur.*

Sed hæc, & alia Scripturæ loca, & conſimiles Sanctorum Patrum, præſertim Auguſtini, locutiones ſolum evincunt, quod noſtra ſalutaris operatio principalius Deo aſcribatur, ac ſuæ erga nos beneficentiæ, ratione cujus confert nobis auxilium non ſolum ſufficiens, ſed etiam congruum, & efficax, ſeligendo illud ab inefficacibus ; non probant tamen, quod nos non cooperemur libere auxilio miſericorditer collato, unde poſſimus cum Apoſtolo dicere : *Non ego, ſed gratia Dei mecum*. Etenim quod nos gratiæ cooperemur, definitum eſt in Trid. ſeſſ. 6. can. 4. ubi habetur : *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet ; neque poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit.*

Ad primum itaque ſit ſatis dicendo, quod non creetur cordis ſubſtantia in juſtificatione, ſed ſolum creetur mundities in corde, ſeu in voluntate præſuppoſita ; propterea poteſt voluntas præſuppoſita cooperari ad ſuam converſionem, & munditiem, ſi divina gratia adjuvetur ; ſicut diximus in theſi 23., quod in peccatis mortuus cooperetur ad ſuam ſpiritualem vivificationem. Dicitur autem Deus creare munditiem, quia ex nulla prævia exigentia, ſive phyſica, ſive morali confert nobis ſuam gratiam ; alioquin gratia, ut advertit Apoſtolus, non eſſet gratia. Cæterum ſimilitudines non debent in omnibus convenire, ut annotavimus loco laudato.

Ad ſecundum, in theſi 17. explicavimus, in quo ſenſu verum ſit, quod *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad Filium*, videlicet, qui doctrinam Patris ita audivit, ut libere conſentiendo voluerit diſcere, ac velut in actu ſecundo edoceri : diſcere enim eſt perſuaderi, & credere ; qui autem ita perſuaſus eſt de veritate Evangelicæ doctrinæ, in ſenſu compoſito non poteſt non credere, & ad Filium venire ; quamvis abſolute poſſit non venire, eo quod poſſit nolle perſuaderi, ac diſcere. Aliter non clamaret Propheta Pſal. 94. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.*

Ad tertium, cor lapideum, & carneum præſupponit ipſum cor, ſeu voluntatem hominis, quæ poteſt recipere ſive formam lapidis, ſeu peccati duritiem, ſive formam carnis, ſeu gratiæ teneritudinem. Quamvis autem non poſſit voluntas lapidea citra Dei gratiam convertere ſe ad Deum, & fieri carnea, poteſt tamen excitata a gratia præveniente, & ab illa adjuta cooperari libere ad ſuam ipſius converſionem. Hinc licet Deo principaliter noſtra converſio tribuatur, unde dicimus, *Converte nos Deus ſalutaris noſter*, nobis tamen libera eſt noſtra converſio ; unde ea nobis præcipitur verbis illis Oſeæ 14. *Convertimini ad Dominum*. Immo

Zachar. 1. dicitur: *Convertimini ad me, dicit Dominus exercituum, & convertar ad vos*; quia quamvis a Deo unice conferatur nobis gratia ſufficiens, ut poſſimus ad illum converti; at determinatio ad liberam converſionem debet a noſtra voluntate haberi; eſto hæc ipſa noſtra libera converſio debeat tribui Deo, tanquam primo efficienti, ac intendenti illam ſpeciali affectu. Hinc non ſolum dicitur Deus facere, ut in præceptis ſuis ambulare poſſimus, ſed etiam ut ambulemus.

Ad quartum recurrit eadem reſponſio. Cum Deus operatur in nobis velle, non ſolum dat poſſe, ſed excitat, & adjuvat, ut reapſe velimus, atque adeo non operatur in nobis velle citra noſtram cooperationem: Aliter Apoſtolus non diceret ad Philip. 2. *Cum timore, & tremore ſalutem veſtram operamini*, ſed potius diceret: Metum, ac ſolicitudinem in iis, quæ ad ſalutem ſpectant, deponite; cum ſolus Deus operetur in vobis velle, & perficere.

Ad ultimum, nomine ſeminis D. Jo. ibi non intelligit gratiam auxiliarem neceſſitantem ad operationem ſalutarem, ut interpretatur Calvinus, ſed ipſam gratiam juſtificantem, ut notat Auguſtinus tract. 5. in Epiſt. Joannis, & conſtat ex verbis laudatis. Siquidem non dicitur, quod habens hujuſmodi ſemen non poſſit non converti, ſed dicitur, quod non poſſit peccare, videlicet in ſenſu compoſito talis ſeminis, ſeu gratiæ juſtificationis; quæ dicitur eſſe nativitas ex Deo, ſeu id per quod homo ex Deo natus eſt, & eſt filius Dei, qualis eſt ipſa Charitas infuſa in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, vi cujus filii Dei nominamur, & ſumus. Habens itaque hujuſmodi Dei ſemen lethaliter peccare non poteſt, dum manet in eo, ſeu in ſenſu compoſito, quamvis peccare poſſit in ſenſu diviſo, quatenus Charitatem amittere poteſt, quin etiam abjicere, & peccare.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXV.

VIgeſima quinta apertius eaſdem hæreſes inculcat dicendo, quod æque Deus ſola ſua voluntate animam illuminat, & ſanat, ac ſanet corpus; ita ut juſſum Dei haud aliter ſequatur corporis, quam animæ curatio. Non ſolum autem in hac theſi Queſnellus errat dicendo, quod æque corpus, ac anima ſanentur, in quo nullam agnoſcit in anima libertatem, & cooperationem ad ſui curationem; ſed etiam in eo, quod velit Deum illuminare, & curare animam ſola ſua voluntate; quibus verbis excluditur gratia animæ intrinſeca, non ſolum actualis conſiſtens in illuſtrationibus, & inſpirationibus ſupernis, ſed etiam habitualis, ubi Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. docet, cauſam formalem noſtræ juſtificationis, ſeu curationis eſſe Charitatem Dei diffuſam in cordibus noſtris, ac nobis inhærentem; Non enim adoptamur a Deo mera extrinſeca ejus voluntate, ſicut fit adoptio in humanis, ſed per participationem divinæ naturæ, qua filii Dei nominamur, & ſumus, ex 1. Joann. 3. Errat denique theſis in eo, quod velit ſemper Dei juſſum ſequi obedientiam in ordine ad animæ curationem. Conſtat autem, quod non ſemper ac peccatori præcipitur converſio, qua ſive formaliter, ſive diſpoſitive, juxta varia Theologorum placita, juſtificetur, & curetur, ea ponatur. Neque dici poteſt, quod præceptum illud imponatur abſque collatione gratiæ ſufficientis ad ponendam juſtificationem præceptam. Nam in tali caſu præceptum eſſet Deo indignum, ac fatuum, nec reatum ullum peccator incurreret, ſi converſionem omitteret; ut propterea Baſilius in Regulis breviorib. reſponſ. 176. dixerit: *Sine dubio non præcepiſſet hoc, qui bonus, & juſtus eſt, niſi etiam facultatem, qua id faceremus, eſſet largitus.*

PROPOSITIO XXVI.

Nullæ dantur gratiæ, niſi per fidem. *Queſnellus Luc.* 8. 48. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO XXVII.

Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum. *Queſnel.* 2. *Pet.* 1. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO XXVIII.

Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio. *Queſn. Marc.* 11. 25. *edit.* 1693. & 1699.

PRO-

PROPOSITIO XXIX.

Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia. *Queſnel.* Luc. 10. 35. & 36. *edit.* 1693. & 1699.

SYNOPSIS.

I. Recuduntur hic theſes alias profligatæ, quæ ſi verum haberent, neque Infideles, neque Fideles de ſalute æterna deberent eſſe ſoliciti. II. Rejectatur a Queſnello præſertim Gratia ſufficiens, qua poſſint Infideles fidem amplecti, & peccatores reſipiſcere; aliæque hæreſes hic exuſcitantur.

III. Falſitas ſit perſpicua, tum ex obligatione, quam habet & Infidelis perquirendi veram Religionem, & peccator diſponendi ſe ad reconciliationem cum Deo; tum ex voluntate Dei ſalvandi omnes. IV. Alia etiam incommoda ſequuntur. V. Errores Heterodoxorum in hac re quinam fuerint. VI. Auguſtinus perperam in patrocinium adducitur; cum Scripturis, Conciliis, ac rationum momentis dilucide oſtendatur, Deum non deeſſe omnibus auxilio ſuo, ut poſſint ſalutem conſequi. VII. Idemque Patres deprædicant. VIII. Præſertim ipſe Auguſtinus pluribus in locis.

IX. Neque Infidelibus, neque Ethnicis, neque Fidelibus deeſſe poteſt auxilium ſufficiens ad ponendum, quod ſibi a Deo præcipitur. X. Sub oculis ponitur abſurditas Janſenianæ reſponſionis, quod ſcilicet impotentia ſit imputabilis in cauſa. XI. Sicut etiam, quod voluntatis impotentia ab ipſa voluntate ſit ſupplebilis. XII. Exponitur mens Auguſtini, & Concilii Arauſicani, quorum verba ad ſuos errores tuendos incaſſum Janſeniani detorquent.

I. QUid contendat Auctor Theſibus hiſce, quibus Chriſtiana fides magnifice commendatur tanquam fons, & origo gratiarum omnium, & Eccleſia tanquam receptaculum omnium donorum? Numquid ut advertentes ad magnitudinem beneficii nobis per Chriſti ſanguinem collati, Benefactori grates debitas rependamus? Sed quis non videat quantum ſint ipſi Benefactori injurioſę, dum beneficentiſſimum ſui amoris erga omnes homines animum ad ſolos fideles, & ad ſolum Eccleſiæ ſuæ ovile coarctant? Non multis ab hinc annis Alex. VIII. proſcripſit quintam illam theſim, quę habet: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jeſu Chriſto influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſine ulla gratia ſufficienti.* Poſt hanc proſcriptionem enormis hic error, Chriſti ſanguini, & Chriſti amori, ac divinæ bonitati uſque adeo injurioſus debuiſſet obmuteſcere: At iterum clangentibus tartareis tubis reboat, nec ſemel in hiſce Queſnellianis theſibus vult audiri, ut altius audiatur, & altius ejus virus ebibatur. Negat Queſnellus ullam gratiam Infidelibus conferri ante fidem; negatque ullam gratiam peccatoribus conferri ante peccatorum remiſſionem. Ex quibus id aperte conficitur, quod nemo debeat eſſe de ſua ſalute ſolicitus, ſed quilibet ad arbitrium vivere poſſit; nec Infidelis inquirere debeat de vera Religione, quam amplectatur; nec Fidelis de capeſſenda via ſalutis, quam aggrediatur; quoniam ſola gratia efficax ad arbitrium danda Electis, citra ullam eorum cooperationem, & libertatem, & Infideles ad fidem perducit, & Fideles peccatores ad peccatorum remiſſionem, nulla præmiſſa iiſdem gratia ſufficienti, qua libere poſſent Infideles ad veram fidem converti, & peccatores fideles reverti ad Dominum per pœnitentiam.

II. Quare dum primo in hiſce theſibus dicitur, quod nullæ dentur gratiæ, niſi per fidem, ecce tibi denegatur Infidelibus gratia ſufficiens, qua poſſint veram fidem inquirere, & amplecti, prout deliravit Janſenius lib. 3. de Gratia Chriſti Salvatoris cap. 11. cujus titulus eſt: *Infideles carent gratia ſufficienti ad ſalutem, tam proxima, quam remota, & omnibus principiis ejus.* Dum deinde iteratur, quod fides ſit prima gratia, & fons omnium gratiarum, manifeſte excluditur eadem gratia ſufficiens, quæ ante fidem conferenda eſſet, ut poſſit vera fides perveſtigari. Dum tertio dicitur prima gratia, quam Deus peccatori concedit, eſſe peccatorum remiſſio, nulla alia agnoſcitur gratia per merita Chriſti peccatori conferenda, qua poſſit ad juſtificationem ſe prępparare actibus prævviis ſupernaturalibus fidei, ſpei, timoris, doloris, & charitatis, juxta modum a Tridentino expreſſum ſeſſ. 6. cap. 6. quo impius ad juſtificationem diſponitur; quæ tamen *non eſt ſola peccatorum remiſſio*, ut dicitur cap. 7. *ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum, unde homo ex injuſto fit juſtus, & ex inimico amicus, & fit hæres ſecundum ſpem vitæ æternæ*; quod ab Heterodoxis apud Bellarm. lib. 2. de Juſtificat. cap. 1. negabatur, putantibus juſtificationem haberi per ſolam peccatorum remiſſionem, ut videtur hæc theſis ſubdole innue-

re. Denique dum dicitur, quod extra Eccleſiam nulla concedatur gratia, iterum iterumque expungitur gratia ſufficiens, qua poſſit quis conari, ut in Eccleſiam ingrediatur, & ſit intra ſepta ovilis Chriſti Domini, ſi ſit infidelis, aut ad Eccleſiam regrediatur, ſi fuerit Hæreticus, Apoſtata, aut per excommunicationem a gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ ejectus, & a conſortio totius Chriſtianitatis eliminatus.

Ubi notandum, in theſi 72. & ſequentibus ab Auctore ſatis diſerte indicari, quod nomine Eccleſiæ veniant omnes electi, & juſti omnium ſæculorum, ut proinde dum dicitur hic, quod extra Eccleſiam nulla concedatur gratia, manifeſte ſignificetur, quod nulla alia detur gratia ſufficiens, ſed ſola detur gratia medicinalis efficax, & irreſiſtibilis, quæ ſolis Prædeſtinatis conceditur. Quare clanculum hic etiam exuſcitari videtur hæreſis antiqua Joan. VViglephi, Joan. Huſſ, & aliorum a Concilio Conſtantienſi damnata apud Bellarmin. lib. 3. de Concil. cap. 1. quæ docebat, Eccleſiam eſſe Prædeſtinatorum congregationem; ita ut ſoli, & omnes Electi illam componant, nec ſint de Eccleſia Præſciti, quamvis aliquando ſint in ſtatu gratiæ, nec deſinant eſſe de Eccleſia Prædeſtinati, ſi quando excidant a ſtatu gratiæ, ut dicitur in laudato Concilio ſeſſ. 15. art. 5. his VViglephi verbis: *Præſcitus, etſi aliquando ſit in gratia ſecundum præſentem juſtitiam, tamen nunquam eſt pars Sanctæ Eccleſiæ, & Prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, ſed non a gratia Prædeſtinationis.* Eccleſia autem Catholica apud eundem Bellarminum definitur, quod ſit *Cœtus hominum ejuſdem Chriſtianæ fidei profeſſione, & eorumdem ſacramentorum communione colligatus, ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præcipue unius Chriſti in terra Vicarii Romani Pontificis.* Unde fit, & quod poſſint aliqui ex Infidelibus eſſe ex numero Prædeſtinatorum, quin tamen ſint de Eccleſia, antequam illam ingrediantur per fidem, & per baptiſmum; & viceverſa, quod poſſint aliqui fideles eſſe de numero reproborum, & interim eſſe de Eccleſia Catholica: quæ omnia fuſius in theſi 72. diſcutientur.

III. Quod autem Infidelibus, & omnibus extra Eccleſiam exiſtentibus non deſit vel proxime, vel remote gratia ſufficiens, ut converti poſſint, necnon peccatori, ut poſſit ad obtinendam remiſſionem peccatorum ſe diſponere, unde quatuor iſtæ theſes corruant, facile oſtenditur ex non ſemel dictis: Præſertim quia tam Infideles obligantur ad amplectendam fidem Catholicam, quam peccatores ad reconciliationem cum Deo: cum autem hæc præſtari non poſſint ſine auxilio gratiæ, manifeſtum eſt iis conferri a Deo auxilium ſufficiens: ne dicamus, quod Deus obliget ad impoſſibile, quod ſapit tyrannidem, & ſummam iniquitatem. Præterea cum Deus velit omnes omnino homines ſalvos fieri, (ut dicemus in theſi 30.) & Chriſtus pro omnibus omnino mortuus ſit, (ut conſtat ex proſcriptione quintæ theſis Janſenianæ) nec poſſit utrumque ſubſiſtere, ſi Deus deneget, & Chriſti merita non obtinuerint etiam infidelibus, & peccatoribus gratiam ſufficientem ad ſalutem; manifeſta deductione infertur, gratiam iſtam etiam Infidelibus, & peccatoribus a Deo conferri.

IV. Confirmatur primo, quia ſi fidelis per peccatum infidelitatis non ſolum gratiam, & charitatem, ſed etiam fidem amiſit, & prima gratia, quæ illi confertur, eſt fides, & peccatorum remiſſio, ſequitur, quod fides a peccati remiſſione non diſtinguatur; unde homo per fidem formaliter juſtificetur; quod veritati Catholicæ adverſatur, ut dicemus in theſi quinquageſimaprima.

Confirmatur 2. Si nulla datur gratia, qua Infidelis ad fidem amplectendam, & fidelis peccator ad juſtificationem diſponatur, ſequitur, vel quod ſine ulla prævia diſpoſitione fides, & juſtificatio habeantur, vel quod diſpoſitiones illæ ponantur ſine gratia: primum adverſatur Tridentino loco laudato: ſecundum eſt error Pelagianorum: ergo neque prima gratia, quæ Infideli confertur, eſt fides; nec prima gratia, quæ confertur peccatori fideli, eſt peccatorum remiſſio: nec eſt verum, quod extra Eccleſiam nulla gratia concedatur. Quod apertius conſtabit ex dicendis in expoſitione theſis ſeptuageſimæ ſecundæ, ubi oſtendemus, quid veniat nomine Eccleſiæ Catholicæ.

V. Antequam difficultates in contrarium evacuem, adverto, errorem Calvini, Calvinianorum, ac deinde Janſenii nunc iterum in hiſce theſibus in medium adduci. Calvinus quippe lib. 2. Inſtit. cap. 3. dicit, deridendos eſſe, qui putant auxilium ſupernum a Deo *promiſcue dari omnibus, quod ſpeciale eſt gratuitæ electionis teſtimonium.* Petrus Molinæus celebris Calvinianæ doctrinæ Aſſectator in Epiſtola ad Synodum Dordrectanam rigidorum Calviniſtarum habet: *Gratiam univerſalem datam omnibus hominibus, quæ vel mediate, vel immediate ſufficiat ad perveniendum ad ſalutem, non agnoſco.* Petrus Martyr pariter Calvini ſectator de Prædeſt.

n. 38.

n. 38. ſic loquitur : *Nos nequaquam dicimus omnibus communem eſſe gratiam, ſed aliquibus concedi, aliis vero Dei arbitrio non dari. Atque pro iſta ſententia hæc Scripturæ loca inducimus:* Jo. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*, &c. *mirorque Adverſarios dicere, omnes homines a Deo trahi, ſed non omnes velle accedere*. Denique Janſenius lib. 3. de Grat. Chriſti, capiti 11. hunc titulum præfigit: *Infideles carent gratia ſufficienti ad ſalutem tam proxima, quam remota, & omnibus principiis ejus:* conaturque id oſtendere ex doctrina Auguſtini, cujus plura adducit loca, quæ videntur oſtendere: Primo, quod Judæis gratia ſufficiens defuerit, atque adeo deſit etiam Infidelibus, qui carent notitia rerum agendarum, & fugiendarum, qua fuerunt Judæi a Deo inſtructi : Secundo , quod gratia haberi nequeat ſine dilectione , & hæc ſine fide non conſiſtat; unde Infideles carentes fide carent dilectione , & communiter carent gratia : quod videtur docere Auguſtinus in Pſal. 67. dicens : *Ea ſola bona opera dicenda ſunt, quæ fiunt per dilectionem Dei : Hæc autem neceſſe eſt ut antecedat fides, ut inde iſta, non ab iſtis incipiat illa, quoniam nullus operatur per dilectionem , niſi prius credat in Deum* . Quod pariter docet lib. 4. contra Julianum cap. 3. Tertio, quia Concilium ipſum Arauſicanum canone ultimo ſic definivit: *Deus nobis fidem , & amorem ſui prius inſpirat, ut cum ipſius adjutorio ea, quæ ſibi ſunt placita, impleve poſſimus.*

VI. Sed quantum ab hac hæreſi diſtet mens Auguſtini , & Concilii , nemo non videt . Communis enim eſt Sanctorum Patrum , & ipſius etiam Auguſtini ſenſus Scripturis , Conciliis, & rationi nixus, quod nemini gratia per Chriſtum denegetur, qua poſſit ad ſalutem pervenire. Jo. 1. dicitur: *Erat lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* quod Chryſoſtomus , Clemens Alexandrinus , & alii interpretantur de illuſtratione ſupernaturali omnes illuſtrante , quantum eſt ex parte lucis; ad eum modum, quo, ut exemplificat D. Thomas, Sol omnes illuminat , niſi quis velit oculos claudere . Præterea Iſaiæ 65. dicitur : *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem , & contradicentem mihi* . Nec aliud Chriſtus D. in Cruce expanſis manibus ſitiebat, quam ut omnes ad fidem converterentur , ut dicemus in theſi 31. Similiter 2. Petri 3. habetur: *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam converti*: Ut autem Dei voluntas iſta non ſit indigna Deo, quæ ita vellet pœnitentiam a peccatore, ſicuti qui vellet patrationem miraculi ab homine relicto in ſolis viribus naturalibus, ſequitur , quod omnibus omnino conferat auxilium ſufficiens ad ſalutem . Quod diſerte Concilium Colonienſe parte 7. cap. 3. docuit his verbis: *Quamquam nemo convertatur ad Dominum, niſi tractus per Patrem; attamen nemo hic excuſationem prætexat, quod non trahatur; quod ille ſemper ſtat ante oſtium pulſans, nimirum per internum, & externum verbum commonens, ut convertamur a via noſtra peſſima*. Infidelibus autem , quibus Evangelium non prædicatur , idcirco non prædicatur, quia internæ inſpirationi reſiſtunt, qua ad naturalem legem implendam impelluntur ; ſi enim ductum rationis ſequerentur , ac præcepta naturalia ſervarent, & ſupernis inſpirationibus faciles aures præberent, Deus citra miraculum , ut advertit Vaſquez, potuiſſet ita cauſas ſecundas combinare , ut ibi præſto adeſſet Concionator Evangelicus, qui iſtos inſtrueret de myſteriis credendis , ac deinde baptiſmo luſtraret; Immo ſi opus eſſet, etiam Angelorum miniſterio uteretur, ut docet Angelicus , quo poſſent iſti inſtrui myſteriis neceſſario credendis , ut deinde poſſent ſaltem baptiſmo flaminis luſtrati ad Patriam pervenire. Cum enim *ſine fide impoſſibile ſit placere Deo*, ad Hebr. 11. & fides ſtricte dicta ſit ex auditu , qui non habetur ſine Prædicante, juxta illud ad Rom. 9. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine Prædicante?* idcirco iis mediis præternaturalibus Deus uteretur , ut Infideles ſectantes rationis ductum poſſent per fidem ſtricte dictam, & per baptiſmum ſive fluminis, ſive ſaltem flaminis ſalutem a Deo iis concupitam conſequi . Quod iterum firmabitur in theſi inſequenti.

VII. Paſſim etiam idem edocent Sancti Patres. Dilucide Ambroſius ſerm. 8. in Pſalm. 118. *Sol juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit. Si quis autem non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat; ut ſi quis clauſis feneſtris radios Solis excludat , non ideo Sol non eſt ortus omnibus, quia calore ejus ſe ipſe fraudavit; ſed quod Solis eſt, prærogativam ſuam ſervat; quod imprudentis eſt, communis a ſe gratiam lucis excludit*. Similiter Chryſoſtomus exponens verba illa Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, aperte docet gratiam illuminantem omnibus a Deo per Chriſti merita conferri , volente omnes homines ſalvos fieri, addens: *Qui autem ejus munere frui negligunt, hanc ſuam cæcitatem ſibi ipſis imputare debere; cum enim detur omnibus, omnibus pateat, & a nemine prohibeatur, perditi quidam, & nequam homines propria dum-*

taxat malitia ingredi recuſant. Quod ſi auxilium ſufficiens ex Dei arbitrio, ut docent Janſeniani, denegaretur a Deo, non eſſet verum, quod ob propriam dumtaxat malitiam non ingrederentur, ſed ob impotentiam.

VIII. Auguſtinus ipſe, quem pro ſuis erroribus ſtare contendunt Janſeniani, pluribus in locis Catholicam hanc ſententiam confirmat: præſertim lib. 83. quæſtionum, quæſt. 68. ubi dicit, omnes ad Cœnam Evangelicam vocari, quod tamen non omnes veniant, ſibi imputent, cum ſit in eorum libera poteſtate: additque: *Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur; qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmii, ut vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicii, cum vocatus neglexerit*. Et lib. 3. de lib. arb. cap. 19. adverſus illos, qui conqueruntur de ignorantia, & concupiſcentia orta ex originali peccato, perinde quaſi deſit ſufficiens auxilium ad addiſcendam viam ſalutis, & ad concupiſcentiam compeſcendam, dicit: *Breviter reſpondetur, ut quieſcant, & adverſus Deum murmurare deſiſtant. Recte enim fortaſſe quereretur, ſi erroris, & libidinis nullus hominum victor exiſteret: Cum vero ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras: ſed quod negligis quærere, quod ignoras: neque illud, quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis*; Ubi vides alterum aſſertum Janſenianum ab Auguſtino in hoc loco proſtratum, videlicet quod ignorantia invincibilis juris naturæ non excuſet a peccato formali operantem ex ipſa, quod in ſecunda ex theſibus ab Alex. VIII. proſcriptis effutiebatur.

IX. Ad primam rationem in contrarium a Janſenio propoſitam, quod ſcilicet Judæi caruerint gratia ſufficienti, (& a fortiori idem dicendum de infidelibus) jam ſupra in theſi 6. & 7. oſtendimus, Judæos non fuiſſe deſtitutos gratia interiori, qua poſſent culpas declinare, & vitam æternam conſequi: Nec in alia ſententia fuiſſe Auguſtinum, quamvis in aliquibus locis ibidem perpenſis videatur oppoſitum docere. Lib. 3. ad Bonif. cap. 3. habet: *Quis Catholicus dicat, quod nos dicere jactitant, Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in veteri Teſtamento non fuiſſe?* Et ſane quomodo a Deo obligari poterant ad legem implendam, ſi illam ex defectu gratiæ auxiliantis implere non poterant? Hinc idem Auguſtinus lib. de fide contra Manichæos cap. 10. verbis meridiana luce clarioribus habet: *Quis non clamet, ſtultum eſſe, dare præcepta ei, cui liberum non eſt, quod præcipitur, facere; & iniquum eſſe eum damnare, cui non fuit poteſtas juſſa complere?* Et lib. de natura, & grat. c. 69. *Firmiſſime creditur, Deum juſtum, & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere*. Quæcunque enim divinæ clementiæ, juſtitiæ, & bonitati adverſantur, nec ponuntur, nec poſſunt a Deo poni, ita ut hæc impotentia commendet, & compleat ipſam Divinam Omnipotentiam. Cum autem non poſſit eatenus Deus præcipere impoſſibilia, ſequitur, quod non potuerit præcipere Judæis obſervantiam legis, negata gratia interiori ſufficienti, citra quam lex ſervari non poterat. Quod pariter Baſilius docuit in Regulis brevioribus reſponſ. 176. dicens: *Sine dubio autem non præcepiſſet hoc, qui bonus, & juſtus eſt, niſi etiam facultatem, qua id faceremus, eſſet largitus*. Hæc autem omnia æque militant pro Judæis, ac pro Infidelibus; æque pro iis, qui erant *ante legem*, ſeu qui ſolis præceptis naturalibus tenebantur, ac pro iis, qui erant *ſub lege*, hoc eſt tenebantur etiam præceptis poſitivis latis in lege ſcripta; & eodem modo militant etiam pro iis, qui ſunt *ſub gratia*, ſeu pro iis, qui tenentur legem Evangelicam ſervare, quibus gratia per Chriſtum datur uberior; & ideo nemini deeſſe poteſt gratia ſufficiens ad legem implendam, quam implere tenetur.

X. Ad hæc reſpondet Janſenius tom. 3. lib. 3. cap. 14. & ante illum Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 5. & in Antidoto Trident. ad cap. 11. ſeſſ. 6. poſſe inobedientiam imputari hominibus ad culpam, & ad pœnam, quamvis careant gratia ſufficienti ad obtemperandum, eo quod iſthæc impotentia orta eſt a culpa originali, & ideo eſt culpabilis in cauſa ſua.

Sed adverſus hanc reſponſionem plura diximus in expoſitione primæ Theſis ab Alex. VIII. proſcriptæ, in qua id aſſerebatur. Illud hic addo, ut ejus abſurditas perſpicua fiat. Fingamus, quod Rex Principem aliquem omnibus bonis denudarit ob crimen perduellionis, & deinde eidem in extrema neceſſitate conſtituto præcipiat, ut in abundantiam annonæ centum millia aureorum quotannis ſuppeditet, comminando illi mortem, ſi non obtemperet, quamvis id nullatenus poſſit. Quis non execraretur Regis hujus tyrannidem, ſeu potius inſaniam? quamvis enim ex culpa perduellionis factum fuerit, ut nequeat nunc hos ſumptus ſubminiſtrare, quos cæteroqui ſubminiſtrare potuiſſet: at poſita actuali impotentia non poteſt hic & nunc obli-

obligari ad id, quod hic & nunc exhiberi non poteſt. Quod ſi hæc citra tyrannidem, & inſaniam præcipi non poſſunt a Rege, quomodo Calvinus, & Janſenius citra delirium aſſerant, quod ea præcipi poſſint a Deo Clementiſſimo, Optimo, Maximo? Et ex eo magis abſurditas patet, ſi ſupponatur, quod culpa antecedens fuerit remiſſa, ſicut hominibus per circumciſionem in lege ſcripta remittebatur originale, & olim in lege naturæ per aliud ſignum externum, quo Deus infantibus opitulabatur, (& probabiliter ex Auguſt., & Beda illud conſiſtebat in proteſtatione externa facta a Parentibus, quod homines per Chriſti adventum eſſent ſalvandi, qua de cauſa dicebantur parvuli illi ſalvari in fide parentum, ut fuſius dixi in Curſu Theol. p. 7. diſp. 1. qu. 1.) & in lege gratiæ remittitur adæquate quoad culpam, & pœnam per Baptiſmum. Hinc fingamus iterum, quod ſervus ſua culpa factus ſit impotens ad currendum, quia ſcilicet volens aſcendere per feneſtras ad furandum decidit, ita ut ejus crura frangerentur; dominus autem condonet prorſus illi culpam hanc, ſed præcipiat, ut currat ſub pœna mortis: Quid ſentirent de tali domino Calvinus, & Janſenius? Hoc idem ſentiunt de Deo, qui poſt remiſſam culpam originalem comminatur hominibus pœnam mortis æternæ, ſi legem non obſervent, ad cujus obſervantiam vires non habent ratione peccati originalis jam remiſſi.

XI. Replicat Janſenius lib. 3. de Grat. Chriſti cap. 15. dicendo, duplicem eſſe impotentiam, alteram inſupplebilem a voluntate, ut eſt impotentia ad currendum in eo, qui pedibus caret; & quæ ita ſunt impoſſibilia, præcipi non poſſunt a Deo: Alteram vero a voluntate ſupplebilem; ut eſt impotentia ad legem ſervandam, quam ſervare poſſent homines, ſi perfecte vellent, quamvis ob culpam originalem non poſſint perfecte velle ſine auxiliis gratiæ; & quæ ſic ſunt impoſſibilia, præcipi a Deo poſſunt, cum impotentia iſta ſit voluntatis, atque adeo voluntaria.

Sed quis hæc percipiat? impotentia iſta non aliter eſt voluntaria, niſi quatenus ſpectat ad voluntatem: Cæterum tam eſt impotens ad currendum, qui caret pedibus, quam eſt impotens ad volendum ſervare legem, qui caret auxilio neceſſario ad ponendam hanc volitionem; unde utrobique par ratio. Aliter Stoici, Priſcillianiſtæ, Planetarii, aliique fati aſſertores adverſus argumentationes Auguſtini, & aliorum Patrum contendentium, quod peccatores vacarent culpa in iis, quæ male operantur, ſi non operantur libere, poſſent pariter reſpondere, quod licet neceſſitate adacti vi fati, & ſtellarum male operentur, adhuc tamen peccant, quia impotentia ad bene operandum eſt in ipſa voluntate, licet ſit neceſſaria, & ſi perfecte vellent, non male operarentur.

XII. Venio nunc ad auctoritatem adductam Auguſtini dicentis, quod ea duntaxat dicenda ſint bona opera, quæ fiunt per dilectionem Dei, ad quam fides antecedat. Ibi Auguſtinus ſolum loquitur de operibus bonis, quæ ad vitam æternam conferunt; ea enim gratia proxime ab hominibus accipi non poteſt ante fidem, cum ex Apoſtolo impoſſibile ſit placere Deo ſine fide, & quidem ſtricte dicta nixa auctoritati Dei loquentis. In quo ſenſu loquutus eſt etiam Auguſt. lib. 1. ad Simplic. cap. 2. dicens, non poſſe hominem bene operari, niſi perceperit gratiam; & addit: *Incipit autem percipere gratiam, ex quo incipit credere Deo, vel interna, vel externa admonitione monitus ad fidem.*

Ad auctoritatem adductam Arauſicani recurrit eadem reſponſio; loquitur enim de operibus Deo placitis in ordine ad merendam de condigno gloriam; ad ea quippe præcedere debet fides, & dilectio Dei prius nobis ab ipſo Deo inſpirata.

Ex quibus omnibus conſtat, corruere ſcopum Auctoris harum theſium, qui eſt expungere in lege Evangelica gratiam ſufficientem, ad eam ſervandam in iis, qui peccant, ex hoc motivo, quod infideles peccant ſine gratia ſufficienti ad non peccandum, eo quod nulla gratia fidem antecedat. Si enim Infidelibus Deus eam gratiam non denegat, ut hactenus oſtendimus, a fortiori illam non denegat Chriſtifidelibus, quos ſpecialiſſime dilexit. Hinc D. Thom. in cap. 1. epiſt. 1. ad Cor. exponens verba illa: *Fidelis Deus, per quem vocati eſtis ad ſocietatem Filii ejus*, addit: *Non videretur eſſe fidelis Deus, ſi nos vocaret ad ſocietatem Filii, & nobis denegaret quantum in ipſo eſt ea, per quæ pervenire ad eum poſſemus. Unde Joſue 1. dicitur: Non te deſeram, neque derelinquam.*

Corruit itaque primo, quod habetur in theſi 26., videlicet Nullam dari gratiam, niſi per fidem: cum certum ſit, Infideles a Deo ad fidem vocari, atque adeo dari iis gratiam, qua poſſint veram fidem amplecti: Hæc autem gratia procul dubio fidem præcedit, unde ea non confertur per fidem.

Corruit ſecundo, quod dicitur in theſi 27. videlicet fidem eſſe primam omnium gratiarum. Etenim gratia, qua infidelis ad fidem vocatur, & qua fit potens ad fidem

fidem libere amplectendam, fidem antecedit; atque adeo prima inter gratias, quæ a Deo nobis conferuntur, non eſt fides: eſto omnis gratia, quæ fidem antecedit, conferatur in ordine ad reddendam fidem liberam, ac meritoriam; ſiquidem fides, in quantum eſt imperata ab actu libero ſupernaturali piæ affectionis ad fidem, a Trident. ſeſſ. 6. cap. 8. dicitur eſſe *humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis; ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire.*

Corruit tertio, quod habetur in 28. videlicet primam peccatoris gratiam eſſe peccatorum remiſſionem; quandoquidem antequam peccata ei remittantur, confertur eidem gratia, qua vocatur ad pœnitentiam; confertur etiam gratia, qua per actus ſupernaturales fidei, ſpei, timoris, alioſque id genus ad pœnitentiam ſe diſponat, & ad obtinendam juſtificationem; quare multæ aliæ gratiæ peccatori conferuntur, antequam gratiam remiſſionis conſequatur.

Corruit denique, quod in 29. aſſeritur, videlicet nullam conferri a Deo gratiam extra Eccleſiam: Cum enim Infideles, Schiſmatici, Hæretici, & Excommunicati extra Eccleſiam ſint, ut dicemus in theſi 72., illiſque gratiam Deus conferat, qua poſſint ad Eccleſiæ gremium confugere, conſectarium eſt, quod etiam extra Eccleſiam innumeras a Deo gratiæ benigniſſime conferantur. Quæ omnia uſqueadeo ſunt perſpicua, ut mirum ſit, quod poſſint in dubium revocari. Quia tamen Queſnellus Janſeniana lue infectus nullam aliam agnoſcit gratiam in natura lapſa præter gratiam efficacem medicinalem, qua fides conferatur, quæ non ſit ſine amore, & fiducia, & in qua, tanquam in ſuo germine, omnia alia ſalutis media contineantur, ut dicitur in theſi quinquageſima ſecunda, idcirco in hos ſcopulos impingit.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXVI.

VIgeſima ſexta vult, nullas dari gratias, niſi per fidem; atque adeo vult, infideles deſtitui gratia ſupernaturali, qua vocentur ad fidem libere amplexandam; perinde quaſi illi duntaxat converti poſſint, quibus datur gratia efficax, qua actu convertantur; qui vero non convertuntur, eatenus non convertantur, quia deeſt illis gratia, qua poſſint converti. Hoc autem contradicit doctrinæ Auguſtini dicentis lib. 1. ad Simplicianum: *Niſi ergo vocando præcedat Miſericordia, nec credere quiſquam poteſt, ut ex hoc incipiat juſtificari.* Fert etiam, Chriſti ſanguinem iis, qui non convertuntur, nullatenus profuiſſe. Fert demum, quod attinet ad eoſdem, qui non convertuntur, vocationes divinas, exprobrationes, comminationes eſſe fruſtraneas, ac fatuas; non ſecus ac fatue præciperetur homini, quod volet, ſi denegentur illi vires ſufficientes ad volandum: Nec poſſent Infideles in inferno puniri ob ullam culpam perſonalem, eo quod deſtituti ſemper fuerunt gratia efficaci juxta doctrinam Baji, ejuſque Sectatoris Queſnelli requiſita ad eas culpas declinandas.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXVII.

VIgeſima ſeptima docens fidem eſſe primam gratiam, & fontem omnium aliarum, illud ipſum aliis phraſibus reponit, quod in ſuperiori theſi confutatum eſt. Et ſane ſi non conferretur antecedenter gratia Infidelibus, qua poſſent fidem amplexari, deridendum eſſet, quod dicitur Iſaiæ 65. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Commentitium pariter eſſet, quod de ſumma Dei beneficentia dicitur Jo. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Verum quidem eſt, quod fides ſit *Humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis*, ut habet Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 8. Fides tamen non eſt radix omnis juſtificationis, niſi in quantum meritoria, ac libere imperata relate ad adultos per actum ſupernaturalem piæ affectionis ad fidem; & ideo ad talem actum, utpote ſupernum, præire debet gratia, ſeu auxilium ſufficiens, vi cujus libere poſſit voluntas fidem amplecti. Unde fides non nude ſumpta, & a Deo infuſa abſque ullo exercitio libero voluntatis humanæ ad mentem Janſenianorum, ſed fides, prout libere, ac meritorie imperata, eſt humanæ ſalutis initium; atque adeo ad actum fidei ſupernum intellectualem præire debet gratia ſufficiens, qua voluntas poſſit libere fidem amplexari. Eam tamen excludit pervicacia Janſeniana, quæ toto conatu nititur expungere gratiam ſufficientem, tam in Infidelibus, qui culpabiliter renuunt veram fidem amplecti, quam in Fidelibus, qui re-

renuunt culpabiliter divinis mandatis obtemperare.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXVIII.

VIgeſima octava docens primam gratiam, quæ peccatori conceditur, eſſe peccatorum remiſſionem, non ſolum negat dari gratiam ſufficientem ad reſipiſcendum in peccatore, qui culpabiliter non reſipiſcit, (ſi enim ea gratia daretur, ea non eſſet peccatorum remiſſio) ſed etiam vult, aut non præcedere fidem in peccatore, antequam juſtificetur, (quod repugnat Apoſtolo dicenti ad Heb. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*) aut vult, fidem formaliter juſtificare, quæ fuit Calvini hæreſis; Adverſus quam Tridentinum ſeſſ. 6. can. 28. definivit, quod non ſemper, amiſſa per peccatum gratia, fides amittatur; & can. 9. anathematizat, qui dixerit, ſola fide impium juſtificari. Quibus adde, ad juſtificationem obtinendam debere hominem diſponi, ac præparari per actus ſupernaturales fidei, ſpei, timoris, contritionis, ut habet idem Concil. ſeſſ. 6. cap. 6., atque adeo præire debere gratiam ad hos actus eliciendos, antequam peccator juſtificetur. Quomodo ergo prima gratia, quæ peccatori confertur, eſt peccatorum remiſſio?

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXIX.

VIgeſima non aſſerens extra Eccleſiam nullam gratiam a Deo concedi, iterum crambem recoctam, ac lethiferam obtrudit; quæ non ſtomachum modo, verum etiam iracundiam, ac zelum commoveat. Si Infidelibus vel proxime, vel remote non conferretur ſufficiens gratia, qua poſſint libere Eccleſiam ingredi, ac veram fidem amplexari; Si Apoſtatis, Hæreticis, Excommunicatis, a conſortio fidelium ſeparatis deeſſet gratia ſufficiens, qua poſſint ad Eccleſiam regredi, inculpabiliter extra ovile ſupremi Paſtoris remanerent, & incaſſum vocarentur, ut venirent, ſi deſtituerentur gratia requiſita ad veniendum. Propterea illi duntaxat Eccleſiam ingrederentur, & ad Eccleſiam redirent, quos Deus vellet ſua gratia efficaci admittere ad ſuum ovile; atque adeo per Deum ſtaret, quominus alii admitterentur; cum non ſit iis integrum velle admitti ex defectu virium ſupernaturalium, ſine quibus nemo poteſt fidem libere amplecti, & ad Eccleſiam confugere. Quibus adde, quod, ut poſſit Infidelis credere, & Eccleſiam ingredi, (ſicut Excommunicatus, Apoſtata, & Hæreticus ad Eccleſiam, regredi) requiritur ante actum fidei, qui eſt actus intellectus, actus liber, ac meritorius piæ affectionis ad fidem, qui eſt actus voluntatis: ut proinde dicat Apoſtolus ad Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam*: hic autem actus liber voluntatis eſſe debet ſupernaturalis, ut ad fidem diſponat, atque adeo prodire debet ex gratia, cui poteſt Infidelis reluctari: ut proinde ſi reluctetur, extra Eccleſiam remaneat: non tamen ſine gratia, qua libere potuiſſet fidem amplecti, & Eccleſiam ingredi, aut ad illam regredi. Confert itaque Deus gratias etiam extra Eccleſiam.

PROPOSITIO XXX.

Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter. *Queſnellus Joan. 6. 40. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Contenditur hic, quod Deus nolit omnium ſalutem, & quod per Deum ſtet, ne Reprobi ſalventur.

II. Certum eſt, eos, qui ſalvantur, ſalvari ex affectu Dei ſpeciali erga illos; Sicut etiam, quod Deus dominetur in creaturas liberas, qua liberas, ita ut poſſit ab iis conſenſum ſalutarem infallibiliter obtinere. III. Noſtra prædeſtinatio uni Deo debetur; reprobatio vero noſtræ pravæ voluntati. IV. Deus non deſerit, niſi deſeratur.

V. Quod intelligendum non ſolum de gratia habituali, ſed etiam de actuali.

VI. Quos Deus vult efficaciter omni efficacia, & non ſolum quantum ad ſe ſpectat, ſalvare, illi ſalvantur ineluctabiliter, neceſſitate tamen conſequente, non antecedente.

VII. Reproborum ſalutem Deus vult efficaciter, ſolum quantum eſt ex parte ſua, non vero ſimpliciter. VIII. Quænam auxilia Deus deneget in pœnam culparum. IX. Adulti non privantur in pœnam peccati originalis auxilio ſufficienti ad ſalutem.

X. Conſenſus liber creaturæ eſt quidem Dei donum, ſed ita, ut ad illum elective concurrat arbitrium creatum; non ſecus ac in ſtatu naturæ

væ integræ. XI. Pluribus de cauſis Eccleſia orat, ut omnes ſalventur, quandoquidem quod Deus nemini denegat, eſt ſolum auxilium ſufficiens ad ſalutem. Ubi explicatur illud Auguſtini, quod Lex credendi legem ſtatuat ſupplicandi. XII. Etiam infantium ſine Baptiſmo decedentium Deus, quantum eſt ex ſe, ſalutem exoptat. XIII. Num Deus voluerit omnium omnino ſalutem in priori, an in poſteriori ſigno ad lapſum Adæ.

I. VIdetur theſis infruſtrabilitatem divinæ voluntatis extollere, necnon efficaciam noſtræ Redemptionis per JESU Chriſti Sanguinem, dum docet, infallibiliter ſalvari quotquot vult Deus ob Chriſti merita, & per Chriſti gratiam ſalvos facere. Sed piæ iſtæ, & Catholicæ veritates, quas omnes ad unum deprædicamus, longe abſunt non ſolum a mente Auctoris, verum etiam a ſenſu legitimo verborum, ſub quibus vafre error occultatur. Et ſane ſi ſenſum ſpectemus, quem hujus theſis verba præſeferunt, Auctor directe contendit, Deum nolle omnium omnino ſalutem. Cum enim non omnes de facto ſalventur, conſectarium eſt, quod Deus iſtorum ſalutem non velit, ſi verum eſſet, quod ſalventur infallibiliter omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum: Ex quo pariter ſequitur, quod Chriſtus D. non pro omnibus omnino mortuus ſit, ac ſanguinem fuderit; Quæ quantum a Catholicis veritatibus aberrent, ſuſe oſtendimus in expoſitione theſis duodecimæ, quæ huic eſt affinis. Verum ſi introſpiciamus, quod per hanc theſim a Queſnello inſinuatur, illud eſt, quod gratia Chriſti medicinalis ſit fortis, inexpugnabilis, ac neceſſitans arbitrium; & ideo qui hac gratia donantur, ſalvantur infallibiliter; eatenus enim dicitur, Deus electorum ſalutem velle, quatenus hanc illis gratiam confert; & quia reprobi de facto non ſalvantur, nulla iis juxta Queſnellum datur gratia ſufficiens, qua poſſint, ſi velint, ſalutem conſequi, & ideo Deus non vult eorum ſalutem; atque adeo per Deum ſtat, ne ſalventur; quod quantum divinæ bonitati, ac Chriſti ſanguini ſit injurioſum, nemo eſt quin videat.

II. Plurima diximus in hanc rem in theſi 3. & 4. ſicut etiam in duodecima, quæ pariter habet: *Quando Deus vult ſalvare animam, quocumque tempore, quocunque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.* Hic addendum, in controverſiam revocari non poſſe, quod qui ſalvantur, unice ſalventur ob gratiam efficacem ſibi collatam ex affectu ſpeciali Dei intendentis eorum ſalutem. Nec poterit quiſquam dubitare, quod ſi Deus efficaciter efficacia ſimpliciter dicta vult aliquem ſalvare, prædeſtinando illum ad gloriam ut coronam, (hoc eſt conferendam propter operationes liberas ſalutares, ac meritorias vitæ æternæ) infallibiliter hic ſalvandus ſit, cum non deſit in Deo humanorum cordium, quo placet, inclinandorum poteſtas omnipotentiſſima, ut advertit Auguſtinus, qui in Enchir. cap. 88. addit: *Quis tam impie deſipiat, ut dicat Deum non poſſe malas hominum voluntates, quando voluerit, & quomodo voluerit, in bonum convertere?* Competit quippe ſupremo Dei dominio utroque modo voluntates hominum ad bonum convertere, videlicet & citra libertatem prædeterminando illos ad bonum, & per operationes liberas ponendas ſub auxilio indifferenti: Alioquin dominium Dei non eſſet latepatentiſſimum, & quo majus excogitari non poteſt, ſi ſolum dominari poſſet creaturis liberis quidem, ſed non qua liberis, hoc eſt infundendo in illis actum bonum neceſſarium, quin poſſet ad arbitrium obtinere ab iis ineluctabiliter per auxilium indifferens operationem liberam ſalutarem. Hinc idem Auguſt. in Enchir. cap. 96. advertit: *Neque enim veraciter ob aliud vocatur Omnipotens, niſi quia quicquid vult, poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*

III. Quamobrem in eo duntaxat ſenſu Catholica doctrina a Janſeniana diſcordat, quod Catholici velint, de facto Deum voluiſſe efficaci quidem voluntate, ſed ſolum quantum eſt ex parte ſua, (eſto non efficaci ſimpliciter) omnes omnino ſalvari, etiam Reprobos, eo quod omnibus omnino contulerit auxilium quantum eſt ex ſe ſufficiens ad eorum ſalutem; non tamen ſalventur Reprobi, eo quod defectus ſalutis unice provenerit ex eorum libera voluntate, quæ noluit gratiæ conſentire: ut proinde erronea ſit theſis hæc Janſeniana, quod ſcilicet omnes; quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalventur infallibiliter; non enim omnium ſalutem æqualiter Deus decrevit: Reproborum ſalutem voluit animo ſincero, & benefico, conferendo illis vires ſufficientes ad illam aſſequendam; ad eum modum quo vult ſincero affectu vitam mendici eſurientis, qui præbet illi cibum, quo poſſit ad arbitrium veſci: Electorum tamen ſalutem voluit animo ſpecialiter benefico, conferendo illis auxilium, quod ſufficiens ſimul eſſet, & ſimul efficax, ſeligendo illud ab inefficacibus, ad quod ex munere primæ cauſæ Deus non tenetur, ut proinde beneficium prædeſtinationis uni Deo acceptum referatur ab Electis,

& æterna damnatio nullatenus poſſit in defectum gratiæ, aut divinæ voluntatis refundi, ſed unice in voluntatem reproborum libere diſſentientium gratiæ ſufficienti: quod verbis illis expreſſit Iſidorus lib. 2. ſentent. cap. 5. *Ut pereas tuo merito, ut ſalveris meo auxilio.* Et gloſſa ordinaria ex Ruperto habet: *Ac ſi dicat; Tu ipſe perditionis tuæ cauſa es: tu tibi perditionem theſaurizaſti recedendo a me, qui ſolus tibi poteram, & conſueveram auxiliari, & nuſquam tibi auxilium eſt, niſi apud me, ſi pœnitentiam agere velis.* Unde Angelicus part. 2. qu. 112. art. 3. docet: *Defectus gratiæ prima cauſa eſt ex nobis; ſed collationis gratiæ prima cauſa eſt a Deo, ſecundum illud Oſeæ 13. Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.*

IV. Hinc illud Eccleſ. 15. *Ne dixeris, per Deum abeſt;* vel ut legunt Septuaginta, & Auguſt. de grat. & lib. arbit. 1. 2. *Non dixeris, propter Dominum receſſi*; quo diſerte ſignificatur, per ſolum liberum arbitrium ſtare deſertionem, & reprobationem, quia ſola arbitrii culpa, & non antecedens Dei voluntas poteſt eſſe cauſa abſentiæ gratiæ, & operationis ſalutaris, cum omnes Deus quantum eſt ex ſe ſalvos velit.

Confirmatur, quia ex Sacrorum Bibliorum, & Sanctorum Patrum doctrina deſcendit effatum illud: *Deus non deſerit, niſi deſeratur*, quod habetur in Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. ubi dicitur: *Deus ſua gratia juſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur.* Apoſtolus enim ad Hebr. 13. docet, Deum nos non deſerere: *Ipſe dixit, non te deſeram, neque derelinquam, ut confidenter dicamus, Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo.* Et Jerem. 51. dicitur, quod Deus non deſerat, niſi quia deſeri volumus: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Ecce quomodo Deus nunquam deſerit, neque derelinquit, ut habet Apoſtolus, videlicet quantum eſt ex ſe, quia ſemper auxilium ſuum exhibet paratiſſimum, ut poſſimus confidenter dicere, *Dominus mihi adjutor.* At ſi auxilium reſpuamus, & curari negligamus inſanientes in medicum, tunc ne Deus donorum ſuorum non liberalis, ſed prodigus habeatur, nos derelinquit, ut Jeremias docet; aut quia non dat amplius locum pœnitentiæ, aut quia denegat auxilia uberiora, quibus neceſſitas moralis ſuccumbendi tentationibus expugnetur, conferendo duntaxat ſufficientiam phyſicam ad reſiſtendum; vel demum quia denegat in pœnam auxilia efficacia, quæ cæteroqui eſſet daturus. Conciliant proinde Patres utrumque Apoſtoli, & Jeremiæ textum, videlicet, & quod Deus non deſerat quantum eſt ex ſe, & quod deſerat nolentes curari; unde verum ſit, quod Deus *non deſerit, niſi deſeratur.* Ex quo fit, & quod efficaciter Deus quantum eſt ex ſe velit omnes homines ſalvos fieri, ut proinde conferat omnibus ad id aſſequendum gratiam ſufficientem: & ſimul quod non omnes, quos ita vult ſalvare, ſalventur infallibiliter, ex eo quod multi renuant auxiliis gratiæ conſentire.

V. Janſeniani docent cum nonnullis apud Suarez lib. 3. de Grat. cap. 2. effatum iſtud, *Deus non deſerit, niſi deſeratur*, intelligi ſolum de gratia habituali, non de gratia actuali ſufficiente; quatenus Deus neminem privat ſua gratia juſtificante, niſi propter culpam, qua Deus deſeritur; non vero quod neminem privet gratia actuali, niſi propter culpam perſonalem, (quamvis ſæpe deneget propter culpam originalem) docentes cum Janſenio, quod nec juſtis, qui peccant, detur gratia ſufficiens ad non peccandum, nec infidelibus non credentibus detur gratia ſufficiens ad credendum, cum a gratia ſufficiente, tamquam a monſtro, abhorreant. Hinc inferunt, ſalvari ſolum Electos, & quidem infallibiliter, quia ſolum electis datur gratia per Chriſtum medicinalis efficax, & irreſiſtibilis: Reprobos vero non ſalvari, non quia ipſi nolunt gratiæ conſentire, ſed quia Deus nullam iis vult gratiam conferre, ut ſalventur.

Verum quam abſona, quam erronea, quam blaſphema, & meritis Chriſti, ac immenſæ Dei bonitati injurioſa hæc ſint, nemo eſt, quin videat: quod in duabus theſibus proxime ſequentibus iterum iterumque palam fiet. Paſſim enim & Scripturæ, & Patres docent nunquam per Deum ſtare, ne quis ſalvetur; atque adeo neminem deſeri, non ſolum per amiſſionem gratiæ habitualis, ſed etiam per denegationem gratiæ actualis, niſi prius per culpam gratiæ ſufficienti præſtitæ reſtiterit. Neque ſola culpa originalis eſt in cauſa, cur Deus deneget infidelibus auxilia ſufficientia, ut credant, & ſalventur; Aliter pretioſiſſimus Chriſti ſanguis nihil iis profuiſſet, quod citra hæreſim ſuſtineri non poteſt, ut conſtat ex quinta Janſenii proſcripta theſi. Et licet culpa originalis officeret Infidelibus, ea tamen officere non poteſt iis, qui lavacro baptiſmi mundati ſunt; cum per baptiſmum reatus omnis culpæ, & pœnæ abradatur. Quare juſtificati per baptiſmum, ſi labantur, & damnentur, non labuntur, & damnantur ex defectu gratiæ auxiliaris, & quia Deus vult illos cum reprobis annumerari; ſed labuntur, quia de-

deſunt gratiæ ſufficienter collatæ a Deo volente eorum ſalutem. Hinc Auguſt. tr. 2. in Joan. loquens de lumine gratiæ, quo Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, habet: *Opus eſt, ut tu non recedas ab eo, qui nunquam recedit; opus eſt, ut non deſeras, & non deſidereris: noli cadere, & non tibi occidet: Si tu feceris caſum, ille tibi faciet occaſum*: Quibus verbis oſtendit, non ſolum gratiam habitualem, ſed etiam illuſtrationes gratiæ actualis, de quibus loquitur, non denegari a Deo, niſi prius nos illum deſeramus, reſiſtendo gratiæ jam collatæ, ne peccemus. Quod expreſſius docuit D. Proſper in reſponſ. ad cap. Gall. cap. 11. dicens: *Cum vero aliquos a Deo aut traditos deſideriis ſuis, aut obduratos legimus, aut relictos, magnis peccatis ſuis hoc ipſos meruiſſe profitemur*. Et poſt pauca addit: *Vires itaque obedientiæ non ideo cuique ſubtrahit, quia eum non prædeſtinavit, ſed quia receſſurum ab ipſa obedientia eſſe prævidit*. Et lib. 2. de vocat. gent. cap. 28. *Fit manifeſtum, quod diverſis, atque innumeris modis omnes homines vult Deus ſalvos fieri: ſed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur; qui non veniunt, ſua pertinacia reluctantur*. Quod ſi per Deum ſtaret, ne venirent, eo quod nollet inter Electos recenſere, non dicerentur non venire ob pertinaciam, ſed ob impotentiam, ex defectu ſcilicet gratiæ auxiliaris. Similiter Chryſoſtomus, Euthymius, Hilarius, & alii Sancti Patres exponentes illud Matthæi 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta; dico enim vobis: non me videbitis amodo, &c.* docent, his verbis ſignificari auxilia gratiæ, quæ dantur in ordine ad ſalutem, & quæ denegantur in poſterum illis, qui noluerunt adjuvari; indigni quippe ſunt novo beneficio, qui relate ad beneficium antecedenter collatum fuerunt ingrati. Quod etiam ſignificatur verbis illis Iſaiæ 2. *Nunquid non iſtud factum eſt tibi, quia dereliquiſti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam?* Si per viam ſalutis Deus nos ducit, ergo adjuvat gratia ſufficienti; ſi nos illum derelinquimus, jam gratiæ reſiſtimus; ſi propterea punit, ergo in pœnam privat nos novis beneficiis, & auxiliis gratiæ, aut efficacibus, aut intenſis, quibus ſine morali impotentia curramus viam mandatorum ſuorum, & ita curramus, ut comprehendamus.

VI. Ex quibus ſit primo, omnes, quos Deus vult ſalvare efficaciter efficacia ſimpliciter dicta, (ut ſunt omnes Electi, quibus confert auxilium prævium efficax ex amore efficaciæ) ſalvari infallibiliter, non quia gratia per Chriſtum eſt ineluctabilis, & neceſſitans ad bonam operationem, ut docent Janſeniani, ſed quia bona operatio, quæ eſt libera, neceſſario eſt futura, neceſſitate ſolum conſequente in hypotheſi, quod prævideatur futura ſub tali auxilio, quod benigniſſime a Deo confertur; non ſecus ac trina illa negatio Chriſti facta a D. Petro ex. grat. neceſſario erat futura, neceſſitate duntaxat conſequente, non læſiva libertatis, in hypotheſi quod eſſet prævisa, & revelata a Chriſto Domino.

VII. Fit ſecundo, quod licet peccatores reprobi non ſalventur, adhuc verum eſt, quod Deus velit illos ſalvos fieri. Ratio eſt, quia in tantum non ſalvantur, in quantum peccant; & in tantum peccant, quia reſiſtunt gratiæ, non quia carent gratia ſufficienti ad non peccandum; Si enim ea carerent, non peccarent: Quod ſi prædiri ſunt gratia, cui reſiſtunt, eo ipſo verum eſt, quod Deus gratiam illam contulerit, ut bene operentur, & ſalventur, cum non poſſit Dei bonitas conferre auxilium inefficax eo animo, quod ſit inefficax, ac intendendo culpam creaturæ; ergo Deus vult ſalutem peccantium Reproborum, quin eatenus ſalventur.

VIII. Fit tertio, quod Deus ei, qui gratiæ ſufficienti reſiſtit, deneget in pœnam ſæpe alia auxilia aut efficacia, aut intenſa, quæ eſſet daturus, ſi culpa non præceſſiſſet; ut proinde abyſſus unius peccati abyſſum alterius invocet uſque ad æternam damnationem; nunquam autem novum peccatum contingit abſque nova gratia conferente ſaltem mediate, vi ſcilicet orationis prævia, phyſicam poteſtatem (eſto non ſemper moralem) ad illud declinandum. Et quia nunquam confertur a Deo gratia ſufficiens ſine ſincera voluntate, quod ea homo utatur in ordine ad ſalutem comparandam, (ſicut nemo a viro cordato ad prandium v. gr. invitatur, ſine ſincera ejus voluntate, quod a convivio non ſit excludendus, ſi annuat) ſequitur, quod iterantibus culpas Deus iteret ſemper ſua beneficia, & benevolum animum, quem habet de eorum ſalute: Sic enim poterit in extremo die vincere cum judicaverit, exprobrando iis iterata beneficia, & ingratitudinem iteratam.

IX. Fit quarto, quod nemo ex adultis ob culpam originalem privetur auxiliis ſufficientibus ad ſalutem, ubi pervenerit ad uſum rationis. Ratio eſt, quia iſtorum nemo damnatur citra culpam perſonalem: culpa autem perſonalis haberi non poteſt, niſi detur

tur gratia ſufficiens ad non peccandum; atque adeo nemo adultus caret auxiliis ſufficientibus ad ſalutem ob meram culpam originalem.

X. Sed audiamus Janſenianos, qui percipere non poſſunt, quod Deus poſſit velle ſalutem Reprobis dependenter ab eorum voluntate, & ſub conditione, quod velint gratiæ ſufficienti conſentire. Sic enim paralogizant. Niſi Deus infallibiliter ſalvos faceret, quoſcumque vult ſalvare per Chriſtum, ſed poſſet velle aliquos, nempe Reprobos, ſalvare ſub conditione, quod velint gratiæ conſentire, ut proinde ſi non conſentiant, non ſalventur; ſequeretur, quod Deus vel vellet abſolute Reproborum ſalutem, & ideo deberent infallibiliter ſalvari, vel nollet illam abſolute, & ſic vera eſſet hæc theſis, quod infallibiliter ſalventur, quoſcunque Deus vult ſalvare, cum reproborum ſalutem nullatenus velit. Sequela revincitur, quia ipſe conſenſus voluntatis creatæ eſt in manu Dei, & eſt Dei donum; ergo dum Deus vult ſalutem reproborum, ſi velint conſentire gratiæ, eo ipſo vult eorum ſalutem, ſi ipſe velit donare illis talem conſenſum; quare vel vult dare talem conſenſum, & abſolute vult eorum ſalutem, quia voluntas Dei conditionata per purificationem conditionis evadit abſoluta; vel non vult conſenſum donare, & abſolute non vult eorum ſalutem. Ad eum modum, quo decernens dare centum Petro, ſub conditione quod det illi decem, eo ipſo vel abſolute vult dare centum, ubi ſe determinet ad dandum decem, vel abſolute non vult dare centum, ſi ſe determinet ad non dandum decem; quandoquidem purificatio conditionis unice dependet ab eodem, qui ore tenus decernit conditionate, ubi revera decernit abſolute.

Reſpondeo, nego ſequelam: Ad probationem diſtinguo antecedens, conſenſus creaturæ eſt in manu Dei, & Dei donum, ita ut unice dependeat a voluntate Divina, & nullatenus a voluntate creata, nego; ita ut pendeat principalius a voluntate Divina, ſed elective ad illum cooperetur voluntas creaturæ, quæ poſſit impedire exiſtentiam talis doni, & reſiſtere gratiæ, efficiendo ut gratia, quæ eſt efficax, non ſit efficax, ſed ſit pure ſufficiens, concedo antecedens, & diſtinguo ſimiliter conſequens; & ſic patet diſparitas ad caſum adductum de decernente dare centum, ſub conditione uni ſibi libera, non vero libera alteri, ut eſt in caſu noſtro. Quod ipſi Janſenii fautores admittere tenentur in ſtatu naturæ integræ, in quo admittunt poſſibilitatem auxilii ſufficientis, & ſimul tenentur dicere, quod conſenſus ſit donum Dei, ſed donum dependens a libera determinatione creaturæ. Unde Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. docet, *tantam eſſe divinam erga omnes homines bonitatem, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.*

XI. Opponunt ulterius ex Janſenio lib. 3. de Grat. Chriſti, cap. 1. quod ſi Deus vellet quantum eſt ex ſe ſalutem reproborum, quin iſti infallibilliter ſalventur ex defectu propriæ voluntatis diſſentientis gratiæ, ſequeretur, quod fruſtra Eccleſia Deum exoraret, ut velit omnes homines ſalvos fieri; cum tamen Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. hortetur, ut oremus pro omnibus hominibus, quippe quos omnes Deus vult ſalvos fieri. Sequela autem probatur, quia fruſtra quis rogatur, ut ponat id, ad quod ponendum eſt jam determinatus; Deus autem a ſua voluntate, quam habet ſalvandi omnes, eſt jam determinatus ad ponendum, quod a ſe dependet, ut poſſint omnes ſalvari, vid. auxilium ſufficiens; propterea non videtur ipſe rogandus, ut omnes ſalvet, ſed potius homines rogandi ſunt, ut gratiæ conſentiant, & ſalventur; quod ante Janſenium oppoſuerat Catholicis Calvini diſcipulus David Paræus lib. 2. de lib. arb. cap. 8. dicens: *Si omnibus ſemper daretur auxilium ſufficiens vitandi infidelitatem, & peccata, fruſtra oraret Eccleſia; quia ſufficiens auxilium, cum fingatur univerſale eſſe, non eſt ex eorum beneficiorum genere, quæ precibus, & ſupplicationibus ſunt impetranda.*

Confirmatur ex eodem Janſenio, quia nuſquam Eccleſia orat, ut fideles poſſint ſalvari, ſi velint, ſed ſolum petit ipſum velle: ergo Deus ſolum confert gratiam efficacem, qua infallibiliter ſalventur, non vero gratiam ſufficientem, qua ſalventur, ſi velint. Quod prius docuerat Calvinus lib. 2. Inſtit. cap. 3. dicens: *Sic & precationes Sanctorum leguntur compoſitæ: Inclina cor noſtrum, dicebat Salomon, ut ſervemus mandata tua.* Quod ex eo etiam ſuadetur, quia ex Auguſtino Regula credendi legem ſtatuit ſupplicandi; propterea cum non petamus a Deo potentiam duntaxat ad pœnitendum, ac perſeverandum, ſed ipſam pœnitentiam, ac perſeverantiam, credendum eſt, quod pro iſto ſtatu Deus non conferat nobis gratiam ſufficientem, ſeu potentiam nudam ad hos actus ſalutares, ſed gratiam efficacem, ſeu potentiam cum ipſis actibus conjunctam; quare falſum eſt, quod quantum eſt ex ſe velit ſalutem reproborum, & quod illis conferat auxilium, quo poſſent ſalvari, ſi vellent.

Re-

Reſpondeo, rogandum eſſe Deum, ut velit omnes ſalvos facere, quamvis id velit quantum eſt ex ſe; tum quia poteſt conferre auxilia efficacia, ad quæ non eſt determinatus ex illa ſua voluntate quantum eſt ex ſe efficaci ſalvandi omnes; tum etiam quia poteſt conferre auxilia intenſiora, & frequentiora; tum denique quia poteſt Deus ita cauſas ſecundas diſponere, ut facilitatem conferant ad intentum, ad quæ omnia non tenetur: propterea Eccleſiæ preces, ut omnes ſalventur, non ſunt fruſtraneæ.

Ad confirmationem: Eccleſia non orat, ut Deus conferat omnibus, ut poſſint ſalvari, ſi velint, quia auxilium ſufficiens nulli denegatur; orat, ut ſalventur, aut petendo ad id gratias efficaces, non quidem Janſenianas everſivas libertatis, ſed gratias efficaces Catholicas, quibus libere de facto ſalvantur, aut petendo gratias ſufficientes uberiores, & frequentiores, quibus facile poſſint ſalutem obtinere, & ſic cum morali neceſſitate ſalventur. Ad id, quod additur ex Auguſtino, non pauca diximus in calce theſis ſeptimæ circa illud effatum, quod Regula credendi ſit etiam regula ſupplicandi; quatenus credere debemus, ex dono Dei gratuito provenire, quicquid ab illo poſtulare monemur. Ex quo ſolum ſequitur, quod dum petimus a Deo gratias efficaces, illas ex divina munificentia expectare debeamus; non ſequitur tamen quod Deus gratias ſufficientes non conferat, etiamſi non petantur. Neque ſequitur, quod non poſſimus a Deo petere gratias ſufficientes frequentiores, cum non ſemper, & ſingulis momentis illæ de facto dentur, quamvis ſemper offerantur; unde rite petentibus ex Dei dono conferuntur. Poſſumus pariter petere gratias ſufficientes uberiores, ac intenſiores, quæque præſtent potentiam non ſolum phyſicam, ſed etiam moralem, nec ſolum remotam, ſed etiam proximam, nec ſolum urgente præcepto, verum etiam extra caſum præcepti ad exequenda conſilia: Quæ omnia ex ſola Dei benigniſſima liberalitate promanant.

XII. Opponunt ultimo. Si Deus vellet omnes ſalvare ſub conditione, quod ipſi velint, vel ſub hac generali voluntate comprehenduntur etiam infantes, vel non: Primum non poteſt dici, cum talis conditio relate ad infantes non ſit purificabilis; Si dicatur ſecundum, ergo ſicut abſolute Deus denegat infantibus auxilia ſufficientia ad ſalutem, ita dicendum, quod ea deneget adultis reprobis; ac proinde verum eſt, quod infallibiliter ſalventur, quotquot Deus vult ſalvos facere per Chriſtum.

Confirmatur, quia Auguſtinus pluribus in locis videtur docere, quod Deus nolit ſalutem Infantium decedentium ſine baptiſmo, & quod non proviſerit illis de remedio ad ſalutem. Nam lib. de natura, & grat. cap. 12. habet: *Plerumque feſtinantibus parentibus, & paratis Miniſtris, ut baptiſmus parvulo detur, Deo tamen nolente, non datur.* Et lib. de correct. & grat. cap. 8. *Quid clarius, ut aſſeratur per Deum ſtare, quominus parvuli ſalutem accipiant?* Ergo ſicut Deus peccati originalis vindex in pœnam voluit infantibus denegare remedium ſufficiens ad ſalutem: ita dicendum, quod voluerit etiam adultis reprobis auxilium ſufficiens denegare: etiam dato, quod voluerit omnes omnino ſalvos facere, ſi in Adamo non peccaſſent.

Reſpondeo, a Scholaſticis in quæſtionem adduci, An, & quomodo Deus providerit infantibus omnibus de remedio ad ſalutem, cum nihil hac in re definitum ſit. Quamvis communius Theologi doceant, Deum, quantum eſt ex ſe, voluiſſe omnium infantium ſalutem, niſi ſuſceptio baptiſmi a creaturis ſive naturalibus, ſive liberis impediatur. Equidem tamen in Curſu Theologico p. 3. diſp. 1. quæſt. 6. probabilius exiſtimavi, quod Deus providerit infantibus de hoc remedio dependenter a voluntate, ac piis operibus, & orationibus parentum, juxta doctrinam D. Proſperi dicentis lib. 2. de vocat. Gent. cap. 23. *Non irreligioſe arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus, qua utique ſi bene uterentur Parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur.* Quamvis enim in carmine de ingratis dicat:

Nec meritis iſtud poteris aptare parentum,
Cum videas multos Sanctis Genitoribus ortos
Nullo ſalvari ſtudio potuiſſe ſuorum:

non per hoc denotat, quod nunquam defectus baptiſmi relate ad hos infantes proveniat ex defectu orationis, aut alia culpa Parentum, cum jam oppoſitum docuerit loco laudato; ſed ſolum denotat, quod non ſemper proveniat ex hac ſpeciali Parentum culpa, videlicet ob ignaviam, ob quam hic & nunc baptiſmum non confertur. Ad rem noſtram uſurpare poſſumus verba, quæ Auguſtinus lib. 14. cap. 8. contra Julianum habet: *Numquid parvuli homines non ſunt, ut non pertineant ad id quod dictum eſt: Vult omnes homines ſalvos fieri?* Neque dicas, quod Apoſtolus ſolum loquatur de adultis, cum

ad-

addat: *Et ad agnitionem veritatis venire*. Nam etiam parvulos Deus vult ad agnitionem veritatis pervenire, quando ad viſionem Dei facile perveniunt: & per baptiſmum habent in via fidem habitualem, qua credunt habitu, ſi minus actu; creduntque pariter fide Eccleſiæ. Juxta hanc ſententiam ad argumentum reſpondetur, quod Deus velit infantes ſalvos fieri, etiam ſub ea conditione, *ſi velint*, non quidem per ſe ipſos, cum hujus voluntatis ſint incapaces, ſed per ſuos parentes, quos Deus tanquam infantium tutores deſtinavit. Sicut autem plures adulti non ſalvantur, ob propriam culpam, non ex defectu gratiæ ſufficientis: ita plures infantes non ſalvantur ob culpam, & defectum orationis parentum, ut oſtendi loco laudato, per quos ſtat, ne iis baptiſmus applicetur: non vero quia Deus in pœnam peccati originalis abſolute voluit illis denegare proximam baptiſmi applicabilitatem.

Deinde etiam tranſmiſſo, quod Deus in pœnam originalis ita ſtatuerit, juxta rigidam ſententiam Vaſquii parte 1. diſp. 96. adhuc verum eſt, quod Chriſtus dederit ſeipſum aliquo pacto redemptionem pro his infantibus, & non pro dæmonibus, atque adeo quod Deus voluerit eorum ſalutem, videlicet ſub conditione, quod Chriſtus Dominus voluerit abſolute, & efficaciter pro iiſdem orare, non vero inefficaciter, & quatenus ad gloriam Patris conferret: ſicut oravit, ut tranſiret a ſe Calix Paſſionis ſolum inefficaciter. Unde juxta hanc etiam viam verum eſt, quod Deus quantum eſt ex ſe velit horum infantium ſalutem, & tamen non ſalventur infallibiliter.

Ad confirmationem: Auguſtinus docuit, ut diximus, etiam infantes pertinere ad id, quod dictum eſt, *Vult omnes homines ſalvos fieri*. Quare ad auctoritates adductas dicendum, vel quod baptiſmus iis non conferatur Deo nolente, voluntate conſequente ad culpam parentum, non vero voluntate antecedente: (ſicut non vult ſalutem Judæ voluntate conſequente ad ejus peccatum) & in hoc ſenſu per Deum ſtat conſequenter ad culpam parentum, quod parvuli ſalutem non accipiant: vel dicendum, quod id contingat Deo nolente, hoc eſt non volente voluntate efficaci ſimpliciter dicta; in quo etiam ſenſu Judas non ſalvatur, eo quod Deus non habuerit voluntatem efficacem ſimpliciter dictam illum ſalvandi: Quando enim vult aliquem ſalvare, non ſolum efficaciter quantum eſt ex parte ſua, ut vult ſalvare reprobos, ſed omnino efficaciter, ſicut ſalvat electos, tunc confert auxilium prævifum efficax, præfiniendo actum liberum bonum ſub tali auxilio: & ſic infallibiliter per operationes meritorias illum perducit ad ſalutem. In quo ſenſu D. Proſper in carmine de Ingratis cap. 15. dixit:

At vero omnipotens hominem cum Gratia ſalvat,
Ipſa ſuum conſummat opus; cui tempus agendi
Semper adeſt, quæ geſta velit; non moribus illi
Fit mora: non cauſis anceps ſuſpenditur ullis.

Hunc tamen ſpecialem affectum, quem Deus exercet erga electos, non tenetur ex munere primæ Cauſæ exercere erga omnes illos, quos efficaciter quantum eſt ex parte ſua vult ſalvos fieri. Propterea Deus Moyſi dixit Exodi 33. prout habetur etiam Rom. 9. *Miſerebor, cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit*.

In calce adverto, perperam in hac theſi Queſnellum excuſari, perinde quaſi ſolum velit, ſalvari infallibiliter omnes, quos Deus vult ſalvare efficaciter efficacia ſimpliciter dicta, quin neget Deum velle omnes omnino, etiam reprobos, ſalvos fieri voluntate efficaci quantum eſt ex parte ſua; cum non ſemel dixerit, præſertim in cap. 22. Lucæ v. 49. in cap. 20. Joann. v. 16. & alibi, Chriſtum D. pro omnibus mortuum eſſe. Nam contra eſt, quia etiam Heterodoxi negantes Chriſtum mortuum eſſe pro reprobis docent, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, ſed in triplici illo dumtaxat ſenſu, (ut explicabimus in theſi 32. quæ huic eſt affinis) videlicet pro generibus ſingulorum hominum, aut quatenus mors Chriſti poterat omnes ſalvare, vel quia Chriſtus ſuſcepit cauſam omnibus communem. Quare ſi Queſnellus adverſus hæreſim Janſenianam vellet, quod Chriſtus pro omnibus omnino, ſeu pro omnibus, & ſingulis hominibus mortuus ſit, & quod Deus etiam reproborum velit ſalutem, debuiſſet aliquando id exprimere, ne videatur ſentire cum Janſenio in quinta ex ſuis proſcriptis theſibus id negante: Cum autem hoc nuſquam præſtiterit, dicendum, quod juxta germanum verborum ſenſum neget in hac theſi Deum velle ullatenus ſalutem reproborum; & ideo ea tam in proprio, quem verba exhibent, ſenſu, quam ad mentem Auctoris, fuit proſcribenda.

XIII. Poſt hæc operæ pretium videtur aliquanto accuratius hic enucleare dignam ſcitu controverſiam illam, Num ſcilicet Deus omnes, & ſingulos homines ſalvos fieri voluerit

luerit ſolum in priori ſigno ad lapſum Adæ, quatenus dedit Adamo juſtitiam, per quam omnes ſalvari poſſent: an vero etiam poſt Adæ lapſum, ita ut ſingulis hominibus in poſteriori ad prævisionem peccati Adæ conferat vel proxime, vel remote auxilia ſufficientia ad ſalutem? Videtur enim non facile explicari poſſe, Primo, quod ea conferat omnibus Infidelibus; Cum enim fides neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii ſit ex auditu, & audiri myſteria fidei non poſſint ſine Concionatore Evangelico, juxta illud Apoſtoli Rom. 10. *Quomodo audient ſine Prædicante?* plurimis autem Infidelibus deſit hujuſmodi Inſtructor, videntur conſequenter deeſſe illis media ad ſalutem neceſſaria. Secundo, non facile explicatur, quomodo Reprobis juſtificatis conferat Deus auxilia neceſſaria ad ſalutem, cum non conferat illis donum perſeverantiæ, ſine quo ſalvari nequeunt. Tertio, quomodo eadem auxilia conferantur obduratis peccatoribus, qui ſæpe ob cordis duritiem converti non poſſunt: immo ſæpe in pœnam denegatur illis auxilium, quo convertantur. Denique quomodo Deus velit infantes omnes in utero matris decedentes ſalvos fieri, cum plurimi, Deo nolente, ut diximus ex Auguſtino, non poſſint ſacro baptiſmate ablui, ſine quo ſalvari neutiquam poſſunt.

Reſpondeo ad hæc breviter, & dico primo, Deum voluiſſe ſingulorum hominum ſalutem quantum eſt ex ſe, non ſolum in priori ſigno ad Adæ lapſum, quatenus condidit totam naturam humanam in Adamo, illique ut capiti contulit juſtitiam pro tota poſteritate, nemine excepto, adeo ut ſinguli ejus originalem juſtitiam participaſſent, ſi Adam in ea permanſiſſet; ſicut ſinguli contrahunt originalem culpam ob ejus lapſum: ſed etiam voluiſſe Deum in poſteriori ſigno ad peccatum Adæ ſingulos homines ſalvos fieri, conferendo ſcilicet illis media, quibus poſſent a culpa liberari, & ſalutem conſequi. Ita communiter Sancti Patres docent apud Suarez lib. 4. de Prædeſtin. c. 1. Id evincitur ex textu illo Apoſtoli 1. Timoth. 2. dicentis, Deum velle omnes homines ſalvos fieri: ubi loquitur apertiſſime de hominibus jam lapſis, pro quibus orare præcipit, & pro quibus Chriſtus dedit ſemetipſum in redemptionem. Et ſane cum Deus ordinaverit Chriſtum in redemptionem omnium hominum poſt prævisum originale peccatum, atque adeo contulerit medium univerſale ſufficiens ad omnium, & ſingulorum hominum ſalutem, conſequens eſt, quod quantum eſt ex ſe, omnium, & ſingulorum ſalutem voluerit, etiam poſt lapſum Adæ, in quo omnes perierunt, & Chriſti D. redemptione indiguerunt; Excepta tamen Deipara, quæ ob dignitatem Matris ſapientia, & gratia infinito propomedum intervallo ſapientiam, & gratiam Adæ collatam ſuperabat: unde non erat in ejus voluntate tanquam in voluntate Tutoris includenda; & ideo a culpa originali fuit immunis.

Confirmatur primo, quia ſi ſola culpa originalis eſſet in cauſa, cur aliqui damnentur, ſequeretur, quod nullatenus iis profuiſſet pretioſiſſimus Chriſti Sanguis; quod non ſolum eſt falſum, temerarium, & ſcandaloſum, ſed ſi fiat ſenſus, quod Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, eſt etiam impium, blaſphemum, contumelioſum, Divinæ pietati derogans, & hæreticum, ut habet cenſura quintæ theſis Janſenii lata tam ab Innocentio Decimo, quam ab Alexandro Septimo ex Cathedra loquentibus.

Confirmatur ſecundo ex verbis Apoſtoli 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur*, quatenus per Chriſtum omnibus lapſis datur vel proxime, vel remote auxilium ſufficiens, quo poſſint vivificari. Et Rom. 5. dicitur: *Non ſicut delictum, ita & donum, ſi enim unius delicto multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit.* Ac demum Apoſtolus concludit. *Igitur ſicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Cum autem omnes omnino homines lapſi ſint per Adæ peccatum, omnes pariter omnino homines per Chriſti mortem quantum eſt ex parte Dei juſtificantur; omnibus puippe confertur auxilium, quo juſtificari poſſint, & ſalvari. Idemque pariter ſignificatur verbis illis 1. ad Timoth. 4. *Speramus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium hominum, maxime Fidelium*; quatenus omnium Salvator eſt quoad ſufficientiam, ſed maxime Salvator eſt Fidelium, ſeu in fide viva ambulantium, ac perſeverantium: iſtorum quippe Salvator eſt etiam quoad efficaciam.

Opponitur id, quod dicitur Joan. 6. *Nemo poteſt ad me venire, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*; ergo ille, qui non trahitur a Patre ſua gratia efficaci, non poteſt ad Chriſtum venire: unde carent auxilio ſufficienti ad ſalutem, quotquot gratia efficaci deſtituuntur.

Confirmatur, quia ibidem dixit Chriſtus D. *Omnis, qui audivit a Patre meo, & didi-*

cit,

cit, venit ad me: Ergo qui non venit ad Chriſtum, non audivit a Patre, nec didicit; atque adeo caruit auxilio ſufficienti ad ſalutem. Quod pariter videtur docuiſſe Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 5. dicens: *Qui autem cogenti cupiditati bona voluntate reſiſtere non poteſt, jam hoc ita peccatum eſt, ut ſit etiam pœna peccati*. Quare ex Auguſtino in pœnam peccati poteſt homo carere auxilio ſufficienti ad non patrandam novam culpam, ac reddi impotens ad reſiſtendum cupiditati cogenti, ut proinde ſalutem conſequi non poſſit.

Reſpondetur primo, non eſſe idem trahere, ac venire; trahitur enim etiam qui allicitur ad veniendum, quamvis venire renuat: propterea verum eſt, quod non poſſit ad Chriſtum venire, qui caret auxilio requiſito, quo trahatur ad veniendum; non eſt tamen verum, quod qui non venit, non trahatur, nec habeat ſufficientes vires ad veniendum. Secundo, etiam dato, quod ille ſolum dicatur trahi, qui actu venit, atque adeo qui inſtruitur gratia efficaci, nihilominus qui caret auxilio efficaci, & non trahitur, nec venit ad Chriſtum, in tantum dicitur non poſſe venire, in quantum infallibiliter non veniet, ſeu in quantum eſt determinatus ad non veniendum; atque adeo non poteſt impotentia ſolum conſequente, non antecedente. Sic Patres exponentes verba illa Joan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, Excæcavit oculos eorum*, docent, impotentiam iſtam eſſe conſequentem, quatenus in ſenſu compoſito, quod vellent in ſua cæcitate permanere, credere non poterant. Et Auguſtinus tract. 7. in Joan. exponens verba illa Joan. 8. *Non poteſtis audire ſermonem meum*, hæc habet: *Ideo non poterant, quia corrigi credendo nolebant*.

Ad confirmationem: Non dixit Chriſtus Dominus, Omnis, qui audivit, venit ad me; ſed dixit: Omnis, qui audit, & didicit; quare ut quis ad Chriſtum veniat, non ſatis eſt, quod audiat, & ſolum inſtruatur auxilio ſufficienti ad veniendum, ſed requiritur etiam, quod diſcat, atque adeo vocationi obtemperet: propterea in Pſalmo dicitur: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, ad denotandum, quod non omnis, qui audit vocem Domini, diſcit, cum multi obdurentur. Ad id, quod additur ex Auguſtino, dicendum multos, cogente cupiditate, non poſſe moraliter illi reſiſtere, poſſe tamen phyſice, eo ipſo, quod peccant non reſiſtendo. Quinimo ſi phyſice non poſſent reſiſtere ſine Dei auxilio, eo ipſo quod peccant non reſiſtendo, certum eſt, quod non peccant directe per hoc, quod non reſiſtant, ſed ſolum peccant per hoc, quod non petant a Deo auxilium, quo poſſint reſiſtere. Etenim, ut loquitur S. Leo, *juſte inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio*. Similiter Auguſtinus lib. de perfect. juſtitiæ reſp. 15. ubi dixit, peccatum haberi, ſive vitari poſſit, ſive vitari non poſſit, ſtatim ſubdit: *Et tamen vitari poteſt, non quando ſuperba voluntas laudatur, ſed quando humilis adjuvatur*, indicans, quod ubi humiliter a Deo auxilium neceſſarium expoſcitur, illud non denegatur, ut peccatum vitari poſſit; unde ſi vitari non poſſit ex defectu auxilii, voluntas peccatum non declinat ſolum per hoc, quod auxilium non expoſcat.

Dico ſecundo: Providit Deus relate ad omnes Infideles de mediis, quibus fidem, & ſalutem conſequi poſſint; quamvis non eodem modo omnibus proviserit. Ita communiſſime Catholici adverſus Calviniſtas apud Moraines diſp. 25. ſect. 3., & adverſus Janſenium, qui lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 11. hæc habet: *Infideles carent gratia ſufficienti ad ſalutem tam proxime, quam remote, & omnibus principiis ejus*.

Prima pars probatur, quia univerſim de omnibus hominibus dicitur Joan. 1. *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; quod licet nonnulli interpretentur de illuſtratione naturali, communiter tamen Patres apud Toletum, Maldonatum, Suarium loco laudato intelligunt de illuſtratione gratiæ, & lumine fidei, ut ſatis conſtat ex contextu: Quod pariter evincitur ex illis verbis 2. Petr. 5. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam converti*; atqui ſi non providiſſet ſingulis de remedio ad ſalutem, vellet eos abſolute perire; ſiquidem per Deum ſtaret, & non per ipſos, quominus ſalventur; ergo omnibus omnino infidelibus providit Deus de mediis ad ſalutem neceſſariis. Hinc proſcripta fuit ab Alexandro VIII. theſis illa quinta, in qua dicebantur a Janſenianis, Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis carere omni gratia ſufficienti, nullumque a JESU Chriſto influxum recipere.

Confirmatur hoc idem ex illo axiomate, quod docuit Auguſtinus lib. de natur., & grat. cap. 26. Proſper, Fulgentius, & alii Patres, quodque probavit Tridentin. ſeſſ. 6. cap. 11. & 13. *Deus neminem deſerit, niſi prius ab illo deſeratur*, quod licet Tridentinum ibi accipiat de ſolis juſtificatis, Patres tamen intelligunt univerſim de quolibet hominum genere: atqui ſi Deus aliquibus infide-

libus denegaſſet auxilium ſufficiens ad ſalutem, illos deſeruiſſet, antequam deſereretur ab illis per culpam aliquam propriam: ergo nulli Infidelium Deus denegat vel proxime, vel remote auxilium, quo ſalutem conſequi poſſit. Quod pariter confirmat univerſalis Chriſti redemptio, cum dicatur 1. Timoth. 2. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*. Hinc Concilium Colonienſe par. 7. cap. 32. definit: *Quamquam nemo convertatur ad Dominum, niſi tractus per Patrem, attamen nemo hic excuſationem prætexat, quod non trahatur; quia ille ſemper ſtat ante oſtium pulſans, nimirum per internum, & externum verbum commovens, ut convertamur a via noſtra peſſima*.

Probatur ſecunda pars Concluſionis, quod ſcilicet non omnibus Infidelibus eodem modo Deus conferat auxilia ſufficientia ad ſalutem; quamvis enim nonnulli putent apud Suar. loc. cit. omnes omnino adultos aliquando illuminari illuſtratione aliqua ſuperna, vi cujus poſſint credere fide ſupernaturali, & ſic ad ſalutem diſponi, quod videntur exprimere verba illa laudata Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; nihilominus cum certum ſit, fidem ſupernaturalem regulariter concipi ex auditu Apoſtolici inſtructoris, juxta illud Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine Prædicante?* & conſtet etiam, innumeris Infidelibus deeſſe Euangelicum inſtructorem; Idcirco probabilius eſt, media ad ſalutem neceſſaria non eodem modo omnibus Infidelibus conferri: nonnullis enim immediate, & proxime auxilium ſupernum confertur, vi cujus cognoſcant Deum eſſe, ac Remuneratorem eſſe, unde fide ſuperna credere poſſint, quæ neceſſario credenda ſunt neceſſitate medii; plurimis vero confertur ſolum mediate, quatenus (ut docet Vaſq. p. 1. diſp. 97. cap. 5.) ſi ductum rationis ſequerentur, & non apponerent impedimentum gratiæ per culpas perſonales, Deus aut paratus eſſet ita combinare cauſas ſecundas, ut præſto illis eſſet Concionator Evangelicus, a quo inſtruerentur ad credenda myſteria fidei, aut immediate illos illuſtraret, vel miniſterio Angelorum: Sicut enim omnibus Infidelibus dignatus eſt Deus Cuſtodes Angelos deſtinare, quibus ad viam ſalutis dirigantur; ita eorum miniſterio probabiliter uteretur, ut ad fidem inſtruerentur, qui perſonalibus culpis impedimentum non apponerent. Ita communiter Patres, & Scholaſtici apud Ripal. diſp. 20. n. 82. & diſerte D. Proſper lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 28. dixit: *Fit manifeſtum quod diverſis, & innumeris modis omnes homines vult Deus ſalvos fieri, ſed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur, qui non veniunt, ſua pertinacia reluctantur*. Expreſſius id docuit Angelicus quæſt. 14. de Verit. art. 11. dicens: *Si aliquis nutritus in ſylvis ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certiſſime tenendum eſt, quod ei Deus vel per internam inſpirationem revelaret ea quæ ſunt credenda, vel aliquem fidei Prædicatorem ad eum dirigeret; ſicut miſit Petrum ad Cornelium, Act. 10.* Quod pariter docuit Angelicus lect. 3. ad Rom. 10. ubi loquens de Barbaris, qui propter invincibilem ignorantiam myſteriorum fidei a peccato infidelitatis excuſantur, habet: *Si qui tamen eorum feciſſent, quod in ſe eſt, Dominus ſecundum ſuam miſericordiam providiſſet, mittendo eis Prædicatorem fidei, ſicut Petrum Cornelio, Act. 10. & Paulum Macedonibus, Act. 16. ſed tamen hoc ipſum, quod aliqui faciunt, quod in ſe eſt, convertendo ſe ſcilicet ad Deum, ex Deo eſt movente corda ipſorum ad bonum*. Itaque conveniunt Patres, & Scholaſtici in hoc, quod nemini ex Infidelibus deſit ſufficientia, ſaltem remota, ad ſalutem; quamvis diſcrepent in modo, quo ea habeatur: aliqui enim putant ſimul cum poteſtate naturali ad ſequendum ductum rationis conferri immediate iis auxilia ſupernaturalia, ut ſic ad fidem & ad juſtificationem diſponantur: alii vero, quod ſi Infideles ductum rationis ſequantur, & faciant, quod in ſe eſt in ordine ad culpas declinandas, Deus non denegabit illis gratiam ſuam, qua poſſint fidem, & ſalutem conſequi: & alii aliter ratiocinantur.

Oppones primo cum Janſenio lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 13. In tantum aſſerimus dari omnibus omnino Infidelibus auxilium ſufficiens ad ſalutem, ſaltem remote, ita ut in poteſtate uniuſcujuſque ſit ſalutem conſequi, in quantum poſſunt omnes Infideles ſervare legem naturalem, ac culpam declinare, qua unice impeditur auxilium ad credendum; nulli autem denegantur vires requiſitæ ad legem naturalem ſervandam, cum Deus impoſſibilia non præcipiat, & nemo peccet in eo, quod vitare non poteſt: Atqui falſum eſt, quod Deus non præcipiat ea, quæ non poteſt homo propriis viribus implere: illa enim ſolum impoſſibilia præcipere non poteſt, quæ neque propriis, neque alienis viribus, ſi petantur, impleri poſſunt; unde cum plurimi Infideles propriis viribus legem naturalem implere non poſſint, & vires ſupernas requiſitas a Deo non recipiant, fit, quod ne remote quidem ſufficiens

ficiens remedium habeant ad ſalutem. Probatur minor, quia vel dicimus, quod Deus omnibus omnino adultis conferat auxilium ſupernum ad legem naturalem ſervandam; & hoc ſine ullo fundamento videtur aſſeri, cum nuſquam Deus obligarit ſe ad gratiam peccatoribus conferendam; unde miſeretur, cujus vult, & quem vult indurat: Vel dicimus, quod per operationes honeſtas naturales, & per obſervantiam legis naturalis homo ſe diſponat ad gratiam; & hoc ſapit Semipelagianiſmum; nequit enim diſpoſitio ad formam ſupernaturalem eſſe inferioris ordinis, & naturalis.

Reſpondetur, negari non poſſe, quod Deus unicuique tribuat ſufficientiam proximam ad non peccandum, ita ut eatenus homo peccare poſſit, quia pariter poteſt non peccare, atque adeo liber ſit ad peccandum, vel non peccandum. Lutheri, & Calvini hæreſis fuit, quod Deus poſſit impoſſibilia præcipere denegando vires requiſitas, quibus ea poſſibilia fiant. Hoc tamen adverſatur Tridentino ſeſſ. 6. cap. 11. unde proſcripta fuit propoſitio 63. Baji dicentis: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit;* necnon prima theſis Janſenii dicentis, Nonnulla Dei præcepta eſſe impoſſibilia, ac deeſſe gratiam, qua poſſibilia fiant; unde Auguſt. lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. docuit, neminem rationis compotem latere, quod Deus impoſſibilia non præcipiat, dicens: *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt: Non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? ſed ideo jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus: Ipſa eſt enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat.* Quare ex hoc ipſo, quod adultus peccet non ſervando legem naturalem, neceſſaria illatione deducitur, quod ſi nequeat viribus naturalibus illam ſervare, conferatur a Deo auxilium ſufficiens ad illam ſervandam; aliter nullatenus peccaret illam non ſervando. *Quis enim peccat* (ut loquitur Auguſtinus) *in eo, quod nullo modo cavere poteſt?* Hinc fit, quod ſi ab adulto Infideli peccatum formale declinari non poſſit in tranſgreſſione legis naturalis ſine auxilio ſuperno, eo ipſo quod peccat, inferendum eſt, quod ei auxilium ſupernum non deſit; Quod ſi poſſet ſine auxilio ſuperno peccatum declinare, & illud declinet, Deus paratus eſt illi gratiam conferre, qua poſſit fidem amplecti, non quia obſervantia legis naturalis eſt diſpoſitio ad gratiam, ſed quia Deus paratus eſt gratiam conferre ex meritis Chriſti D. illi, qui impedimentum gratiæ non apponit; & ſic verum eſt, quod cuicunque adulto auxilium ſufficiens ad ſalutem conferatur, ſive proxime, ſive ſaltem remote.

Inſtabis: Vel infidelis ponens impedimentum gratiæ, qua indiget ut poſſit credere, & ſalvari, ſolum peccat per hoc, quod legem naturalem tranſgrediatur, vel peccat etiam per hoc, quod fidem non amplectatur: non videtur poſſe dici, quod ſolum peccet per hoc, quod ponat impedimentum gratiæ tranſgrediendo legem naturalem, aut non orando, prout tenetur; etenim perſpicuum videtur, quod peccet etiam peccato Infidelitatis, dum culpabiliter impedit quominus habeat ſufficientiam ad credendum: Sicut qui prævidet in ebrietate ſecuturum homicidium, peccat etiam peccato homicidii, per hoc quod illi det cauſam: quare ſicut poteſt peccare peccato infidelitatis in cauſa, quamvis non poſſit proxime fidem amplecti; ita univerſim poſſunt Infideles carere etiam libertate formali ad ſervandam legem naturalem, & peccare in cauſa, ſeu in peccato originali, & ratione libertatis Adæ peccantis, & eatenus damnari; unde ſaltem aliqui ex Infidelibus carent tam proxime, quam remote auxilio ſufficienti ad ſalutem.

Reſpondeo proſcriptam eſſe ab Alexandro VIII. theſim illam primam, qua aſſerebatur a Janſeniſtis, ad peccatum formale in natura lapſa ſufficere libertatem in cauſa ſua, ſeu in peccato originali, & libertate Adæ peccantis. Quod Auguſt. lib. 3. de lib. arb. cap. 19. animadvertit dicens: *Hic occurrit illa quæſtio, quam inter ſe murmurantes homines rodere conſueverunt, qui quodlibet aliud in peccando, quam ſe accuſare parati ſunt. Dicunt enim: Si Adam, & Eva peccaverunt, quid nos miſeri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus naſceremur; & primo erraremus, neſcientes, quid nobis eſſet faciendum; deinde ubi nobis inciperent aperiri præcepta juſtitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiſcentiæ neſcio qua neceſſitate, non valeremus?* Huic autem obmurmurationi non reſpondet S. Doctor, ut Janſeniani contendunt, quod neceſſitas peccandi oriatur ex culpa originali, ac fuerit nobis liberum peccare in libertate Adæ, quamvis hic & nunc deſit phyſica ſufficientia ad non peccandum. Sed plane oppoſitum docet, dicens: *Quibus breviter reſpondetur, ut quieſcant, & adverſus Deum murmurare deſiſtant: Recte enim fortaſſe quererentur, ſi erroris, & libidinis nullus homo victor exiſteret: Cum vero ubique ſit præſens, qui*

qui multis modis per creaturam ſibi domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere, quod ignoras; neque illud quod vulnerata membra non colligis, ſed quod volentem ſanare contemnis. Quare falſiſſimum eſt, & a mente Auguſtini alienum, quod peccet quis patrando, quod nullo modo cavere poteſt, etiamſi in cauſa peccaverit adigendo ſe ad hanc neceſſitatem: Sic peccat etiam contra juſtitiam, qui prævidens in ebrietate ſecuturum homicidium, ſe inebriat: At quando homicidium ſequitur citra ullam libertatem, tunc nullatenus peccat, peccato ſcilicet formali trahente novum demeritum; quamvis novus ſuperaddatur effectus difformis legi divinæ, ac regulæ morum, unde ſuperaddatur nova entitas materialiter mala, ac peccaminoſa, quæ dici etiam ſolet peccatum, quatenus a peccato procedit; non ſecus ac, ex Tridentino, ſeſſione quinta, etiam ab Apoſtolo Concupiſcentia appellatur aliquando peccatum, quamvis vere, & proprie peccatum non ſit, ſed ſolum ſit a peccato, & ad peccatum inclinet. Idemque dicendum de actu externo, qui quando ſuperadditur actui interno formaliter peccaminoſo, non ſuperaddit ſecundum ſe novum demeritum, cum non ſit formaliter liber, ſed ſolum ſuperaddit novam entitatem difformem regulæ morum, ac materialiter peccaminoſam, quæ ſolet appellari peccatum externum. Sicut autem Eccleſia non infligit pœnam, puta excommunicationis, aut reſervationis, niſi actui interno peccaminoſo ſuperaddatur etiam externus; ita non infligit pœnam v. g. irregularitatis propter homicidium, niſi ſecuto effectu peccaminoſo; quamvis nec effectus peccaminoſus, nec actus externus novam culpam formalem, ac novum demeritum de ſe ſuperaddant actui interno formaliter libero; quia ſcilicet ſolum habent libertatem in cauſa ſua, quæ non ſufficit ad novam culpam formalem contrahendam. Hinc Auguſtinus in Epiſt. ad Rom. n. 62. docuit, non peccaſſe Pharaonem, quando corde obdurato, ſeu deſtitutus omni auxilio non obtemperavit, quia tunc non poterat obtemperare; ſed peccaſſe, quando talem ſe præbuit, cui cor obduraretur, ſeu omni auxilio deſtitueretur. Hac de cauſa, ut advertit Ripal. diſp. 16. ſect. 3. ne Janſeniani quidem docent, eſſe peccata formalia actiones materialiter malas puerorum, amentium, aut dormientium, & motus primo primos concupiſcentiæ, quamvis hæc libera fuerint in libertate Adæ, & in illa præcaveri potuerint, unde ſuam habeant libertatem in cauſa. Ex quibus ſequitur, nullatenus pariter ſalvari libertatem ad peccandum, vel non peccandum juxta viam Janſenii loc. cit. cap. 15. per hoc ſcilicet, quod voluntas ſecundum ſe ſit flexibilis ad bonum, & ad malum, dum eſt in hac vita, unde poſſit tam a concupiſcentia ineluctabiliter ad malum rapi, quam a gratia ad bonum: Hæc enim flexibilitas ſic explicata non fert, quod homo, dum tranſgreditur præceptum, poſſit illud non tranſgredi, adeoque non fert libertatem ad peccandum requiſitam.

Oppones ſecundo: Si Infidelis obtinet a Deo gratiam ſupernam per hoc, quod legem naturalem ſervet, ſequitur, quod initium gratiæ ſit a nobis, juxta hæreſim Maſſilienſium, qui in hoc errabant, quod vellent operibus naturalibus annecti gratiam, perinde quaſi illam quadantenus mererentur.

Reſpondeo, quod juxta hanc viam Suarii, & aliorum communius Infidelis non diceretur per obſervantiam legis naturalis diſponere ſe poſitive ad gratiam, ſed ſolum diceretur, quod poſſet per vires naturales non peccare, & non tranſgredi legem naturalem, & ſic non ponere obicem gratiæ. Hinc obſervantia legis naturalis non eſt conditio, qua poſita conferatur gratia, quia ſic initium gratiæ, & ſalutis haberetur ab opere naturali; ſed ſolum fert carentiam impedimenti requiſitam, non quidem ut gratia conferatur, (cum Deus illam ſæpe conferat etiam ponentibus novum obicem per culpam) ſed requiſitam, ut Deus teneatur gratiam conferre vi univerſalis Redemptionis Chriſti D., & vi legis, qua ſtatuit non ponentibus obicem gratiam non denegare: propterea non eſt initium gratiæ ſola carentia obicis, cum præter carentiam obicis requiratur promiſſio facta Chriſto Domino a Deo Patre intuitu ſuorum meritorum non denegandi gratiam non ponentibus obicem. Plura etiam poſſent ulterius juxta hanc viam opponi, quæ fuſe diſcutit Suarius lib. 4. de gratia cap. 17. & Bellar. lib. 2. de gratia, & lib. arb. cap. 8.

Declinatur tamen omnino hoc inconveniens, quod initium gratiæ ſit a nobis, ſi juxta aliam Doctorum primi ſubſellii viam dicatur Deus omnes omnino adultos ſua gratia illuminare, ſtatim ac ad uſum rationis pervenerint, ut Deum primam cauſam, ac ultimum finem, necnon operum noſtrorum

rum Remuneratorem cognoſcant, ita ut illum credere poſſint, colere, ac invocare, ut præſto ſit ad viam ſalutis capeſſendam; unde beneficio Evangelici inſtructoris edi-ſcere poſſint explicite, ac credere fidei myſteria, & per januam baptiſmi in Eccleſiam ingredi, & ita ſalutem conſequi. Siquidem juxta hanc viam prima gratia, non exſpectatis bonis operibus naturalibus, nec victoria ulla tentationum, omnibus confertur: & qui illi cooperantur credendo Deum remuneratorem fide ſtricta, ſed introductoria, ulteriorem deinde gratiam merentur de congruo uſque ad juſtificationem obtinendam. Id videtur inſinuari ex iis, quæ Act. 16. dicuntur de Lydia purpuraria, quæ erat *colens Deum*, *cujus Dominus aperuit cor intendere his*, *quæ dicebantur a Paulo*, & baptizata eſt; ſi autem erat Deum colens, & ideo meruit audire Paulum, & credere explicite myſteria fidei, ac baptizari, neceſſe eſt, ut antecedenter Deum, quem colebat, crederet, & quidem fide ſtricta, ſed introductoria ad fidem perfectam; quandoquidem ſine fide ſuperna nullum datur meritum in ordine ad ulteriorem gratiam, & ad ſalutem. Inſinuatur hoc idem apertius ex iis, quæ dicuntur Act. 10. de Cornelio Centurione, qui erat juſtus, ac timens Deum, cujus orationes, & eleemoſynæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei, ac meruerunt, ut ei Angelus mitteretur, qui illum moneret, ut Simonem Petrum accerſeret, a quo inſtrueretur de fidei myſteriis, ac baptizaretur; Cum autem dicatur ejus oratio exaudita, cum etiam dicatur, quod erat timens Deum, antequam inſtrueretur de fidei myſteriis, neceſſe eſt, ut Deum Remuneratorem crederet fide introductoria, & ſuperna, qua præſuppoſita, ejus oratio, ac eleemoſynæ poſſent ulteriorem gratiam de congruo mereri; Quod videtur expreſſiſſe Auguſt. lib. 1. ad Simplic. q. 2. dicens: *Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel externa admonitione motus ad fidem: ſed intereſt, quibus articulis temporum, vel celebratione Sacramentorum gratia plenior, & evidentior infundatur. Non enim Catechumeni non credunt, aut vero Cornelius non credebat Deo, cum eleemoſynis, & orationibus dignum ſe præberet, cui Angelus mitteretur: Sed nullo modo iſta operaretur, niſi antea credidiſſet; nullo autem modo credidiſſet, niſi vel ſecretis per viſa mentis, aut Spiritus, vel manifeſtioribus per ſenſus corporis admonitionibus vocaretur.* Ecce quomodo ex Aug. Corn. Deo credebat, (ſicut etiam nunc Catechumeni) & quidem fide ſuperna, antequam de myſteriis Evangelicis inſtrueretur; ut proinde ad fidem ſupernam ſtricte dictam, ſed introductoriam non requiratur determinate inſtructio externa, ſed ſufficiat interna admonitio, & illuſtratio Spiritus Sancti. Idemque docet Gregorius lib. 19. in Ezechielem, dicens; *Cornelius Centurio, cujus eleemoſynæ ante Baptiſmum, Angelo atteſtante, laudatæ ſunt, non operibus venit ad fidem, ſed fide venit ad opera; ſi enim vere, & ante Baptiſmum non crediderat, quid orabat? Vel quomodo hunc omnipotens Deus exaudierat? Neque enim poterat bona opera agere, niſi antea credidiſſet. Scriptum namque eſt: Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.*

Ex quibus fit, duplicem juxta hanc ſententiam agnoſcendam eſſe fidem, alteram introductoriam, videlicet Dei remuneratoris, quam divinitus illuſtrati adulti libere amplexantur, & per illam ad ulteriores gratias diſponuntur; alteram perfectam, quæ ſit fides explicita Trinitatis, & Incarnationis, quæ univerſim ex auditu concipitur. Quod Chryſoſtomus exponens verba illa dæmoniaci, *Credo*, *Domine*, *adjuva incredulitatem meam*, diſerte expreſſit apud D. Tho. in Catena Marci 9. dicens; *Sed ſi crediderat, dicens, Credo, quomodo ſubdit, Adjuva incredulitatem meam? Dicamus igitur, quoniam multiplex eſt fides, introductoria ſcilicet, & perfecta; Hic autem incipiens credere Salvatorem deprecabatur, ut apponeret reliquum ad ſuam virtutem.* Propterea in expoſitione theſis 64. ab Innocentio XI. proſcriptæ diximus, probabile eſſe, quod docet Suarius diſp. 12. de fide, ſect. 4. & Lugo diſp. 12. n. 88. fidem etiam explicitam Trinitatis, & Incarnationis neceſſariam eſſe ad ſalutem neceſſitate medii, ſaltem in voto; non ſecus ac baptiſmus fluminis neceſſitate medii neceſſarius eſt ad ſalutem, ſaltem in voto: quandoquidem ſicut per baptiſmum cauſatur juſtificatio, juxta illud Chriſti Domini: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*; ita juſtificatio cauſatur per fidem explicitam in Chriſtum, cum pariter dicatur ad Galat. 2. *Nos in Chriſto credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti*. Et Jo. 3. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Miſericorditer autem Deus voluit, ut qui inculpabiliter fidem hanc explicitam Chriſti, atque adeo Trinitatis, & Incarnationis in re habere non poſſunt, (ut ſunt rudes, ſurdi, ſtupidi, educati in ſylvis) adhuc ſalvari poſſint per eandem fidem in voto; non ſecus

ac ſalvari poteſt per baptiſmum in voto, qui illum in re ſuſcipere non poteſt. Cum autem ſecundum ſe ea ſit neceſſaria ad ſalutem, idcirco Deus bene operantibus ex fide introductoria non ſolet deeſſe, quominus per Evangelicum prædicatorem de his myſteriis notitia habeatur, ut explicite credi poſſint. Unde Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 7. dixit. *Si poſſet ſine fide Chriſti Cornelius eſſe ſalvus, non ad eum ædificandum mitteretur Architectus Apoſtolus Petrus*. Præterea Arauſicanum Concilium can. 25. videtur de fide introductoria locutum fuiſſe, cum dixit, *Deum fidem nobis, & amorem ſui inſpirare, ut cum ipſius adjutorio ea, quæ ſibi ſunt placita, implere poſſimus*. Et D. Proſper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 17. idipſum innuere videtur dicens: *Etiam nunc in extremis mundi partibus ſunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit, quibus menſura tamen generalis auxilii, quæ deſuper omnibus eſt hominibus præbita, non negatur*.

Dico 3. Quamvis revera Deus reprobis ſemel juſtificatis non conferat donum perſeverantiæ, ſine quo nemo ſalutem conſequitur, confert tamen illis auxilium ſufficiens, quo ſalvari poſſint.

Probatur. Ita ſe habet donum perſeverantiæ relate ad conſecutionem ſalutis, ſicut ſe habet gratia efficax relate ad ſalutarem operationem ponendam; quatenus ſicut ſine gratia efficaci nemo ſalutariter operatur, ita ſine dono perſeverantiæ nemo ſalutem conſequitur: atqui peccator deſtitutus gratia efficaci, ſi peccat omittendo operationem ſalutarem, non caret auxilio ſufficienti ad illam ponendam; aliter non peccaret illam omittendo, cum nemo peccet in eo, quod nullo modo cavere poteſt: ergo pariter deſtitutus dono perſeverantiæ, ſi peccat, & damnatur, non caret auxilio ſufficienti ad non peccandum; aliter non peccaret, nec damnaretur. Quare aliud eſt, quod reprobi, qui aliquando juſtificati ſunt, non recipiant a Deo donum perſeverantiæ; aliud eſt, quod non accipiant poteſtatem perſeverandi: primum eſt verum: ſecundum eſt falſum: Sicut verum eſt, quod peccans non habeat a Deo gratiam efficacem, qua datur velle, & perficere; falſum tamen eſt, quod non habeat a Deo poteſtatem ad bene operandum. Ubi advertendum cum Suar. loc. cit. cap. 6. aliud eſſe, quod ſit in hominis poteſtate facere, quod Deus ſibi tribuat gratiam efficacem, aut donum perſeverantiæ; aliud vero, quod in hominis poteſtate ſit, quod auxilium ſufficiens, quod datur ad bene operandum, & ad perſeverandum, ſit efficax, & ſic homo perſeveret. Primum quidem non eſt in hominis poteſtate, ſed in ſola divina diſpoſitione, ac libertate ſeligente auxilium prævifum efficax per ſcientiam conditionalium ex animo ſpecialiter benevolo conferente ipſam etiam bonam operationem, ac perſeverantiam: Secundum vero eſt in poteſtate hominis, quippe qui libere, & culpabiliter in vacuum recipit Dei gratiam ſufficientem.

Confirmatur ex Scripturis, Conciliis, & Patribus. Eccleſ. 8. dicitur: *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari*. 1. Corinth. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat*; ubi Apoſtolus, ut oſtendat hoc eſſe in poteſtate hominis, ſubdit: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis*. Similiter Concilium Arauſicanum cap. 25. habet: *Hoc ſecundum fidem Catholicam credamus, quod accepta per baptiſmum gratia, omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, omnia, quæ ad ſalutem pertinent, poſſunt, ac debent, ſi fideliter laborare velint, adimplere*. Et Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. damnat dicentes, Homini juſtificato impoſſibile eſſe ſervare præcepta, quibus obligatur. Sic etiam Auguſtinus pluribus in locis, præſertim lib. de corrept. & grat. cap. 11. docet, quod ſi juſto denegaretur auxilium ſufficiens ad non peccandum, & ad perſeverandum, non eſſet ipſi imputandum, quod caderet, & non perſeveraret, ſed Deo. Pariter Chryſoſtomus Homil. 16. ad Hebræos habet: *Habemus cooperatorem & adjutorem Deum, tantum velimus*. Et Leo Papa Serm. 16. de Paſſione dixit: *Jugiter admonemur, ut dona Dei negligenter non habeamus: juſte nobis inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio, & benigne incitat ad obedientiam, quæ ducit ad gloriam*.

Dico quarto: Deus fidelibus omnibus peccatoribus non denegat auxilium ſufficiens tempore opportuno conferendum, quo converti poſſint. Ita communiter contra Henr. Abulenſem, & alios apud Suar. de pœnit. ſect. 8. putantes, quod nonnulli poſt certum numerum peccatorum ita a Deo deſerantur, ut nec moraliter, nec phyſice poſſint e ſtatu peccati liberari, ob defectum auxilii ſufficientis in pœnam denegati.

Probatur, quia Tit. 2. dicit Apoſtolus: *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate:* 1. Jo. 2. dicitur: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius Mundi:* atqui ſi poſt aliquod peccatum Deus denegaret auxilium ad reſurgendum, Chriſtus D. non redemiſſet nos ab illo, nec illi propitia-

petiaretur: ergo. Pariter 2. Petr. 3. habetur: *Patienter agit Deus propter vos, nolens, aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam converti.* Quod ſi auxilium ad converſionem requiſitum alicui poſt aliquem peccatorum numerum denegaret, tunc profecto vellet illum perire, & nollet, ut convertatur. Quinimmo præceptum illi impoſitum, quod revertatur ad Dominum, eſſet fatuum, ac Deo indignum; non ſecus ac præceptum impoſitum homini pedibus deſtituto, quod currat; eſſet quippe de re impoſſibili. Hinc Trid. ſeſſ. 6. cap. 14. docet univerſim: *Qui ab accepta juſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus juſtificari poterunt.* Propterea Joelis 2. dicitur Deus eſſe *Præſtabilis ſuper malitia;* etenim nulli peccatori, qui ſit in via, denegat ex ſua miſericordia vires, quibus reſurgere poſſit.

Diximus tamen auxilia ad reſurgendum nunquam peccatoribus denegari, quamvis ea ſolum conferantur tempore opportuno: conſtat quippe experientia, peccatores non ſemper excitari auxiliis ad converſionem: & ideo ſolum diximus, quod Deus illa non deneget, quatenus non vult in pœnam ullius peccati ita combinare cauſas ſecundas tam neceſſarias, quam liberas, ut non poſſit occurrere hic & nunc aliqua opportunitas, qua peccator ad converſionem excitetur. Quod videtur expreſſiſſe D. Proſper ad objectionem 15. Vincent. dicens: *Nemini Deus correctionis adimit viam, nec quenquam boni poſſibilitate deſpoliat.* Idemque docet Auguſt. de bono perſev. cap. 15. & alibi. Et in hoc ſenſu intelligendum eſt Concilium Senonenſe in decretis fidei cap. 15. ubi habet: *Hæc tanta gratiæ neceſſitas libertati non repugnat, quia Deus ſemper in promptu eſt, & nec momentum præterit, in quo non ſtet ad oſtium, & pulſet*, quatenus ſingulis momentis paratus eſt quantum eſt ex ſe pulſare. Et in hoc etiam ſenſu dixit Hieron. epiſt. ad Cteſiphontem: *Non mihi ſufficit, quod ſemel donavit, niſi ſemper donaverit.* Quod ſi opportunitas ex combinatione cauſarum ſecundarum conſurgat, v. gr. quia tonitru, aut terræmotu, aut tribulatione peccator ad pœnitentiam excitatur, vel quia a concionatore, aut ab aliorum exemplis ad id commovetur, tunc Deus confert auxilium ſufficiens ad converſionem ſupernam: & ideo Pſalm. 9. dicitur: *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.*

Non ſolum autem eſt verum, quod non deneget auxilium ad reſurgendum poſt quodvis peccatum, quatenus nunquam directe impedit concurſum cauſarum ſecundarum, ne conſurgat opportunitas aliqua, ex qua poſſit excitari peccator ad reſurgendum; ſed etiam directe confert unicuique poſt quodvis peccatum poteſtatem aut proximam, aut ſaltem remotam, vi cujus poſſit ſe ad reſipiſcentiam diſponere, ut docent communius apud Suar. diſp. 8. de Pœnit., quatenus vel confert auxilium ſupernaturale, quo peccator proxime poſſit de peccato dolere, vel confert auxilium ſupernum, quo excitetur ad orationem, ad eleemoſynas, ad jejunia, & ſic diſponatur ad obtinendum auxilium, quo deinde poſſit de peccato dolere. Hanc Dei miſericordiam erga peccatores ſuadet univerſalis Chriſti redemptio, non ſolum relate ad omnes perſonas, ſed etiam relate ad quodcunque peccatum, necnon benigniſſima Dei clementia, qui apud Iſaiam 49. dixit: *Nunquid oblivi ſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non oblivi ſcar tui*: quæ verba non ſolum denotant, quod Deus non deneget peccatori auxilium ad reſurgendum poſt quodvis peccatum, non impediendo opportunitates, in quibus excitetur; ſed etiam denotant, quod directe eum ſua providentia, & miſericordia excitet, ſive proxime, ſive ſaltem remote ad pœnitentiam. Quod pariter innuunt verba laudata Tridentini dicentis, univerſim poſſe rurſus juſtificari eos, qui per peccatum a gratia exciderunt. Quomodo autem id poſſent, niſi Deus conferret illis poteſtatem ſaltem remotam?

Opponitur, quod Jeremiæ 41. dicatur: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Et Eccleſ. 7. *Conſidera opera Domini; quia nullus poteſt corrigere, quem ipſe deſpexerit.* Et Pſalm. 8. *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis.* Quod pariter videntur docere Sancti Patres: Nam Auguſtinus in inchoata expoſitione Epiſtolæ ad Romanos propoſitione 62. docet, Pharaonem ita fuiſſe a Deo deſertum, ut jam impœnitentia non amplius ei deputaretur ad culpam, ſed ad pœnam. Idemque docuit Gregorius l. 31. Moral. cap. 11. & Iſidorus lib. 2. de ſummo bono cap. 15. habet: *Nonnulli ita deſpiciuntur a Deo, ut non poſſint mala plangere, etiamſi velint.* Et quod poſt aliquem peccatorum numerum Deus aliquos omnino deſerat, videtur colligi ex verbis illis Amos 1. *Hæc dicit Dominus, ſuper tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum.* Et de facto Deus miraculoſe multos interfecit actualiter peccantes, alioſque vivos in infernum detruſit; unde non ſemper poſt

quod-

quodvis peccatum confert peccatori poteſtatem ſaltem remotam ad reſurgendum.

Reſpondeo cum Suario loco laudato, in tantum dici, quod nonnulli a Deo deſerantur, & quod converti non poſſint, in quantum non confert illis Deus gratiam aliquam uberiorem, & extraordinariam, qua indigerent ad ſuperandam difficultatem, qua laborant, ad reſurgendum; & idcirco moraliter converti non poſſunt, quamvis non deſit illis phyſica ſufficientia ſaltem remota; quam dicendum juxta hanc ſententiam non denegari a Deo Patre miſericordiarum, etiam relate ad illos, qui interficiuntur, dum actualiter peccant. Diximus etiam in expoſitione theſis quartæ ex Auguſtino, & Cyrillo, quod obdurati in eo etiam ſenſu dicantur in Sacris Bibliis non poſſe corrigi, & converti, quia nolunt; ita ut impotentia ſit conſequens ad eorum pervicacem voluntatem, non antecedens, ſeu libertatis everſiva ex defectu auxilii requiſiti ad ponendam ſalutarem pœnitentiam.

Denique quod attinet ad infantes, in tertia objectione jam explicavimus, quomodo providerit iis omnibus Deus de remedio ad ſalutem; ita ut nunquam verum ſit, per Deum ſtare, quominus tale remedium iis applicetur: Sicut enim in poteſtate adultorum eſt, quod bene utantur auxiliis ſibi præſtitis, quibus poſſint ſalutem ſibi comparare: ita in poteſtate Parentum eſt, quod pro infantibus ſuæ curæ commiſſis opem a Deo expoſcant, & obtineant, ut ſine baptiſmo nunquam illi decedant: unde Parentum culpis, aut defectui orationum aſcribendum videtur, quod aliqui infantes antequam baptizari poſſint, moriantur, non vero ſoli concurſui cauſarum ſecundarum, quem Deus naturæ proviſor impedire non tenetur.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXX.

TRrigeſima affinis duodecimæ, ac decimætertiæ tradit, infallibiliter ſalvari omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum; perinde quaſi Deus non vellet omnes omnino homines per merita Chriſti Domini ſalvos fieri; adeo ut per ipſum ſtet, quominus Reprobi ſalventur, eo quod nolit ipſos ſalvari, nec illis ob Chriſti merita conferat gratiam, qua ſalutem conſequi poſſint; unde poſſit iis exprobrari illud Oſeæ 13. *Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum*. Et ſane, ſi Deus nollet animas Reproborum ſalutifero pharmaco pretioſiſſimi Sanguinis Chriſti Domini curare, & auxiliaribus gratiis illas munire, ut in manu propriæ voluntatis eſſet ſalus conſequenda, quomodo diceretur Jerem. 51. *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam?* Quare Deus omnium omnino ſalutem exoptat; & ad illam comparandam omnibus contulit vel proxime, vel ſaltem remote auxilia ſufficientia, relinquendo tamen in uniuſcujuſque arbitrio, ut iis utatur ad finem intentum, aut ea negligat in propriam perniciem; ut dicitur Eccleſ. 5. *Ante hominem vita, & mors: quod placuerit, dabitur illi.* Ubi pariter diſerte admonemur, non eſſe voluntati divinæ aſcribendum, quod Reprobi non ſalventur, verbis illis: *Non dixeris, Per Deum abeſt.* Etenim, ut advertit Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. & communiſſime Patres docent ex Apoſtolo ad Hebr. 10. *Deus non deſerit, niſi deſeratur.*

PROPOSITIO XXXI.

Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat. *Queſn. Jo. 6. 40. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Iterum iterumque Queſnellus de medio tollit Gratiam ſufficientem. II. Fit palam, deſideria Chriſti Domini non ſemper ſortiri effectum ſuum. III. Chriſtum non ſemper fuiſſe voti compotem, oſtendit verbum illud in Cruce prolatum, Sitio. *IV. Sicut etiam verba illa,* Pater ignoſce illis. *V. Nec non amor, quo Chriſtus ſingulos dilexit, paratus pro ſingulis mortem oppetere. VI. Chriſti deſideria aliquando fuerunt efficacia ſimpliciter, aliquando vero ſolum quantum erat ex parte ſua. VII. Hinc Reprobis, quibus ſalutem Chriſtus exoptavit, collatum fuit auxilium ſufficiens. VIII. Nec ſolum ſufficiens ad ulteriorem effectum ſalutarem, ſed etiam ſufficiens ad ſalutem conſequendam.*

IX. Etiam pro Reprobis Chriſtus oravit, ſaltem oratione conditionata, ſi ſcilicet eorum ſalus ad Dei gloriam conferret; ut proinde ex defectu conditionis ea non fuerit abſolute exaudita. X. Nec dici poteſt, quod ea oratio fuerit fruſtranea: Ubi explicatur illud Auguſtini, quod Eccleſia, ſi noſſet Reprobos, pro iis non oraret. XI. Nil mirum, quod Chriſti deſideria non ſortiantur effectum ſuum, ſi ſint conditionata, & conditio non purificetur.

I. Vi-

I. VIdetur theſis igniculos injicere ad Redemptorem diligendum, quippe qui nihil magis in votis habet, quam ut ad ipſum accedamus, & reficiat nos laboribus defatigatos in hac vita, ut pacem, ac quietem nobis tribuat ſempiternam, dicens Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*; etenim ſi deſideria Chriſti ſemper fortiuntur effectum ſuum, & pacem intimo cordium infert, quando eam nobis optat, fieri nequit, ut hac pace privemur; cum conſtet illam Chriſtum de facto nobis uſque adeo concupiſcere, ut inceſſanter ad illam nos invitet verbis illis Jo. 7. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*; & Luc. 11. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut accendatur?* At ſubdolis verbis iſtis non admovet Auctor ſtimulos ad Redemptorem inveniendum, ac diligendum, ſed ab eo potius nos retrahit; dum contendit, Chriſtum Dominum ſolis Electis pacem intimo eorum cordium ſic exoptare, ut nunquam vota iſthæc ſuo effectu fruſtrentur, aliis vero nihil omnino aut optare, aut conferre; ut proinde defectum internæ pacis, & æternæ ſalutis uni Chriſto Reprobi poſſint aſcribere nullam de ipſis curam gerenti, non culpæ voluntatis propriæ. Quare juxta hanc theſim Deus non habet verum, ac ſincerum deſiderium de ſalute æterna eorum, qui non ſalvantur. Et iterum hic fraudulenter expungitur gratia ſufficiens, quæ ſæpe a Chriſto Domino noſtræ ſalutis cupidiſſimo nobis confertur, ut illi cooperemur, & ad ipſum accurramus, qui verba vitæ æternæ habet, & pacem, quam nobis optat, inferret, ſi vocationi annueremus; & quoniam peccatores renuunt, ideo inquietum remanet cor eorum, ita ut digni ſint deriſione, & ſubſannatione, ut dicitur Prov. 1. *Quia vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas deſpexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo.*

II. Iterum itaque adverſus hanc blaſphemiam inſurgendum, ac demonſtrandum, Chriſtum Dominum non Electorum duntaxat, ſed omnium omnino ſalutem deſiderare; atque adeo omnibus viam ſalutis oſtendere, ac per illam manuducere, conferendo etiam vires ad ambulandum, quin etiam ad currendum, omnibus etiam offerre, & valde exoptare intimo cordium pacem; quamvis innumeri abhorrentes ab arcta via, quæ ducit ad vitam, declinent ad latam, & ſpatioſam, quæ ducit ad perditionem, nec intimam cordis pacem, quam Chriſtus optat, obtineant, ſed luctuoſam luctationem, & pugnam; ſiquidem, ut loquitur Auguſt. *Inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

Et ſane in ſacris Bibliis paſſim ardens hoc deſiderium Chriſti Domini exprimitur, ut omnes omnino ad viam ſalutis perducantur. 1. Jo. 2. dicitur: *Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*: Si Chriſtus Dominus tanquam Advocatus ſuſcipit omnium omnino delinquentium cauſam, non quidem ad excuſanda delicta, ſed ad veniam obtinendam ob ſatisfactionem ſuperabundantem, & copioſam redemptionem ab ipſomet præſtitam, quomodo ſomniare poterit Queſnellus, quod non optet nobis pacem cum Deo graviter offenſo? quæ tamen ſæpe non tribuitur peccatori, non quia renuat Deus placari, ſed quia peccator renuit illum placare. Iſaiæ 53. dicitur: *Poſuit in eo Dominus iniquitatem omnium noſtrum. Et ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit.* Si noſtrum omnium iniquitatem tulit, offerendo pretium magnum redemptionis pro omnibus; ſi pro tranſgreſſoribus etiam rogavit, ut a captivitate peccati liberarentur, quomodo non optavit etiam omnium ſalutem, & ut ſanguis pretioſiſſimus omnibus prodeſſet? Quod tamen non omnibus prodeſt, non quidem ex defectu pretii pro omnium redemptione ſoluti, neque ex defectu auxilii omnibus collati, ne per Deum ſtaret, quin omnes redimerentur, cum ex Apoſtolo velit omnes ſalvos fieri; ſed ſolum ex defectu arbitrii nolentis auxilio præſtito cooperari.

III. Confirmatur; quia Chriſtus D. dicens in Cruce, *Sitio*, ut omnes Eccleſiæ Patres exponunt, ardentem ſitim ſignificavit, quam habebat de ſalute etiam reproborum, quam tamen non ſunt adepti; Si enim ſolum exoptaſſet ſalutem electorum, jam fuiſſet ſitis expleta; Unde non diceretur Pſ. 68. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto*; quod Auguſtinus ita interpretatur: *Fidem illorum deſideravi, & vetuſtatem inveni*; Et in Pſal. 68. *Cum diceret, Sitio, fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Sed illi homines quid propinarunt ſitienti? Acetum: Acetum enim vinum vetus dicitur. Merito de vetere homine propinarunt, qui novi eſſe noluerunt.* Similiter D. Th. in cap. 19. Jo. lect. 5. *Per hoc, quod dicit, Sitio, oſtendit mortem ſuam eſſe veram, non phantaſticam; Item oſtenditur ejus ardens deſiderium de ſalute generis humani*; 1. *Timoth.* 2. *Vult omnes homines ſal-*

vos

vos fieri; *Lucæ* 19. *Venit Filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat. Vehemens autem deſiderium conſuevimus exprimere per ſitim: Pſal.* 43. *Sitivit anima mea ad Deum vivum.* Et Drogo Oſtienſis ſerm. de ſacr. Domin. paſſ. tom. 2. Bibliothecæ Patrum advertit, amaritudinem ſitis Chriſto fuiſſe amariorem ipſa Cruce ob reproborum damnationem; dicit enim: *Domine quid ſitis? ergone plus cruciat ſitis, quam crux? de cruce ſiles, & de ſiti clamas, ſitio. Quid? Veſtram fidem, veſtram ſalutem.* Et Div. Gregorius in Pſalm. 4. pœnit. *In cruce poſitus ſitiebat, & pœnitentiam peccantium, & fidem exoptabat perfidorum; ſed vinea Domini Sabaoth in Patribus a Deo plantata, & doctrinæ aratro, & verbi ligonibus per manus Prophetarum exculta, noviſſime in amaritudinem verſa, dum ei vinum lætitiæ ferre debuit, feralis invidiæ acetum porrexit.*

IV. Confirmatur ulterius, quia Chriſtus D. non ſolum oravit pro electis, ſed etiam pro reprobis; quorum tamen ſalutem ita optavit, ut non fuerit voti compos; unde fit, deſideria Chriſti non ſemper habere effectum ſuum. Aſſumptum negabatur a Calvinianis, qui ſic arguebant cum Beza apolog. 2. contra Catholicos: *Chriſtus pro ſolis electis oravit, ergo pro ſolis electis mortuus eſt:* Ubi ex oppoſito arguebant Catholici: *Chriſtus pro omnibus omnino oravit, ergo pro omnibus omnino mortuus eſt:* Quamvis enim non ſemper fuderit orationem pro omnibus, ſed aliquando pro ſolis electis, ut quando Jo. 17. dixit: *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi:* fudit tamen aliquando etiam pro reprobis, præſertim illis verbis: *Pater ignoſce illis.* Quod diſerte docuit Auguſtin. ſerm. 4. de Sanctis dicens: *Quando in cruce pendens orabat, videbat, & prævidebat omnes inimicos, ſed multos ex illis futuros amicos prævidebat, & ideo omnibus veniam poſtulabat. Illi ſæviebant, & ille orabat: Illi dicebant Pilato, Crucifige; & ille clamabat, Pater ignoſce illis.* Cum dicat S. Doctor, quod Chriſtus prævidebat omnes inimicos, & ſolum multos ex illis prævidebat fore amicos, & quod omnibus veniam poſtularet, manifeſte colligitur, quod etiam oraret pro reprobis, qui nunquam eſſent veniam obtenturi. Quod non obſcure pariter dixit Serm. 570. de Tempore, verbis illis: *Hic jam attende Magiſtrum, & Dominum tuum, non in Cathedra ſedentem, ſed in Cruce pendentem, circumſpectis undique turbis inimicorum, & dicentem: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Quod autem non omnes turbæ inimicorum, quas circumſpiciebat, & pro quibus Chriſtus oravit, converſæ ſint ad pœnitentiam, conſtat tum ex eodem Auguſt., qui ſerm. 7. de verb. Domini cap. 11. habet: *Multi eorum, ſedato furore, tanquam phreneſi oppreſſa, cognoverunt Deum, & cognoverunt Chriſtum:* tum etiam quia etiam oravit pro Principibus Sacerdotum, quos nunquam ſui ſceleris pœnituit, ut advertit S. Leo ſerm. 4. de Paſſione, dicens: *Paſſionem Dominus Jeſus ita ad omnium hominum ſuſcepit ſalutem, ut inter clavos, quibus ligno tenebatur affixus, pro interfectoribus ſuis Paternæ clementiæ ſupplicaret, & diceret, Pater ignoſce illis. Principes autem Sacerdotum, quibus veniam Salvator petebat, ſupplicium crucis irriſionum aculeis aſperabant.*

V. Confirmatur demum ex charitate vere divina, qua Chriſtus D. mortem oppetiiſſet pro unoquoque hominum, ſi ad ejus duntaxat ſalutem fuiſſet neceſſaria; quod videntur innuere verba Apoſtoli Galat. 2. *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum propter me.* Ubi Chryſoſt. advertit, ingentem Chriſti dilectionem ita reſpexiſſe ſalutem totius mundi, ac uniuſcujuſque noſtrum, dicens: *Declarat, hoc quoque par eſſe, ut quiſque noſtrum non minus agat gratias Chriſto, quam ſi ob ipſum ſolum adveniſſet. Neque enim recuſaturus erat, vel ob unum, tantam exhibere diſpenſationem, adeo ſingulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem univerſum.* Quare cum dilectio ſingulos homines reſpiceret, tam ex Electis, quam ex Reprobis, ſequitur, quod ſingulis ſalutem exoptarit, quamvis non ſinguli illam aſſequuti ſint. Unde pariter ſequitur falſitas hujus theſis, quod ſemper Chriſti deſideria ſortiantur effectum ſuum; non quidem ex eo, quod hujuſmodi Chriſti deſideria poſſint eſſe inania, & vacua, & ex parte ſua ullatenus inefficacia; ſed quia effectum non ſortiuntur, ex eo quod auxilium nobis oblatum, & collatum culpabiliter reſpuamus, & nos gratiæ deſimus, non gratia nobis.

VI. Ex quibus colligitur primo, deſideria Chriſti aliquando fuiſſe efficacia ſolum quantum eſt ex parte ſua, aliquando fuiſſe efficacia ſimpliciter: Relate ad Electos fuerunt efficacia ſimpliciter, cum relate ad illos Chriſtus fuerit omnino voti compos: At in ordine ad Reprobos fuerunt ſolum efficacia quantum ad ſe ſpectat; cum enim optarit illis bonam operationem liberam, & gloriam ut coronam, contulit illis quicquid ad ſe ſpectat, ut poſſent ea obtineri, videlicet gratiam ſufficientem; ſed nec bona operatio a reprobis ponitur, nec ſalus in præmium ab iis obtinetur, quia gratiæ illi obluctantur.

VII.

VII. Colligitur ſecundo, ex ardentiſſimo Chriſti deſiderio, quod omnes ſalventur, aperte demonſtrari, quod Reprobis detur auxilium ſufficiens ad ſalutem obtinendam: tum quia ſi denegaſſet illis tale auxilium, ſalus, quam illis optaret, redderetur impoſſibilis: abſonum tamen eſt aſſerere, quod Chriſtus D. optaret ſalutem Reproborum impoſſibilem: tum etiam quia deſideria iſthæc relate ad Reprobos eſſent inutilia, nec gratiarum actionem mererentur, ſi negarentur illis vires ad obtinendam ſalutem a Chriſto iis exoptatam; non ſecus ac inutile, & vanum fuiſſet Chriſti deſiderium, quod dæmones ſalvarentur, ſi iis denegaſſet auxilium ad ſalutem conſequendam.

VIII. Colligitur tertio, inanem eſſe quorundam Neotericorum Janſenianorum doctrinam dicentium, Deum ſæpe dare gratiam ſecundum ſe præciſe ſufficientem ad ulteriorem effectum ſalutarem, quin tamen Deus in talibus circumſtantiis deſideret, vel intendat ulteriorem illum effectum, nedum ſalutem reprobi. Hinc enim manifeſte conficeretur, Deum non habere verum, ac ſincerum deſiderium de æterna ſalute eorum, qui non ſalvantur; quod divinæ bonitati eſt injurioſum, & auctoritatibus Sacræ Scripturæ, ac Sanctorum Patrum, quas hactenus adduximus, plane adverſum.

IX. Opponunt Janſeniani primo, quod Chriſtus Dominus dixit loco laudato Jo. 17. *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi*: ideſt, ut Auguſtinus interpretatur tr. 107. in Jo. *non pro reprobis, ſed pro Prædeſtinatis*. ergo Chriſtus Dominus non optavit ſalutem niſi electorum; unde ſemper Chriſti deſideria habent ſuum effectum: Si enim Chriſtus pro reprobis oraſſet, profecto ſalvarentur, quia ſemper Chriſti oratio exaudita eſt; dicitur enim Jo. 11. *Ego ſciebam, quia ſemper me audis*.

Confirmatur, quia in tantum Eccleſia orat univerſim pro omnibus, quia ignorat quinam ſint reprobi; ſi enim non ignoraret, pro iis preces non funderet; ergo cum Chriſto Domino innoteſcerent reprobi, pro iis orare non poterat. Antecedens ſuadetur ex Auguſt. qui lib. 21. de Civit. cap. 24. habet: *Si de aliquibus ita Eccleſia certa eſſet, ut qui ſunt illi etiam noſſet, qui licet in hac vita ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipſo; ſed quia de nullo certa eſt, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis ſuis in hoc corpore conſtitutis, nec tamen pro omnibus exauditur*. Ratio cur non debeant preces fundi pro iis, qui certe ſunt in numero reproborum, ſicut nec funduntur pro diabolo, quia eſſent fruſtraneæ.

Reſpondeo: quamvis Chriſtus Dominus non oraverit tunc pro reprobis, ſatis tamen eſt, quod alias pro reprobis oraverit, ut verum ſit, quod Chriſti deſideria non ſemper effectum ſuum ſortita ſint ex noſtra culpa, ac renitentia: Oravit autem pro reprobis, quando in Cruce dixit, *Sitio*: quando dixit *Pater ignoſce illis*, ut oſtendimus; quod Iſaiæ 53. prænunciatum fuit verbis illis: *Ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogavit*. Et aliquando etiam oravit pro ſolis fidelibus tam electis, quam reprobis, ut quando dixit loco laudato Jo. 17. *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me*. Deinde nonnulli putant cum Suario 3. par. diſp. 41. ſect. 2. Chriſtum Dom. in eo ſermone diverſimode oraſſe, petendo ſcilicet pro reprobis gratias ſufficientes; pro iis vero, qui crediturі erant, gratias uberiores; & pro Apoſtolis, ac aliis Electis gratias efficaces. Angelicus 3. p. qu. 21. art. 4. ad 2. docet, Chriſtum Dom. ſolum oraſſe pro Prædeſtinatis; Quod tamen explicat Cajetanus dicens, orationem Chriſti pro prædeſtinatis fuiſſe orationem ſimpliciter dictam explicativam ſuæ voluntatis deliberatæ: orationem vero, quæ explicabat quandam velleitatem (ſicut quando oravit, ut tranſiret a ſe calix paſſionis) fuiſſe orationem ſecundum quid. Quare licet pro reprobis Chriſtus D. non oraſſet oratione ſimpliciter dicta, hinc non fit, quominus habuerit ſincerum affectum ſalutis reproborum, & pro iiſdem ſuam mortem obtulerit. Itaque ad id, quod additur in argumento, dicendum, quod ſicut voluntas divina de noſtra ſalute eſt duplex, altera efficax ſolum quantum eſt ex parte ſua, altera vero efficax ſimpliciter; hæc autem nunquam fruſtratur, ſecus vero illa, ut alias explicavimus: ita duplex fuit Chriſti oratio; altera efficax, & abſoluta, de qua tantum dicitur, quod ſemper exauditus eſt; altera vero quadantenus inefficax, & conditionata, ſicut quando oravit, ut tranſiret a ſe Calix Paſſionis; oravit ſiquidem conditionate, ſi ſcilicet eſſet poſſibile juxta fines altiſſimos divinæ providentiæ; & hujuſmodi oratio poterat carere effectu deſiderato ex defectu conditionis appoſitæ. In hoc autem ſenſu dici etiam poteſt, quod Chriſtus oraverit pro reprobis, ut ſalvarentur, & gratiæ iis efficaces, quantumvis indebitæ, conferrentur, ſi fieri id poſſet conformiter ad finem ſublimiſſimum manifeſtandi gloriam Dei. Quoniam autem ad gloriam divinam non ſpe-

ſtabat, ut omnes ſalvarentur, idcirco defuit, quod Chriſtus ſub ea conditione orabat, & exoptabat. Quibus adde, negari non poſſe, quod Chiſtus D. Patrem oraverit pro ſalute plurium aliorum præter Apoſtolos, & eos qui poſtea crediturí erant per verbum ipſorum, puta pro bono Latrone, pro Joſepho ab Arimathæa, pro Nicodemo, pro ipſo Apoſtolo Paulo, qui omnes vel jam credideránt, vel crediturí erant in Chriſtum, non per verbum Apoſtolorum, ut advertit Auguſtinus tract. 109. in Joan. Denique quamvis Chriſtus D. nunquam determinate pro reprobis oraſſet, non propterea fit, quod eorum ſalutem non exoptarit, aut pro illis mortem ſuam non obtulerit Patri: cum in fidei Symbolo dicatur propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendiſſe de Cœlis, Crucifixus etiam pro nobis, & quidem indiſcriminatim, atque adeo tam pro electis, quam pro non electis.

X. Ad confirmationem: Sicut non fruſtranee Chriſtus oravit, ut calix a ſe tranſiret, quamvis ſciret illum non fore tranſiturum, quia oratio erat inefficax, & conditionata, & ſolum exprimebat ſimplex ejus deſiderium: ita non fruſtranee Chriſtus oravit pro reprobis oratione tantum conditionata, & inefficaci, exprimens deſiderium, ut omnes ſalventur; quod tamen non erat ſimplex, ſed efficax, quantum ad ſe ſpectabat: Et quamvis prænoſceret Chriſtus Dominus, quod conditio in utroque caſu non eſſet purificanda, adhuc orare potuit, quia oratio non regulabatur ab illa cognitione conditionis non purificandæ. Auguſtinus optime docet, quod non debeamus orare pro eo, quem certe ſciremus propter ſua peccata damnandum, ſicut nec pro diabolo: quia poſt decretum damnationis a Deo juſte latum, non debemus ab eo petere, ne fiat ſua juſtiſſima voluntas. Poſſumus tamen optare, ac petere a Deo, ut omnes ſalventur; etenim ut notat Angelicus 1. p. q. 23. art. 8. ad 1. & 3. p. q. 24. art. 2. in Reprobatione, ſicut etiam in Prædeſtinatione, duo ſunt conſideranda, & Actus divinus, & ejus effectus; preces Sanctorum nullatenus conferre poſſunt relate ad actum divinum reprobativum, aut prædeſtinativum, poſſunt tamen conferre relate ad ejus effectum, ſicut etiam ad id conferre poſſunt noſtræ operationes; propter quod dicitur 2. Petr. 1. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis:* Poſſumus itaque ex affectu charitatis optare, ac orare, ut omnes ſalventur, ſi Deo placuerit, & quatenus poſſet id conducere ad finem ſuæ ſupernæ Providentiæ. Ubi adverte, Auguſtinum ibi diſputare adverſus eos, qui contendebant, damnatos in die Judicii fore liberandos a pœnis Inferni per orationes Sanctorum; & hunc errorem inſectabatur, dicendo, quod Sancti nunquam pro damnatis orant, ſicut nec pro diabolo; Cum quo bene ſtat, quod poſſimus deſiderare, ne diabolus peccaſſet, & damnatus fuiſſet; necnon etiam orare, ne reprobus peccatis coinquinetur, & damnetur: Sicut enim Prædeſtinatus poteſt peccare, & ſi peccaret, ſuam prædeſtinationem impediiſſet; ita reprobus poteſt ſub auxiliis ſufficientibus bene operari, & ſi bene operaturus eſſet, ſuam reprobationem impediviſſet; Quando autem conſtat, quod illam non ſit impediturus, adhuc poſſumus orare oratione inefficaci, & conditionata, ut Deus illi conferat auxilia efficacia quibus ſuam reprobationem impediat; nec hujuſmodi oratio eſt fruſtranea, quippe quæ eſt orta ex affectu charitatis, nec eſt de objecto impoſſibili, ut patet: aliud enim eſt, quod certo non ſit impediturus ſuam reprobationem, per hoc quod certo ſit male operaturus: aliud vero quod non poſſit bene operari; unde poſſit ſuam reprobationem impedire: Ad eum modum quo D. Petrus, ſuppoſita prævia illa revelatione, certo negaturus erat Chriſtum, poterat tamen illum non negare in ſenſu diviſo; quatenus ſi non negaſſet, non fuiſſet in Chriſto D. præſcientia de tali negatione, & ſic nec præceſſiſſet ea revelatio. Propterea D. Bonav. in 1. diſt. 46. qu. 1. docuit: *Si quis ſciret aliquos eſſe præſcitos, quamvis quantum eſt in ſe deberet eos velle ſalvari, non tamen voluntate abſoluta:* quandoquidem poſſumus velle, ut auxiliis gratiæ conſentirent, & non damnarentur, non poſſumus tamen abſolute velle, ne fiat juſtiſſima Dei voluntas erga illos, quos vult in æternum punire ob eorum delicta.

XI. Opponunt ſecundo, videri abſonum, quod Chriſtus aliquid optet, & non obtineat; quod oret, & non exaudiatur; ergo ſemper Chriſti deſideria ſuum effectum ſortiuntur. Antecedens conſtat, quia in manibus Chriſti Domini eſt ipſa Divina Omnipotentia: Unde Jo. 13. dicitur: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*; quis autem dixerit, quod qui poteſt omnia, aliquid velit, & illud non conſequatur?

Reſpondeo, quod ſicut Deus ipſe vult omnes homines ſalvos fieri; & tamen non omnes ſalvantur, quia vult ſalutem omnium dependenter ab illorum voluntate; ita Chriſtus poteſt ſecundum humanam ſuam voluntatem aliquid velle, & orare pariter conditio-

tionate ; & in tali caſu non purificata conditione fruſtrari poteſt fine intento : Quare hoc pacto Chriſtus Dominus vult ſalutem reproborum , videlicet ſi conſentiant auxilio gratiæ ſufficienti ; cum autem conſentire renuant , idcirco ſalus a Chriſto conditionate volita non obtinetur . Quod docuit Angelicus in cap. 17. Jo. lect. 2. his verbis: *Dicendum , quod Chriſtus , quantum eſt de ſe , pro omnibus oravit , quia oratio ſua , quantum eſt de ſe , efficax eſt , ut valeat toti mundo , ſed tamen non in omnibus ſortitur effectum , niſi in Sanctis , & Electis Dei , & hoc propter impedimentum mundanum.* Itaque licet veriſſimum ſit, quod deſideria Chriſti efficacia ſimpliciter ſemper ſuum habeant effectum, cum ſint abſoluta ; ac ſemper pacem intimo cordium inferat , quando eis illam optat abſolute : non tamen ſi deſideria iſthæc ſint conditionata , ſeu dependenter ab humana voluntate , quæ velit auxilio ſufficienti conſentire : tunc enim ſolum ſunt efficacia quantum eſt ex parte Chriſti , quatenus confert ſufficientiam , ut poſſit a nobis poni effectus ab ipſo concupitus .

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXXI.

TRigeſimaprima non abſimile virus eructat, dum docet , deſideria Chriſti ſemper habere effectum ſuum , pacemque interno cordium afferre , dum eis illam optat . In præcedenti theſi dicebantur infallibiliter ſalutem conſequi omnes , quos Deus vult ſalvare ; ac proinde cum reprobi non ſalventur , ſequitur , quod Deus noluerit eorum ſalutem. In hac vero dicuntur deſideria Chriſti ſemper habere effectum ſuum : ex quo pariter fit , quod cum reprobi non ſalventur , nec Chriſtus deſideraverit eorum ſalutem. Quare juxta Queſnellum nec Deus voluit, nec Chriſtus optavit, ut reprobi ſalutem aſſequerentur: Cum tamen de fide ſit, Deum velle omnes homines ſalvos fieri , & Chriſtum dediſſe redemptionem ſemetipſum pro omnibus , ut habetur 1. ad Timoth. 2. Et 1. Timoth. 4. dicitur : *Qui eſt Salvator omnium , maxime Fidelium* , ut ex hac reſtrictione denotetur, Chriſtum etiam infidelium eſſe Salvatorem , quantum eſt ex ſe , licet fideles (etiam reprobi) magis fructum redemptionis participent : Et ex Auguſtino , D. Thoma , & aliis Chriſtus Dominus dum dixit in Cruce , *Sitio* , oſtendit ardens deſiderium de ſalute etiam reproborum , quod tamen quia expletum non fuit , idcirco dictum eſt Pſal. 68. *In ſiti mea potaverunt me aceto*. Hæc itaque Janſeniani reponunt Chriſti amori erga homines, negando, quod omnium ſalutem exoptarit, ac negando, quod pacem intimo cordium optet iis , qui illa carent : cum contendant pacem intimo cordium inferre iis omnibus , quibus illam optat .

PROPOSITIO XXXII.

Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine Primogenitos, ideſt Electos, de manu Angeli exterminatoris . *Queſnell. Gal. 3. 4. 5. 6. 7. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Pretioſiſſimo Chriſti Domini Sanguini , ac bonitati divinæ theſis hæc eſt valde injurioſa : Eaque non ſemel fuit proſcripta ; redolet quippe Calvinianos errores , ac refragatur doctrinæ Tridentini , docentis Chriſtum pro peccatis totius mundi ſanguinem fudiſſe .

II. Inanis eſt triplex Janſenii eluſio .

III. Commentitium eſt , quod Chriſti mors reprobis non proſit , cum obtinuerit illis poſſe ad arbitrium conſequi ſalutem .

IV. In quonam ſenſu Chriſti Sanguis poſitus eſt in multorum ruinam ? V. Auguſtinus paſſim expreſſit , Chriſtum pro omnibus omnino mortuum eſſe .

VI. Quomodo verum ſit , quod Chriſtus Dominus luerit pœnas pro peccatis Reproborum .

VII. Explicatur ſenſus Scripturarum , quæ adverſus hanc Catholicam veritatem objectantur .

VIII. Hinc fit , Chriſti mortem etiam Reprobis profuiſſe ; Electis tamen profuiſſe ſpeciali modo ; ac poſſe quemlibet cum Apoſtolo dicere : Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.

I. VErba hujus Theſis ad decipiendum ſunt affabre idonea , dum Chriſti Salvatoris nimiam erga homines charitatem ſub oculos ponunt, qui dilexit nos , & tradidit ſemetipſum pro nobis ; ac pretioſiſſimo ſuo ſanguine ſignans poſtes (nempe introitum in hanc vitam , & ex hac vita exitum) ſuorum Primogenitorum , hoc eſt Electorum, liberavit illos de manu Angeli exterminatoris . Quid ad devinciendos animos Chriſtifidelium erga ſuum Liberatorem vividius exprimi poterat ? At horret animus recolendo injuriam attrociſſimam , quæ ſubdole pretio

tio noſtræ Redemptionis verbis contumelioſis hujuſce Theſis irrogatur; dum enim ſplendide dicitur Sanguis Chriſti Domini liberaſſe Electos a ſuppliciis ſempiternis, refricatur vulnus cordi amantiſſimo Redemptoris non ſemel ab Heterodoxis inflictum, quod ſcilicet unis Electis poculum Dominicæ Paſſionis propinatum ſit, illiſque duntaxat profuerit; Reprobi veto nullum inde auxilium reportarint, quo etiam ipſis, ſi vellent, integrum eſſet excidium declinare. Quod uſque adeo Divinæ bonitati derogat, uſque adeo diviniſſimæ Redemptoris charitati erga unumquemque noſtrum eſt injurioſum, ut Innocentius Decimus volens quintæ Janſenii theſi idem virus eructanti ſuam ſpecialem notam inurere, dixerit, Theſim illam, qua dicebatur, (*Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*) *eſſe falſam, temerariam, ſcandaloſam; & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit, eſſe impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam*; ac ſub his omnibus Theologicis cenſuris illam proſcripſerit. Et Alexander Septimus theſes iſtas Janſenianas in ſenſu ab eodem Janſenio intento damnatas fuiſſe definivit, ac declaravit, & uti tales iterum in ſua Conſtitutione anno 1656. damnavit. Conſtat autem Janſenium docuiſſe, quod Chriſtus non ſit pro omnibus mortuus. Siquidem to. 1. lib. 2. c. 21. hæc habet: *Nec enim juxta doctrinam Antiquorum pro omnibus omnino Chriſtus mortuus eſt, aut pro omnibus omnino tam generaliter ſanguinem fudit? cum hoc potius, tanquam errorem a fide abhorrentem, doceant eſſe reſpuendum.* Quare juxta hunc ſenſum jure merito theſis illa confixa fuit. Poſt hanc autem clamoroſam condemnationem, qua Janſenianorum aures tinniere, quiſnam auderet amplius eam ex inferis exuſcitare? & tamen in hominum perniciem iterum a Janſenii fautoribus edocebatur, & non clanculum, mutato tantum verborum ſono, non tamen peſtifero ſenſu: ut opus fuerit Alexandrum Octavum iterum de cœlo Vaticani tangere, ac proſcribere quartam illam Theſim, quæ habet: *Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus*; quamvis enim in ea dicatur, quod Chriſtus Dominus non pro ſolis Electis, ſed pro Fidelibus omnibus, etiam Reprobis, ſanguinem fuderit; nihilominus cum dicatur etiam, quod pro ſolis Fidelibus obtulerit Patri pretium Redemptionis, nempe ſeipſum; ſuum ſanguinem, & animam ſuam, beneficium ingnens hominibus collatum ita extenuatur, ut non effugiat hæc etiam theſis notas quintæ illi Janſenianæ theſi ab Innoc. X. inuſtas. Porro jurares, quod Janſeniani tot validis ictibus perculſi obmutuerint; At iterum in hac theſi caput hoc Hydræ non multo poſt tempore repullulans oportuit contundere. Faxit Deus, ut peſtiferum hoc virus ſit prorſus extinctum; ejus quippe ſunt indolis hæreſes, ut ad tempus tandem aliquando conſepeliantur, raro tamen pereant omnino. Ecce tibi in hac theſi dicitur, Chriſtus D. ſe morti tradidiſſe ad liberandos Electos. Quod autem implicite dicatur, ſe morti tradidiſſe pro ſolis Electis, mox oſtendemus in Anacephalæoſi. Et ſane cum Queſnellus obſervationem hanc faciat ſuper Epiſt. ad Galat. in cap. 4. ubi dicitur, Deus miſiſſe Filium ſuum, ut eos qui ſub lege erant redimeret, inferre debebat, quod pro omnibus omnino redimendis Chriſtus ſit mortuus, non vero pro Electis duntaxat. At cum dicatur in hac theſi, quod Chriſtus ſe morti tradiderit ad liberandum Electos *pro ſemper*, inſinuatur error Janſenianus, quod Chriſtus meruerit Reprobis gratiam aliquam temporariam, ſed non finalem, & ad liberandos illos *pro ſemper*, ut meruit pro Electis.

Porro iſthæc hæreſis jam inde a Janſenii temporibus gladio Pontificio ter confixa, multo ante Janſenium ſuborta fuit. Calvinus quippe illam ipſi Auguſtino per ſummam calumniam aſcripſerat, & Calvino deinde Janſeniani ſubſcripſere; quamvis adverſum hoc Calvinianum aſſertum docuiſſet Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 2. quod *Cœleſtis Pater, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis Chriſtum Jeſum filium ſuum, cum venit plenitudo temporis, ad homines miſerit, ut & Judæos, qui ſub lege erant, redimeret, & Gentes, quæ non ſectabantur juſtitiam, juſtitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Hunc propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris, non ſolum autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi.*

II. Janſenius triplici reſponſione conatur doctrinam hanc Tridentini eludere; nulla tamen ipſarum temeritatis notam ſubterfugit. Primo enim docet lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 21. *Chriſtum dici ſe dediſſe Redemptionem pro omnibus, hoc eſt pro univerſa ſua Eccleſia, & conſequenter pro omnibus hominum generibus, Regibus, privatis, doctis, indoctis, & cujuſcunque conditionis.* Secundo in Apologet.* 1. Janſenius docet, pro omnibus Chriſtum mortuum eſſe ſolum *ſufficienter*,

non

non quod pro Reprobis etiam Sanguinem ſuum Patri obtulerit, ſed quod pro ſingulorum peccatis delendis par fuiſſet ejus ſanguis, ſi pro iis etiam voluiſſet pretium ſuæ paſſionis applicare. Tertio, quod ſit mortuus pro omnibus, quatenus ſuſcepit cauſam omnibus communem.

Sed nullius ſunt roboris tres iſtæ eluſiones. Siquidem Calvinus, & Lutherus, adverſus quos loquitur Tridentinum, non negabant in hoc triplici ſenſu Chriſtum pro omnibus ſanguinem fudiſſe pretioſiſſimum.

Ad primam itaque dico, quod communiter Sancti Patres doceant, Chriſtum pro omnibus, & ſingulis mortuum eſſe, ut diximus in theſi 12. & ideo Innocentius X. damnat theſim illam Janſenianam, quod non pro omnibus mortuus fuerit; & Alexander VIII. quartam illam theſim, quod pro omnibus, & ſolis Fidelibus ſit mortuus. Aliter quomodo diceretur 1. Jo. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius Mundi?* Quomodo diceretur 1. ad Timot. 4. *Qui eſt Salvator omnium, maxime Fidelium?* Præterquamquod ſi pro Reprobis Chriſtus non fuiſſet mortuus, neque poſſet ab iis exerceri actus fidei expreſſus in verbis Symboli Nicæni in Conciliis Conſtantinopolitano, Epheſino, & Chalcedonenſi approbati: *Credo in unum Dominum Jeſum Chriſtum, &c. qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, &c. Crucifixus etiam pro nobis:* Neque poſſet ab iiſdem exerceri actus Spei Theologicæ: quippe qui in Chriſti ſanguine pro nobis effuſo nititur, ut docet Auguſt. lib. Medit. cap. 14. ubi habet: *Omnis ſpes, & totius fiduciæ certitudo mihi eſt in pretioſo ſanguine ejus, qui effuſus eſt propter nos, & propter noſtram ſalutem;* quinimmo neque Prædeſtinati poſſent firmiter ſperare; cum enim nemo ſciat, an ſit ex numero Electorum, nemo certam ſalutis ſpem poſſet ex Chriſti morte concipere.

Ad ſecundam, ſi ea verum haberet, dici etiam poſſet, quod Chriſtus dederit ſemetipſum redemptionem etiam pro dæmonibus, quibus redimendis ſine dubio pretium ſanguinis ejus fuiſſet ſufficientiſſimum, cum tamen ſolis hominibus beneficium Redemptionis contulerit. Ipſe Janſenius lib. 3. de Gratia Chriſti cap. 21. advertit, *eſſe paſſum, mortuum, crucifixum, ſe redemptionem dediſſe pro omnibus, plus aliquid dicere, quam nude pretium ſufficiens obtuliſſe, quod his applicari nolit. Illud enim indicat, intentione morientis pretium pro illis oblatum eſſe.* Quod etiam alibi dixit his verbis: *Pro aliquo mortuum eſſe, vel fudiſſe ſanguinem ſuum, ſinuat voluntatem Chriſti, quam habet, ut ei mors Patri oblata, & ſanguis proſit.* Quare non ſatis eſt, dicere, quod Chriſtus potuerit nos gutta dumtaxat ſui ſanguinis redimere, ſed dicendum, quod omnes, & ſingulos de facto redemerit, obtinendo etiam Reprobis vi ſuorum meritorum, quicquid ſatis eſſet, ut poſſent, ſi vellent, a ſervitute peccati, & a captivitate dæmonis liberari; quamvis relate ad Electos obtinuerit, quod etiam de facto liberarentur ex ſpeciali erga illos affectu. Quod docuit D. Proſper lib. 2. de vocat. Gentium, dicens: *ſive manifeſte, ſive occulte, ipſe eſt, ut Apoſtolus ait, Salvator omnium, maxime fidelium. Quæ ſententia ſubtiliſſimæ brevitatis, & validiſſimi roboris, ſi tranquillo conſideretur intuitu, totam hanc, de qua agimus, controverſiam dirimit; dicendo enim: Qui eſt Salvator omnium hominum, confirmavit, bonitatem Dei ſuper univerſos homines eſſe generalem. Adjicendo autem, maxime fidelium, oſtendit, eſſe partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inſpiratæ, ad ſummam, atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficiis provehatur.*

Quis non daret manus celebri huic D. Proſperi teſtimonio? Janſenius tamen, ut illi reluctetur, docet locum laudatum Apoſtoli loqui ſolum de ſalute temporaria, quam Salvator omnibus paſſim confert, & maxime fidelibus. Verum quamvis juxta hunc etiam ſenſum a nonnullis Patribus dictum Apoſtoli accipiatur: negari non poteſt, quod D. Proſper illum interpretetur de ſalute ſpirituali æterna, cum de ea eſſet tunc temporis controverſia; & de ea dumtaxat ibi ſit ſermo: Et juxta doctrinam D. Proſperi locutum eſt Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 3. dicens: *Etſi ille pro hominibus mortuus eſt, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur.*

Ad tertiam Janſenii eluſionem dicendum, quod quamvis in eo etiam ſenſu verum ſit, quod pro omnibus Chriſtus ſit mortuus, quatenus ſcilicet ſuſcepit cauſam omnibus communem; nihilominus proprius, & obvius ſenſus eſt, quod Chriſtus pro omnibus & ſingulis ſit mortuus; verba autem dogmatica ſemper ſumenda ſunt in ſenſu proprio, & obvio, ſi nihil obſtet; nec quicquam obſtat in caſu noſtro, cur in hoc ſenſu verba Tridentini intelligantur, ut mox oſtendemus evacuando oppoſitiones Janſenianorum: ergo. Illud hic iterum advertendum cenſeo, Queſnellum in hac theſi, qua dicitur Chriſtus Dominus ſe morti tradidiſ-

didiſſe ad liberandum Electos, ſignate non excludere Reprobos, ne videatur diſertis verbis proſcriptas theſes edocere. At in ſole cæcutit, qui ejus calliditatem non animadvertit. Ex contextu enim iſtarum theſium, (in quibus paſſim habetur, deeſſe reprobis auxilium ſufficiens ad ſalutem, infidelibus nullam dari gratiam, & peccatoribus antecedenter ad peccatorum remiſſionem nullum concedi auxilium, quo poſſint reſipiſcere, ſi velint) manifeſtum eſt in ſententia Queſnelli, pro Electis dumtaxat oblatum eſſe pretium Redemptionis, eo quod ſolum Electi efficaciter redempti ſint; Cum autem ex morte Redemptoris, ſicut Dæmones, ita & Reprobi, non hauſerint, quæ ad eorum æternam ſalutem conferrent, quomodo dici poterit, quod pro eis ſemetipſum Chriſtus morti obtulerit? Hinc idcirco in hac Theſi Queſnellus dicit, quod Chriſtus morti ſe obtulit ad liberandum Electos *pro ſemper*, ut inſinuet, quod quamvis Reprobis juxta doctrinam Janſenii meruerit Chriſtus gratiam aliquam ad tempus, non meruit illis gratiam finalem, ut *pro ſemper* liberarentur de manu Angeli exterminatoris. Sed audiamus Janſenianorum ſophiſmata.

III. Opponunt primo ex eorum Anteſignano tom. 1. lib. v. cap. 21. *Cui nullo modo prodeſt ſanguis, & mors Chriſti, pro illo nec ſanguinem fudit, nec mortuus eſt*: atqui Reprobis mors Chriſti nullatenus profuit, quinimo fuit illis in ruinam, juxta verba Simeonis Lucæ 2. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael*; ergo Chriſtus pro Reprobis non eſt mortuus, ſed ſolum pro Primogenitis, ſeu Electis.

Confirmatur ex ipſo Trident. ſeſſ. 6. cap. 3. ubi dicitur: *Verum etſi ille pro omnibus mortuus eſt; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur*: ergo ex Tridentino non omnibus prodeſt mors Chriſti; atque adeo non eſt mortuus pro omnibus, & ſingulis, ſed ſolum pro omnibus juxta diſtributionem accommodam ſupra explicatam.

IV. Reſpondeo falſum eſſe, quod Reprobis non profit mors Chriſti D. cum per merita Chriſti D. obtinuerint auxilium ſufficiens ad reſipiſcendum; poſſe autem ſalutem conſequi ad arbitrium propriæ voluntatis, procul dubio eſt ingens beneficium. Hinc Auguſtinus ſer. 31. habet: *Sanguis Domini tui, ſi vis, datus eſt pro te; ſi nolueris, non eſt datus pro te. Forte enim dicis: Habuit ſanguinem Deus meus, quo me redimeret, ſed jam cum paſſus eſt, totum dedit, quid illi remanſit quod det & pro me? Hoc eſt magnum, quia ſemel dedit, & pro omnibus dedit; Sanguis Chriſti volenti ſalus eſt, & nolenti ſupplicium*: Ex quibus patet ad verba laudata Prophetæ Simeonis; Eſt enim in ruinam multorum Chriſti Sanguis nolenti illo uti ad reſurrectionem; ſicut Auguſtinus dicit, quod nolenti ſit ſupplicium, quatenus culpabiliter reſpuens gratiam per Chriſti merita collatam ruinam ſibi parat, & ſupplicium meretur.

Ad confirmationem: Tridentinum ſolum vult, quod meritum paſſionis non communicetur Reprobis quoad obtinendam iis gratiam efficacem, non vero quoad ſufficientem: aliter quomodo diceret, quod Chriſtus pro iis ſit mortuus? Sicut enim in humanis non dicitur dives redimere pauperem a captivitate, ſi ſolum præparet pretium redemptionis, & non det proximam poteſtatem, ut poſſit redimi; ita Chriſtus non diceretur redemiſſe homines, ſi ſolum præpararet pretium ſufficiens ad hominum redemptionem, niſi conferret iis proximam poteſtatem, ut redimantur, quod præſtat conferendo gratiam ſufficientem: Aliter etiam dæmones redemiſſet, cum pro iis redimendis pretium ſui ſanguinis eſſet copioſiſſimum.

V. Opponunt ſecundo auctoritatem Auguſtini dicentis Epiſt. 102. *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus eſt Chriſtus*: Et tract. 48. in Joan. *Quomodo iſtis dixit, Non eſtis de ovibus meis? quia videbat eos ad ſempiternum interitum prædeſtinatos, non ad vitam æternam ſui ſanguinis pretio comparatos*. Et luculentius lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 15. *Omnis, qui Chriſti ſanguine redemptus eſt, homo eſt; non tamen omnis, qui homo eſt, Chriſti ſanguine redemptus eſt*.

VI. Reſpondeo, pluribus in locis Auguſtinum veritatem hanc Catholicam expreſſe docuiſſe, quod ſcilicet pro omnibus omnino Chriſtus mortuus ſit. In Pſalm. 25. habet: *Judicabit orbem terrarum in æquitate, non partem, quia non partem emit; totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit*. Quare ſicut omnes omnino judicandi ſunt a Chriſto Domino, ita omnes omnino redempti ſunt ex Auguſtino: qui pariter lib. 2. de Catechum. cap. 8. dicit Chriſtum Dominum ſic reprobos allocuturum improperando eis ingratitudinem, & ſocordiam: *Videtis vulnera quæ inflixiſtis? agnoſcitis latus, quod pupugiſtis? Quoniam & per vos, & propter vos apertum; nec tamen introire voluiſtis*. Et ſerm. 67. de tempore, *Cur quod pro te pertuli perdidiſti? Cur, ingrate, redemptionis tuæ munera renuiſti? Non te ego de morte mea*

quæ-

quæro, redde mihi vitam tuam, pro qua meam dedi. Et sic in aliis locis innumeris. Propterea textus, qui objiciuntur, intelligendi de Redemptione stricte sumpta per collationem gratiæ efficacis ex amore efficaciæ, quam contulit misericorditer electis ex speciali affectu erga illorum salutem, non vero de redemptione late sumpta, & omnibus hominibus communi per collationem gratiæ sufficientis, qua possent salvari, si vellent, ratione cujus Deus intendit eorum salutem efficaciter solum quantum ad se spectat. Et similiter interpretandus est Anselmus, qui in Elucid. habet: *Christus pro solis electis mortuus est;* Et infra: *Nihil contulit reprobis ob sua demerita mors Christi*, quatenus nihil profuit ex eorum culpa gratia sufficiens a Deo collata ob pretium redemptionis. Quare Christus Dominus in hoc sensu etiam dicitur luisse pœnas pro peccatis reproborum; quatenus quantum ad se spectat pœnas pro iis luisset in actu secundo, si gratia sufficienti ipsis oblata uti voluissent ad salutem assequendam: quod autem in seipsis in inferno puniantur, id vertere debent vitio propriæ voluntatis, & gratias debent ingentes Redemptori, quod sese obtulerit ad patiendum pro ipsis.

VII. Opponunt tertio id quod dicitur Matth. 15. *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*, & Matth. 26. *Hic est sanguis novi testamenti, qui pro multis effundetur:* unde non pro omnium, sed pro multorum salute, nempe electorum, Christus sanguinem fudit.

Respondeo, in primo textu non significari, quod Christus Dominus non fuerit missus pro omnibus redimendis, sed solum quod non fuerit missus ad annunciandum omnibus immediate regnum Dei verbis, & miraculis: In secundo vero vel significari, quod pro multis, nempe pro electis dumtaxat, sanguis Christi effusus fuerit quoad efficaciam, quamvis pro omnibus quoad sufficientiam; vel significari, quod sit effusus pro omnibus, qui multi sunt, ut advertit idem Jansenius in Matthæum. Certum enim est, quod in Scripturis sæpe significantur omnes per hoc vocabulum multorum, ut advertit August. lib. 20. de Civit. cap. 32. Sic Dan. 12. dicitur: *Et multi de his, qui dormiunt, in terræ pulvere evigilabunt*; hoc est omnes resurgent. Et ad Rom. 5. *Si enim unius delicto multi mortui sunt*; hoc est, omnes.

VII. Ex quibus fit primo, negari non posse, quod Christi sanguis omnibus profuerit ad salutem, quatenus omnibus meruit auxilium sufficiens, quo possent salvari, si vellent; aliter non magis reprobis profuisset, quam dæmonibus, quos nullo pacto redemit. Quare Christus Dominus non solum mortuus est pro omnibus hominibus, hoc est pro generibus singulorum, (ad eum modum quo communiter dicimus, omne animal fuisse in Arca Noe, quatenus in ea fuit omne genus animalium) sed etiam pro singulis generum, hoc est pro omnibus omnino hominibus, cum singulis profuerit ad salutem.

Fit secundo, Electis specialiter profuisse Christi sanguinem; quatenus in actu secundo, & absolute eos liberavit de manu Angeli exterminatoris, ubi reprobos liberavit in actu primo, & conditionate, hoc est dependenter ab eorum voluntate, dum tamen contulit iis quantum satis esset, ut liberarentur.

Fit tertio, atrocem injuriam irrogari Christi sanguini a Jansenianis, dum negant auxilium sufficiens ob ejus merita reprobis conferri; sic enim eorum reprobatio voluntati Christi adscriberetur, quod noluerit iis salutem promereri, non voluntati reproborum, qui pretio sanguinis sibi oblato noluerunt uti, ut liberarentur.

Fit quarto, posse unumquemque cum Apostolo exclamare: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me:* cum Christus Dominus pro unoquoque pretium sui sanguinis obtulerit. Quinimmo is fuit amor Christi erga unumquemque nostrum, ut S. Birgitta in suis revelat. lib. 1. cap. 58. audierit Christum sic loquentem adversus reprobos: *Dicunt passionem meam eis nihil valere. At excusabo me coram Angelis, & omnibus sanctis meis. Probabunt mali homines non esse propter meam culpam quod ipsi mali sint, sed propter suam culpam propriam. Ego enim, si possibile esset, libenter pro unoquoque homine talem pœnam exciperem, qualem semel in cruce pro omnibus recepi.* Et lib. 7. cap. 19. luculentius suum erga singulos amorem expressit dicens: *Si adhuc possibile esset, quod ego toties morerer, quot sunt animæ in inferno, ita ut pro qualibet earum talem mortem iterum sustinerem, qualem tunc pro omnibus sustinui, adhuc corpus meum paratum esset subire hæc omnia.* Quare satagendum, ut Christi sanguini, ac ejus dilectioni non simus ingrati; nec expectanda est ab eo gratia medicinalis, si forte dignabitur illam tribuere citra nostram cooperationem, sed conari debemus, ut gratiæ sufficienti, quam proculdubio nobis confert benignissime, ex corde cooperemur, ut in libro vitæ conscribi mereamur; in manu quippe nostræ voluntatis est,

aut Chriſti veſtigia ſequi, ut ſalutem conſequamur, aut Chriſtum deſerere, & in mortis ſyllabo reponi. Propterea dicitur Jerem. 17. *Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur; recedentes a te in terra ſcribentur; quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.* Quare non recenſentur cum reprobis, qui a Domino antecedenter deſeruntur; cum hoc obſtrepat Chriſti meritis, & Divinæ bonitati; ſed qui Dominum deſerunt venam viventium aquarum, & hac de cauſa deſeruntur.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXXII.

TRigeſima ſecunda ſimiliter docet, Chriſtum ſe morti tradidiſſe ad liberandum ſuo Sanguine Primogenitos, ideſt Electos, de manu Angeli exterminatoris. Quamvis non doceat expreſſe Chriſtum mortuum eſſe pro ſolis Electis, atque adeo non pro omnibus omnino hominibus juxta quintam Janſenii proſcriptam theſim: nihilominus non ſolum ex contextu, & ex proxime præcedentibus theſibus indicatur idipſum in hac theſi doceri; ſed ipſa etiam hujus theſis verba ſatis ſuperque denotant, Chriſtum pro ſolis Electis eſſe mortuum, non vero pro omnibus hominibus. Et ratio eſt, quia in re dogmatica verba præciſiva communiter intelliguntur eſſe excluſiva, præſertim ubi Catholici, ab hæreticis diſſentiunt: Propterea ſi quis diceret, Baptiſmi Sacramentum inſtitutum eſſe pro adultis, indicaret inſtitutum eſſe pro adultis dumtaxat, & non etiam pro infantibus, præſertim poſt hæreſim a Tridentino damnatam ſeſſ. 7. can. 12. Similiter qui abſolute diceret, unam in Deo eſſe perſonam, blaſphemaret: denotaret enim unam tantum eſſe divinam Perſonalitatem, juxta hæreſim Sabellii. Cum autem inter Janſenianos, & Catholicos diſſenſio ſit, Num Chriſtus D. mortuus ſit pro omnibus, an vero pro ſolis Electis; qui abſolute diceret, Chriſtum mortuum eſſe pro Electis, denotaret Chriſtum pro ſolis electis mortuum eſſe; & idcirco theſis hæc in ſpeciem præciſiva, ſed reapſe excluſiva, proſcribenda fuit, etiam ſpectato proprio verborum ſenſu, etiamſi a ſuperioribus hiſce theſibus non apertius Queſnelli mens detegeretur. Ad eum etiam modum, quo ſi quis nunc abſolute diceret, Spiritus Sanctus a Patre procedit, cum in dubium revocatum ſit a Teodoro Mopſueſteno, & a Græcis, num etiam procedat a Filio, denotaret, quod ſolum a Patre procedat; & ideo ea theſis eſſet proſcribenda, non tanquam præciſive prolata, (ſicut quando Joann. 15. dicitur: *Paraclitus, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me*) ſed tanquam prolata excluſive: quamvis a fortiori eſſet proſcribenda in Codice alicujus Græci Auctoris, qui aliis in locis eam hæreſim edocuiſſet. Quod pariter fuſius firmabitur in Anacephalæoſi theſis quinquageſimæ primæ, & ſeptuageſimæ ſecundæ. Ad rem noſtram; Quod Chriſtus Dom. non ſe morti tradiderit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine ſolum Electos, conſtat ex proſcriptione quintæ theſis Janſenianæ. Id enim Scripturæ paſſim docent: ac Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 3. iis verbis: *Verum etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur.* Admittunt Heterodoxi, & docet aliquando Queſnellus, quod Chriſtus mortuus ſit pro omnibus hominibus, intelligendo tamen, quod mortuus ſit pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum, ſeu pro omnibus omnino prout debuiſſet Queſnellus exprimere, ſi voluiſſet ab hæreſi Janſeniana recedere.

PROPOSITIO XXXIII.

Proh quantum oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renunciaſſe, ad hoc ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem, mortem, & myſteria, ut facit Sanctus Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. *Queſnel. Gal. 2. 20. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Probabile eſt, quod etiamſi unus dumtaxat homo peccaſſet, adhuc pro eo Chriſtus Dominus mortem oppetiiſſet. II. Non eſt præceptum, ſed dumtaxat conſilium, quod bonis omnibus terrenis nuncium remittamus. III. Explicatur illud Chriſti Domini: Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. *IV. Amor, quo noſmetipſos amamus operando intuitu mercedis æternæ, non eſt vitioſus. Nec tenemur bonis terrenis renunciare, ut Deum diligamus.*

V. Scri-

V. Scripturæ, Concilia, & Patres excitant nos ad operandum intuitu mercedis æternæ. VI. Hac de cauſa Deus æternam mercedem promittit, ut ejus ſpe ad bene operandum incitemur. VII. Non eſt inordinatum referre bonum majus ad bonum minus, ſi ſolum referatur tanquam ad finem immediatum, & proximum, non tanquam ad ultimum.

VIII. Damnantur ab Eccleſia, qui docuerunt Apoſtolicam paupertatem neceſſariam eſſe ad ſalutem conſequendam. IX. Ea quippe neque jure naturali, neque jure poſitivo Chriſti D. fuit unquam præſcripta. X. Præceptum de bonorum renunciatione eſt dumtaxat affirmativum, adeoque non obligat ſemper, & ad ſemper, ſed in debitis circumſtantiis. XI. Bonorum renunciatio neceſſaria ſolum eſt ad perfectionem, non vero ad ſalutem aſſequendam; ſeu ut homo ſit Chriſti diſcipulus, hoc eſt perfectus, non ut ſit fidelis.

XII. Divites non levem difficultatem experiuntur ad ſalutem aſſequendam citra gratiam auxiliarem Chriſti Dom. Qua de cauſa Chriſtus Dominus per exaggerationem dixit Matth. 10. Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. *XIII. Perperam nonnulli Queſnellum excuſant.*

I. QUeſnellus in ſuis Obſervationibus laudata verba ad Galat. 2. *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, contra ſenſum totius Eccleſiæ reſtringit ad ſolam perſonam Apoſtoli, & ad eos, qui ardentiſſimam Apoſtoli charitatem imitantur, negans proinde, prout in theſi ſuperiore docuerat, Chriſtum ſe morti tradidiſſe pro omnibus. Quod uſqueadeo a veritate abhorret, ut idem Apoſtolus diſertis verbis oſtenderit ſe a Chriſto D. dilectum fuiſſe, etiam quando Eccleſiam perſequebatur, dicens ad Rom. 5. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis quoniam adhuc cum peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Quare Chriſtus D. non ideo tradidit ſeipſum pro Apoſtolo, quia ab Apoſtolo diligebatur, ſed potius ideo Apoſtolus Chriſtum dilexit, quia Chriſtus ſeipſum tradidit morti, ut Apoſtolum ad ſui amorem converteret, prout advertit Angelicus in locum laudatum Pauli lect. 6. Et D. Chryſoſtomus in eundem locum docet, Apoſtolum in tantum dixiſſe Chriſtum pro ſe mori traditum, non quia mortem ſuam hic non obtulerit pro omnibus omnino, etiam pro peccatoribus, etiam pro reprobis, ſed quia ea charitate Chriſtus omnes dilexit, ut videatur etiam pro ſingulis mortem oppetiiſſe. *Quid facis, inquit, o Paule, dum communia proprie tibi vindicas, quæque pro toto terrarum orbe facta ſunt, tibi facis peculiaria? Non enim dixiſti, Qui dilexit nos, ſed qui dilexit me: atqui Evangeliſtæ dicit: Sic Deus dilexit Mundum; quin & tu ipſe dicis: Qui proprio Filio non pepercit, ſed tradidit eum pro nobis; Non igitur pro te; ſed pro omnibus.* Ad quæ reſpondet, & Dei charitatem erga homines non ſolum omnes, ſed etiam ſingulos reſpexiſſe, & Apoſtolum pretium redemptionis tamquam pro ſe dumtaxat ſolutum exiſtimaſſe. Quare ſubdit: *Præterea declarat hoc quoque par eſſe, ut quiſque noſtrum non minus gratias agat Chriſto, quam ſi ob ipſum ſolum adveniſſet. Neque enim recuſaturus erat vel ob unum tantam adhibere diſpenſationem, adeo ſingulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem univerſum.* Hinc non pauci ex Scholaſticis probabiliter exiſtimant, quod ſi unus, aut pauci tantum homines peccaſſent, adhuc Verbum incarnatum fuiſſet in carne paſſibili, & Chriſtus ſe morti eſſet pro iis traditurus. Siquidem etiam in tali caſu perſiſteret finis primarius Incarnationis, qui eſt infinita Chriſti ſatisfactio ad oſtendendam Dei dilectionem ſimul, & juſtitiam; dicitur enim ad Rom. 3. *Quem propoſuit Deus propitiationem per fidem ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ.* Quod etiam confirmant tum ex verbis laudatis Apoſtoli: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*; tum etiam ex verbis illis Eccleſ. 29. *Gratiam fidejuſſoris ne obliviſcaris, dedit enim pro te animam ſuam*; quibus indicatur, pretium Sanguinis Chriſti Dom. pro ſingulis hominibus ſolutum fuiſſe. Hinc Chryſoſtomus in Act. dixit: *Unius dumtaxat animæ tanta eſt jactura, ut ob eam Filius Dei fieret homo.* & Dionyſius Areopag. epiſt. 8. narrat, Chriſtum apparuiſſe D. Carpo, qui præ nimio zelo mortem duorum ſceleſtorum exoptabat, & illi dixiſſe; *Carpe iterum paratus ſum pro peccatoribus mori.* Quicquid autem ſit de hac ſcholaſtica quæſtione, de qua plura dixi in curſu Theologico p. 6. diſp. 3. quæſt. 1. illud inconcuſſum apud Catholicos eſt, Chriſtum D. pro omnibus omnino mortuum eſſe, ac ſanguinem ſuum fudiſſe, ut in theſi ſuperiore oſtendimus, atque adeo Janſenizare Queſnellum, dum verba laudata Apoſtoli, *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me*, reſtringit ad ſolam perſonam Apoſtoli, & ad eos qui Apoſtoli charitatem imitantur, quandoquidem etiam pro peccatoribus, etiam pro reprobis Chriſtus ſe ipſum morti tradidit, ut omnibus mereretur auxilia ſufficientia ad ſalutem comparandam.

II. His adde, quod in hac theſi Queſnel-

ſus Conſilia Euangelica de renunciatione bonorum terrenorum cum præceptis confundat, & perfectionem charitatis cum ſubſtantia talis præcepti, qui fuit error Lutheranorum dicentium hominem etiam juſtum ſemper peccare, quia nunquam ſervaret præceptum diligendi Deum ex toto corde, & ex tota anima, ex tota mente, & ex tota virtute, ut dicitur Marci 12. Si enim Chriſtus non eſſet mortuus, niſi pro iis dumtaxat, qui ſimiles eſſent Apoſtolo in perfectione charitatis, aperte ſequitur in ſententia Queſnelli, quod ii dumtaxat ſint in numero electorum, qui ad iſtud charitatis incrementum pervenerunt, eo quod iſti dumtaxat primum, & maximum charitatis præceptum obſervarent. Quod ſi verum eſſet, quiſnam hominum ſalutem ſe conſecuturum ſperaret? cum poſſit quilibet ſemper intenſius, ac intenſius Deum diligere, & cum paſſim id non præſtetur. Præterea ſi non poſſent habere fiduciam appropriandi ſibi Chriſtum, ejuſque amorem, ac mortem, niſi qui ardentiſſimam Apoſtoli charitatem imitantur, a fortiori ea fiducia, ac ſpe in Deum, & Chriſtum D. carerent peccatores omni charitatis gradu deſtituti; unde non poſſent peccatores ad juſtificationem ſe diſponere, cum ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. diſpoſitio iſta ſpem veniæ per merita Chriſti prærequirat.

III. Sed omiſſis his, quæ in ſuis Obſervationibus Queſnellus contendit, cum per ſe liqueat quantum Catholicis veritatibus refragentur, deſcendo ad enucleanda verba hujus theſis, & ad refellendum quod directe videntur intendere. Profecto ad editiſſimum perfectionis Evangelicæ faſtigium videtur Auctor velle homines perducere verbis hujuſce theſis, ſuccum ipſum pietatis in ſpeciem afflantibus, dum excellentiſſimam viam demonſtrat appropriandi ſibi Chriſtum Dominum, ejuſque dilectionem, mortem, merita, ac myſteria, per abrenunciationem terrenorum bonorum, ac per quoddam odium animæ ſuæ, renunciando ſibimetipſi, ut poſſimus cum Apoſtolo dicere: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Etenim quod non aliter poſſimus ad Chriſti dilectionem aſpirare, ac fiduciam habere appropriandi nobis Redemptorem, ac faciendi noſtra quæcumque ſecummet nobis ipſe donavit, videtur diſertiſſime ipſe Dominus docuiſſe dicens Lucæ 14. *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*: Quemadmodum ab eo ſequendo, nedum aſſequendo longe abeſſe docet eos, qui ſibimetipſis non abrenunciant, odio habendo ipſam animam ſuam, dicendo ibidem: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Verum, quæ Chriſtus Dominus his verbis juxta explicationem Sanctorum Patrum, ac Interpretum ab omnibus fidelibus expoſcit, non eſt arduum exequi ſub ordinariis Divinæ gratiæ auxiliis. Quod autem in hac theſi dicitur *Oportere*, omnes perducit, non quidem ad culmen perfectionis, ſed ad barathrum deſperationis. Ea quippe eſt optimæ operationis indoles, ut ſi cadat ſub conſilium, poſſit non raro executioni mandari, & ad ſublimem virtutis, & gloriæ locum evehere; ſin autem cadat ſub præceptum, facile ex tali obligatione plurimi in culpas, & in damnationem pertrahantur. Quodnam præſtantius conſilium, quam ſingulis momentis pro virili intenſiſſimum actum charitatis ponere, quam jejuniis diuturnis carnem conterere, quam aſperrimam ingredi Religionem? At quidnam durius, quam hæc omnia ſub rigoroſo præcepto omnibus imponere? An eſſet quiſquam, qui non ſibi laqueum deſperationis injiceret, ſi aliter ad vitam non poſſet ingredi, quam per hanc viam imperviam? Hoc ſane eſt id, quod Queſnellus in hac theſi contendit, dum dicit, *oportere*, atque adeo graviſſimo præcepto ad id nos adigit, ut terrenis bonis, ac nobiſmetipſis renunciemus. Quid autem ſit tam in germano verborum ſenſu ſecundum ſe ſpectato, quam in ſenſu Auctoris, ſibimetipſi renunciare, ex aliis theſibus non obſcure colligitur: dum enim in theſi 44. docet, duos tantum in nobis dari amores, videlicet *Amorem Dei, qui omnia agit propter Deum, & amorem, quo noſipſos, & mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus*, vult conſequenter, quod ab hoc amore, quo nos ipſos, & mundum diligimus, tanquam vitioſo, recedamus; & ideo dum docet oportere, quod unuſquiſque renunciet ſibimetipſi, & bonis terrenis, docet indiviſim, quod peccemus, ſi noſmetipſos diligamus operando intuitu mercedis æternæ, aut abſtinendo a culpis ob timorem gehennæ, & pœnarum: & a fortiori peccemus, ſi bonis terrenis non renunciemus. Quinimmo diſerte docet in theſi 62. quod *Qui a malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo*: uſqueadeo vult, ut ſolum Deum amore charitatis diligamus, nec illi inſerviamus ducti aut timore ſervili ad vitandam pœnam, aut amore mercenario ad obtinendam gloriam; quia hic ipſe Dei famulatus ab amore erga noſmetipſos profluit,

&

& ideo eſt peccaminoſus.

IV. Quare adverſus hanc Theſim primo oſtendemus, amorem, quo noſmetipſos amamus operando intuitu mercedis æternæ, non eſſe vitioſum; ſicut non eſt vitioſus, ſed bonus, & ſupernaturalis timor ſervilis, quo potius noſmetipſos amamus, quam Deum, abſtinendo a culpa ob metum gehennæ, ut dicemus in expoſitione theſis ſexageſimæ; ut proinde non oporteat nobiſmetipſis renunciare in hoc ſenſu Janſeniano, qui videtur callide ſub his verbis denotari. Deinde oſtendemus, nec opus eſſe, ut terrenis bonis renunciemus, cum poſſint citra culpam ea poſſideri.

V. Quod attinet ad primum: proſcripta fuit ab Alex. VIII. theſis decima tertia, quæ habet: *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur*, necnon decima, quæ ſimiliter habet: *Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum mere ut Cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens*. Ergo amor Dei mercenarius (quo magis noſmetipſos, quam Deum diligimus, cum Deum propter nos ipſos diligamus) non eſt vitioſus, ſed bonus, ac ſupernaturalis; non ſecus ac timor ſervilis, quo a culpa abſtinemus ob metum gehennæ: atque adeo non oportet in eo ſenſu nobiſmetipſis renunciare, ut non liceat ita noſmetipſos diligere, ut non poſſimus operari præciſe ad obtinendum nobis æternum bonum, & ad declinandam æternam pœnam. Quod pariter definierat Trid. ſeſſ. 6. Can. 31. ubi habet: *Si quis dixerit juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur, anathema ſit*: dixerat enim Lutherus in aſſert. articulorum contra Bullam Leonis X. aſſ. 6. *Contritio, quæ paratur per amiſſionem æternæ beatitudinis, facit hominem hypocritam, immo magis peccatorem*, quod pariter Calvinus docuerat; ut propterea Tridentinum anathematizarit, qui id aſſereret; paſſim quippe in Sacris Bibliis excitamur ad amorem virtutis ſpe remunerationis. Ad Coloſſ. 3. *Quodcumque facitis ex animo operamini ſicut Domino, & non hominibus; ſcientes, quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis*. Apoc. 2. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Ad Hebr. 11. *Majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti, aſpiciebat enim in remunerationem*. Idque paſſim etiam Patres commendant, ut ubi non movet nos ex noſtra ſocordia pelagus divinæ bonitatis ad bene operandum, excitet nos amor proprius, ita ut recte operemur propter mercedem. Aug. in Pſ. 14. *Non faciamus aliquid, niſi ſpe Cœleſtium præmiorum; ipſa eſt enim altitudo, non hic quærere mercedem, ſed ſurſum*. Cyprianus ad Seagrium, & Rogatianum ita ſcribit: *Superventuræ charitatis gloriam cogitantes, preſſuras omnes, & perſecutiones calcare nos convenit*. Et Hieronymus in Pſ. 118. *Propter retributionem vitæ æternæ, ut illam merear percipere*: Et lib. 1. contra Jovinianum advertit, ideo Paulum plus laboraſſe, ut majus præmium acciperet.

VI. Ratio a priori eſt, quia amor hic concupiſcentiæ, quo quis ſe amat amando Deum ſibi, & felicitatem æternam, non ſolum non eſt prohibitus, quin potius præceptus: ergo qui operatur ad acquirendum ſibi tantum bonum, prudenter, & rite operatur; eſto præſtantiori modo ſe gereret operando ex amore Divinæ bonitatis, aut ordinando ad Dei gloriam beatitudinem ipſam, quam ſibi concupiſcit. Hac ſcilicet de cauſa Deus cœleſtem gloriam bene operantibus repromiſit, ut ejus ſpe ad bonum proſequendum impelleremur; atque adeo amor hic concupiſcentiæ, quo quis ſeipſum diligit, deſiderando Deum ſibi, ac beatitudinem æternam, non eſt amor vitioſus, ſed laudabilis, & a Deo præceptus potius, quam prohibitus.

VII. Neque obſtat, quod Janſeniani obiectant, inordinatum eſſe, quod Deus ad creaturam referatur; qui autem propter gloriam cœleſtem operatur, amando ſeipſum amore concupiſcentiæ, Deum ad ſe ordinat, non ſe ad Deum, prout præſtari debet per actum charitatis: ergo amor hic concupiſcentiæ dicendus eſt prohibitus, non præceptus: unde oportet ſibimetipſi renuntiare ad appropriandum ſibi Chriſtum per charitatem.

Nam contra eſt, quia non eſt inordinatum, quod majus bonum referatur ad bonum minus tanquam ad finem immediatum, & proximum, dummodo hoc ipſum ſit referibile, & exercite referatur natura ſua, & virtualiter ad Deum, tamquam ad finem ultimum. Aliter non potuiſſet Chriſtus Dominus ordinare ſuam pretioſiſſimam paſſionem ad noſtram ſalutem, nec poſſemus nos offerre Sacrificium ad obtinendum aliquid temporale, puta pluviam. Quamvis enim conſultiſſimum ſit, omnia deinde ad Dei gloriam, & ad finem ultimum ordinare ex affectu charitatis; at ſi quid non referatur actu, non per hoc deſinit illud eſſe honeſtum, dummodo virtualiter ſalutem ad id referatur; poterit itaque deteſtatio peccati, & obſervantia Divinæ legis honeſte referri actu ad obtinendam cœleſtem gloriam ex a-

more concupiſcentiæ ſuimet, dummodo hoc ipſum natura ſua, atque adeo virtualiter, & exercite ad Deum referatur; quod ſuſius dicendum etiam in theſi 44., & 53.

VIII. Quod autem attinet ad renuntiationem terrenorum bonorum, quæ in hac theſi dicitur eſſe nobis neceſſaria, ſciendum, fuiſſe hunc errorem Hæreticorum, qui dicebantur Apoſtolici, propugnantes, quod citra Apoſtolicam paupertatem nemo poſſet ſalutem conſequi. Quod etiam docuerunt Pelagiani, ut videre eſt apud Auguſtinum Epiſt. 89. & 106. Nazianzenus pariter orat. p. contra Julianum refert, legem ad hoc ſtatutam fuiſſe, ne Chriſtifideles actionem ullam in judicio haberent ad ſe defendendum, quamvis bonis ſpoliarentur, eo quod in Evangelio præcipiatur, ne quicquam poſſideamus. Similiter ex Extravaganti 22. *Sancta Romana*, colligitur, Hæreticos, qui dicebantur *Fraticelli*, docuiſſe Chriſtianis non licere habere aliquid proprium; qui tamen in eadem Bulla damnantur; & prius damnati jam fuerant a Bonif. VIII.

IX. Falſitas hujus hæreſis ex eo convincitur, quia ſi ad ſalutem conſequendam neceſſarium eſſet, ut homo quidquam proprium non poſſideat, & bonis omnibus terrenis renunciet, ſequeretur, quod univerſa Eccleſia erraret, & fere omnes fideles eſſent in ſtatu damnationis per hoc præciſe, quod retineant dominium ſuorum bonorum; quod ſanctitati Eccleſiæ, & veritati diſſonat. Et ratio ulterior eſt, quia neque jure naturali neceſſaria eſt ad ſalutem renuntiatio bonorum temporalium, neque jure poſitivo Chriſti Domini: ergo ſimpliciter non eſt neceſſaria. Probatur antecedens quoad primam partem, tum quia præceptum Decalogi de non furando eſt naturale, & ad honeſtatem morum neceſſarium; unde non poteſt eſſe contra legem naturalem id, quod eſſentialiter præſupponitur ad hoc decalogi præceptum, videlicet quod homo habeat aliquid proprium: Tum etiam quia jam ab orbe condito ſemper homines habuerunt proprias poſſeſſiones, ac divitias præſertim rerum mobilium; & tam in lege naturæ, quam in lege ſcripta multi, qui pietatem coluerunt, erant locupletiſſimi, ut Job, Abraham, David, Salomon; imo Deus terram promiſſionis tradens populo electo, eam miſſis ſortibus inter tribus diviſit: Tum demum quia diviſio rerum, & proprietas dominiorum nec eſt contra juſtitiam, nec contra ullum naturale præceptum; quamvis enim Deus in Orbis terræ crepundiis dominia rerum non diviſerit, ſed omnia humano generi indiſcriminatim conceſſerit dicendo Geneſ. 1. *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus Cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram*; Nihilominus neque ipſe ut auctor naturæ præcepit, ut omnia ſub communi, & libero hominum uſu ſemper manerent, neque dictamini rationis diſſonum fuit, quod rerum diviſio fieret, & unuſquiſque aliquid proprium poſſideret; quinimo conſentaneum id fuit in natura lapſa, & moraliter neceſſarium, ut ſic poſſent homines induci ad agros excolendos, & ad alia munia ad vitam ſuſtentandam neceſſaria. Quod ſi in ſtatu innocentiæ poſuit Deus Adam in Paradiſo voluptatis, *ut operaretur, & cuſtodiret illum* ut dicitur Geneſ. 2. a fortiori voluit, ut poſt lapſum homo operaretur, & non eſſet otio tabeſcens, ſicut tabeſceret, ſi omnia eſſent communia; præſertim quia terra poſt peccatum maledicta ſpinas, & tribulos germinavit, ut in ſudore vultus ſui homo veſceretur pane ſuo, ut habetur in capite Geneſeos laudato.

X. Probatur etiam ſecunda pars antecedentis, quod ſcilicet neque in lege Evangelica Chriſtus D. fidelibus præceperit, ne quicquam proprium poſſiderent, ſed bonis terrenis renunciarent. Quamvis enim Lucæ 19. dixerit: *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*; hinc tamen non infertur, quod ſimpliciter voluerit omnes obligare ad renuntiandum omnibus, quæ poſſidentur, ſed ſolum quod voluerit omnes ad id obligare, quando vel ad fidei defenſionem, vel ad ſatisfaciendum præcepto charitatis, vel aliter in aliquo caſu occurrente eſt neceſſarium; cum enim hoc præceptum non ſit negativum, obligans ſemper, & ad ſemper, ſed affirmativum, quod obligat ſolum pro aliquo articulo neceſſitatis, ideo Chriſtus D. ſolum præcepit ſuis diſcipulis, ut in ſimilibus circumſtantiis actu renunciarent omnibus bonis, & quod ſemper eſſent parati ad hanc renunciationem, ſi caſus neceſſitatis occurreret; ut docuit Auguſtinus exponens laudatum textum D. Lucæ epiſt. 1. & epiſt. 89. q. 4., cui aſtipulatur Beda in Lucam, ubi diſtinguens inter relinquere omnia, & renunciare omnibus, habet: *Paucorum perfectorum eſt relinquere omnia, hoc eſt curas mundi poſtponere; cunctorum autem fidelium eſt renunciare omnibus, hoc eſt ſic tenere omnia, quæ in mundo ſunt, ut per ea non teneantur in mundo.* Et juxta hunc ſenſum interpretantur Sancti Patres verba conſimilia Chriſti D. Luc. 14 *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc*

huc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Non enim præcepit Chriſtus D. diſcipulis ſuis, ut parentes ſemper odiſſent, ſed ſolum ut odio haberent in iis circumſtantiis, in quibus aliter Deo inſervire non poſſent. Quinimo Auguſtinus epiſtol. 38. ad Lætum advertit, idem omnino eſſe præceptum Chriſti D. de renunciatione facienda omnium bonorum, ac de odio erga parentes, uxorem, & conſanguineos; ut proinde eodem modo debeat utrumque præceptum explicari. Etenim Chriſtus D. poſt latam illam ſententiam, quod non poſſet eſſe ſuus diſcipulus, qui non odio haberet parentes, adhuc autem & animam ſuam, concluſit: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*: quod propterea non eſt intelligendum de ſolis divitiis, & de bonis fortunæ, ſed etiam de omnibus bonis, de quibus ſermonem præmiſerat, vid. de parentibus, conſanguineis, ac de ipſa anima ſua. Hæc ſunt verba Auguſtini: *Prælocutio cum extrema concluſione concordat, in eo enim quod unuſquiſque renunciet omnibus, quæ ſunt ejus, etiam illud continetur, ut oderit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc & animam ſuam; omnia enim hæc propria ejus ſunt, quæ plerumque implicant, & impediunt.*

XI. Adde, quod cum in Evangelio nomen diſcipuli Chriſti D. in duplici ſenſu uſurpetur; aliquando enim ſignificat quemcunque credentem, ut cum dicitur Joan. 8. *Si vos manſeritis in ſermone meo, vere diſcipuli mei eritis*; aliquando ſignificat illos, qui in perfectione vitæ, & in renunciatione bonorum Chriſtum imitantur; unde Lucæ 10. dicitur Chriſtus deſignaſſe alios ſeptuaginta duos, qui diſcipulorum nomine ſpecialiter denotantur; quibus dixit, *Meſſis quidem multa, operarii autem pauci*; iſtos autem fuiſſe diſcipulos perfectionem ſectantes ex eo colligitur, quod Matthæus cap. 9. dicat, Chriſtum D. ea verba diſcipulis ſuis locutum fuiſſe; hæc enim habet: *Tunc dixit diſcipulis: Meſſis quidem multa*: Hac poſita duplici ſignificatione hujus nominis, dicendum, quod quando Chriſtus Dominus dixit: *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, ſolum voluit indicare, quod ſine tali renunciatione nemo poteſt perfectionem aſſequi, non vero quod ſine illa nemo poſſit ſalutem adipiſci; ut multi Patres advertunt apud Suar. tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 2. Quinimo in hoc dumtaxat ſenſu Chriſtum D. locutum fuiſſe conſtat ex eo, quod dixit Matthæi 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, & ſequere me:* diſerte enim docet, renunciationem bonorum requiſitam ſolum eſſe ad perfectionem, non ad ſalutem conſequendam. Ubi adverte, quod in laudato Matthæi capite, & in capite decimo Marci refertur. Quidam adoleſcens ad Chriſtum accedens ait illi: *Magiſter bone, quid boni faciam, ut vitam æternam habeam?* Cui Chriſtus reſpondit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata;* Cum autem ille interrogaret, quænam mandata eſſet ſervaturus, ut poſſet ad vitam ingredi, Chriſtus D. ſolum præcepta decalogi propoſuit, nullatenus autem bonorum renunciationem. Ille vero advertens, quod omnia decalogi præcepta ſervaſſet ab ineunte ætate, dixit: *Omnia cuſtodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deeſt?* Ad quod Chriſtus D. reſpondit: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, & ſequere me.* Quare Chriſtus D. obſervantiam mandatorum dixit neceſſariam eſſe, ut quis ad vitam ingrediatur; renunciationem vero bonorum non dixit eſſe neceſſariam ad ſalutem, ſed ſolum ad perfectionem obtinendam. Ex quibus fit perſpicuum, non eſſe ad rem expoſitionem hujus textus factam a Pelagianis apud Auguſtin. Epiſt. 89. qu. 4. dicentibus, quod verba illa, *Si vis perfectus eſſe*, idem ſonent, ac ſi vis, ut nihil tibi deſit ad ſalutem; nam ipſemet adoleſcens interrogavit. *Quid adhuc mihi deeſt?* & Chriſtus D. Marci 10. reſpondit: *Unum tibi deeſt*, non quidem ad ſalutem, ſed ad perfectionem; aliter non diſtinxiſſet Chriſtus D. illa duo, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: &, *Si vi vis perfectus eſſe, vade, & vende, quæ habes.*

XII. Opponitur id, quod Chriſtus D. dixit Matth. 19. *Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in Regnum Cœlorum.* Quibus verbis videtur ſignificari omnino neceſſarium eſſe ad ſalutem, ut bonis terrenis renunciemus.

Reſpondeo primo cum Suario loco laudato, his verbis noluiſſe ſignificare Chriſtum Dom. difficultatem, quam divites habent, ut ſalventur, ſed ſolum difficultatem, quam habent, ut perfectionem aſſequantur. Quod patet ex contextu; etenim, ut habetur Marci 10. poſtquam adoleſcens dixit, a juventute ſervaſſe mandata; *Jeſus intuitus eum, dilexit eum, ac dixit ei: Unum tibi deeſt; vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus.* Quare antequam venderet, quod habebat, & daret pauperibus,

Chri-

Chriſtus intuitus eum dilexit eum, ut ſignificaret non violaſſe præceptum ullum per hoc, quod nondum bona dediſſet pauperibus. Conſtat deinde, quod ſpectet ad perfectionem tantum renunciatio bonorum; quia poſtquam Chriſtus D. dixit: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes;* adoleſcens, ut refert Evangeliſta, *Abiit triſtis; erat enim habens multas poſſeſſiones.* Tunc autem Chriſtus ſubdidit: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum. Iterum dico vobis; facilius eſt, Camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Quare Chriſtus D. loquutus eſt de introitu in cœlum cum excellentia perfectionis; non enim fuerat illi adoleſcenti difficile ſervare mandata, cum ea a juventute ſervaſſet, non obſtantibus divitiis; ſed erat illi difficile vendere, quæ habebat, & ad perfectionem aſpirare; & uſqueadeo difficile, ut Chriſtus exaggerando hanc difficultatem exemplo hyperbolico Cameli ſignificaverit, contineri in hoc quandam impoſſibilitatem. Quod autem ſit impoſſibile cum divitiis aſſequi perfectionem, non eſt mirum: At impoſſibile eſſe homines cum divitiis vitam æternam conſequi, ſi affectum inordinatum erga illas deponant, eſt omnino falſum ex dictis. Proinde Chriſtus D. ſolum ſignificare voluit, quod neceſſaria ſit bonorum renunciatio, ut intremus in regnum cœlorum cum excellentia perfectionis, non vero ut ſimpliciter ſalutem conſequamur.

Reſpondeo ſecundo cum eodem Suario, tranſmittendo, quod voluerit Chriſtus D. per exaggerationem illam ſignificare moralem impoſſibilitatem intrandi in regnum cœlorum relate ad eos, qui divitias poſſident; non tamen idcirco hæc impoſſibilitas oritur ex eo, quod detur præceptum eas renunciandi, ſed quia divitiæ impedimenta ſæpe afferunt ad obſervantiam mandatorum; unde periculo damnationis divites ſunt expoſiti, ſi affectum inordinatum erga illas non deponant; dixit enim Chriſtus D. *Dives difficile intrabit in regnum cœlorum*, illud veluti inferens ex eo, quod adoleſcens ille abierit triſtis ob amorem divitiarum. Quoniam autem *Auditis his diſcipuli mirabantur valde, dicentes, Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* idcirco ſubdidit Chriſtus Dominus, *Apud homines hoc impoſſibile eſt; apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt*: indicans virtute gratiæ per Chriſtum expugnari moralem impoſſibilitatem ad bene operandum, quam divites experiuntur. Quod pariter ſignificavit Apoſtol. 1. ad Timoth. dicens: *Divitibus hujus ſeculi præcipe, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo (qui præſtat nobis abunde ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Ubi Apoſtolus pro certo habet, poſſe divites Divina gratia adjutos veram vitam apprehendere, ſi tamen non ſint viri divitiarum, ſeu divitiis dediti, *ſed divites in Domino*, prout loquitur Chriſtus D. Lucæ 11. hoc eſt, ſi recte iis utantur, & citra vehementem affectum erga illas. Unde fit, non oportere, ut bonis terrenis homines renuncient, ut Chriſtum ſibi approprient. Qua de cauſa in Palæſtina Synodo (ut notat Suar. de Grat. Proleg. 6. cap. 3.) objectum fuit Pelagio, quod in ſuis libellis edocuiſſet, *Divites baptizatos, niſi omnibus abrenuncient, ſi quid boni viſi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere poſſe regnum Dei.* Quod damnare, & anathematizare compulſus eſt; itaque damnatus Pelagii error in hac theſi recuditur.

XIII. Dicet aliquis pro Queſnello, in hac theſi non doceri, quod bonorum terrenorum renunciatio neceſſaria ſit, ut poſſimus aliquam fiduciam habere appropriandi nobis merita Chriſti, ſed quod ea ſit neceſſaria, ut poſſimus eam fiduciam, ac ſpem habere, quam habuit Apoſtolus.

Sed contra eſt primo, quia verba hujus theſis ſecundum germanum eorum ſenſum aliud non denotant, quam quod fiducia, ac ſpes ſalutis, ſeu appropriandi ſibi merita Chriſti D. haberi non poſſit citra bonorum abrenunciationem; quod oſtendimus eſſe falſum; cum ea neque jure naturali, neque jure poſitivo injungatur, ſed ſolum cadat ſub conſilium, nullatenus ſub præceptum, non ſecus ac cadit ſub conſilium v. gr. continentia; unde ſicut erronee diceretur, oportere quod continentia ſervetur, ut poſſit haberi ſpes ſalutis; ita erronee dicitur oportere, quod bonis terrenis renunciemus, ut poſſimus animum erigere ad ſperandam ſalutem. Contra ſecundo, quia falſum etiam eſt, neceſſariam eſſe bonorum renunciationem, ut poſſit haberi fiducia, ac ſpes in eo perfectionis gradu, in quo illam habuit Apoſtolus; quamvis enim bonorum renunciatio valde conferat ad ſalutem, & ad perfectionem aſſequendam; ea tamen non eſt ſimpliciter, & abſolute neceſſaria. Quibus adde, commentitium eſſe, quod voluerit Queſnellus omnes invitare ad fiduciam habendam in eo ſublimitatis gradu, in quo illam habuit Apoſtolus; ſolum contendit,

quod

quod illam pro virili imitemur ; ad illam autem imitandam neceſſaria non eſt iſthæc renunciatio ; cum nec ſit abſolute neceſſaria ad perfectionem aſſequendam.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXXIII.

TRigeſimatertia in eundem ſcopum collineat, dum docet oportere, ut bonis terrenis, ac ſibimetipſi homo renunciet (ſicut fecit Apoſtolus a Chriſto dilectus, & propter quem Chriſtus tradidit ſemetipſum) ut poſſit habere fiduciam veluti appropriandi ſibi ejus amorem, ac merita ſuæ paſſionis, ac mortis. Errat tamen primo, dum videtur docere, quod oporteat hominem eſſe dilectum a Deo, ſicut fuit Apoſtolus, (atque adeo eſſe ex numero Electorum, prout erat Apoſtolus) ut verum ſit, quod Chriſtus morti ſe tradiderit propter ipſum ; damnatur enim ab Innocentio X. tanquam falſa, ſcandaloſa, temeraria, impia, blaſphema, contumelioſa, divinæ pietati derogans, & hæretica, quinta illa theſis Janſenii ſic intellecta, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit. Errat ſecundo, ſi velit, quod ſolum dilecti a Deo, & Electi, ſicut fuit Apoſt., poſſint habere fiduciam ſibi quodammodo appropriandi merita paſſionis, ac mortis Chriſti, ejuſque amorem: Siquidem ſpes ſupernaturalis præcipitur etiam reprobis, & quidem etiamſi careant gratia ſanctificante : quamvis enim deſit his habitus charitatis, adhuc tenentur ſperare, ac habere fiduciam in Chriſti meritis, quod peccata ſibi remittantur, & ſalventur. Immo ad hunc finem amiſſa charitate remanent habitus ſupernaturales fidei, & ſpei, quoties peccata his virtutibus non adverſantur, ut per auxilia ab his habitibus exigita elicere poſſint connaturaliter fidei, & ſpei actus, & ſic ſe diſponere ad ſpiritualem reſurrectionem. Errat tertio, dum contendit oportere, ut homo renunciet ſibimetipſi in eo ſcilicet ſenſu, quod non liceat amore mercenario inſervire Deo ad gloriam obtinendam ; perinde quaſi eſſet malus, & peccaminoſus actus, quo quis ex amore concupiſcentiæ erga ſe ipſum diligit Deum, illi inſerviendo ad beatitudinem obtinendam ; cum Tridentinum ſeſſ. 6. can. 31. anathematizet, qui dixerit, juſtificatum peccare, ſi intuitu mercedis æternæ bene operetur : ut proinde proſcripta ſit ab Alexandro Octavo theſis illa decimatertia, quæ habet: *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet Beatitudinis operatur*. Errat denique quarto, dum contendit oportere, ut bonis terrenis abrenunciet, qui vult in albo Electorum aſcribi ; ſiquidem neque jure naturali, neque poſitivo retentio dominii erga propria bona prohibetur; ut propterea damnata fuerit a Bonifacio Octavo hæreſis illorum, qui docebant, Chriſtianis non licere habere aliquid proprium ; non enim requiritur bonorum renunciatio ad ſalutem, ſed ſolum ad perfectionem aſſequendam.

PROPOSITIO XXXIV.

Gratia Adami non producebat niſi merita humana. *Queſnel.* 1. *Jo.* 16. & 2. *Cor.* 5. 21. *edit.* 1693.

PROPOSITIO XXXV.

Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ. *Queſnel.* 2. *Cor.* 5. 21. *edit.* 1699.

SYNOPSIS.

I. Contendit Queſnellus, gratiam Chriſti Domini in ſtatu naturæ lapſæ ita eſſe ab intrinſeco efficacem, ut efficiat nos velle citra ullam cooperationem, & liberam voluntatis electionem, ſecus vero in ſtatu naturæ innocentis.

II. Præmittimus explicationem diverſorum Naturæ ſtatuum, videlicet naturæ humanæ puræ, integræ, innocentis, & lapſæ. III. In ſtatu naturæ innocentis, ſeu juſtitiæ originalis plurima bona Protoparentibus collata fuerunt in ordine ad operationes ſalutares, quæ tamen non erant iis debita, ut contendit Janſenius cum Bajo ; qui proinde docuerunt, Gratiam Adamicam produxiſſe merita humana. IV. Quia ſcilicet ad illa ex Janſenio concurrebat ut determinans voluntas humana, non vero gratia ; & ideo non erant Dei dona : contra vero merita in ſtatu naturæ lapſæ docent eſſe Dei dona, quia ad illa concurrit gratia Chriſti medicinalis ut determinans. V. Propterea Janſenius inter gratiam Adamicam naturæ innocentis, & gratiam Chriſtianam naturæ lapſæ agnoſcit diſcrimen eſſentiale, & non mere accidentale.

VI. Verum operationes ſalutares Adami, & Angelorum non fuiſſe merita humana (in quibus

bus ſcilicet priores eſſent partes arbitrii, quam gratiæ) nec fuiſſe ſequelam creationis, nec debita naturæ nondum per peccatum corruptæ, ex eo conſtat, quia aliter gratia non eſſet gratia. VII. Quod ex Conciliis, & Patribus ſit perſpicuum. VIII. Necnon ex Scholaſticis adverſus Heterodoxos. IX. Quod multifariam rationibus etiam Theologicis conficitur.

X. Non repugnat ſtatus puræ naturæ, & ideo gratia non eſt ſequela creationis. XI. Viſio beata naturæ etiam innocenti eſt indebita.

XII. Auguſtinus ideo diverſimode loquitur de gratia in ſtatu naturæ innocentis, ac in ſtatu naturæ lapſæ, tum quia gratia poſt peccatum datur homini poſitive indigno; tum etiam quia poſt peccatum ad Gratiam obtinendam requiritur redemptio Salvatoris; tum demum quia ex meritis Chriſti Domini confertur nobis gratia uberior ad ſuperandam vim concupiſcentiæ effrænis. XIII. Hinc licet merita vitæ æternæ in utroque ſtatu ſint dona Dei, ſpeciali tamen titulo ſunt dona Dei in ſtatu naturæ lapſæ. Unde utraque ſunt merita ſupernaturalia; quamvis merita in ſtatu innocentiæ ab Auguſtino tribus de cauſis appellentur merita humana.

I. EO collineat Auctor in his, & duabus aliis conſequentibus Theſibus, ut evincant, gratiam, quæ nobis per Chriſtum datur, eſſe ab intrinſeco efficacem, quæ facit nos velle citra ullam cooperationem, & liberam electionem voluntatis, prout adnotavimus in theſi vigeſimaprima, & in aliis paſſim. Hinc docet, aliam fuiſſe gratiam Adamo collatam in ſtatu innocentiæ, aliam eſſe gratiam collatam per Chriſtum in ſtatu naturæ lapſæ; illam fuiſſe *Adjutorium ſine quo non*, ſeu gratiam ſufficientem, cui poterat voluntas reſiſtere; iſtam eſſe *Adjutorium quo*, cui voluntas obluctari non poteſt. Ad hoc conficiendum in altera harum theſium docet, Gratiam, ſeu facultatem ad diligendum Deum, & ad aſſequendam gloriam, non produxiſſe merita niſi humana, relate ad quæ humanum arbitrium haberet primas partes, non gratia; docet proinde, quod hæc facultas ſit debita ipſi naturæ, & quod eatenus ſit gratia, quatenus gratis collata fuerit Adamo natura, cui hæc facultas ſit annexa. In altera vero apertius loquitur, dicendo, quod iſthæc gratia, ſeu facultas ita gratis originaliter collata fuerit Adamo, ut ad illius creationem naturaliter conſequeretur, eo quod naturæ ſanæ, & integræ, necdum per peccatum corruptæ ea eſſet debita. Hinc diſerte docet, ſtatum puræ naturæ, ſeu naturæ neque per peccatum corruptæ, neque elevatæ ad finem ſupernaturalem omnino repugnare; ſi enim debita eſſet naturæ humanæ in Adamo gratia, ſeu facultas ad Deum diligendum, ac deinde facialiter fruendum, non indigeret ulla elevatione gratiæ ſupernaturalis ad aſſequendum hunc finem; Docetque pariter ſuiſſe debitam naturæ ipſam integritatem, ac ſtatum innocentiæ, in quo fuit conditus Adam.

Ut diſtinctius procedamus, præmittimus explicationem multiplicis ſtatus naturæ humanæ; unde appareat, in quo diſcreparit Bajus hac in re a ſententia Catholica, & poſt Bajum Janſenius, & Auctor iſtarum theſium, qui totus eſt in promovendis erroribus Janſenii; ſicut Janſenius eructabat errores Baji, & Bajus Calvini; eſto aliis, aliiſque phraſibus unuſquiſque utatur, ne videatur reponere theſes jam proſcriptas, quas tamen proculdubio propugnat.

II. Naturæ ſtatus ex Suar. tom. 1. de Gratia proleg. 4. ſumitur a Theologis pro conditione, ſeu modo ſe habendi totius naturæ humanæ in ordine ad ſuum ultimum finem ſecundum legem Divinæ providentiæ. Communius in quadruplici ſtatu conſideratur natura humana; In ſtatu naturæ puræ, in ſtatu naturæ integræ, in ſtatu naturæ innocentis, & in ſtatu naturæ lapſæ, & reparatæ per Chriſtum. Status naturæ puræ ex Suar. loco laudato duo importat, alterum de poſitivo, quod natura humana ſit cum omnibus ſuis facultatibus naturalibus ſibi debitis; alterum de negativo, quod nihil habeat indebitum, & non exigitum a natura, ſive ſit bonum, ut gratia ſupernaturalis, ſive ſit malum, ut peccatum. In hoc autem ſtatu nunquam fuit natura humana, quia condita fuit cum gratia, & aliis donis ſupernaturalibus, quæ per culpam amiſit; fuit tamen poſſibilis hic ſtatus, ut communiſſime Theologi docent, quia potuit Deus hominem condere ſine donis ſupernaturalibus, & ſine culpa; gratiam autem antonomaſtice dictam, qua ſcilicet homo poſſit conſequi viſionem Dei, eſſe omnino indebitam, apud Catholicos eſt inconcuſſum. Requireretur tamen in omnium ſententia in ſtatu puræ naturæ aliqua gratia ordinis naturalis, quatenus Deus non tenetur ita combinare cauſas ſecundas, ut hic, & nunc conſurgat cogitatio congrua, qua ponatur actus bonus; unde quod ita cauſæ ſecundæ combinentur, beneficium indebitum eſt huic in particulari; quamvis univerſim toti naturæ debitum ſit, quod aliquando ponantur actus honeſti.

Status naturæ integræ, prout conſideratur a Bajo, Janſenio, & aliis Dogmatiſtis, non

non eſt aliud, quam ipſa natura pura non corrupta per peccatum, & prædita iis connaturalibus dotibus, quibus poſſit legem ſervare, & conſequi finem ultimum: ut proinde non diſtinguat inter naturam puram, & integram. At prout conſideratur a Theologis, fert, ultra perfectiones naturæ debitas, ſpecialem quandam perfectionem, quæ conſiſtit in carentia fomitis, & concupiſcentiæ effrænis, ſeu in perfecta ſubjectione appetitus ſenſitivi ad appetitum rationalem; adeo ut caro non concupiſcat adverſus ſpiritum per motus aliquos indeliberatos, & vehementes, qui rationi adverſentur, nec ſentiamus in membris noſtris aliam legem repugnantem legi mentis noſtræ. Hanc perfectionem eſſe naturæ debitam docuit Bajus, & poſt illum Janſenius, ut proinde dicant pertinere ad ſtatum naturæ puræ. Sed proſcripta fuit a Pio V., & Gregorio XIII. theſis illa Baji 26. dicens: *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.*

III. Status naturæ innocentis, ſeu juſtitiæ originalis complectitur non ſolum perfectiones proprias naturæ puræ, & integræ, ſed etiam alia privilegia, quibus Protoplaſtæ fuerunt a Deo donati, & quæ etiam nobis Deus donaſſet, niſi Adam peccaviſſet: ea ſunt, præter gratiam ſanctificantem, quæ dat jus ad beatitudinem ſupernaturalem, ſeu ad viſionem beatam indebitam naturæ, Primo immunitas a morte, juxta illud Sapien. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem; invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum*; & Deus comminatus fuit mortem Adamo, ſi peccaſſet, dicens Gen. 2. *De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*; quatenus ſcilicet ad mortem diſponebatur. Secundo immunitas a mortis veſtigiis, ſeu a doloribus, & ærumnis, quæ in natura pura, & integra eſſe poſſent. Tertio fuit Adam inſtructus ſcientia rerum naturalium illi ſtatui conſentanea, quæ fuit infuſa per accidens: de iis enim dicitur Eccleſ. 17. *Diſciplina intellectus replevit illos; creavit illis ſcientiam Spiritus, ſenſu implevit cor illorum, & mala, & bona oſtendit eis:* Inſtructus fuit pariter fide, & notitia rerum ſupernarum infuſa per ſe; ſiquidem ex Apoſtolo ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit:* Et ſimiliter voluntas prædita fuit tam virtutibus naturalibus per accidens infuſis, quam ſupernaturalibus per ſe infuſis, ut poſſit actus exercere, quibus ad finem ſupernaturalem conſequendum diſponeretur. Quarto virtutum iſtarum beneficio, & ſpeciali providentia Dei pars ſuperior ita fuit bene diſpoſita, ut careret cupiditatibus, & affectibus inordinatis, quæ rationi repugnarent, ac difficile redderent virtutum exercitium. Quinto pars inferior fuit plene ſubjecta ſuperiori, ita ut motus appetitus ſenſitivi ſubjicerentur appetitui rationali, nec ipſo invito conſurgerent. In quibus omnibus convenit Janſenius cum communiſſima Theologorum: diſcrepat ſolum in eo, quod doceat, aliter creari non potuiſſe Adamum, quam cum gratia, ac reliquis donis, putans creaturam rationalem non poſſe, niſi in pœnam peccati, eſſe ſine gratia ſanctificante, & obnoxiam morti, ac mortis veſtigiis: Et juxta hunc errorem procedunt hæ theſes, in quibus dicitur, gratia Adami non produxiſſe, niſi merita humana, orta ſcilicet principalius a facultate arbitrii, quam a gratia; & quod gratia iſta Adami ſit ſequela creationis, ac debitæ naturæ ſanæ, & integræ: Quod tamen proſcriptum jam fuerat in 21. ex theſibus Baji, quæ habet: *Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium Divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis; & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis:* Necnon in 14. ubi dicitur: *A vanis, & otioſis hominibus ſecundum inſipientiam Philoſophorum excogitata eſt ſententia, quæ ad Pelagianiſmum rejicienda eſt, hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per dona naturæ ſuperaddita fuerit largitate Conditoris ſublimatus, & in Dei Filium adoptatus.*

IV. Verum quidem eſt, quod juxta mentem Janſenii ad merita Adami, & Angelorum in ſtatu innocentiæ influxerit etiam gratia: at quia determinatio ad actum bonum habebatur a voluntate humana, idcirco ea merita vocat humana, ſicut dum concurrit habitus naturalis, & voluntas ad actum, talis actus dicitur eſſe a voluntate potius, quæ determinat ad illum, quam ab habitu, qui determinatur ad operandum. In ſtatu autem naturæ lapſæ, quia determinatio ad actum bonum eſt a gratia irreſiſtibili, idcirco merita iſta vocat merita gratiæ, & dona Dei. Hæc enim habet lib. 2. de Gratia Chriſti cap. 9. *Veriſſime propriiſſimeque juſtitia hominis, juſtitia humana, meritum humanum phraſibus Auguſtini nuncupari debet:* Et cap. 15. docet, *Non eſſe ſatis, quod gratia habitualis, aut quælibet actualis influat in meritum, ad hoc ut iſtud meritum ſit donum Dei, & non meritum liberi arbitrii, & humanum ab Auguſtino damnatum, ſed quod debeat eſſe gratia actualis dans operationem, & meritum.* Ac denique concludit: *Ad merita Adami, & Angelorum*

ſum concurriſſe gratiam habitualem, extra controverſiam eſt; immo & actualem influxum apertiſſime, certiſſimeque Auguſtinus docet; & tamen illa fuiſſe merita humana, non data, fuiſſe merita liberi arbitrii, non dona Dei, tradit. Catholici tamen docent, quod merita tam Adami, quam noſtra ſint dona Dei, quia in illis potiores partes ſunt gratiæ, quamvis arbitrium determinet; ſicuti potiores partes relate ad victoriam ſunt Ducis, quam militis, quamvis miles determinet ad pugnandum, quia Dux dirigit, ſuadet, præcipit, ſubminiſtrat arma: ſic in homicidio potiores partes ſunt mandantis, quam ſicarii exequentis illud: & a fortiori in caſu noſtro potiores ſunt partes gratiæ, quam arbitrii, ut explicavimus in theſi decima, & vigeſimaquarta.

V. Ex his autem Janſenii, & Calvini erroribus deſcendunt deinde duæ aliæ theſes, quæ proxime conſequuntur, in quibus aſſignatur diſcrimen eſſentiale inter gratiam in ſtatu innocentiæ, & in ſtatu naturæ lapſæ, quod ſcilicet gratia illa reciperetur in Adamo, & eſſet ei proportionata per hoc, quod operaretur ad determinationem arbitrii; hæc vero recipiatur in perſona Chriſti reſuſcitati, cui nos ſumus uniti, & in illo nos ſanctificet; ſitque omnipotens, & cui voluntas humana reſiſtere non poteſt: unde arbitrium operatur ad determinationem illius. Quod ſpectat ad hos errores, dicemus in ſequenti, & non ſemel diximus, gratiam iſtam Janſenianam libertatis everſivam eſſe inventum Heterodoxorum, nec eſſe dignam Filio Dei; unde nullatenus dari ſaltem quoad hoc in ſententia Catholica diſcrimen eſſentiale inter utramque gratiam, ſed utramque cohærere cum noſtra libertate, prout toties definitum eſt. Nunc adverſus duas theſes præſentes oſtendendum, quod gratia Adami non poſſit dici ſequela creationis, & debita naturæ humanæ non corruptæ per peccatum; nec poſſit dici, quod producebat merita humana, (in quibus ſcilicet potiores eſſent partes arbitrii, quam gratiæ) ſed merita, quæ ſunt donum Dei, non ſecus ac merita naturæ lapſæ, quamvis utraque procedant ex libera voluntatis determinatione, & non ex determinatione orta a gratia, ut contendit Queſnellus, & ante ipſum Janſenius.

VI. Et ſane quod creatio ita ſit donum Dei gratuitum, ut non poſſit dici gratia Theologica antonomaſtice dicta, vi cujus ordinamur ad gloriam, non poteſt in controverſiam revocari. Nam adverſus Pelagium definitum eſt, quod ad operationes ſalutares neceſſaria ſit gratia, nec tamen Pelagius negabat gratis nobis collatam fuiſſe creationem, & facultatem ad operationes honeſtas jure creationis debitam. Quare gratia ad operationes ſalutares non eſt ſequela creationis. Quod ſi ea deberetur naturæ ſanæ, & integræ, deberetur etiam naturæ per peccatum corruptæ, poſt peccatum omnino remiſſum per baptiſmum; unde poſſet homo nunc naturaliter exercere actus fidei, ſpei, & charitatis ſicut oportet ad ſanctificationem, quod eſt contra Concilium Arauſicanum, necnon contra Milevitanum can. 5. & Trident. ſeſſ. 6. can. 3. ubi anathematizatur, *qui dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur.* Sequela autem probatur, quia licet natura integra careret rebellione partis inferioris ad ſuperiorem, quam nunc patitur natura corrupta; at non ſemper iſta rebellio viget in nobis, ut conſtat experientia; atque adeo ſaltem quando iſta non viget, poſſent illi actus ſaltem remiſſi exerceri, ſicut oportet ad juſtificationem conſequendam; cum tamen certum ſit apud Catholicos, actus ſalutares non poſſe a nobis exerceri citra gratiam indebitam jure creationis, quæ antonomaſtice dicitur Gratia; & dicitur Gratia Theologica, quatenus cadit ſub Theologicam conſiderationem; ubi gratia debita jure creationis eſt ſolum Gratia Philoſophica. De illa quippe gratia Apoſtolus dixit ad Rom. 5. *Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Nec ſolum excluditur a tali gratia quæcumque exigentia illius phyſica, ſed etiam moralis orta a meritis naturalibus, ut docet idem Apoſtolus dicens ad Rom. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia.* & ad Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.*

Hinc Ezech. 15. dicitur: *Quid fiet de ligno vitis? etiam cum erat integrum, non erat aptum ad opus; quanto magis cum illud ignis devoraverit, & combuſſerit, nihil ex eo fiet operis?* Quæ verba in ſenſu literali Hieronymus intelligit de Civibus Hieroſolymitanis; in ſenſu vero ſpirituali de natura humana, quæ ſine adjutorio gratiæ nihil operari poterat conferens ad vitam æternam, etiam cum eſſet integra. Quod ſimiliter docuit Arauſicanum can. 19. ubi habet: *Natura humana, etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſeipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret. Unde cum ſine gratia Dei ſalutem non poſſet cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?* Quare Concilium ex neceſſita-

te

te gratiæ debitæ naturæ in ſtatu integritatis arguit ad neceſſitatem ejuſdem gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ, ut proinde in utroque ſtatu merita noſtra ſint donum Dei, quamvis ſint etiam merita noſtra, per hoc quod libere nos gratiæ cooperemur.

VII. Confirmatur auctoritate Patrum, & Scholaſticorum. Auguſtinus in Enchir. cap. 106. loquens de natura ante peccatum habet: *Sine gratia tunc nec ullum meritum eſſe potuiſſet, quia etſi peccatum in ſolo arbitrio erat conſtitutum; non tamen juſtitiæ habendæ, vel retinendæ ſufficiebat liberum arbitrium, niſi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur.* Et lib. de correp. & Grat. cap. 51. *Nec ipſum ergo Deus eſſe voluit ſine ſua gratia, quem reliquit in ejus libero arbitrio; quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit; ad bonum autem parum eſt, niſi adjuvetur ab omnipotente bono. Quod adjutorium ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus: ſed deſeruit, & deſertus eſt. Tale quippe erat adjutorium, quod deſereret, cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet. Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adamo.* Quid luculentius dici poteſt ad ſignificandum, quod natura humana in ſtatu innocentiæ indigebat gratia ad ſalutariter operandum, & ad perſeverandum in bono, qua tamen non indigebat ad amplexandum malum? conſtat itaque quod gratia illi collata non fuerit ſequela creationis, nec ejus merita fuerint humana, ſed dona Dei. Hanc gratiæ neceſſitatem ad ſalutariter operandum etiam in ſtatu naturæ innocentis inferunt communiſſime Patres contra Pelagium, & Maſſilienſes ex illo Apoſt. 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* ſiquidem hoc teſtimonium Apoſtoli æque comprehendit opera ſalutaria naturæ lapſæ, ac integræ, ut diſerte oſtendit Divus Anſelmus lib. de Caſu Diaboli cap. 1. cujus titulus eſt: *Quod etiam ad Angelos dicatur, Quid habes, quod non accepiſti?* & D. Bernardus ſerm. 1. de Annunc. habet: *De bonis operibus certum omnino eſt, quod nemo habeat a ſeipſo. Nam ſi ſtare non potuit humana natura adhuc integra, quanto minus poterit per ſeipſam reſurgere jam corrupta!* ubi ſupponit Mellifluus neceſſitatem gratiæ in ſtatu naturæ integræ tanquam omnino certam, & inde infert neceſſitatem gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ ad ſalutariter operandum. Et Serm. 22. in Cant. aſcribit Angelorum perſeverantiam auxilio gratiæ, non minus quam gratiæ debet homo ſuam reſurrectionem a peccato, dicens: *Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo, ne laberetur, ſic illum de captivitate eruens, ſicut iſtum a captivitate defendens; Et hac ratione fuit æque utrique redemptio, ſolvens illum, & ſervans iſtum.*

VIII. Quod attinet ad Scholaſticos, quorum doctrina magis conſulenda eſſet, quam Janſenii, Baji, Calvini, & Lutheri, communiſſime docent, non repugnare ſtatum puræ naturæ, in quo homo per ſuas operationes honeſtas, quas ponere potuiſſet beneficio gratiæ Philoſophicæ, quæ eſſet ſequela creationis, non poſſet mereri, nec conſequi beatitudinem ſupernaturalem, ſeu viſionem Dei, ſed ſolam beatitudinem naturalem, conſiſtentem in cognitione abſtractiva Dei valde intenſa, & dilectione, ac fruitione Dei conſentanea: ad quam duntaxat homo, & Angelus aſpirare potuiſſent deſtituti auxilio gratiæ Theologicæ. Angelicus quæſt. 4. de malo art. 1. habet: *Carentia divinæ viſionis dupliciter competit alicui: Uno modo ſic, ut non habeat in ſe, unde poſſit ad Divinam viſionem pervenire; & ſic carentia Divinæ viſionis competeret ei, qui in ſolis naturalibus eſſet abſque peccato; ſic etiam carentia Divinæ viſionis non eſſet pœna, ſed defectus conſequens omnem naturam creatam, &c.* Scotus pariter in 2. diſt. 28. habet: *Potuit aliquis eſſe in puris naturalibus tam ſine gratia, quam ſine culpa.* Similiter Suarez Proleg. 4. de Gratia cap. 1. Vaſquez in p. 2. diſp. 185. cap. 12. Bellarm. de Grat. primi hom. cap. 1. & alii paſſim.

IX. Accedunt demum rationes Theologicæ. Primo quidem, quia actus ſalutares meritorii gloriæ in omnium Catholicorum ſententia ſunt intrinſece ſupernaturales in natura lapſa: ergo etiam in ſtatu naturæ integræ: ſiquidem Sacri Scriptores, & Patres de utriſque actibus eodem modo loquuntur, & juſtitia habitualis utriuſque ſtatus eſt ejuſdem ſpeciei; ergo tam in ſtatu naturæ lapſæ, quam in ſtatu naturæ ſanæ, & integræ requiritur gratia Theologica, & ſupernaturalis, quin ſufficiat gratia Philoſophica, quæ eſt ſequela creationis ad hos actus eligendos; ac proinde Gratia Adami non producebat merita humana, quæ originaliter deberentur naturæ humanæ, ſed merita, quæ eſſent dona Dei; non ſecus ac ſunt dona Dei merita producta a gratia in ſtatu naturæ lapſæ.

Secundo, quia viſio beata ſive ponatur a natura integra, ſive a natura lapſa, & reparata, haberi nequit abſque lumine gloriæ ſupernaturali elevante, & confortante intellectum ad Deum videndum, prout ex Concilio Viennenſi in Clementina *Ad noſtrum* de Hæreticis, ut communiter docent cum

An-

Angelico p. 1. quæſt. 12. art. 5. ergo nec actus meritorii talis viſionis poſſunt haberi, niſi a gratia ſupernaturali, tam in natura ſana, quam in natura lapſa. Conſequentia ſequitur, quia medium, & finis, nempe meritum, & præmium ſpectant ad eundem ordinem; aliter non diceretur 1 ad Timoth. 6. quod *Deus lucem habitet inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt*, ideſt viribus naturæ debitis.

Tertio demum, quia ex doctrina Eccleſiæ contra Pelagium gratia Theologica in natura lapſa eſt ſimpliciter neceſſaria ad actus ſalutares; ergo etiam in natura ſana. Probatur conſequentia, quia ſi natura ante peccatum poſſet abſque gratia Theologica ſalutariter operari, poſt peccatum ea non eſſet neceſſaria ad poſſe ſimpliciter, ſed ſolum ad facile poſſe ſalutariter operari; tum quia poſt peccatum integræ remanſerunt vires naturales hominis & Angeli, ut expreſſe docet D. Dionyſius, & cum eo Theologi communiter; imo Angelicus ſ. 4. contra Gentes cap. 52. aſſerit hanc doctrinam eſſe de fide; tum etiam quia concupiſcentia, quæ poſt peccatum inclinat in objectum turpe, reddit ſolum difficiles, non impoſſibiles phyſice operationes honeſtas, quas poterat natura ponere ante peccatum. Ex quibus omnibus fit, repugnare, tum quod gratia Adami produxerit merita humana, quæ ſcilicet potius arbitrio debeantur, quam gratiæ, nec ſint dona Dei, ſicut merita, quæ producuntur a gratia in ſtatu naturæ lapſæ; tum etiam, quod gratia Adami fuerit ſequela creationis, & debita naturæ ſanæ, ac integræ. Hinc proſcripta fuit ſeptima illa Baji theſis dicens: *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, ſed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non recte vocantur gratia, quo fit, ut tantum merita, non gratia debeant nuncupari.*

X. Opponitur primo ex Janſenio lib. 2. cap. 1. ubi nititur probare, quod creatura rationalis non poſſit a Deo condi ſine gratia, hoc eſt ſine facultate ad Deum diligendum in hac vita, ut eo frui poſſit in alia; ut proinde repugnet ſtatus puræ naturæ, & gratia in ſtatu innocentiæ, quæ ſit ſequela creationis, & producens merita humana orta ex libertate arbitrii, & non ex mero dono Dei: Et hujuſmodi contendit eſſe merita in ſtatu naturæ lapſæ: in quibus nullas partes habet arbitrium, ſed ſolum conceduntur nobis a gratia, quam vocat omnipotentem, & dignam Filio Dei, & quam putat eſſentialiter differre a Gratia Adami, de qua multa dicit lib. 3. de lib. arb. cap. 13. & 20. ad oſtendendum, quod licet ea ſit naturalis, quatenus eſt ſequela creationis, adhuc tamen poſſit dici ſupernaturalis, & excedens vires naturæ, & hac ratione gratia, quatenus omnino gratuito Deus creat creaturam rationalem ordinatam ad Deum videndum, quin poſſit per vires naturæ creatura iſta condi ad hunc ſublimiſſimum finem ordinata. Ubi revera ſolum docet, quod ſit gratia in eo ſenſu, in quo a Pelagio non negabatur requiri gratiam ad operationes ſalutares, qui, ut diximus, damnatus eſt ab Eccleſia. Sed hoc omiſſo, ſic ratiocinatur ad rem noſtram.

Creatura rationalis non poteſt a Deo condi, niſi recta, & bona; non poteſt autem eſſe recta, & bona, quin ſimul poſſit natura ſua Deum diligere, ac Deo frui; ergo repugnat creatura rationalis non ordinata ad Deum diligendum, & videndum, ſeu quæ ſit in ſtatu puræ naturæ. Major liquet, quia ſi creatura rationalis conderetur mala, ſeu cum culpa, Deo hæc imputaretur, ac Deus eſſet illius auctor. Minor probatur, quia unumquodque eatenus dicitur bonum, quatenus eſt aptum ad finem ſuum; neque enim gladius v. gr. quamvis ſit aureus, dicitur bonus, ſi non ſit aptus ad feriendum, nec ſerra dicitur bona, ſi non ſit apta ad ſecandum: finis autem creaturæ rationalis eſt Deum ex toto corde diligere, ac eo frui; ergo ut creatura rationalis ſit bona, debet poſſe natura ſua ad hunc finem tendere. Eſt quippe natura rationalis imago divinitatis, & idcirco tam immenſæ capacitatis, ut nullo alio bono ſatiari poſſit, ac beari, niſi ipſa Dei immenſitate, ut loquitur Auguſt. lib. de natura boni cap. 7. & lib. 4. de Trin. cap. 8. Ex alia parte impoſſibile eſt, ut creatura tanto bono fruatur, niſi hoc per magnam gratiam Deus illi largiatur; ſiquidem vera Dei dilectio, etiam ut Auctoris naturæ, excedit vires naturales, ut proinde nec ipſa beatitudo naturalis, quam Platonici reponebant in contemplatione, & fruitione Dei, teſte Auguſtino lib. 10. de Civit. cap. 6. ſine gratia obtineri poſſet, ut idem Auguſtinus affirmat lib. 14. de Trin. cap. 9. & lib. 10. de Civit. cap. 29. Quare ſi nec beatitudo naturalis ſine gratia propter infirmitatem virium humanarum comparari poteſt, ſequitur, creaturam rationalem condi non poſſe a Deo ſine gratia, ſeu in ſtatu puræ naturæ; ac proinde Adamum conditum fuiſſe cum gratia, quæ tamen ſolum fuit ſequela creationis, qua poſſet Deum diligere, ac tandem eo frui.

Confirmat id Janſenius cap. 3. & 9. quia

vi-

viſio Beata (quam Catholici omnes docent eſſe beatitudinem ſupernaturalem) negari non poteſt creaturæ rationali innocenti citra injuſtitiam ; ſiquidem ea miſera eſſet, ſi beatitudinem iſtam , quam valde exoptat , obtinere non poſſet ; Deus autem citra injuſtitiam condere non poteſt creaturam , quæ ſit in perpetuum miſera , non præſuppoſita illius culpa aut originali , aut perſonali, ut docet Aug. lib. 3. contra Julian. cap. 3. qui etiam lib. 1. cap. 18. adverſus Pelagianos contendit , quod Deus non poſſet citra injuſtitiam negare parvulis adoptionem filiorum , ſi abſque peccato originali naſcerentur , ut ipſi ſomniabant ; ergo ut prius .

Reſpondetur tamen , duplicem dari beatitudinem , alteram naturalem ſitam in cognitione Dei abſtractiva conſentanea meritis uniuſcujuſque , & in dilectione ad illam conſequente ; alteram ſupernaturalem ſitam in viſione clara Dei , ac ejuſdem fruitione . Ad illam fertur creatura rationalis appetitu innato : ad iſtam vero ſolum appetitu elicito , ſeu actuali deſiderio reſpiciente bonum naturaliter indebitum . Prioris beatitudinis habet exigentiam naturalem ; poſterioris vero ſolum capacitatem obedientialem : cum ſit bonum cuicumque creaturæ exiſtenti , & poſſibili indebitum ; eo quod ex Apoſtolo *Deus lucem habitet inacceſſibilem , quem nullus hominum vidit , nec videre poteſt* , niſi adjutus lumine gloriæ prorſus indebito . Hinc ad argumentum Janſenii concedimus , creaturam rationalem non poſſe a Deo condi non rectam , & ſine exigentia naturalis tantum beatitudinis , quam viribus naturalibus poſſet aſſequi . Et quamvis ad Deum diligendum , & ad beatitudinem naturalem aſſequendam requireretur aliqua gratia , ea eſſet ordinis naturalis , ſpectans ad naturalem Dei providentiam , quatenus ita combinaret cauſas ſecundas , ut hic & nunc conſurgat cogitatio congrua , ad quam libere Dei dilectio conſequatur ; unde Dei dilectio non excedit vires naturales . Solum quippe excedit vires naturales Dei dilectio ſalutaris , quæ ſit meritoria beatitudinis ſupernaturalis ; proſcripta ſiquidem eſt tam propoſitio 32. Baji dicentis : *Diſtinctio illa duplicis amoris , naturalis videlicet , quo Deus amatur ut auctor naturæ , & gratuiti , quo Deus amatur ut Beatificator , vana eſt , & commentitia , ad illudendum ſacris litteris , & plurimis veterum teſtimoniis excogitata ;* quam 33. quæ habet : *Amor naturalis , Dei ſcilicet , qui ex viribus naturæ exoritur , ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ cum injuria Crucis Chriſti defenditur a nonnullis Doctoribus* . Mirum autem eſt , quod poſt tam ſolemnes proſcriptiones Janſenius iterum eoſdem errores reponat , (eſto ab iis cenſuris abſtineat) iterumque Queſnellus in iis fundamentis plane dirutis machinam ſuam extollat .

XI. Ad confirmationem , cum viſio beata , ſeu beatitudo ſupernaturalis ſit omnino indebita , citra injuſtitiam poſſet illa a Deo denegari ; nec creatura rationalis ea in perpetuum carens eſſet miſera , ſed omnino felix , ſi beatitudinem naturalem obtineret , quam ſolum appetit appetitu innato ; propterea damnata eſt propoſitio illa XI. Baji dicentis : *Quod pie , & juſte in hac vita mortali converſati vitam conſequimur æternam , id non proprie gratiæ Dei , ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis conſtitutæ juſto Dei judicio deputandum eſt ; neque in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur , ſed tantum ad primam inſtitutionem generis humani , in qua lege naturali conſtitutum eſt , ut juſto Dei judicio obedientiæ mandatorum vitæ æterna reddatur* .

Neque dicas , quod ſolum poſt culpam requiratur gratia Dei ad Deum videndum , non vero in ſtatu naturæ innocentis . Nam lex iſta naturalis , ut obedientiæ mandatorum ſecundum ſe rependatur vita æterna , ſeu viſio Dei , eſt contra mentem ſanctorum Patrum , & Eccleſiæ . Hinc Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 6. habet : *Videri Deus humano viſu nullo modo poteſt , ſed eo viſu videtur , quo jam qui vident , non homines , ſed ultra homines ſunt* . Quando autem Auguſtinus dicit , quod citra injuſtitiam denegari non poſſet Dei viſio infantibus , ſi abſque originali naſcerentur , loquitur in præſenti providentia , & ſuppoſita elevatione ad finem ſupernaturalem , ad quem cæteroqui poterant non elevari ; ea enim poſita non poſſunt , niſi per peccatum , excludi a regno Dei : unde Chriſtus Dominus Matth. 5. dixit : *Beati mundo corde* (hoc eſt immunes a culpa) *quoniam ipſi Deum videbunt* .

XII. Opponitur ſecundo id , quod Auguſtinus docet lib. de corrept. & gratia cap. 11. , ubi diſtinguit inter operationes ſalutares in ſtatu naturæ innocentis , & in ſtatu naturæ lapſæ , illas dicit eſſe meritum gloriæ , & gloriam dicit eſſe mercedem talis meriti ; iſtas vero dicit eſſe donum gratiæ : ergo in ſtatu innocentiæ requiritur quidem gratia ad merendam gloriam , non tamen gratia indebita jure creationis , & quæ ſit merum donum Dei , ſed gratia , quæ producat merita humana . Hæc ſunt verba Sancti Doctoris , loquentis de vita æterna reſpondente meritis primi hominis , & Angelorum :

Quæ futura erat & homini, ſicut facta eſt Angelis, merces præmii; nunc autem per peccatum, perdito bono merito, in iis, qui liberantur, factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.

Confirmatur primo, quia Auguſt. lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 15. diſerte videtur docere, quod gratia Adamica nonniſi merita humana produxerit, quæ tamen per lapſum Protoparentis omnino perierunt; hæc enim habet: *Sicut prædeſtinatus eſt ille unus, ut caput noſtrum eſſet; ita multi prædeſtinati ſunt, ut membra ejus eſſemus. Humana hic merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam, & regnet Dei gratia per Chriſtum Dominum noſtrum.* Ex quibus verbis inferunt Janſeniani, merita in ſtatu naturæ innocentis fuiſſe ex gratia relinquente libertatem ad peccandum, & quæ eſſet naturæ ſanæ debita, & ſequela creationis; merita vero in ſtatu naturæ lapſæ eſſe ex gratia medicinali indebita, ac determinata ad bonum; unde ſint dona Dei,, quippe quæ profluunt a gratia citra libertatem indifferentiæ ad illi reſiſtendum.

Confirmatur ſecundo ex eodem Auguſtino, qui loquens de meritis Adami lib. de corrept. & grat. c. 12. habet: *Unde autem non glorietur caro, niſi de meritis ſuis? Quæ quidem potuit habere, ſed perdidit; & per hoc quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc eſt, per liberum arbitrium: propter quod non reſtat liberandis niſi gratia Liberantis.* Quare Adam per liberum arbitrium, quod ſibi connaturaliter debetur, habere potuiſſet merita; contra vero in natura lapſa non habentur merita, niſi per gratiam Redemptoris; atque adeo gratia requiſita in ſtatu innocentiæ eſt ſequela creationis, non gratia Redemptoris.

Reſpondetur, Auguſtinum non negare, quod in ſtatu innocentiæ gloria, quæ eſſet merces meritorum, eſſet etiam in ſua radice gratia omnino indebita naturæ jure creationis; ſicuti non poteſt negare, quod vita æterna ſit etiam merces meritorum in natura lapſa; dixit enim epiſt. 105. ad Sixtum: *Sicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors, ita merito juſtitiæ tanquam ſtipendium vita æterna.* Ratio autem, quare Auguſtinus diverſimode loquatur de gratia collata in ſtatu innocentiæ, ac de ea, quæ confertur in natura lapſa, vocando illam mercedem, & hanc donum, eſt multiplex, ut dicemus in theſibus immediate ſequentibus, agentes de diſcrimine inter utramque gratiam. Prima eſt, quia in ſtatu naturæ lapſæ gratia datur homini poſitive indigno per peccatum; & ideo eſt ſpecialiſſimo titulo gratia, & donum Dei: unde Auguſtinus in Enchir. cap. 106. dicit: *Sed poſt illam ruinam major eſt miſericordia Dei, quando & ipſum liberum arbitrium liberandum eſt a ſervitute, cui dominatur cum morte peccatum.* Secundo, quia ad vitam æternam conſequendam poſt peccatum requiritur redemptio, quæ abſque virtute Hominis Dei haberi non poteſt: quare virtus hæc redemptiva, quæ in natura lapſa eſt neceſſaria, eſt gratia longe præſtantior, quam gratia collata Adamo ante culpam ad gloriam adipiſcendam. Quod explicavit Auguſtinus lib. de corrept. & gratia cap. 11. dicens: *Nunc potentiori gratia indigent iſti; & quæ potentior, quam Dei unigenitus Filius æqualis Patri pro eis homo factus, & ſine ullo vel originali, vel proprio peccato ab hominibus peccatoribus crucifixus?* Tertio, quia in natura lapſa confertur ex meritis Chriſti gratia uberior ad ſuperandam concupiſcentiam, quæ bonis operibus contradicit, & repugnat; quæ repugnantia non habebatur in ſtatu innocentiæ. Quod pariter docuit Auguſtinus loco laudato dicens: *Ille non opus habebat hoc adjutorio, quod implorant iſti cum dicunt: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, quoniam in eis caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem; atque tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari ſibi pugnandi, vincendique virtutem per Chriſti gratiam poſcunt. Ille vero nulla tali rixa a ſeipſo adverſus ſeipſum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur.* His igitur de cauſis ab Auguſtino vita æterna dicitur eſſe facta donum gratiæ poſt lapſum Adæ, quæ ante peccatum primis hominibus futura erat merces meriti.

Ad primam Confirmationem, ex contextu ſatis colligitur, quod Auguſtinus ibi ſolum contendat, nulla eſſe de facto in nobis merita ad primam gratiam obtinendam, eo quod per lapſum Adæ e ſtatu gratiæ exciderimus. Ratio autem, cur Sanctus Doctor merita ſupernaturalia in ſtatu naturæ innocentis appellet merita humana, non eſt, ut contendunt Janſeniani, quia in eo ſtatu erat debita naturæ gratia actualis, ſub qua ponerentur; adeo ut repugnet ſtatus puræ naturæ, (quæ ſcilicet tam peccato careat, quam gratia) neque ex eo, quod in ſtatu naturæ innocentis relate ad merita ſupernaturalia potiores eſſent partes arbitrii ſe determinantis ad bonum, quam gratiæ, quę ab arbitrio determinabatur ad merita cauſanda: non ſecus ac habitus naturalis a voluntate determinatur ad influendum in actum;

ctum; utrumque enim eſt commentitium, & a Catholica doctrina diſcrepans : Sed vocantur merita humana primo, quia ſuppoſito illo gratuito decreto de elevanda natura humana ad finem ſupernaturalem, erat homini debita gratia, qua poſſet mereri gloriam. Quia vero per peccatum Protoparentis etiam poſteri ex illo felici ſtatu exciderunt, idcirco in ſtatu naturæ lapſæ omnino gratis confertur nobis gratia ad gloriam promerendam præciſe ex meritis Redemptoris, juxta illud Apoſtoli ad Rom. 3. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu* : & propterea Auguſtinus dicit, merita illa humana per Adam periiſſe, & ſolum regnare nunc gratiam per Chriſtum. Secundo ea merita dicebantur humana, quia gratia, ſub qua ponebantur, non præſupponebant in homine poſitivam indignitatem, ſicut præſupponit gratia, quæ confertur in ſtatu naturæ lapſæ; quare merita in ſtatu naturæ innocentis dicebantur humana, quamvis eſſent ſupernaturalia, quia non indigebant divina Chriſti Domini redemptione, qua homines liberarentur a reatu culpæ, ratione cujus erant poſitive indigni; quia tamen hac redemptione indigent merito in ſtatu naturæ lapſæ, ut divinæ juſtitiæ ſatisfiat, ideo merita nunc dicuntur eſſe Dei dona. Denique merita ſupernaturalia in ſtatu naturæ innocentis humana dicuntur, quia tunc erant homini conſentanea ſub eo gradu gratiæ, quæ juxta ordinem providentiæ conferebatur. Cum autem per lapſum Adæ natura humana ſubjecta ſit concupiſcentiæ, ac dæmonis dominatui, ideo indiget uberioribus gratiæ auxiliis per Chriſti merita conferendis ad victoriam reportandam; & hac de cauſa in ſtatu naturæ lapſæ dicitur gratia regnare per Chriſtum, qui Jo. 10. dicit : *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.*

XIII. Ad ſecundam confirmationem; In utroque ſtatu naturæ innocentis, & lapſæ poſſunt haberi merita in ordine ad gloriam ratione gratiæ; & in utroque ſtatu amittitur gratia, & amittuntur merita per liberum arbitrium : poſt lapſum tamen ſpeciali modo requiritur gratia per Chriſtum, ut poſſimus mereri gloriam; tum quia debet nos liberare a ſervitute peccati; unde requiritur Incarnatio neceſſaria ad hominis redemptionem, & liberationem; tum etiam quia habetur poſitiva indignitas in ſubjecto ratione culpæ : tum demum quia ad ſuperandam repugnantiam concupiſcentiæ effrænis requiritur gratia uberior, quam in natura innocente. Et ideo licet in utroque ſtatu requiratur gratia ad merendam gloriam; in ſtatu tamen naturæ lapſæ requiritur ſpeciali titulo gratia, quæ ſit gratia Liberatoris, ſeu ordinata ad liberandum hominem a culpa; quæ non requiritur in ſtatu naturæ innocentis. Hinc Auguſtinus ſæpe merita naturæ lapſæ vocat dona Dei, non quia non ſunt etiam dona Dei merita naturæ innocentis, ſed quia ſpeciali titulo ea ſunt dona, & ratione poſitivæ indignitatis in ſubjecto, & ratione Incarnationis neceſſariæ ad redimendum, & liberandum hominem a ſervitute peccati, & ratione infirmitatis ortæ a concupiſcentia ſoluta, ad quam ſuperandam requiritur major gratia, quæ reddat moraliter poſſibilem victoriam tentationum; quod mox iterum dicemus excludendo diſcrimen eſſentiale, quod Janſeniani comminiſcuntur inter gratiam Adami in ſtatu innocentiæ, & gratiam Chriſtianam in ſtatu naturæ lapſæ.

Advertendum tamen primo, proſcriptam fuiſſe illam Baji propoſitionem : *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur Gratia*; necnon alia, quæ habet : *Et bonis Angelis, & primo homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, non gratia.* Quare tam merita Adami, quam felicitas his meritis debita, dicenda ſunt gratiæ, atque adeo nullatenus exigita a natura Adami : unde non ſunt gratia, quæ ſit ſequela creationis; nec merita Adami fuerunt humana, in ſenſu Auctoris, qui eſt, quod relate ad illa non haberet primas partes gratia, ſed arbitrium humanum, nec eſſent donum Dei, ut merita in natura lapſa. Utraque enim æqualiter ſunt Dei dona, & ex arbitrii determinatione proveniunt, ut mox iterum explicabimus.

Advertendum etiam, quod licet gratia collata Adamo, ac naturæ innocenti fuerit indebita naturæ ſecundum ſe ſpectatæ, atque adeo non fuerit ſequela creationis, erat tamen debita eidem naturæ prout elevatæ ad finem ſupernaturalem, quatenus poſita tali elevatione ad divinam providentiam ſpectabat conferre media conſentanea ad illum finem conſequendum. At poſt peccatum meruit Adam, ut ipſe, & tota ejus poſteritas privaretur in æternum omni dono ſupernaturali, & auxilio indebito ſive ad impetrandam remiſſionem culpæ, ſive ad gloriam; & ideo gratia, quæ poſt peccatum nobis confertur ex Chriſti meritis, ſola dici poteſt propriiſſime, & antonomaſtice gratia; quia non ſolum confertur citra omne noſtrum meritum, ſed etiam contra meri-

tum noſtrum, & cum debito noſtro ea carendi in perpetuum : quod tamen debitum diſſolutum, & extinctum fuit per Chriſti mortem, ejuſque merita, quæ nobis applicantur per Sacramenta tanquam per inſtrumenta moralia ſuæ paſſionis. Quæ omnia mox palam fient, oſtendendo diſcrimen inter gratiam Adamicam, & Chriſtianam, ſeu inter gratiam ſanitatis, & medicinalem non eſſe diſcrimen eſſentiale, ſed mere accidentale.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXXIV.

TRigeſima quarta docet, gratiam Adamo in ſtatu naturæ ſanæ, & integræ collatam ſolum produxiſſe merita humana, ut proinde diſcriminetur a gratia medicinali collata ex meritis Chriſti D. in ſtatu naturæ lapſæ, quæ non producit merita humana, ſed confert dona Dei, ut loquitur Janſenius, qui lib. 2. de grat. Chriſti hæc habet: *Ad merita Adami, & Angelorum concurriſſe gratiam habitualem, extra controverſiam eſt; immo & actualem influxum, apertiſſime, certiſſimeque Auguſtinus docet; & tamen illa fuiſſe merita humana, non data; fuiſſe merita liberi arbitrii, non dona Dei, tradit.* In duplici autem ſenſu ab his auctoribus ea merita per gratiam Adamicam producta dicebantur *Humana*. Primo quidem, quia gratia, qua producebantur, erat debita naturæ humanæ integræ, & ſanæ, eratque ſequela creationis, ut habet Queſnellus in theſi ſequenti; Contra vero gratia Chriſtiana, quæ confertur naturæ per peccatum corruptæ, nullatenus eſt illi debita, ſed gratis donatur vi meritorum Chriſti. Secundo, quia gratia Adamica erat *Adjutorium, ſine quo non*, ut proinde relinqueret humanæ voluntati libertatem ad operandum, vel non operandum: at gratia medicinalis Chriſti eſt *Adjutorium quo*, non relinquens voluntati libertatem a neceſſitate, ſed ſolum relinquens libertatem a coactione; & ideo merita in ſtatu innocentiæ erant merita humana; in quibus primæ partes eſſent arbitrii humani determinantis gratiam ad operandum; merita vero in ſtatu naturæ lapſæ ſunt merita data, & dona Dei, in quibus primæ partes ſunt ipſius gratiæ, quæ determinat voluntatem ad operandum. At utrumque eſt commentitium, & doctrinæ Catholicæ adverſatur; Falſum enim eſt primo, quod gratia Adamo collata fuerit ſequela creationis, ac debita naturæ humanæ ſanæ, & integræ, ut mox dicemus. Falſum deinde eſt, quod gratia, quæ in ſtatu naturæ lapſæ per Chriſti merita confertur, determinet voluntatem ad operandum, relinquendo ſolam libertatem a coactione, ut conſtat ex proſcriptione tertiæ theſis Janſenianæ. Nec Auguſtinus unquam fuit in hac hæreſi, ut delirat Janſenius; quamvis diverſimode loquatur de gratia Adamica, ac de gratia Chriſtiana ob triplicem accidentalem diverſitatem, quam inter ſe habent, ut dicemus in theſi trigeſimaſeptima. Falſum denique eſt, quod gratia, quæ confertur in ſtatu naturæ lapſæ, cauſet tantum Dei dona, & non etiam merita noſtra, prout cauſabantur in ſtatu innocentiæ; cum in utroque ſtatu verum ſit illud Apoſtoli 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti?* Unde Trident. ſeſſ. 6. can. 32. definit: *Hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut ſint etiam bona ipſius juſtificati merita.* Docet quidem Auguſtinus, merita naturæ innocentis fuiſſe humana; cum dicat lib. 1. de Præd. Sanctor. cap. 15. *Humana hic merita conticeſcant, quæ perierunt per Adam, & regnet Dei gratia per Chriſtum.* At ex contextu ſatis liquet, ea merita non vocaſſe *Humana* in ſenſu, in quo proſcribitur prima theſis Baji, dicens: *Nec Angeli, nec primi hominis merita recte vocantur gratia;* in quo ſenſu loquitur Queſnellus dicens in hac theſi, quod *gratia Adami nonniſi merita humana produxerit;* & ideo in theſi ſequenti dicit, Gratiam iſtam fuiſſe debitam naturæ ſanæ. Sed ea merita appellat Humana Auguſtinus: Primo, quia ſuppoſita elevatione gratuita hominis ad finem ſupernaturalem, debebatur homini gratia; qua poſſet mereri gloriam, quin tamen ea deberetur poſt Adæ peccatum. Secundo, quia merita, quamvis orta ex gratia, non præſupponebant in ſtatu naturæ innocentis poſitivam indignitatem hominis ad talem gratiam, ſicut ſupponunt merita in ſtatu naturæ lapſæ poſt peccatum Adæ ratione cujus neceſſaria eſt divina Redemptio, ut poſſit homo a culpa liberari per exhibitionem condignæ ſatisfactionis, & ſic gloriam mereri. Tertio, quia merita in ſtatu naturæ innocentis erant a gratia in eo gradu, in quo erat homini conſentanea juxta ordinem divinæ providentiæ; At in ſtatu naturæ lapſæ requiritur gratia uberior per Chriſtum ad ſuperandam dæmonis, & concupiſcentiæ tyrannidem.

ANA-

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXXV.

TRrigeſima quinta docet, gratiam Adamo collatam fuiſſe ſequelam creationis, ac debitam ejus naturæ ſanæ, ac integræ; ut proinde diſcriminetur a gratia, quæ confertur in ſtatu naturæ lapſæ omnino gratuita ex meritis Chriſti D. juxta illud Rom. 3. *Juſtificati gratis per gratiam*. Cohæret hæc theſis cum vigeſimaprima Baji, quæ habet: *Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis; & proinde naturalis dicenda eſt, non ſupernaturalis*. Sed vehementer utraque errat; etiam gratia, qua divinam naturam participamus, excludit omnem præviam exigentiam, non ſolum phyſicam, ſed etiam moralem; dicente Apoſtolo ad Rom. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia*. Hoc pariter definit Concilium Arauſicanum can. 19. hoc Patres, ac Scholaſtici docent, ac oſtendunt communiſſime.

PROPOSITIO XXXVI.

Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatus innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quod primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet: iſta vero non recipitur, niſi in perſona Jeſu Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus. *Queſnel. Rom. 7. 4. edit. 1693.*

PROPOSITIO XXXVII.

Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata; Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Jeſu Chriſto, eſt omnipotens, & digna Filio Dei. *Queſnel. Epheſ. 1. 6. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. In eo reponitur a Janſenio eſſentiale diſcrimen inter gratiam Adamicam, & Chriſtianam, quod gratia medicinalis, quæ per Chriſtum confertur in ſtatu naturæ lapſæ, utpote omnipotens, ſit irreſiſtibilis, libertatem evertat, ac in perſona Chriſti recipiatur; ſecus vero gratia collata naturæ innocenti.

II. Quod gratia, qua ſanctificamur, nobis inhæreat, docet diſerte Tridentinum. III. Quod autem gratia actualis libertatem non evertat, nec ſit irreſiſtibilis, ſpectat ad ipſius gratiæ commendationem; ſicut ſpectat ad commendationem Omnipotentiæ, quod poſſit condere creaturas liberas. IV. In utroque ſtatu naturæ innocentis, & lapſæ datur Adjutorium ſine quo non, ſeu gratia pure ſufficiens, & Adjutorium quo, ſeu gratia efficax; in utroque etiam ſtatu datur gratia pertinens ad intellectum, ſeu illuſtratio ſupernaturalis, & gratia ſpectans ad voluntatem, quæ dicitur Inſpiratio. V. Commentitium eſt, quod gratia Adamica ſolum det poſſe; gratia vero Chriſtiana det ſimul poſſe, ac velle.

VI. Hoc eſſentiale diſcrimen inter gratiam medicinalem, & gratiam ſanitatis per ſummam injuriam tribuitur Auguſtino. VII. Quamvis natura lapſa ſit debilis, non eatenus eſt incapax gratiæ, qua ſolum adjuvetur ad libere operandum; eſto verum eſſet, quod concupiſcentia per gratiam ſuperanda neceſſitaret de ſe ad peccandum, ſeu impoſſibilem redderet operationem ſalutarem. VIII. Multiplex tamen eſt accidentale diſcrimen inter utramque gratiam.

IX. Natura ægrota ſolum indiget gratia uberiori, quam natura ſana: non tamen indiget gratia libertatis indifferentiæ everſiva. X. Sicut concupiſcentia ſolum moraliter ad peccandum neceſſitat, non phyſice: ita ſæpe gratia ad bene operandum neceſſitat ſolum moraliter. XI. Gratia efficax ideo dicitur indeclinabiliter conſenſum operari, quia per conſenſum ipſum conſtituitur, aut illum trahit.

I. SCopum harum theſium affatim expoſuimus in duabus præcedentibus: eodem quippe quatuor iſtæ theſes tendunt, ut obtrudant gratiæ irreſiſtibilitatem in ſtatu naturæ lapſæ, dum ejus omnipotentiam commendant. Hic autem diſerte fatetur Auctor, illud eſſe eſſentiale diſcrimen inter gratiam in ſtatu naturæ innocentis collatam Adamo, & gratiam collatam nobis per Chriſtum in ſtatu naturæ lapſæ, quod illam Adam receperit in ſeipſo, eſſetque illi proportionata, ideſt conferens ad meritum humanum, quod producebat, & operans ad nutum arbitrii, quippe quæ non erat libertatis everſiva; gratia vero Chriſtiana operetur ad nutum Divinæ voluntatis omnipotentis, unde & ipſa eſt omnipotens, cui arbitrium reluctari non poſſit, & ſic digna ſuo

Auctore, ideſt Filio Dei, in cujus perſona recipitur, dum nos ſanctificat in Chriſto; quatenus ita parit in nobis charitatem, ut per hanc charitatem moraliter cum Chriſto uniamur, & ſic in ipſo Chriſto capite, cujus nos membra ſumus, per formam moralem ſanctificemur; non quia charitas iſta nos ſanctificans phyſice recipiatur in perſona Chriſti reſuſcitati; ſed quia juſtitia, & ſanctitas in Chriſto recepta nos ſanctificat per hoc, quod nos illi moraliter uniti ſimus per nobis inditam charitatem. Idcirco autem dicitur recipi moraliter in perſona Chriſti reſuſcitati gratia Chriſtiana, qua moraliter ſanctificamur, quia ſicut paſſio Chriſti contulit nobis ad remiſſionem peccatorum, ita ejuſdem reſurrectio contulit ad juſtificationem, juxta illud Apoſtoli ad Rom. 4. *Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram*. Unde Eccleſia concinit: *Qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit*; non quatenus paſſio Chriſti non fuerit etiam cauſa meritoria noſtræ juſtificationis, ſed quia, ut habet Angelicus 3. p. q. 56. art. 2. mors Chriſti eſt cauſa exemplaris remiſſionis culpæ, per quam morimur peccato; & reſurrectio eſt cauſa exemplaris novitatis vitæ quæ habetur per gratiam, ſeu juſtitiam; quamvis id alii aliter exponant apud Suarez in 3. p. qu. 53. art. 1. diſp. 44. ſect. 8.

II. Quod attinet ad hunc errorem, quod gratia, qua ſanctificamur, non inhæreat nobis, ſed ſit ſanctitas Chriſti nobis imputata, ſatis ſuperque diximus in theſi 19. ubi ex verbis Tridentini, & ſenſu communi Patrum, & Theologorum oſtendimus, gratiam non ſolum in ſtatu innocentiæ, ſed etiam in præſenti naturæ ſtatu recipi phyſice in nobis, tanquam naturam ſupernaturalem exigentem tanquam ſuas proprietates habitus infuſos, a quibus exiguntur auxilia in ordine ad eliciendos actus ſupernaturales, ut proinde gratia dicatur eſſe radix omnis ſupernaturalitatis.

III. Quod vero ſpectat ad alterum errorem, in quo Janſenius ſemper totus fuit, quod ſcilicet detur eſſentiale diſcrimen inter gratiam collatam Adamo in ſtatu innocentiæ, quando natura erat ſana, ac integra, & gratiam, quæ nobis per merita Chriſti confertur in ſtatu naturæ ægrotæ, & imbecillis per peccatum, non pauca diximus in ſuperioribus duabus theſibus, oſtendentes ex tribus capitibus hanc ab illa differre ſolum accidentaliter, & ſecundum ſe hanc illi præſtare; videlicet ex dignitate poſitiva ſubjecti, quæ ſolum eſt in natura lapſa; ex imbecillitate naturæ lapſæ ratione effrænis concupiſcentiæ, quæ requirit majorem gratiam; & ratione Incarnationis, quæ poſt peccatum eſt gratia omnino neceſſaria ad redemptionem: nullum tamen inter utramque gratiam dari diſcrimen eſſentiale, quandoquidem gratia in natura lapſa eodem modo concurrit ad operationes ſalutares, ac gratia Adami citra læſionem libertatis, & utraque eſt talis, ut illi poſſit voluntas reſiſtere: cum hoc ſpectet ad gratiæ commendationem, & hoc pacto ſit gratia digna Filio Dei. Quemadmodum enim ad Omnipotentiæ commendationem ſpectat, quod poſſit condere creaturas liberas, quæ poſſint Omnipotenti reſiſtere, & libere nolle ejus mandatis obtemperare; unde ſicut non eſſet Omnipotentia digna Deo, ſi tantum poſſet condere creaturas non liberas, eo quod deficeret illi præcipua poteſtas, qua poſſit in creaturas liberas qua liberas dominari: ita gratia non eſſet digna Filio Dei, ſi tantum poſſet influere in actus neceſſarios prædeterminando ad illos: deficeret quippe illi præcipua prærogativa, quod ſcilicet poſſit in operationes liberas, & eatenus meritorias influere. Et huc recidunt quæcumque diximus adverſus ſecundam, & quartam Janſenii theſim in Trutina, & quæ paſſim diximus adverſus gratiam iſtam Janſenianam omnipotentem, fortem, ſupremam, invincibilem, cui voluntas contraniti non poſſit, atque adeo libertatis everſivam.

IV. Janſenius, ejuſque aſſeclæ illud agnoſcunt eſſentiale diſcrimen inter gratiam Adami, & gratiam Chriſtianam, quod illa det ſolum poſſe relate ad operationes ſalutares, & ſit adjutorium ſine quo non, nempe gratia ſufficiens, quę ex libertate arbitrii poſſit determinare ad bonam operationem, & meritum producendum; Iſta vero non ſolum det poſſe, ſed etiam ipſum velle, & ſit Adjutorium quo, nempe gratia efficax ab intrinſeco; quæ tamen non cum libertate arbitrii ſit efficax, ſed ex mero dono Dei; ut propterea auxilium gratiæ, quod datur in natura innocente, ſit compoſſibile cum diſſenſu, quippe quod ſolum det poteſtatem agendi, non vero ipſam actionem eſſentialiter cum conſenſu connexam; auxilium vero in natura lapſa ſit incompoſſibile cum diſſenſu, eo quod tribuat non ſolum poſſe, ſed etiam ipſum velle, & agere, quod connectitur cum conſenſu. Unde etiam fit, quod in ſtatu naturæ innocentis voluntas determinet gratiam ad operandum; ſecus vero in natura lapſa,

gra-

gratia determinat voluntatem ad conſenſum. Adduntque Janſeniani, quod in natura lapſa auxilium intrinſece determinans voluntatem ad ſalutariter operandum citra libertatem indifferentiæ, conſiſtat in ſolo amore efficaci charitatis, non veroin actibus aliarum virtutum, cum non agnoſcant in natura lapſa aliam virtutem a charitate; auxilium vero indifferens in natura innocente det poteſtatem etiam ad exercitium aliarum virtutum. Denique docent, auxilium proprium naturæ lapſæ pertinere ſolum ad voluntatem, & eſſe motum quendam indeliberatum complacentiæ, vel deſiderii, & cœleſtem quandam delectationem, quæ vincat delectationem concupiſcentiæ; auxilium vero naturæ ſanæ pertinere ad intellectum, & eſſe Spiritus Sancti illuſtrationem; quæ relinquat voluntatem cum indifferentia ad conſentiendum, vel non conſentiendum. Janſenius enim lib. 4. de Gratia Chriſti cap. 1. hunc titulum præfigit. *Quid ſit medicinale Chriſti adjutorium ſecundum ſubſtantiam? Eſſe Cœleſtem ſuavitatem, ſeu delectationem juxta mentem Sancti Auguſtini.* Et deinde cap. 11. explicat hanc delectationem his verbis: *Delectatio iſta Cœleſtis ſecundum Auguſtini mentem eſt actus vitalis, & indeliberatus animæ, & quidem amoris, ac deſiderii præcedentis conſenſum.* Et cap. 7. docet, *neceſſitatem delectationis Cœleſtis ad bene volendum, & operandum non ex natura voluntatis, ſed ex ejus pœna proficiſci.* Siquidem in pœnam peccati concupiſcentia effrænis reddit voluntatem imbecillem ad bene operandum, unde indiget hac cœleſti motione lenocinantis concupiſcentiæ malo contraria, qua ad conſenſum determinetur, ut habet cap. 9. dicens: *Vera itaque ratio, cur cœleſtis delectatio ad actus bonos neceſſaria ſit, ex natura medicinæ, ſeu medicinalis adjutorii petenda eſt; voluntas enim per peccatum primi hominis in libidinum imperium præcipitata eſt; ex quibus fit, ut in omnibus actionibus ante gratiam, delectatione quadam libidinoſa præeunte, ac titillante provocetur.* Ex qua Janſenii doctrina illud inconveniens etiam ſequeretur, quod in ſtatu naturæ innocentis nulla data fuerit gratia pertinens ad voluntatem, quod ſi data fuiſſet, citra libertatem indifferentiæ conſenſum homines præſtitiſſent, cum tamen Auguſt. lib. 12. de civit. cap. 9. dicat, Angelos primam voluntatem, & amorem caſtum, & gratiam amoris Dei habuiſſe operante adjutorio Creatoris. Et concludit, *Non ad Sanctos ſolos homines, verum etiam de Sanctis Angelis poſſe dici, quod charitas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*: ubi loquitur de primo actu charitatis elicito ab Angelis. Et lib. 14. de Civit. cap. 13. habet: *Si voluntas Adami in amore ſuperioris immutabilis boni, a quo illuſtrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret, ſtabilis permaneret, non inde ad ſibi placendum averteretur, & ex hoc intenebreſceret, & frigeſceret.* Quare Auguſtinus tam in natura lapſa, quam in natura ſana agnoſcit auxilia gratiæ ſpectantia ad intellectum, quæ dicuntur Illuſtrationes, & ad voluntatem, quæ dicuntur Inſpirationes non evertentes arbitrii libertatem.

V. Neceſſitatem eſſentialis diſcriminis explicati inter auxilia gratiæ naturæ integræ, & lapſæ, ex eo probant Janſeniani, quia ad ſanitatem naturæ ſpectat, quod ejus arbitrio relinquatur operatio; unde ſolum dandum eſt illi & poſſe per gratiam relate ad actus ſalutares; contra vero ad infirmitatem, & imbecillitatem naturæ ſpectat, ut per gratiam detur illi & poſſe, & agere; aliter non differrent natura ſana, & infirma.

Confirmant primo, quia in ſtatu naturæ ſanæ non dabatur concupiſcentia captivans voluntatem ad culpam, unde non erat ei opus gratia liberante illam a tali captivitate: ſecus vero in natura lapſa conferri debet gratia liberans voluntatem a captivitate, & neceſſitate peccandi; nec poteſt aliter liberare, niſi eam neceſſitatem vincat neceſſitando voluntatem ad bonum.

Confirmant ſecundo auctoritate Auguſt. qui lib. de corrept. & gratia explicat duplex genus gratiæ, dicens: *Itaque ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt: Aliud eſt Adjutorium, ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt Adjutorium, quo aliquid fit. Nam ſine alimentis non poſſumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta, fit, ut vivat, qui mori voluerit; ergo Adjutorium alimentorum eſt, ſine quo non fit, non quo fit, ut vivamus. At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus; adjutorium eſt enim non ſolum ſine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur; quapropter hoc adjutorium, & quo fit eſt, & ſine quo non fit.* Explicato hoc diſcrimine inter utrumque iſtud duplex celebre gratiæ Adjutorium, pergit S. Doctor oſtendere, quodnam fuerit adjutorium collatum in ſtatu naturæ integræ, & quodnam nunc nobis detur, dicens: *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret, ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc vero Sanctis in*

Regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tantum tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur; non ſolum ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint. Porro quod iſtud adjutorium quo non ſit efficax ex determinatione voluntatis, ut nos dicimus, ſed ſit efficax ab intrinſeco, ac voluntatem determinans, ita ut illi reſiſtere non valeat, quod contendit Janſenius, videtur colligi ex verbis ejuſdem Auguſtini loco laudato, ubi habet: *Subventum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur: & ideo quamvis infirma non deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur.* Et deinde addit: *Primo homini fortiſſimo dimiſit, ac permiſit Deus facere quod vellet, infirmis ſervavit, ut ipſo donante, invictiſſime quod bonum eſt, vellent, & hoc deſerere invictiſſime nollent.*

Neque dicas, quod auxilium efficax redditum efficax a cooperatione libera arbitrii, adhuc inferat conſenſum indeclinabiliter, & inſuperabiliter, & pariat invictiſſime bonam voluntatem; unde ex his verbis non infertur, quod auxilium gratiæ in natura lapſa ſit efficax ab intrinſeco, & non ſit efficax ratione ipſius conſenſus, a quo auxilium ſufficiens redditur efficax.

Nam contra eſt, tum quia Auguſtinus dicit, auxilium in natura lapſa eſſe potentius, quam in natura ſana; unde non ſunt ejuſdem, ſed diverſæ efficacitatis; tum etiam quia ideo Auguſtinus docet requiri in natura lapſa auxilium fortius, quia ſuperanda eſt reluctantia concupiſcentiæ, & tentationum; ad hoc autem videtur requiri auxilium, quod ſit fortius ab intrinſeco, & non ex merito conſenſu voluntatis reddentis illud efficax; ergo datur inter utrumque auxilium diſcrimen eſſentiale explicatum.

Hinc autem legitime inferunt primo, nullum dari in natura lapſa auxilium pure ſufficiens, quippe quod non eſſet utile naturæ ægrotæ, ſed noxium, (ſicut alimentum hominis ſani non eſt utile, ſed noxium ægroto) ſiquidem cum auxilio ſufficiente ob defectum virium, & concupiſcentiæ delectationem repugnantem nequit voluntas ſe determinare ad amplexandum honeſtum. Inferunt ſecundo, reprobos caruiſſe auxiliis ſufficientibus ad ſalutem; neque Deum illos voluiſſe in Electorum ſyllabum eſſe aſcriptos. Inferunt tertio, peccatores carere auxiliis ſufficientibus ad reſipiſcendum; ac juſtos, qui gratiam ſanctificantem peccando amittunt, carere auxiliis ſufficientibus ad non peccandum. Quod ſi verum haberet, falſa eſſet Tridentini doctrina, quod ſcilicet Deus neminem deſerat, niſi prius deſeratur: cum juſti idcirco Deum deſerant, dum peccant, quia a Deo deſeruntur, dum denegatur iis ſufficiens auxilium ad non peccandum. Ad hoc barathrum deliramenta iſthæc Janſeniana perducunt.

VI. Oſtendo itaque, diſcrimen hoc eſſentiale inter utramque gratiam Adamicam, & Chriſtianam non dari, & per ſummam injuriam appingi D. Auguſtino; cum potius ſit Calvini, qui lib. 2. Inſtit. c. 3. habet: *Talem fuiſſe hominis adhuc ſtantis conditionem concedimus, ut potuerit in alteram partem inclinare; ſed cum ſuo exemplo docuerit, quam miſerum ſit liberum arbitrium, niſi Deus in nobis & velit, & poſſit, quid fiet nobis, ſi ad eum modulum gratiam nobis impertitur?* Quod pariter docet Lutherus in Geneſim cap. 2. Sanctorum autem Patrum doctrina fert, gratiam in ſtatu naturæ lapſæ, ac integræ non differre eſſentialiter, ac neutram eſſe libertatis everſivam. Fulgentius lib. 2. ad Thraſymundum cap. 3. dicit: *Non alia gratia Angelum a ruina potuit cuſtodire, niſi illa, quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. Una eſt in utroque gratia operata, in hoc ut ſurgeret, in illo ne caderet: in illo, ne vulneraretur, in iſto, ut ſanaretur: ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non ſivit: illius eſca, iſtius medicina.* Similiter D. Gregorius Homil. 14. in Ezechielem idem adjutorium agnoſcit in Angelis, & in hominibus poſt lapſum, ita tamen ut illis eſſet in præſidium, ne laberentur, in iſtis redemptio, ut poſt caſum ſurgerent, dicens: *Unigenitus Patris, qui ſurſum eſt firmitas Angelorum, ipſe deorſum factus eſt redemptio hominum, illis fortitudo, ne cadant, nobis adjutorium, ut ſurgamus poſt caſum.* Et ipſe D. Auguſtinus paſſim docet, Gratiam in natura lapſa cohærere cum arbitrii libertate, non ſecus ac in natura integra. Lib. 1. Retract. hæc habet: *Niſi quiſquam voluntatem mutaverit, bonum operari non poteſt, quod in noſtra poteſtate eſſe poſitum alio loco Dominus docet, ubi ait: Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Quod non eſt contra gratiam Dei, quam prædicamus; in poteſtate quippe hominis eſt mutare voluntatem: ſed ea poteſtas nulla eſt, niſi detur a Deo, de quo dictum eſt, Dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri.* Quod ſimiliter docuit lib. 2. de actis cum Felice Manichæo dicens: *Cum ergo Dominus dicit, Aut facite hoc, aut illud, poteſtatem indicat, non naturam. Nemo enim, niſi Deus, face-*

facere arbores poteſt; ſed habet unuſquiſque in voluntate ſua, aut eligere, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona, aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala. Lib. 10. Homil. 16. paucis idem luculenter edocuit: *In tuo arbitrio Deus poſuit, cui pares locum, Deo, an diabolo.* Et lib. de grat. & lib. arbitrio cap. 2. ad comprobandam hanc arbitrii libertatem, quam Monachi Adrumentini contendebant per peccatum eſſe amiſſam, objectat illud Eccleſiaſtici: *Ipſe ab initio fecit illum, & reliquit illum in manu conſilii ſui; apponet tibi aquam, & ignem; ad quodcumque volueris, extende manum tuam.* In Sole profecto cæcutit, qui mentem Auguſtini in his, & innumeris aliis locis non deprehendit; ut profecto per ſummam injuriam diſcrimen eſſentiale inter gratiam Adami, & noſtram ab Auguſtino traditum afferatur.

VII. Ratio autem manifeſta, cur non ſit neceſſarium eſſentiale diſcrimen inter gratiam ſanitatis, & gratiam medicinalem, eſt, quia relate ad actus ſupernaturales in utroque ſtatu natura eſt impotens, & ratione gratiæ fit potens; ergo ſicut poteſt gratia elevare arbitrium validum in ſtatu naturæ integræ non evertendo ejus libertatem; ita poterit gratia intenſior elevare arbitrium imbecille, & ægrotum in natura lapſa abſque læſione libertatis.

Neque dicant Janſeniani, quod in natura lapſa regnet concupiſcentia neceſſitans hominem ad peccandum, quæ ſolum expugnari poterit a dominatu gratiæ, quæ neceſſitet ad ſalutariter operandum. Nam primo commentitium eſt, quod concupiſcentia neceſſitet ad peccandum, ut dicemus in theſi ſequenti. Deinde eo tranſmiſſo falſum eſt, quod gratia non poſſit tollere eam neceſſitatem ad peccandum, ſeu impotentiam ad bonam operationem, conferendo ſolum poteſtatem indifferentem, non vero neceſſitatem ad operandum ſalutariter. Et ratio a priori eſt, quia ſi infundatur a Deo delectatio objecti honeſti; quæ ſit æqualis delectationi objecti turpis ortæ a concupiſcentia, ſequitur, quod æqualis voluntati competit inclinatio tam ad objectum honeſtum, quam ad turpe; atque adeo ſuperadditis viribus ſupernaturalibus gratiæ ad operandum, poterit voluntas libere inclinari ad amplexum boni honeſti, & ad ſalutariter operandum, reſiſtendo inclinationi ad objectum turpe ortæ a concupiſcentia; non ſecus ac libere inclinatur voluntas ad objectum turpe, quando peccat, etiamſi æqualem habeat inclinationem ad amorem honeſti.

Confirmatur, quia ſi daretur ad mentem Janſenianorum diſcrimen eſſentiale inter gratiam Adamicam, & Chriſtianam, ſeu inter gratiam ſanitatis, & medicinalem, ſequeretur, quod in utroque ſtatu naturæ innocentis, & naturæ lapſæ deſtrueretur conceptus gratiæ, & conceptus meriti ex illa reſultantis: deſtrueretur enim primo gratia ſanitatis, quia ea a Janſenianis dicitur eſſe debita naturæ; deſtrueretur ſecundo gratia medicinalis, quia ea non auxiliaretur arbitrio, ſed neceſſitatem imponeret; deſtrueretur pariter verum meritum vitæ æternæ in ſtatu naturæ innocentis, quia illud dicitur eſſe meritum humanum; deſtrueretur denique meritum in ſtatu naturæ lapſæ, quia nequit intelligi meritum abſque libera electione voluntatis. Unde recuderetur error Lutheri, quod totum noſtrum meritum ſit per imputationem meritorum Chriſti D.

VIII. Diſcrimen tamen accidentale inter gratiam Adamicam, & Chriſtianam negari non poteſt, quatenus auxilia gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ debent eſſe intenſiora, & uberiora, ut expugnent neceſſitatem moralem ad peccandum, quæ non raro habetur a dominatu concupiſcentiæ, & tyrannide diaboli, cui per peccatum ſubjecta eſt natura humana; quia tamen non ſemper concupiſcentia viget, nec ſemper tentationes diaboli ſunt vehementes, ideo non ſemper requiritur gratia valde intenſa, ut ſine difficultate poſſimus operari ſalutariter. Huc autem ſpectat illud Apoſtoli ad Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum;* quatenus ſine gratia intenſa, quæ per Chriſti merita habetur in natura lapſa, non expugnatur neceſſitas moralis ad peccandum, orta a lege peccati, quam in membris noſtris experimur, ſeu a motibus concupiſcentiæ regnantis. Hinc ad Rom. 5. dicitur: *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia.* Et Chriſtus D. Jo. 10. dixit: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant;* non ſolum enim venit, ut habeamus per ſui merita abundantiam gratiæ habitualis, quæ nobis per Sacramenta tanquam per inſtrumenta ſuæ paſſionis confertur, ſed etiam abundantiam gratiarum actualium, ſine quibus noſtra ſalus fuiſſet moraliter impoſſibilis. Nam ſi Adam inſtructus gratia intenſa, & vivida cognitione Dei, concupiſcentiam habens rationi ſubjectam, adhuc prævaricatus eſt ad ſimplicem diaboli deceptoris tentationem, quid nos miſeri

ſeri faceremus, ſubjecti tyrannidi dæmonis, & concupiſcentiæ propter peccatum, ac tenebris ignorantiæ preſſi, niſi e vulneribus Chriſti D. affluenter nobis gratia derivaretur?

Præterea diſcriminatur accidentaliter gratia medicinalis a gratia ſanitatis ex tribus illis capitibus, quæ in ſuperiori theſi explicavimus. Primo quidem, quia in natura lapſa reperitur in ſubjecto propter culpam poſitiva indignitas gratiæ; unde majus eſt divinum beneficium, dum confert nobis gratiam, quam dum contulit Adamo innocenti. Deinde gratia in natura lapſa debet eſſe ſanativa; ac proinde debet complecti redemptionem Chriſti D., auxilia pœnitentiæ, & remiſſionem peccati, qua non indigebat natura integra. Denique gratia medicinalis debet reſiſtere concupiſcentiæ, cui reſiſtere non debebat gratia ſanitatis, eo quod in eo ſtatu abeſſent motus inordinati appetitus removentes hominem ab exercitio virtutum.

IX. Ex his facile eſt evacuare ratiocinationes adverſariorum, quas præmiſimus. Ad principale argumentum dico, ſatis differre naturam ægrotam a ſana per hoc, quod illa experiatur ſæpe moralem neceſſitatem ad labendum ob dominatum concupiſcentiæ, quam non experitur natura ſana, & integra; ut proinde illa indigeat auxiliis uberioribus, & crebrioribus, ac ſpeciali Dei protectione, quin opus ſit gratia libertatis everſiva, ut poſſit bene operari. Quare in eo tantum ſenſu gratia in natura ſana dat poſſe, & non ſola dat velle bene operantibus, in quo dedit hoc idem etiam Angelis perſeverantibus; cum Angelis etiam dicatur, *Quid habes, quod non accepiſti? Quis eſt, qui te diſcernit?* Et ſicut dæmonibus gratia dedit poſſe, quin habuerit etiam a gratia ipſum velle ex propria culpa, quia voluerunt gratiæ reſiſtere, non vero cum illa operari: ita prorſus datur in natura lapſa gratia ſufficiens, quæ ex culpa male operantis non redditur efficax.

X. Ad primam confirmat. diximus concupiſcentiam non captivare voluntatem ac culpam neceſſitando phyſice ad illam, (quia ſic homines non peccarent formaliter, dum peccant) ſed ſolum neceſſitando moraliter: poterit proinde gratia alliciendo ad amorem honeſti, æquare, immo & ſuperare allicientiam ad objectum turpe, ortam a concupiſcentia, & ſic ponere æquilibrem indifferentiam tam ad bene, quam ad male operandum; immo poteſt aliquando ea eſſe allicientia gratiæ ad amorem honeſti, ut ad illum moraliter neceſſitet.

XI. Ad ſecundam, diximus Auguſtini doctrinam eſſe perſpicuam, ita ut nodum in ſcirpo quærat, qui de ea dubitet. In locis adductis nomine *Adjutorii quo* venit gratia efficax, quæ tam fuit in Angelis bonis, quam eſt nunc in bene operantibus; & nomine *Adjutorii ſine quo non* venit auxilium pure ſufficiens, quod tam fuit in dæmonibus, & in Protoplaſtis, quam eſt nunc in male operantibus. In utroque ſtatu auxilium efficax operatur conſenſum liberum indeclinabiliter; quia gratia efficax in actu ſecundo vel trahit, vel conſtituitur per ipſum conſenſum liberum, quo illa redditur efficax; & cum non poſſit conſtitutum eſſe ſine ſuis conſtitutivis, ideo gratia efficax non poteſt eſſe ſine conſenſu; quamvis ſub eadem gratia, quæ eſt efficax, potuiſſet ad arbitrium voluntas non ponere conſenſum; & tunc ea non denominaretur efficax, ſed ſufficiens, & inefficax. Ad id quod additur, quod in natura lapſa auxilium debeat eſſe potentius, & fortius, jam diximus, ex triplici capite debere eſſe validius, & beneficium longe majus, quam ſit gratia ſanitatis: at non proinde debent auxilia naturæ ſanæ, & lapſæ differre eſſentialiter, ita ut illa ſolum cohæreant cum libertate arbitrii, & non etiam iſta.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXXVI.

TRigeſimaſexta aſſignat eſſentiale diſcrimen inter Gratiam Adamicam, & Chriſtianam, quod illa reciperetur in propria perſona, hæc vero recipiatur in perſona Chriſti reſuſcitati, cui nos ſumus uniti. Hoc tamen diſcrimen inter utramque gratiam non dari conſtat ex Tridentino, quod ſeſſ. 6. cap. 7. docet, gratiam, qua juſtificamur, eſſe nobis inhærentem; atque adeo ea non aliter in nobis recipitur, ac gratia Adami, & ſtatus innocentiæ. Gratia pariter actualis, quæ conſiſtit in illuſtrationibus, & inſpirationibus ſupernaturalibus, atque adeo in actibus vitalibus, impoſſibile eſt, quin in nobis recipiatur; cum actus vitales eſſentialiter debeant eſſe ab hoc, & in hoc.

ANA-

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXXVII.

TRigeſimaſeptima aliud eſſentiale diſcrimen comminiſcitur inter utramque gratiam, dicendo, quod gratia Chriſtiana ſanctificando nos in Jeſu Chriſto ſit omnipotens, atque adeo irreſiſtibilis, ac digna Filio Dei; gratia vero Adami ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata, atque adeo talis, ut poſſet illi reſiſtere. Propterea Queſnellus in ſtatu naturæ lapſæ non aliam gratiam agnoſcit, niſi gratiam efficacem, cui voluntas obluctari non poſſit. Hic tamen error aperte confutatur ex iis omnibus, quæ adverſus proſcriptas theſes Janſenianas congeruntur. Nam ſi ſolum daretur gratia efficax, Deus præcipiens peccatori contritionem, quam de facto culpabiliter hic non poneret, præciperet aliquid impoſſibile, (cum non poſſit viribus naturæ poni contritio ſupernaturalis) nec daret gratiam, qua poſſit illam ponere, quæ eſt prima ex theſibus proſcriptis Janſenii. Rurſus ſi ſolum daretur gratia efficax, nunquam homo gratiæ interiori reſiſteret, nec poſſet illi reſiſtere, juxta ſecundam, & quartam Janſenii theſim. Denique ſi ſolum daretur gratia efficax, cui voluntas reſiſtere non poſſet, meritum haberetur cum ſola libertate a coactione, juxta tertiam theſim Janſenii. Nullum itaque datur eſſentiale diſcrimen inter gratiam in ſtatu innocentiæ, & gratiam, quæ confertur in ſtatu naturæ lapſæ, ſed ſolum diſcriminantur accidentaliter ex tribus capitibus, ut ſupra diximus. Primo quidem, quia nunc datur gratia homini poſitive indigno propter peccatum; at in ſtatu naturæ innocentis homo, licet non eſſet dignus gratia, non erat tamen poſitive indignus. Secundo, quia gratia, quæ nobis nunc confertur ad peccatum delendum, indiget prævia Chriſti Redemptione. Tertio, quia nunc ex meritis Chriſti datur nobis gratia uberior ad ſuperandam vim concupiſcentiæ effrænis, quam poſt culpam Adæ rebellem experimur, ſentiendo in membris noſtris legem repugnantem legi mentis noſtræ. Quare his de cauſis Gratia Chriſtiana eſt digna Filio Dei, non vero quia irreſiſtibilis eſt, & libertatem evertit; ſic enim meritum etiam tolleret, & coronam.

PROPOSITIO XXXVIII.

Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris. *Queſnel. Luc. 8. 29. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO XXXIX.

Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris, niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum; Eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum. *Queſnel. Matth. 20. 3. & 4. edition. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO XL.

Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem. *Queſn. 1. Theſſal. 3. 18. edit. 1699.*

PROPOSITIO XLI.

Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis non poteſt venire, niſi a Deo, & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris. *Queſnel. Roman. 1. 19. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO XLII.

Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium Fidei; ſine hoc nihil niſi impuritas, nihil niſi indignitas. *Queſnel. Act. 1. 9. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Theſes iſtæ ad deponendam ſalutis æternæ ſolicitudinem invitant. II. Docent quippe, homines nonniſi ad peccandum valere gratia circum-

cumſcripta. III. Homo, ſi Janſenium audiamus, non aliter dicitur liber ad non peccandum, niſi quia poteſt cum gratia Liberatoris a malo abſtinere, non quia ſine illa poſſit non peccare. IV. Contendunt Janſeniani dari in nobis ad peccatum in genere neceſſitatem, ſeu ad patrandum aliquod peccatum vage, ac disjunctive. Sed licet neceſſitas peccandi eſſet ſolum generica, adhuc peccatum non eſſet imputabile.

V. Liberum arbitrium eſſet extinctum, ſi non poſſet homo omnem omnino culpam declinare. VI. Conſtat dari libertatem ad bene operandum ſine gratia Liberatoris ſupernaturali. VII. Opera infidelium poſſunt eſſe uſquequaque bona, ita ut referantur ad finem virtutis, aut ſaltem non referantur ad finem malum. VIII. Idque paſſim Sancti Patres docent. IX. Ex Auguſtino peccata, quæ ſunt inevitabilia, non ſunt proprie peccata, ſed pœna peccati. X. Si ex neceſſitate peccatur, non peccatur, dum peccatur. XI. Eſſetque Deus peccati auctor. XII. Et alia innumera ſequerentur abſurda.

XIII. Objecta diluuntur: præſertim quia videtur non ſemel hanc trigeſimam octavam theſim docuiſſe Auguſtinus.

I. QUeſnellus Janſeniana lue infectus in hiſce theſibus inſinuat, naturam humanam per Adæ peccatum ita penitus corruptam eſſe, ut ejus lib. arb., quod ſolum eſt *viribus attenuatum*, & *inclinatum*, ut loquitur Tridentin. ſeſſ. 7. cap. 1. ſit etiam veluti extinctum, ac mortuum relate ad bonum quodcunque amandum, ac efficiendum; ita ut circumſcripta Dei gratia per ſuas vires naturales nihil omnino poſſit circa bonum quodcunque, etiam ordinis naturalis, ſed ita manſerit ſervum, captivumque peccati, ut ſine Dei gratia libertatem exercere non poſſit, niſi ad peccandum; quatenus ita liberum ſit ad ponendum vel hoc, vel illud in ſpecie peccatum; ut tamen omnino neceſſitetur ad ponendum aliquod peccatum vage, & in genere. Ea tamen calliditate hæreſim iſtam toties ab Eccleſia damnatam inſinuat, ut videatur ob oculos ponere ægritudinem, ac miſeriam naturæ lapſæ, & ſic excitare homines ad Medicum, & Redemptorem deprecandum, qui ſua gratia medicinali præſentiſſimam opem ferat naturæ viribus omnibus deſtitutæ. Siquidem per peccatum eo devenit homo, in barathrum libidinum in præceps actus, ut poſſit ei velut in Epigraphen inſcribi illud Iſaiæ 1. *A planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas; vulnus, & livor, & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Verum dum videtur Auctor pie indigentiam medicaminis, & olei, nempe gratiæ, inculcare, verſutis verbis timorem omnem culpæ a nobis depellit, docens, culpam eſſe omnino indeclinabilem citra gratiam Chriſti medicinalem, quæ ſolis electis a Deo confertur ad arbitrium: nihil omnino conducere noſtros conatus, labores, & orationes ad reſiſtendum cupiditatibus ineluctabiliter pertrahentibus ad culpam; nec dari nobis ex lege providentiæ gratiam ſufficientem ad tentationes propulſandas, & ad aliquam bonam operationem ponendam. Quinimo cum culpa aliqua vage, & indeterminate omnino neceſſaria ſit iis, quibus gratia deeſt, & ex omnium non inſipientium ſenſu culpa vacet, qui culpam vitare nequit, juxta illud Auguſt. *Nemo peccat in eo, quod nullo modo cavere poteſt*; inde apertiſſime deſcendit, unumquemque, quicquid agat, immunem eſſe a culpa; nam ſi gratia prævenitur, bene operabitur, & non peccabit; ſin autem gratia deſtituatur, non imputabitur ad culpam culpa ipſa, quippe neceſſaria. Eo itaque ſemper Janſenianæ, & Queſnellianæ theſes callide collineant, ut nos ad hilariter vivendum citra culpæ, & gehennæ timorem ſuadeant, & alliciant.

II. Ut altius percipiatur harum theſium error, ſciendum, naturam humanam in Janſenianorum ſententia poſt lapſum incurriſſe non ſolum moralem, & conſequentem, ſed etiam phyſicam, & antecedentem neceſſitatem peccandi, & ſuccumbendi tentationibus, ita ut non ſolum ea peccet operando malum, ſed etiam pure omittendo bonum: a qua neceſſitate non poſſit liberari, niſi per gratiam, quæ pariter neceſſitet, ac determinet ad bonum, nempe ad actum charitatis. Et quia Infideles carent omnino gratia, prout docuit Queſnellus in vigeſimaſexta theſi, ideo Infideles ex neceſſitate ſemper peccant urgente tentatione, aut præcepto aliquo ſive naturali, ſive divino, ſive humano. Docent pariter neceſſario, & non libere peccare juſtos, & fideles, qui de facto peccant, eo quod careant in iſtorum ſententia gratia ſufficienti ad non peccandum; nullum enim auxilium gratiæ agnoſcunt in natura lapſa, quod ſit ſolum ſufficiens, & non efficax; nec admittunt auxilium efficax diſtinctum ab actu charitatis efficaci, & incompoſſibili cum peccato.

III. Quod ſi illis objectetur, requiri libertatem ad peccandum; Reſpondent primo, ſufficere libertatem a coactione, juxta tertiam ex Theſibus Janſenii, quando ſcilicet actus ſit nulla urgente cupiditate boni, aut timo-

timore mali temporalis: quia tamen in natura lapſa peccatum ſemper fit, aut urgente timore mali temporalis, aut urgente boni cupiditate, cui voluntas reſiſtere non poteſt propter virium imbecillitatem, ideo docent indiviſim, quod peccatum quodcumque in natura lapſa fiat citra libertatem formalem indifferentiæ; quam ſolum exigunt in primo peccato patrato in ſtatu innocentiæ, non vero in aliis, quæ peccata ſimul ſunt, & pœna peccati: In his enim putant eam libertatem ſufficere, quæ fuit relate ad illud primum peccatum Adæ, in quo tanquam in radice, & cauſa reliqua peccata continentur, prout dicitur in prima ex theſibus ab Alex. VIII. proſcriptis. Impræſentiarum autem in hac theſi dicitur peccator liber ad malum, non quia poteſt quodcunque peccatum declinare, quando accingitur ad operandum ſine gratiæ adjutorio; ſed quia poteſt hoc vel illud peccatum in ſpecie vitare determinatus ad peccatum in genere: vel quia poteſt cum gratia Liberatoris a malo abſtinere, quamvis non poſſit peccare: cum diſerte dicatur deinde in theſi 45. *Amore Dei in corde peccatorum non regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.* Ex Janſenio enim juxta errores Baji ſine gratia Dei omnis uſus liberi arbitrii neceſſario eſt malus: unde proſcripta eſt propoſ. illa Baji 60. *Nonniſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrii bonus, ſive non malus; & gratiæ Chriſti injuriam facit, qui ita ſentit, & docet.*

IV. Antequam ad confutandos iſtos palmares errores deſcendam, Janſenio Janſenium ipſum objicio, qui lib. 2. Martis Gallici in præf. habet: *Nihil eſſe in Chriſtianæ doctrinæ ſanctionibus ita ratum, fixumque, quod non (pruriente quadam ingeniorum petulantia, novandique libidine) in dubium revocetur: nullum vero tam inſolens, & alienum ab omnium Catholicorum ore paradoxum, quod non veriſimilibus ratiunculis aſſeratur.* Quid autem inter Catholicos magis celebre, quam illud Auguſtini, *Nemo peccat in eo quod nullo modo cavere poteſt?* hoc tamen Janſenius, ejuſque diſcipuli conantur futilibus ratiunculis, & diſtinctionibus in controverſiam adducere. Et quamvis noverint a Pio V., Gregor. XIII. & Urbano VIII. proſcriptam eſſe theſim illam 28. Baji dicentis: *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio nonniſi ad peccandum valet;* necnon 29. dicentem: *Pelagianus eſt error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum*: & tertiam, quæ habet: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit:* iterum tamen iterumque hoc ipſiſſimum aliis, aliiſque phraſibus eructant, admittendo ſolum umbratilem illam libertatem, quod ſcilicet poſſit voluntas aliquod peccatum in particulari vitare, dummodo tamen in aliud incurrat; ut ſi quis omittat furari, ut occidat, vel omittat mentiri ex affectu vanæ gloræ: putant quippe neceſſitatem ad peccandum eſſe genericam, non ſpecificam, qualem dicunt eſſe in damnatis, qui ad peccandum in genere neceſſitantur, non tamen ad hoc peccatum in ſpecie; ſicut Beati neceſſitantur ad bene operandum in genere, non tamen ad hanc determinate bonam operationem; quamvis nec damnati puniantur propter novas culpas, nec Beati præmio afficiantur propter novas bonas operationes, eo quod ſint in termino. At tranſmiſſo, quod hac libertate ſpecifica polleant homines in ſtatu naturæ lapſæ, ſi tamen deſit libertas generica ad declinandum quodcumque genus peccati, ſemper verum eſt, quod neceſſario peccent, ut proinde non poſſint propter hæc peccata puniri; ſicut qui neceſſitatur ad ſuſpendium in genere, cum ſola libertate, ne in hac, vel illa arbore ſuſpendatur, dicitur omnino neceſſario ſuſpendi, nec illi ſuffragari libertas illa umbratilis in ordine ad vitam conſervandam. Præterquamquod libertas iſta voluntatis Janſeniana eſt potius indifferentia voluntatis paſſiva, quam activa, quatenus, ut habetur in theſi 40. Baji, *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.*

V. Oſtenditur itaque hujus Janſeniani aſſumpti falſitas primo ex Trid. quod ſeſſ. 6. can. 5. definit: *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, anathema ſit.* Quod ſi neceſſitaretur ad peccandum homo ſine gratia Liberatoris, quatenus ſolum exercere poſſit libertatem circa amplexum hujus, vel illius mali, quin tamen poſſit omne malum declinare, ſequeretur, quod arbitrium eſſet extinctum; nihil enim poſſet relate ad bonum, quia ſecluſa gratia non poteſt bonum operari; neque relate ad malum aliquid poſſet, quia neceſſitatur ad ponendum aliquod vage malum gratia circumſcripta; ergo liberum arbitrium relate ad bonum, aut malum eſſet omnino extinctum, ſi ſolam libertatem haberet ad malum ſine gratia. Hæc definitio Tridentini tam Lutherum damnavit, qui in libro de ſervo arbitrio, & alibi docuit, libertatem indifferentiæ circa bonum, & malum eſſe extinctam per peccatum Adæ; quam Calvinum, qui in Antid. ad ſeſſ. 6. cap. 5. pariter docuit, liberum arbitrium eſſe figmentum,

tum, & titulum ſine re. Quorum veſtigiis inhærens Janſenius lib. 3. de ſtatu naturæ lapſæ hunc titulum præfixit capiti 9. *Periit non ſolum libertas ad agendum bonum, ſed etiam abſtinendi a peccato.*

VI. Cæterum etiam dato, quod peccator liber eſſet ad abſtinendum a malo, non proinde fit, quod ſolum ſit liber ad ponendum malum, non vero ſit liber etiam ad ponendum bonum ſine gratia Liberatoris, ſeu ſine charitate, (quę per Janſenianos coincidit, aut eſſentialiter connectitur cum gratia per Chriſtum) ut fuſe oſtendimus in prima harum theſium, in qua dicitur, quod peccatori amiſſa per peccatum gratia nihil remaneat, niſi generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum. Et ſane cum paſſim in Scripturis Deus peccatores hortetur ad pœnitentiam, & ad alia bona opera, ſignum evidens eſt, quod illis libertas inſit ad ea pręſtanda. Quicquid ſit utrum ad ponendum opus bonum ordinis naturalis requiratur aliqua gratia pariter ordinis naturalis conſiſtens in ſpeciali quadam Dei providentia, ſeu cogitatione congrua, prout docent Vaſquius, Turrianus, Męratius, & alii graves Auctores; Auguſtinus in Pſ. 83. explicans verſiculum illum, *Etenim paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi*, oſtendit etiam Ethnicos extra Eccleſiam aliquid boni facere: Et ep. 130. dicit, Polemonem adoleſcentem Paganum a Xenocrate Philoſopho ad temperantiam, & continentiam fuiſſe converſum: Et lib. 6. de Civit. cap. 15. oſtendit, Deum faviſſe Romanis in amplificando ſuo imperio propter bona opera moralia ab iiſdem prędita, & voluiſſe in hac vita remunerationem illis conferre dando tam amplam dominationem. Scriptura etiam paſſim commemorat aliqua bona opera Infidelium, ex. gr. beneficium ab obſtetricibus Ægyptiis prędictum Iſraelitis, quod Deus remuneratus eſt ædificando eis domum, quia Deum timuerunt, ut habetur Exod. 1. Et de Nabuchodonoſore ſic Deus loquitur Ezech. 29. *Ecce ego dabo Nabuchodonoſor Regem Babylonis in terra Ægypti, & accipiet multitudinem ejus, & deprædabitur manubias ejus, & diripiet ſpolia ejus, & erit merces exercitui illius, & operi, quo ſervivit adverſus eam; dedi ei terram Ægypti pro eo, quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus.* Ubi Hieronymus in cap. 29. Ezech. addit: *Ex eo quod Nabuchodonoſor mercedem accipit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, ſi quid operis boni fecerint, non abſque mercede Dei judicio præteriri.* Quod diſertius exprimitur verbis illis, quibus Propheta Nabuchodonoſorem alloquitur Danielis 4. dicens: *Conſilium meum placeat tibi; & peccata tua eleemoſynis redime.* Nemo autem ſomniare poterit, quod peccata aliis peccatis redimantur; unde fit, eleemoſynas illas Nabuchodonoſoris Infidelis non fuiſſe peccata, ſed opera honeſta apta ad placandum Deum iratum, ſicut etiam fuerunt jejunia, & alia honeſta opera Ninivitarum Jonę 2. Hinc Aug. lib. de ſpirit. & lit. cap. 27. habet: *Non uſque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint: unde merito dici poſſit, etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis.*

VII. Neque dicat Janſenius lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 5. opera iſthæc Infidelium eſſe ſolum bona ex parte objecti, ſeu eſſe bona quædam officia, non tamen eſſe bona ex omni parte, præſertim reſpectu finis; cum deſit illis relatio in Deum propter ſe dilectum.

Nam contra eſt primo, quia ut opus ſit ſtudioſum, & bonum, non eſt neceſſe, quod ad Deum ſumme dilectum referatur; aliter nulla alia daretur virtus præter charitatem, cum de fide ſit tres dari virtutes Theologales, & dari etiam Morales. Ad hoc enim ut actus virtutis exerceatur, ſatis eſt quod objectum honeſtum, ac conveniens naturæ rationali ametur propter ſuam honeſtatem, ſeu bonitatem intrinſecam, ut ſi quis parentes colat, reddat unicuique jus ſuum, pauperibus ſubveniat, quia id decet naturam rationalem. Neque enim Polemonis continentia fuit vitioſa, ut ſomniat Janſenius, quamvis deeſſet illi circumſtantia finis ultimi; ſiquidem, ut habet Aug. ep. 130., ea fuit donum Dei, atque adeo opus virtutis per hoc, quod continentiam ſervaret ex hoc motivo, quod id rectæ rationi ſit conſentaneum, prout a Xenocrate proponebatur.

Contra eſt ſecundo, quia aliud eſt officium de ſe bonum non referre ad Deum ſumme dilectum, aliud eſt referre illud ad pravum finem; hoc ſecundum reddit tale officium vitioſum, non vero primum. Ideo Auguſtinus a Janſenio relatus dicit: *Bonus eſt ut ſubveniatur homini periclitanti, præſertim innocenti; ſed ille, qui hoc facit, ſi amando gloriam hominis magis, quam Dei facit, non bene bonum facit.* Et quia plerumque opera bona Infidelium referuntur ad finem inanis gloriæ, aut avaritiæ, aut ad alium finem malum, ideo plerumque ſunt vitioſa, ut idem Auguſtinus annotat lib. 4. contra Julianum. Quare inepte Lutherus in cap. 4. epiſt. ad Galat. dicit: *Opera extra fidem facta, ut ma-*

maxime in ſpeciem ſancta videantur, ſub peccato, & maledicto ſunt. Quod pariter ineptiſſime docuit Calvinus lib. 3. Inſtit. cap. 4. & Janſenius lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 3. ubi habet: *Sola abſentia fidei ſufficit, ut omnia opera Infidelium ſint peccata.* Et jure merito proſcripta fuit 27. Baji propoſitio dicens: *Omnia opera Infidelium ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum vitia.*

VIII. Sed redeo ad oſtendendum non dari in natura lapſa, circumſcripta Dei gratia, in peccatoris voluntate ſolam libertatem ad peccandum, ita ut in aliquod vage peccatum neceſſario prolabatur, quoties gratia Liberatoris non infundit illi actum charitatis. Clemens Romanus lib. 3. Recognitionum pag. 4. refert Petrum Apoſtolum cum Simone Mago ſic differentem: *Dic, quomodo Deus judicat unumquemque ſecundum veritatem, ſi agere aliquid in poteſtate non habuit?* pergitque ex teſtimonio D. Petri oſtendere, quod judicium pœnæ ſubire non poſſint, qui in ſua poteſtate non habuerunt, ut non peccarent. Juſtinus Apol. 2. pro Chriſtianis habet: *Niſi homines pro arbitratu ſuo habeant turpia fugere, honeſta ſectari, extra culpam erunt, quidquid agant.* Idem paſſim etiam docet Auguſtinus, præſertim lib. de duabus animabus cap. 2. ubi habet: *Peccati reum teneri quempiam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ.* Idem etiam alii Patres communiter, quorum verba longum eſſet recenſere.

Neque dicas primo, Janſenianos non negare in peccatore libertatem ad non peccandum, ſed ſolum libertatem ad bene operandum ſine gratia Liberatoris. Nam contra eſt, quia abſtinentia a peccato, ſi non eſt moraliter bona, & ex motivo charitatis, juxta doctrinam Janſenii, & Queſn. in theſi 44. eſt moraliter mala, & peccaminoſa: cum non admittant medium inter cupiditatem, & charitatem, ex theſi 45. Præterquamquod in lege affirmativa naturali, qua præcipitur v. g. amor Dei, aut actus Contritionis, qui non eſt liber ad actum bonum, non poteſt eſſe liber ad non peccandum.

Neque dicas ſecundo, neceſſitatem peccandi non tollere a peccatore in natura lapſa veram rationem peccati in eo, qui peccat; quia ſcilicet poteſt non peccare ſub gratia Liberatoris. Nam ſicut non poteſt imputari ad culpam, quod homo moriatur, quia neceſſario moritur, quamvis poſſit non mori ex gratia Dei omnipotentis; ita non poteſt imputari ad culpam opus malum, quod neceſſario fit in ſententia Janſeniana, quamvis poſſit ex gratia per Chriſtum non fieri.

IX. Neque dicas tertio, Auguſtinum, & alios Patres, dum dicunt non poſſe peccatum eſſe neceſſarium, loqui de peccato, quod ſit duntaxat peccatum, non vero de peccato, quod ſit peccatum ſimul, & pœna peccati, ut ſunt peccata in natura lapſa: Quod expreſſit Auguſtinus lib. 1. Retractat. cap. 15. ubi loquens de peccati definitione, qua dixit, peccatum eſſe non poſſe, niſi ſit voluntarium, ita ut poſſit voluntas ab eo abſtinere, addit: *Propterea vera eſt, quia id definitum eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod eſt etiam pœna peccati.* Et ſimiliter lib. Oper. imperfect. fol. 38. loquens de libertate requiſita ad peccandum in natura lapſa, habet: *Nunc ei, qui dicit, quod nolo malum hoc ago, abſtinere inde liberum non eſt. Ac per hoc tria iſta diſcerne; & ſcias, aliud eſſe peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque.* Nomine peccati tantum intelligit S. Doctor amorem objecti vetiti, nulla cupiditate concupiſcentiæ cogente elicitum, ſicut fuit peccatum Protoplaſtorum; Nomine pœnæ peccati intelligit quodcumque ſeorſim a nova culpa homini provenit ex culpa Adę, ut eſt mors corporea, ignorantia, quam ex peccato contraxit, concupiſcentia effrænis, & alia id genus; Nomine vero peccati ſimul, & pœnæ peccati intelligit amorem objecti prohibiti, ſive cum ignorantia præcepti, ſive cum impoſſibilitate implendi præceptum, ſive cum dominante concupiſcentia, quæ procedat a voluntate; ſicut eſt omnis amor vitioſus in natura lapſa; & ad hæc peccata libertatem indifferentiæ non requirit.

Sed contra eſt, quia ſi Auguſtinus vellet ſolum primum peccatum Adæ fuiſſe liberum, doceret errorem Calvini a Tridentino damnatum, quod per peccatum Adæ ſit extinctum liberum arbitrium; quod Sancto Doctori enormiter eſt injurioſum. Quare univerſim, ex mente Auguſtini, quod eſt peccatum caveri poteſt; ut docuit etiam lib. 5. de Civit. Dei c. 10. & alibi. Illud peccatum, quod ſimul eſt pœna peccati per hoc, quod caveri non poſſit, non eſt proprie, & formaliter, ſed improprie & materialiter peccatum, videl. peccatum quod fit per ignorantiam invincibilem, & motus concupiſcentiæ inevitabiles. Quod diſertiſſime docuit S. Doctor lib. 3. de lib. arbitr. capite 19. dicens: *Si Adam & Eva peccaverunt, quid nos miſeri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate naſceremur?* quaſi exponens hominum querelas, quod peccata ex ignorantia invincibili imputentur ad culpam. Sed querelis facit ſatis dicendo: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere.*

quod

quod ignoras; Iſta propria tua peccata ſunt. Quibus verbis oſtendit, peccata, quæ caveri non poſſunt, eſſe improprie peccata. Ad eum modum quo Tridentinum ſeſſ. 5. loquens de concupiſcentia, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, declarat, *non appellari peccatum, quod vere, & proprie in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.* Expreſſiſſime hoc ipſum docuit Auguſtinus lib. 1. Retractat. cap. 13. loquens de peccatis, quæ proprie ſunt peccata, & quibus convenit peccati definitio, dicens: *Peccatum quippe illud intelligendum eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod eſt etiam pœna peccati.* Et poſt multa concludit: *Non itaque falſum eſt, quod dixit; uſque adeo peccatum voluntarium malum eſt, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Quare peccata, quæ ſunt inevitabilia, ut peccata ex ignorantia invincibili, & peccata, quæ fiunt ex concupiſcentia inevitabili abſque advertentia, & conſenſu, cum ſint peccata ſimul, & pœna peccati, ſunt ſolum improprie, & materialiter, ac ſecundum quid peccata, non vero proprie, formaliter, & ſimpliciter.

X. Confirmantur hæc omnia, quia ſi homo non eſſet liber ad peccatum declinandum, ſed ex neceſſitate aliquod vage malum operaretur, non peccaret, dum illud operaretur; atque adeo peccaret, & non peccaret. Probatur ſequela ex Juſtino Apolog. 2. pro Chriſtianis, ubi habet: *Niſi homines arbitratu ſuo poſſint turpia fugere, honeſta ſectari, extra culpam erunt, quicquid agant.* Bernardus etiam de lib. arb. col. 2. dicit: *Quod ſibi liberum non eſſe cognoſcitur, quo pacto ei vel bonum, vel malum imputatur? Excuſat nempe utrumque neceſſitas.* Sic Damaſcenus Dialogo contra Manichæos: *Qui anima, quæ tyranni de oppreſſa eſt, poterit quin peccet? At proinde culpa non erit.* Et Auguſt. de lib. arb. cap. 18. *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo cavere poteſt? Peccatur autem; ergo caveri poteſt.*

XI. Accedunt ad hæc plurimæ aliæ Theologicæ ratiocinationes. Et in prima quidem, quia ſi homo ex naturali ſua conſtitutione neceſſario peccaret, Deus eſſet peccati auctor; ergo etiam ſi neceſſario peccaret poſt lapſum. Antecedens conſtat, quia in auctorem cauſæ refertur effectus neceſſario connexus cum ſua cauſa; ſicut in Deum conditorem refertur lux ſolis, & calor ignis. Quod expreſſe docent Patres communiter; cauſa quippe cauſæ eſt cauſa cauſati. Hinc Athanaſius de ſalutari adventu habet: *Anne ergo peccatum ſecundum naturam fiet? Quod ſi ita eſt, ſtatueritis naturæ Conditorem (quod blaſphemum eſt) peccati eſſe opificem.* Et Hieronym. in Eccleſiaſtem cap. 7. *Ne videretur communem hominum damnare naturam, & Deum authorem mali facere, dum talium conditor eſt, qui malum vitare non poſſunt, argute præcavit, & ait, bonos nos a Deo creatos.* Et Auguſtin. lib. 7. Confeſſ. capite 2. docet, in Deum referri peccata, ſi ſtellæ peccandi neceſſitatem inducerent, dicens: *De cœlo tibi eſt inevitabilis cauſa peccandi, & Venus hoc fecit, aut Saturnus, aut Mars; ſcilicet ut homo ſine culpa ſit, culpandus ſit autem Cœli, aut ſiderum Creator, & ordinator.* Conſequentia itaque probatur, quia per Adæ peccatum non eſt ſublata homini poteſtas ſibi connaturaliter debita; neque liberum arbitrium eſt extinctum, ſed ſolum viribus eſt attenuatum, & inclinatum, ut habet Trident. ſeſſ. 6. cap. 1. quatenus ob rebellionem partis inferioris patitur difficultatem ad honeſte operandum, quam non patiebatur ante rebellionem; ergo poſt lapſum Adæ humanum arbitrium circumſcripta gratia per Chriſtum ex naturali ſua conſtitutione ad ſummum neceſſitatur moraliter, non tamen phyſice ad peccandum; aliter tam ante peccatum Adæ, quam poſt illud, Deo peccatum hominis imputaretur. Et ratio a priori eſt, quia concupiſcentia non fert ſecum neceſſitatem peccandi, ſed ſolum difficultatem phyſice ſuperabilem a facultate arbitrii; unde fit, quod ſi homo phyſice neceſſitaretur ad peccandum poſt lapſum Adæ, neceſſitas iſta oriretur ex ſua naturali conſtitutione, & ſic Deus eſſet peccati auctor.

Confirmatur primo. Si ſola vis concupiſcentiæ induceret peccandi neceſſitatem in natura lapſa, Deus auctor naturæ eſſet ſimul auctor peccati; ſiquidem concupiſcentia ex naturali conditione humanæ naturæ competit homini; & illi ineſſet, ſi homo conditus eſſet in ſtatu naturæ puræ, ut docet Chryſoſtomus homil. 19. ad populum Antioch. dicens: *Concupiſcentiæ radix habet a natura principium; concupiſcere enim naturale:* proinde proſcripta eſt propoſitio illa Baji 55. *Deus non potuiſſet creare ab initio talem hominem, qualis nunc naſcitur*, videlicet rebellem quoad appetitum imperio rationis, & aliis ærumnis obnoxium, quas per peccatum contraxit. Exiſtimo tamen, quod non potuiſſet Deus hominem creare cum tali rebellione concupiſcentiæ, quæ induceret neceſſitatem moralem ad peccandum: quia ſic etiam quodammodo Deo peccatum tribueretur. Unde Auguſtinus lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 18. dixit: *Non poſſe a libidinoſis operibus tempera-*

perare, non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati. Ex hoc itaque, quod homini naturaliter concupiſcentia competat, ſequitur, quod hæc ſolum inclinet, non neceſſitet ad peccandum; & quia in pœnam peccati neceſſitat moraliter, ideo per merita Chriſti Domini gratia nobis abundans datur, ut illi reſiſtamus. Unde dicitur ad Rom. 5. *Si unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes in vita regnabunt per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

XII. Secunda Theologica ratio eſt, quia motus concupiſcentię, & affectus turpes ſimplices, & inefficaces peccandi, cum ſint neceſſarii, nullum continent peccatum in ſtatu naturæ lapſę, ut ipſi Janſeniani admittunt, quamvis ſint ſpontanei, & voluntarii, & ratione peccati originalis ſit ablata nobis poteſtas illos cohibendi: ergo pariter vacarent culpa affectus turpes abſoluti, & efficaces, ſi ad illos pariter neceſſitaremur. Neque dicas, affectus efficaces moveri ex judicio indifferenti boni, & mali. Nam pariter affectus ſimplices moveri poſſunt, ac perſiſtere cum tali judicio; ſicut perſiſtebant cum notitia boni, & mali in Apoſtolo dicente, *Non quod volo bonum, hoc ago, ſed quod nolo malum, hoc facio*; proinde ad Rom. 6. idem monet: *Ne regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus*; quatenus etiam cum advertentia rationis perſiſtunt motus concupiſcentię, ita ut poſſimus quidem illis non conſentire, non tamen illos non ſentire poſſimus; & ideo Apoſtolus non prohibet, ne ſint, ſed ſolum ne regnent. Quod Auguſtinus annotavit tract. 41. in Jo: dicens: *Non ait, non ſit, ſed non regnet: Quamdiu vivis, peccatum neceſſe eſt eſſe in membris tuis; ſaltem illi regnum auferatur; non fiat, quod jubet.* Quod ſi non eſſent neceſſarii, etiam cum advertentia rationis, Apoſtolus non diceret, non regnent, ſed diceret, non ſint, ſicut abſolute prohibetur conſenſus erga illos; cum autem ſolum prohibeat ne regnent, ſignum eſt, quod ſolum affectus inefficaces ſint neceſſarii, non vero efficaces & abſoluti. Quod innuit Gregorius lib. 21. Moral. cap. 2. dicens: *Peccatum in humano corpore non eſſe, ſed regnare prohibuit, quia in carne corruptibili non eſſe non poteſt, ſed non regnare poteſt.*

Eſſent alię innumerę Theologicę ratiocinationes, quę idem evincerent; præſertim quia deriſorię eſſent exhortationes, comminationes, promiſſiones, ſi daretur peccandi neceſſitas, & gratia Liberatoris non ſit in manu voluntatis. Præterea non eſſet gravius peccatum, quod committitur ob levem tentationem, quam ſi committatur ob gravem; etenim in utroque caſu eadem daretur neceſſitas. Sed non eſt opus in his amplius immorari: ſatius eſt objecta diluere. Qui vero plura hac in re velit, conſulat Bellarminum lib. 5. de Grat., & Lib. Arb. cap. 9. & 10.

XIII. Opponitur, quod Auguſtinus non ſemel dixerit, hominem per Adæ peccatum contraxiſſe neceſſitatem peccandi: ergo ſi quam libertatem exercet, quando ſe applicat ad operationem, ea ſolum eſt relate ad hoc, vel illud peccatum in ſpecie, determinatur tamen ad peccandum in genere. Antecedens probatur: nam lib. de perfect. juſtitię cap. 4. dicit, ex libero Adami peccato ſubſecutam eſſe pœnalem vitioſitatem, quę ex libertate fecit neceſſitatem. Et cap. ſeq. addit: *Quia peccavit voluntas, ſecuta eſt peccantem peccatum habendi dura neceſſitas.* Similiter lib. 3. oper. imper. cap. 112. & lib. cont. Fortunatum Manichæum diſp. 2. dicit, poſtquam peccavit Adam libera voluntate, nos, qui ab ejus ſtirpe deſcendimus, fuiſſe in neceſſitatem peccandi precipitatos. Pariter in lib. laudato de perfect. juſtit. cap. 6. habet: *Peccatum eſt, vel cum non eſt charitas, quæ eſſe debet, vel minor eſt, quam eſſe debet, ſive hoc voluntate vitari poſſit, ſive non poſſit: Quia ſi poteſt, præſens voluntas hoc fecit: ſi autem non poteſt, præterita voluntas hoc fecit*: ergo juxta mentem Auguſtini peccator non poteſt a culpa abſtinere, & ad ſummum eſt ſolum liber ad malum ſine gratia Liberatoris, prout dicitur in prima harum quinque theſium: Ad eum modum quo dęmones ſuppoſita ſententia illa Theologorum, quod propter obſtinationem in malo nequeant ullum actum veræ virtutis exercere, non ſunt liberi ad faciendum opus undequaque bonum, ſunt tamen liberi ad malum, quatenus poſſunt abſtinere, ſi velint, ab hoc, vel illo opere malo, quod culpabiliter faciunt; eſto non ſint liberi ad abſtinendum a malo quocunque.

Confirmatur primo: Lex ſine gratia, & fide non ſolum non juvat ad non peccandum, ſed etiam dando notitiam peccati incitat potius ad peccandum nitentes contra vetitum; ergo voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum; ardoris, niſi ad ſe præcipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum; prout habetur in altera ex his theſibus.

Confirmatur ſecundo, quia nihil datur medium inter charitatem, & culpabilem cupiditatem; ſiquidem affectus animi verſantur

vel circa Creatorem, vel circa creaturas; & amor Creatoris eſt laudabilis; amor vero mundi eſt culpabilis, & ab Apoſtolo vetitus: atqui actus charitatis elici ſine gratia non poteſt: ergo ſine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem, ut dicitur in tertia iſtarum theſium. Unde Auguſtin. lib. 1. de Grat. Chriſti cap. 26. *Quid boni faceremus*, inquit, *niſi diligeremus? Ubi non eſt dilectio, nullum bonum opus imputatur.*

Confirmatur tertio: Cognitio Dei obligat nos, ut ad illum tanquam ad finem ultimum omnia dirigamus: aliter nihil recte fit; nec cognitio Dei parit affectus debitos adorationis, gratitudinis, amoris: atqui ſine gratia hæc præſtari non poſſunt: ergo cognitio Dei ſine gratia non producit niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris, ut quarta iſtarum theſium contendit.

Confirmatur demum, quia *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, ex Apoſtolo ad Rom. 4. atqui ſine gratia per Chriſtum non poſſumus credere; ergo ſola gratia per Chriſtum reddit nos aptos ad ſacrificium fidei, & ſine hoc nihil niſi impuritas; nihil niſi indignitas, ſeu peccatum: prout in poſtrema theſi exprimitur.

Reſpondeo ex dictis conſtare, quænam fuerit hac in re mens Auguſtini, qui lib. 2. de Actis cum Felice Manichæo, lib. de gratia, & lib. arb. cap. 2. & aliis in locis, ex præceptis, objurgationibus, exhortationibus colligit dari in natura lapſa libertatem indifferentiæ, qua poſſint homines eligere bonum, vel malum, Deo ſervire, vel diabolo, fructus bonos facere, vel malos, ac denique ita bene vel male operari, ut loco bonæ, vel malæ operationis poſſint oppoſitam ponere. Quinimmo etiam Infideles ſine gratia fidei, & Liberatoris poſſe multa bona opera exercere docuit epiſt. 5. ad Marcellinum, & lib. de ſpiritu, & litt. cap. 28. & lib. de patientia cap. 6. Nec ſolum docet Infideles poſſe operari bona, ſed etiam poſſe bene operari; unde Epiſt. 130. continentiam Polemonis dicit eſſe donum Dei, quia ortam ex motivo honeſto propoſito a Xenocrate, quod ſcilicet ea conformis eſſet rectæ rationi. Quare in locis laudatis, ubi videtur docere, quod in natura lapſa ſine gratia Liberatoris detur neceſſitas peccandi, ſolum loquitur de neceſſitate morali, non de phyſica, ſeu de magna difficultate abſtinendi a peccato, ſemperque, & conſtanter reſiſtendi motibus concupiſcentiæ, & peccandi occaſionibus tam frequentibus, & importunis, & adeo vehementer ad culpam incitantibus: unde poſſumus verba illa Apoſtoli paſſim uſurpare: *Infelix ego homo, quis me liberabit a corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Quod ſi peccatum in genere vitari phyſice non poſſet, profecto juxta mentem Auguſtini reatus culpæ non contraheretur; dicit enim lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *Quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei cedituri. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem; caveri igitur poteſt.* Quibus adde, quod libertas ad carendum hoc, vel illo peccato, non vero a peccato aliquo vage, non cohæreat cum doctrina Janſeniana, quæ docet ex Janſenio lib. 4. de Grat. Salvat. cap. 7. & 9. & lib. 8. cap. 3. quod voluntas nihil boni amplecti poſſit per conſenſum deliberatum, niſi aliqua delectatione indeliberata præveniatur, quæ ſi aliam non habeat ſimul occurrentem voluntati, conſenſum obtinet neceſſario: ſin autem alia delectatio contraria ſimul occurrat, ſequitur voluntas neceſſario illam, quæ major eſt; unde non datur in voluntate hæc libertas, quamvis umbratilis, & imaginaria, quam Janſeniani comminiſcuntur abſtinendi ab hoc, vel illo peccato, non tamen a quocunque. Quicquid ſit de obſtinatione dæmonum, de qua varie loquuntur Interpretes D. Thomæ 1. p. q. 64. Illud certum eſt, quod non peccent in eo, ad quod phyſice neceſſitantur.

Ubi advertendum, quod ſi aliquando Auguſtinus videatur velle, quod per Adæ peccatum contraxerimus phyſicam peccandi neceſſitatem, tunc nomine peccati veniunt motus inordinati concupiſcentiæ, quos involuntarie patimur amiſſo dono integritatis naturæ. Illi enim ab Apoſtolo vocantur peccata, non quia proprie ſunt peccata, ut advertit Tridentinum ſeſſ. 5. can. 5. ſed quia ſunt orti a peccato Adæ, & ad peccatum inclinant.

Ad primam confirmationem: Non eſt lex divina, quæ incitat ad peccandum, ſed eſt concupiſcentia rebellis, nec a lumine, a quo illuſtratur ad recte operandum, habet homo, ut a ſemita juſtitiæ aberret, ſed a propria culpa; ſicut exhortationes, bona conſilia, & exempla, ac aliæ gratiæ exteriores non deſerviunt ad obdurandum, ut oſtendimus in theſi quinta, ſed humanum arbitrium illa reſpuendo culpabiliter magis obduratur.

Ad ſecundam, oſtendimus inter actum charitatis, & culpabilem cupiditatem, ſeu inter Dei dilectionem, ac vitioſam dilectionem mundi intercedere plures actus virtutum moralium, quos poteſt homo exercere viribus dumtaxat naturalibus. Auguſtinus loco laudato loquitur de dilectione honeſtatis, quæ eſt virtualis Dei dilectio, quatenus illam amando ponimus aliquid Deo gratum,

non

non autem loquitur de formali Dei dilectione.

Ad tertiam: Non ſemper in via Dei cognitio obligat ad actum perfectæ dilectionis, ſicut neceſſitat viſio Dei in Patria. Quando autem in Ethnicis Dei cognitio conjungitur cum præſumptione, & vanitate, is parvus affectus tunc provenit tantum ex culpa voluntatis.

Ad ultimam: Apoſtolus ibi loquitur de iis, qui ex conſcientia erronea putabant non eſſe licitum veſci cibis in veteri lege vetitis, & dicit, quod ſi talibus cibis veſcantur, adhuc peccent, quamvis re vera non eſſent amplius vetiti; quia non veſcuntur iis ex fide, ſeu ex dictamine conſcientiæ, quod liceant. Quare dictum illud, *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ſignificat non vacare culpa id, quod non ponitur ex credulitate, quod ſit licitum; nam ſi dictamen conſcientiæ dictet eſſe illicitum, procul dubio ſine culpa poni non poteſt. Non eſt autem ſenſus, quod Infidelis nihil boni præſtare poſſit; proſcripta enim eſt theſis illa 25. Baji dicentis: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum ſunt vitia*. In quonam autem ſenſu dicat Auguſtinus, & Concilium Arauſicanum can. 22. *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum*, explicavimus in prima harum theſium; ubi plurima alia huc ſpectantia reperies; ſicut etiam in ſecunda. Ex quibus omnibus falſitas iſtarum quinque theſium fit perſpicua.

Falſum quippe eſt primo, quod habetur in theſi 38. videlicet peccatorem ſine gratia Liberatoris non eſſe liberum, niſi ad malum, cum enim per peccatum non amiſerit liberum arbitrium, poterit libertatem exercere, tum ad abſtinendum a malo, tum ad bonum proſequendum: aliter non peccaret, dum peccat.

Falſum eſt ſecundo, quod dicitur in 39. Voluntas quippe lumine dumtaxat naturali prædita, Deum Primam cauſam, ac omnium bonorum pelagus eſſe agnoſcit, quo noſtri affectus dirigendi ſunt, ne aberremus, quem diligere debemus, ne in præceps ruamus, & a quo vires connaturaliter nobis proveniunt ad præcavenda vulnera, quæ nobis per culpas infliguntur. Capax proinde voluntas eſt honeſtæ operationis etiam citra gratiam ſupernaturalem.

Falſum eſt tertio, quod aſſeritur in 40. Poſſumus enim viribus connaturaliter debitis Deum amare amore naturali, qui quamvis ad ſupernaturalem beatitudinem non perducat, certe non confert ad noſtram condemnationem. Poſſumus itaque ſine gratia & Deum, & honeſtatem etiam virtutis amare, non ſolum citra culpam, & damnationem, ſed etiam laudabiliter, ac cum merito hiſce actibus conſentaneo.

Falſum eſt quarto, quod habetur in 41. Siquidem cognitio Dei naturalis, (quæ etiam in Philoſophis Ethnicis a Deo ut Auctore naturæ promanat) tantum abeſt, ut de ſe vanitatem, præſumptionem, & oppoſitionem ad Deum gignat, ut potius natura ſua ad effectus adorationis, gratitudinis, & amoris extimulet. Unde liberum hominis arbitrium, quod per peccatum non eſt extinctum, poterit in hos actus honeſtiſſimos ſine gratia intrinſece ſupernaturali prorumpere, ſi annuat.

Falſum denique eſt, quod dicitur in 42. videlicet ſine fidei ſupernaturalis ſacrificio (ad quod unice per gratiam reddimur apti) nonniſi impuritatem, ac indignitatem provenire poſſe: quandoquidem vi naturalis cognitionis nobis a natura inditæ de bonitate divina, ac de honeſtate virtutis, poteſt voluntas non ſolum a culpis abſtinere, ſed ad Dei dilectionem, ac ad virtutis proſecutionem incendi; nec eſt cur nequeat in hiſce actibus exerceri ſine gratia, ubi per peccatum libertatem non amiſit.

Illud videtur hic negotium faceſſere, quod Auguſtinus videatur hanc ipſam trigeſimam octavam Queſnelli theſim non ſemel iiſdem pene verbis docuiſſe; ut proinde Queſnelli Aſſeclæ audacter inclament, theſim iſtam condemnari non poſſe, non damnata indiviſim doctrina Auguſtini; quippe qui lib. de corrept. & grat. cap. 1. hæc habet: *In bono nullus liber eſſe poterit, niſi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si Filius vos liberaverit, tunc vere liberi eritis*. Similiter lib. 1. contra duas Epiſt. Pelagii cap. 3. habet: *Nec liberum arbitrium in bono erit, quod Liberator non liberaverit*. Et ibid. lib. 3. cap. 8. docet: *Liberum arbitrium captivatum nonniſi ad peccatum valet; Ad juſtitiam vero, niſi divinitus liberatum, adjutumque, non valet*; quod pariter aliis in locis S. Doctor inculcat.

Reſpondeo, hanc trigeſimam octavam Queſnelli theſim coincidere cum vigeſima ſeptima Baji dicentis: *Liberum hominis arbitrium ſine gratia Dei nonniſi ad peccandum valet*. Utraque tamen proſcribenda fuit: quia utraque tam juxta germanum verborum ſenſum, quam in ſuis codicibus erroneum dumtaxat ſenſum citra dubietatem præſeferebat. Quamvis autem videatur conſimilibus verbis Auguſtinus loquutus fuiſſe, ea tamen in Auguſtini Codice Catholicum dumtaxat ſenſum præſeferunt citra ullius a-

leam dubitationis ; ut fuſe , ac dilucide oſtendit Suar. lib. 1. de Grat. cap. 21. Poteſt ſiquidem univerſim eadem omnino propoſitio ex his adjunctis ad ſenſum Catholicum ſignificandum determinari , ex aliis vero ad ſenſum falſum , & erroneum . Sic Matt. 26. dicuntur duo falſi teſtes depoſuiſſe adverſus Redemptorem , quod dixerit : *Poſſum deſtruere templum Dei , & poſt triduum reædificare illud* ; & tamen revera Chriſtus D. dixit Jo. 2. *Solvite templum hoc , & in tribus diebus excitabo illud*. Quia tamen verba hæc a Chriſto D. in iis circumſtantiis prolata fuerunt , quæ denotabant templum corporis ſui, ut advertit Evangeliſta , ideo erant veriſſima . Contra vero teſtes deponebant, Chriſtum ea dixiſſe denotando , quod loquutus fuiſſet de Templo Hieroſolymitano , idcirco falſum dicitur fuiſſe teſtimonium illorum . Quod autem præſens propoſitio in Codicibus Baji , & Queſnelli denotet etiam ex adjunctis ſenſum erroneum, nullatenus vero in Auguſtino , ex eo fit perſpicuum , quia ex una parte verba hujus theſis de ſe exhibent ſenſum erroneum , (quod ſcilicet per peccatum in nobis extinctum ſit liberum arbitrium in ordine ad bene operandum) ex altera parte idipſum confirmatur ex principiis Baji , & Queſnelli ; cum ille in ſua theſi 38. hic in ſua theſi 44. duos tantum in voluntate amores agnoſcant , videlicet vel perfectæ charitatis , vel vitioſæ cupiditatis ; quare theſis hæc tum ſecundum germanum verborum ſenſum , tum etiam ad mentem Baji , & Queſnelli fuit proſcribenda . At verba laudata Auguſtini juxta ejus principia nihil aliud ſonant , quam quod homo de ſuo nihil habeat præter peccatum , & mendacium , ut loquitur Concilium Arauſican. can. 22. , quatenus (ut in prima theſi explicavimus) peccatum ita eſt proprium noſtrum , ut nullatenus ſit Dei ; ubi bona operatio Dei potius eſt , quam noſtra . Propterea liberum arbitrium ab Auguſtino dicitur ad peccatum dumtaxat valere , non vero ad juſtitiam , niſi per gratiam : quatenus ut peccet non indiget auxilio , & coinfluxu gratiæ ; contra vero ut bene operetur in ordine naturali , indiget gratia ordinis naturalis , & ut bene operetur in ordine ſuperno , indiget gratia ordinis ſuperni , ut proinde peccator hac gratia munitus poſſit libere ad juſtificationem ſe diſponere per actus ſupernaturales prævios , prout docet Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. , & prout dicitur 1. Reg. 7. *Præparate corda veſtra Domino*.

Vel dicas cum aliis apud Platelium p. 2. n. 527. quod Auguſtinus dicens liberum arbitrium non eſſe liberum in bono , ſed ad peccatum dumtaxat valere ſine gratia Liberatoris , loquatur juxta uſum communem , quo de mendaci vere dicere ſolemus , quod nonniſi mendacia loquatur , quamvis aliquando , ſed raro , loquatur etiam vera . Etenim opera , quæ ab Infidelibus fiunt ſine auxilio gratiæ ſupernaturalis , (ut habet idem S. Doctor lib. de ſpirit. & lit. cap. 27.) *ſi diſcutiantur , quo fine fiant , vix inveniuntur , quæ juſtitiæ debitam laudem mereantur* . Cum autem dicat , *Vix* ea inveniri , aperte docet , quod aliquando , ſed raro in iis inveniantur opera , quæ nullo malo fine vitientur , ſed exercite , ac implicite ad Deum naturæ Auctorem , ut ad ultimum finem , referantur ; quod ſatis eſt , ut ea opera dicantur moraliter bona in ordine naturæ . Quare juxta utrumque hunc ſenſum explicari rite poſſent verba laudata Auguſtini cohærenter ad ejus doctrinam ; (ita ut ſolum velit , vel quod liberum arbitrium de ſuo ſolum poſſit peccatum ponere , vel quod careat univerſim libertate ſolum morali , non phyſica ad bonum ponendum ordinis naturalis ſine gratia in ſtatu naturæ lapſæ) Propterea nullum ex iis poterit habere præſidium Queſnellus ad excuſandos ſuos errores , quos fucoſis verbis inſinuat . Idemque dicas in ſimilibus theſibus , quæ per ſummam injuriam eidem S. Doctori a Janſenianis appinguntur .

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXXVIII.

TRigeſima octava docet , Peccatorem ſine gratia Liberatoris non eſſe liberum niſi ad malum ; quod ſimiliter in quatuor aliis ſubſequentibus theſibus eructatur . Omnes tamen adverſantur Tridentino , quod ſeſſ. 6. can. 5. definit , per Adæ peccatum non eſſe extinctum liberum hominis arbitrium ; ut propterea proſcripta ſit theſis illa 27. Baji , quæ habet : *Liberum hominis arbitrium , ſine gratiæ Dei adjutorio , nonniſi ad peccandum valet*. Eſſet autem extincta noſtra libertas , ſi citra gratiam ſupernaturalem , quæ antonomaſtice dicitur gratia , nihil aliud poſſet , niſi peccare ; ut proinde culpa eſſet in homine obtemperare parentibus , reddere unicuique jus ſuum , colere Deum , ſi hæc præſtaret citra gratiam ſupernaturalem , prout revera poteſt ; cum etiam in infidelibus virtutum iſtarum actus deprehendantur , & quidem citra gratiam ſupernaturalem .

lem. Danielis 4. dixit Nabuchodonoſori Propheta: *Peccata tua eleemoſynis redime*; ſi autem erogatio ſtipis eſſet peccatum, ſequeretur, quod peccatum peccato redimeretur, nec deſervirent eleemoſynæ ad placandum, ſed ad irritandum potius Deum iratum. Libertas vero ad ponendum hoc, vel illud malum, ſi non extendatur ad carendum quolibet malo, revera non eſt libertas; ad eum modum, quo libertas ad præcipitandum ſe in hanc, vel illam foveam, ſine libertate ad ſimpliciter non ſe præcipitandum, eſt ſolum libertas umbratilis, non libertas abſolute dicta, quam Tridentinum definit non eſſe extinctam. Docuit quidem Auguſt. in lib. de ſpir. & lit. cap. 3. & alibi, Humanum arbitrium nihil valere, niſi ad peccandum, ſine Dei gratia; iis tamen verbis ſolum denotat, ut diximus in prima theſi, & conſtat ex contextu, quod ſine aliquo Dei favore, & gratia, ſive ordinis naturalis, ſive in præſenti providentia ordinis ſupernaturalis, homo nihil habeat de ſuo, niſi peccatum. Hinc tamen non ſequitur, quod poſſimus etiam in hoc ſenſu benigne accipere verba hujus theſis. Nam, ut non ſemel diximus, quoties abſolute pronunciatur aliqua propoſitio, quæ proſcripta eſt ab Eccleſia tanquam erronea in aliquo Auctore, præſumitur, quod in ſenſu erroneo uſurpetur, niſi ſenſus Catholicus ex contextu explicetur. Quod procul dubio non fit a Queſnello, qui tantum abeſt, quod ſenſum Catholicum explicet, ut potius explicet ſenſum erroneum, in quo uſurpata fuit a Bajo, cum ſemper veſtigiis Baji, ac Janſenii ejus diſcipuli inhæreat, ut ex decurſu harum theſium fit perſpicuum. Propterea tam in ſenſus germano & obvio, quem præ ſeferunt verba, quam in ſenſu ab Auctore intento nigrum theta huic theſi præfigendum fuit.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXXIX.

TRigeſimanona vult pariter, voluntatem gratia deſtitutam lucem non habere, niſi ad aberrandum, nec ardorem, niſi ad ſe præcipitandum, nec vires, niſi ad ſe vulnerandum: ut proinde ſit capax omnis mali, & incapax ad omne bonum. Si autem ita ſe res haberet, homo gratia deſtitutus ad peccandum neceſſitaretur, ac propterea non peccaret, dum peccat. Ex Auguſtino enim lib. 2. de duabus animabus cap. 2. *Peccati reum teneri quempiam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt, & inſaniæ.* Si vires non ſuppetunt, niſi ad ſe vulnerandum, ubi gratia deſit, conſectarium eſt, quod deſint tunc vires ad peccata declinanda; quomodo autem peccatur ſine libertate, ac viribus requiſitis ad talem fugam? Queſnellus paſſim Janſenizans, ut diximus in ſecunda Anacephalæoſi, contendit contrahi peccatum formale, ac demeritum per ſolam libertatem a coactione citra libertatem a neceſſitate; & ideo docet, vi gratiæ efficacis determinari hominem ad bene operandum, & mereri, quamvis non poſſit illi gratiæ reſiſtere; ubi vero gratia iſthæc deſit, illuſtrationes, inſpirationes, ac vires ad operandum (unde unde illas habeat) ſolum deſervire ad contrahendum culpæ reatum, quamvis non poſſit homo a malis operationibus abſtinere, prout docuit Bajus dicens in tertia ex ſuis theſibus profligatis: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod neceſſario facit.*

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XL.

QUadrageſima etiam aſſerit, nihil nos amare poſſe ſine gratia, niſi ad noſtram condemnationem. Hæc autem Manichæiſmum ſapit, redditque Deum peccati authorem; cum enim humana natura per peccatum nihil amiſerit eorum, quæ ad ſui naturalem conditionem ſpectant, ſed ſolum contraxerit rebellionem partis inferioris, ac difficultatem ad bene operandum; ita ut liberum arbitrium remanſerit inclinatum, & attenuatum, ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 1. & can. 5. non tamen fuerit amiſſum; ſi verum eſſet, quod homo carens gratia ſolum peccare poſſet, & ad ſuam condemnationem amare quicquid amare poſſet, ſequeretur ex naturali ſua conſtitutione ad peccandum neceſſitari; & quia quæ ad naturam ſpectant, ad Deum naturæ auctorem refunduntur, idcirco peccatum hominis Deo aſcribi deberet; unde Deus naturæ humanæ auctor eſſet pariter auctor peccati, juxta hæreſim Manichæorum. Quare ſicut in omnium ſententia affectus turpes inefficaces, ac motus primo primi, quia ſunt indeliberati, & carent libertate ad peccandum requiſita, non ſunt formaliter mali, nec ſunt demeritorii; ita nec eſſent peccata formalia, nec ferrent demeritum effectus turpes efficaces, ſi carerent libertate a neceſſitate: quod nemo dixerit.

xerit . Poſſumus itaque citra gratiam aliquid amare , & non ad noſtram condemnationem . Propterea proſcipta fuit Bajana illa theſis 61. dicens : *Nonniſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrii bonus , ſive non malus ; & gratiæ Chriſti injuriam facit , qui ita ſentit , & docet .*

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XLI.

QUadrageſimaprima ſuſtinet, omnem Dei cognitionem , etiam naturalem, etiam in Philoſophis Ethnicis , ſine Dei gratia, vice affectuum adorationis , gratitudinis , & amoris, parere præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum . Quid abſurdius excogitari poteſt ? Quomodo Apoſtolus ad Roman. 1. diceret , eſſe inexcuſabiles eos, qui *cum cognoviſſent Deum , non ſicut Deum glorificaverunt , aut gratias egerunt , ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis ?* Si Dei cognitio ſine gratia de ſe pareret præſumptionem, & vanitatem , non vero affectum adorationis , gratitudinis, & amoris naturalis , in promptu eſſet excuſatio iſtorum , quos Apoſtolus increpat tanquam inexcuſabiles . Queſnellus inhæret veſtigiis Baji docentis in 25. ex ſuis proſcriptis theſibus : *Omnia opera Infidelium eſſe peccata , & virtutes Philoſophorum eſſe vitia ;* perinde quaſi omnes affectus ſtudioſi , etiamſi ex cognitione Dei promanent, vanitate, ac vitio imbuantur , ubi deſit gratia ; quod tamen a veritate nimium abhorret , cum conſtet ex Scripturis, Deum non ſemel etiam bona opera Infidelium in hac vita remuneratum eſſe , ſicut ædificavit obſtetricibus Ægyptiis domum , ea tantum de cauſa, ut habetur Exod. 1. *quia Deum timuerunt.* Immo Dei cognitio indita nobis eſt a natura , ut homines naturæ ductu tendant ad diligendum ſuum Conditorem, & aſſequendum Remuneratorem ; quamvis nonnulli deinde hac ipſa naturali Numinis cognitione ex propria culpa abutantur in præſumptionem, evaneſcentes in cogitationibus ſuis . Notandum tamen, quod theſis velit, *etiam naturalem* cognitionem Dei parere vanitatem , quaſi dicat, non ſolum a cognitione Dei ſupernaturali, ſed etiam a naturali præſumptuoſe homines in ſuperbiam extolli , ac vanitatem . Quis autem non videat , cognitionem Dei ſupernam , ac divinas illuſtrationes de ſe tantum parere affectus ſupernos adorationis , timoris , dilectionis , contritionis , etiam in iis, qui gratiam habitualem, ac ſanctificantem per peccatum amiſerunt , non vero præſumptionem , ac vanitatem ? Idipſum itaque dicendum de cognitione Dei naturali , etiam in Philoſophis Ethnicis , quod ſcilicet de ſe ſolum viam muniat ad pios affectus naturales erga ſummum bonum naturæ viribus cognitum , immo & conſpectum ; dicitur enim Rom. 1. *Inviſibilia ipſius a creatura mundi per ea , quæ facta ſunt , intellecta conſpiciuntur ; ſempiterna quoque ejus virtus , & divinitas ;* ut ſint inexcuſabiles, ut diximus, qui hac Numinis cognitione abutuntur ad præſumptionem, ac perniciem.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XLII.

QUadrageſima ſecunda docet , Chriſti gratiam dumtaxat reddere hominem aptum ad fidei ſacrificium ; hoc autem circumſcripto nihil reperiri , præter impuritatem, ac indignitatem . Quod Chriſti gratia actualis requiratur ad captivandum , & ſacrificandum intellectum in obſequium fidei divinæ , nemo eſt, qui in dubium revocet ; cum enim fides ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 1. ſit *Humanæ ſalutis initium , fundamentum , & radix omnis juſtificationis* , non poteſt hujus Theologicæ virtutis actus non eſſe ſupernus , atque adeo ſine Chriſti gratia prodire non poteſt . Quod autem ſine fide , ſine qua ex Apoſtolo impoſſibile eſt placere Deo , & habere gratiam ſanctificantem ; pariter impoſſibile ſit elicere actus honeſtos , ſed quilibet Infidelium actus debeat eſſe impurus , indignus , ac peccaminoſus , fuit error Baji in ſua proſcripta theſi 25. ubi dixit , Omnia opera Infidelium eſſe peccata . Conſtat enim ex dictis in ſuperiori theſi, non ſolum ſine gratia antonomaſtice dicta , hoc eſt ſine gratia Theologica , ſed etiam ſine fide poni poſſe actus ſtudioſos , & honeſtos : Quod diſerte Auguſtinus oſtendit in Pſalm. 83. explicans verſiculum illum : *Etenim paſſer invenit ſibi domum , & turtur nidum ſibi* ; & lib. 5. de Civ. cap. 15. advertit , Deum Romanis imperii amplificationem conceſſiſſe in præmium quorundam actuum virtutum moralium , quos paſſim exercebant , retributio enim , quæ iiſdem conferri non poterat in alia vita , eo quod ſine gratia decedentes detrudendi erant in gehennam , tribuebatur illis in hac vita , extendendo ultra modum Romani Imperii dominationem ; Nec ſolum virtutum moralium naturalium

actus

actus exerceri poſſunt ab Infidelibus, ac paſſim exercentur, dum v. gr. parentes honore proſequuntur, pauperibus ſubveniunt, unicuique tribuunt jus ſuum, ſed etiam antequam credant, exercere poſſunt actus ſupernaturales prævios. Quod conſtat tum ex quinta theſi ab Alexandro VIII. proſcripta, quæ habet: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a JESU Chriſto influxum; adeoque recte inferes, in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine ulla gratia ſufficienti;* tum ex eo, quia cum Chriſtus dederit ſemetipſum Redemptionem pro omnibus, ut dicitur 1. ad Timoth. 2. conſectarium eſt, quod Chriſti mors omnibus contulerit auxilia ſufficientia ad ſalutem aſſequendam; & quia fides ex Tridentino eſt humanæ ſalutis initium, radix, & fundamentum, ita ut ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, eaque requiritur, ut poſſit homo baptiſmo aliquo, ſaltem flaminis, baptizari, & ſic introire in Regnum Dei; idcirco Infidelibus omnibus auxilia ſuperna Chriſtus confert, quorum adjutorio libere poſſint fidem amplecti, & lavacro ſalutis ablui. Quare etiam antequam credant, exercent Infideles actus ſupernos, nempe piam affectionem ad fidem, ejuſque amplexum; eo quod fides ut libere acceptata per actum voluntatis, & ſic meritoria, ſit humanæ ſalutis initium, non vero ſecundum quod eſt actus intellectus non formaliter liber. Hinc Concil. Colonienſe par. 7. cap. 31. docuit: *Quanquam nemo convertatur ad Dominum, niſi tractus per Patrem, attamen nemo hic excuſationem prætexat, quod non trahatur, quod ille ſemper ſtat ante oſtium pulſans, nimirum per internum, & externum verbum commonens, ut convertamur a via noſtra peſſima.* Falſum proinde eſt, quod ſine fidei ſacrificio nihil detur, niſi impuritas, & indignitas; cum etiam Infidelibus vires gratiæ dentur, quibus libere velint fidem amplecti, ac baptizari, ac fundamentum ponere ad ædificium ſpirituale; nulla tamen ad id expectata diſpoſitione per actus morales viribus naturæ elicitos, ut impie contendebant Semipelagiani.

PROPOSITIO XLIII.

Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere, ut moriamur peccato: adeo ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi. *Queſnell. Rom. 6. 2. edit. 1699.*

SYNOPSIS.

I. Dum gratia baptiſmalis extollitur in hac theſi, ea valde deprimitur. II. Exſuſcitatur hic hæreſis Joviniani, quod ſcilicet habens gratiam baptiſmalem ſit impeccabilis.

III. Gratia iſthæc adimit quidem peccatum, ſed non potentiam peccandi; unde non poteſt baptizatus mortuo æquiparari. IV. Remanet quippe in eo concupiſcentia, quæ peccatum ab Apoſtolo appellatur, non quod proprie peccatum ſit, ſed quia eſt ex peccato, & ad peccatum inclinat. V. Sicut prima bona operatio libera præcepta non excludit, ſed compatitur potentiam ad peccandum; ita pariter gratia baptiſmalis.

VI. Qui ex Deo natus eſt, dicitur a Joanne non poſſe peccare, videlicet in ſenſu compoſito, non in ſenſu diviſo; juxta quam ſignificationem arbor bona non poteſt malos fructus facere.

VII. Explicatur in quo ſenſu gratia actualis efficax ſit Omnipotens, quin excludat potentiam ad peccandum. VIII. Et quonam pacto per illam voluntas agatur, & rapiatur.

IX. Quomodo indeclinabiliter, & inſuperabiliter per gratiam agatur voluntas, libertate incolumi. X. Quomodo Deo tribuantur operationes gratiæ ſalutares, quamvis arbitrium ad illas ſe determinet. XI. Quomodo etiam non ſit volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei noſtra libera operatio. XII. Et quid interſit inter gratiam Adamicam, ſeu Sanitatis, & Chriſtianam, ſeu Medicinalem, ſi utraque dat poſſe ſimul, & velle, & neutra potentiam ad peccandum excludit. XIII. Gratia baptiſmalis, quamvis non extinguat fomitem concupiſcentiæ, nec evertat potentiam ad peccandum, nihilominus peccatum non radit, ſed omnino deſtruit. XIV. Concupiſcentiæ motus non ſunt peccaminoſi, ſi deſit illis conſenſus. XV. Quonam pacto magis nobis profuerit Gratia Redemptoris, quam obfuerit culpa?

I. GRatiam baptiſmalem adeo in ſpeciem extollit Auctor in hac theſi, ut quodammodo Beatitudini ipſi æquiparet. etenim vi gratiæ, qua peccato commorimur, ita Deum diligimus amore amicabili, ut cum Apoſtolo ad Roman. 8. exclamare poſſimus: *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto JESU Domino noſtro.* Uni quippe Deo de plenitudine poteſtatis videtur integrum eſſe hoc indiſſolubile charitatis vinculum diſſociare. Verum longe a vero aberrat: etenim quamvis Deus nunquam in præſenti providentia vinculum hoc ſuæ erga nos amicitiæ ſponte diſſolvat, in manu tamen voluntatis noſtræ poſuit ab ipſa reſilire, vel in ea firmari, ita ut qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc, ut poſſit Deo in Patria intenſius frui in perpetuas æternitates in præmium talis dilectionis. Hanc itaque pretioſiſſimam facultatem merendi gloriam intenſiorem ob liberam a culpa fugam adimit nobis in hac theſi Queſnellus, excludendo in juſto libertatem ad peccandum: Ex quo fit perſpicuum, univerſim ipſum loqui cohærenter ad errores Janſenianos; atque adeo a veritatibus Catholicis diſcordare, dum ſuis fucoſis theſibus inducit homines ad deſidiam, perinde quaſi unice a Deo dependeat noſtra ſalus, & gratiæ conſervatio in juſto, & non etiam a propria voluntate, quæ poſſit arbitratu ſuo peccare, & ſic gratiam amittere; Unde verum ſit, quod numquam Deus nos deſerat, niſi prius a nobis per peccatum deſeratur.

II. Et ſane, ſicut in prima theſi Queſnellus docuit, amiſſa per peccatum gratia, nihil remanere in peccatore, præter generalem impotentiam ad omne opus bonum; ita nunc ex oppoſito docet, quod ſublato per gratiam baptiſmalem peccato, in juſto remaneat omnimoda impotentia ad peccandum; & ſicut in theſi 23. docuit, Ideam gratiæ Janſenianæ haberi ab operatione omnipotentis Dei, qua mortuis reddit vitam; ita ut ſicut mortuus nullatenus cooperatur ad ſuam reſurrectionem, ita nec peccator ad acquirendam vitam gratiæ: ita in hac theſi (ſi germanum verborum ſenſum ſpectemus) pariformiter vult, quod ſicut operatio Omnipotentis, dum adimit Cajo vitam, efficit, ut nullam ille operationem exercere valeat pro rebus mundi; ita gratia baptiſmalis, dum reddit hominem peccato mortuum, efficiat, ut nullam valeat exercere operationem in ordine ad peccandum. Quare ſicut gratia per Janſenianos confertur a Deo citra cooperationem noſtræ voluntatis; ita tollitur nulla prævia voluntatis operatione peccaminoſa. Ex quo fit, quod habens gratiam baptiſmalem ſit impeccabilis, juxta hæreſim Joviniani apud Bellar. lib. 1. de Bapt. cap. 14. & in tantum poſſit gratiam amittere, in quantum a Deo illa tollitur. Quomodo enim peccare poterit juſtus, qui ita peccato eſt mortuus per gratiam, ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ in ordine ad peccandum, quam habeat homo mortuus pro rebus mundi? Hanc autem Joviniani hæreſim ante Janſenium inſtauravit Jo: Calvinus docens, hominem ſemel juſtificatum non poſſe amplius a gratia excidere; etenim in Antid. Concilii Trid. ſeſſ. 7. can. 7. de Baptiſmo dicit, Baptiſmo veluti Dei chirographo nos certiores reddi de perpetua adoptionis gratia, atque adeo de æterna ſalute; ſicut lib. 3. Inſtit. cap. 2. §. 11. dicit, veram fidem ſemel habitam amitti non poſſe, eſſeque donum Electorum proprium. Queſnellus vero in hac theſi callide ſolum docet, quod juſtus peccato mortuus non poſſit per peccatum gratiam amittere; ſed implicite cum Calvino etiam docet, quod nec poſſit fides amitti, quia gratia conſiſtere non poſſet, ſi fides per peccatum infidelitatis amitteretur. Idcirco autem putat non poſſe gratiam baptiſmalem amitti per peccatum, tum quia putat gratiam non dependere a noſtra libera operatione in fieri, & conſequenter neque in conſervari; tum etiam quia per gratiam tollitur peccatum, atque adeo concupiſcentia, quam putat eſſe peccatum: ſublata autem concupiſcentia, non ſolum ſpiritus, & cor, hoc eſt anima, & voluntas, ſed neque ſenſus, qui ſedes eſt concupiſcentiæ, quicquam habet vitæ amplius pro peccato patrando, ex quo gratia deperdatur.

III. Oſtenditur autem falſitas hujus theſis ex iis, quæ Hieronymus habet lib. 2. in Jovinianum, & Auguſt. tr. 5. in Epiſt. Jo: quia ſcilicet paſſim Scripturæ docent, hominem juſtificatum ita carere peccato, ut non careat poteſtate ad illud patrandum, & ad gratiam, imo etiam ad fidem amittendam: unde falſum eſt, quod per gratiam baptiſmalem ita peccator moriatur peccato, ut non retineat plus vitæ pro illo, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi. Ad Rom. 8. *Si ſecundum carnem vixeritis, morie-mini.* 1. ad Cor. 6. *Nolite errare; neque fornicarii, neque fures, neque adulteri &c. Regnum.*

gnum Dei poſſidebunt. Et quod poſſit etiam fides per peccatum infidelitatis deperdi habetur ex illo ad Roman. 11. *Tu fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time*: & ad Hebr. 6. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati &c. & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam*: & 1. ad Timot. 1. *Habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragavernnt*. Præterea in Trid. ſeſſ. 7. can. 6. de baptiſmo anathematizatur, *qui dixerit baptizatum non poſſe, etiamſi velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, niſi nolit credere*. Et Auguſtinus paſſim docet, perſeverantiam in gratia ita eſſe donum Dei, ut ſit in manu voluntatis perſeverare, aut non perſeverare; ad eum prorſus modum, quo noſtra prima bona operatio ita eſt donum Dei, ut ſit in manu voluntatis illam ponere, vel non ponere: cum autem ſemper gratia in nobis perſeveret, donec per peccatum amittatur, ſequitur, quod inſtructus gratia baptiſmali peccare poſſit; unde in ordine ad peccatum non poſſit æquiparari mortuo, qui nihil habet vitæ pro rebus hujus mundi. Sanctus Doctor lib. 12. de Civit. Dei cap. 6. loquens de duobus juſtis æqualiter animo, & corpore affectis, & in eadem occaſione verſantibus, & æquali tentatione pulſatis, quorum alter peccet, & ſic gratiam amittat, alter vero reſiſtat, idque ex propria voluntate, dicit: *Quid aliud apparet, niſi unum voluiſſe, alterum noluiſſe a caſtitate deficere? Unde, niſi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis, & animæ affectio? Amborum oculis pariter viſa eſt eadem pulchritudo, ambobus pariter inſtitit occulta tentatio*.

IV. Ad Catholicam hanc doctrinam eludendam Janſenius reſpondet, Auguſtinum loqui de ſtatu Innocentiæ, in quo differentia vincentis tentationem a non vincente oriebatur ex diverſitate voluntatum; non autem in ſtatu naturæ lapſæ, in quo victoria oritur a gratia, quæ victoriam in nobis ſine noſtra libera cooperatione operatur. Sed effugium Janſenii eſt deridendum. Nam in ſtatu innocentiæ, in quo ſolum fuerunt Adam, & Eva, nunquam fuerunt duo homines æqualiter affecti animo, & corpore, qui viſa ejuſdem mulieris pulchritudine ad illicite perfruendum allicerentur, & unus quidem tentationi conſentiret, & gratiam amitteret, alter in voluntate pudica, atque adeo in gratia ſtabilis perſeveraret. Quare Auguſtinus loquitur de duobus in ſtatu naturæ lapſæ, in quo juſtus & peccare poteſt, & allicitur ad peccandum a propria concupiſcentia. Unde quod ſpectat ad ſpiritum, cor, & ſenſum, non ſe habet ut mortuus relate ad peccatum; quamvis nihil peccati in eo remaneat, ſuppoſita gratia baptiſmali, cum concupiſcentia ex Trid. ſeſſ. 5. ita in renatis remaneat, ut non ſit vere, & proprie peccatum, ſed ab Apoſtolo appelletur peccatum, ſolum quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.

V. Et ſane in eo primo inſtanti, in quo homo ponit libere dilectionem Dei præceptam, ita ſanctificatur per gratiam juſtificantem conſequentem ad talem dilectionem, ut ſimul componantur gratia, & potentia ad omittendam dilectionem præceptam, unde cohæreat gratia cum potentia ad peccandum: ergo pariter poterit gratia perſeverare, quin excludat potentiam ad peccandum in ſenſu diviſo, quatenus per peccatum ab ea gratia dividatur.

VI. Opponitur primo, quod dicitur 1. Jo. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quia ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt*. Si autem peccare non poteſt, qui gratia donatus eſt, ſe habet ad peccatum, ſicut mortuus ad operationes vitales. Et 1. Jo. 5. pariter habetur: *Qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio Dei conſervat eum*. Et Chriſtus D. Matth. 7. *Non poteſt arbor bona malos fructus facere*.

Reſpondet tamen Hieronymus loco laudato, teſtimonia iſthæc accipienda eſſe in ſenſu compoſito, quatenus non poteſt in ſenſu compoſito gratiæ conſiſtere peccatum, nec poteſt malos fructus facere arbor bona, dum manſerit bona. Et hoc pacto exponit etiam illa Auguſtinus tr. 5. in Epiſt. Joan. Repugnat quippe Scripturis, quod in ſenſu Calvini ea ſumantur, ita ſcilicet, ut non poſſit juſtus ſimpliciter peccare in ſenſu diviſo a gratia. Etenim Actorum 8. Simon Magus credidit, & baptizatus fuit, & paulo poſt a fide, & charitate receſſit. Et Act. 20. dicitur: *Ex vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe*. Et de facto omnes apoſtatæ, & hæretici gratiam, & fidem amittunt, & alii peccatores amittunt ſaltem gratiam.

VII. Opponitur ſecundo: Gratia, quæ nos ſanctificat in JESU Chriſto per hoc, quod nos illi uniat, eſt omnipotens, (ut dictum eſt in 37. ex his theſibus) & digna filio Dei: ergo gratia iſta non ſolum tollit peccatum, ſed etiam potentiam ad peccandum, adeo ut ſpiritus, cor, & ſenſus ſint inſtar mortui relate ad peccatum. Antecedens probatur a Janſenio ex variis notis, ſeu proprietatibus, quibus Auguſtinus gratiæ efficaciam

ciam deſignat, & quæ a fortiori dicendæ ſunt de gratia baptiſmali, propter quam datur gratia actualis. Prima gratiæ nota eſt, quod ejus poteſtas ſit omnipotentiſſima, ex Epiſt. 107. ad Vitalem; quod ſit ineffabilis, ex lib. de Grat. Chriſti cap. 24. quod ſit potentior averſione noſtra, ex lib. de Prædeſtinat. Sanct. cap. 2. quod ſit occultiſſima, & potentiſſima ex lib. de corrept. & grat. cap. 5. & quod ſit efficaciſſima, ex lib. de Grat. & liber. arb. cap. 5. Propterea cap. 14. habet: *Deo volenti ſalvum facere nullum liberum reſiſtit arbitrium. Sic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Et lib. 1. ad Simplician. q. 2. *Non poteſt effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, ut fruſtra ille miſereatur, ſi homo nolit.*

Secunda proprietas gratiæ eſt, ex Auguſtino apud Janſenium, quod voluntas ita agatur per gratiam, & rapiatur, ut ipſa vix agere intelligatur. Hæc habet S. Doctor lib. de geſtis Pelagii cap. 3. *Procul dubio plus eſt agi, quam regi; qui enim regitur, aliquid agit, & a Deo regitur, ut recte agat; qui autem agitur, agere aliquid ipſe vix intelligitur: Et tamen tantum præſtat nobis gratia Salvatoris, ut non dubitet Apoſtolus dicere, Quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi filii ſunt Dei; nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere poteſt, quam ut illi ſe agendam commendet, qui male agere non poteſt.*

Tertia gratiæ nota eſt, quod ſit victrix ſupra voluntatis arbitrium. Etenim lib. de corrept. & grat. cap. 12. Auguſtin. loquens de Gratia Adamica dicit, *Adjutorium datum primo homini ante lapſum fuiſſe tale, ut cum eo permaneret, ſi vellet;* Loquens vero de gratia Chriſtiana, quæ datur homini poſt lapſum, ait, *Subventum eſſe infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur.*

Quarta nota gratiæ ex Auguſtino eſt, quod operationes noſtræ quæ per illam fiunt, tribuantur Deo, qui voluntatem agit pro libito, impellit, flectit, & inclinat quo libet, ita ut dicatur Deus loqui in nobis, ac diligere in nobis, quando loquimur, & diligimus, & non quod ſolum det nobis loquendi, ac diligendi poteſtatem. Sic in Pſal. 56. & tr. 93. in Joan. & ep. 120. cap. 17. & alibi.

Quinta, ut per gratiam non dicantur homines velle, & operari, ſed Deus dicatur miſereri hominum, juxta illud ad Roman. 9. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Et Auguſtinus advertit lib. 2. ad Simplician. cap. 2. non eodem modo concurrere gratiam ad operationes noſtras, ac voluntatem; quia ſi eodem modo concurrerent, ſicut dicitur, *Non eſt volentis, ſed miſerentis Dei*, ita poſſet ex oppoſito dici, non eſt miſerentis Dei, ſed volentis. Hæc habet S. Doctor: *Si propterea ſolum dictum eſt, Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia voluntas hominis ſola non ſufficit, ut juſte, pieque vivamus, niſi adjuvemur miſericordia Dei, poteſt & hoc modo dici: Igitur non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis; quia miſericordia Dei ſola non ſufficit, niſi conſenſus noſtræ voluntatis addatur. At illud manifeſtum eſt, fruſtra nos velle, niſi Deus miſereatur: Illud autem neſcio quomodo dicatur fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus.* Ratio autem cur nos fruſtra velimus, niſi Deus miſereatur, & gratiam conferat, eſt manifeſta, quia noſtra bona libera operatio non poteſt eſſe ſalutaris, & ad ſalutem conducere ſine Dei gratia: Ratio vero cur male dicatur, fruſtra Deus miſereri, niſi nos velimus, adducitur ab eodem Auguſtino loco laudato per hæc verba: *Si enim Deus miſeretur, ergo jam volumus; ad eandem quippe miſericordiam pertinet, ut velimus; Deus enim eſt, qui operatur in nobis & velle, & operari in bona voluntate.*

Sexta gratiæ proprietas ex Auguſtino eſt, quod pariat in nobis effectum, propter quem datur, ad differentiam gratiæ Adamo collatæ, quæ ſolum dedit poſſe; hæc autem dat poſſe ſimul, & velle, ut habet lib. de correp. & grat. cap. 11. dicens: *Prima gratia eſt, qua fit, ut homo habeat juſtitiam, ſi velit; ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit, ut velit.* Etenim ex quo Adami voluntas concupiſcentiali vitio debilitata eſt, non ſufficit amplius, quod per gratiam poſſit velle, ſed opus eſt adjutorio, *quo fiat, ut velit, & tanto ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat*, ut loquitur Auguſtinus loco laudato. Et cap. ſequenti addit: *Si enim in tanta infirmitate vitæ hujus ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent, ſi vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent; inter tot, & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet; & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate ſua nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent.* Cum autem gratia per Chriſtum in natura lapſa pariat hunc effectum, quod velimus, non vero, ſi velimus, ſequitur, quod per illam peccato moriamur, ita ut nihil vitæ pro illo ſuperſit. Imo Concilium Arauſicanum

can.

tan. 4. diſerte docet, Deum non expectare voluntatem noſtram, ut a peccato per gratiam nos liberet, ſed efficere, ut velimus a peccato purgari, dicens: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infuſionem, & operationem in nos fieri, confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas a Domino.* Si autem gratia non expectat, ut velimus, ſed abſolute facit nos velle, non poteſt voluntas ſub tali dono non eſſe peccato mortua, ita ut nihil ei vitæ remaneat pro peccato.

Reſpondeo Janſenium ex his notis gratiæ efficacis nihil evincere faciens ad rem noſtram: tum quia in his notis ſermo eſt de gratia actuali, & in hac theſi ſermo eſt de gratia habituali ſanctificante, quam diximus in expoſitione theſis trigeſimæ ſextæ eſſe qualitatem nobis inhærentem, tanquam naturam ſupernaturalem, & radicem omnis ſupernaturalitatis; quod autem hæc quamvis exigat gratias actuales, conſiſtat cum potentia ad peccandum in ſenſu diviſo, abunde jam oſtendimus: Tum etiam quia gratia actualis efficax ſtat pariformiter cum facultate voluntatis ad illi reſiſtendum, ut proinde, ſi reſiſteretur, non eſſet efficax, ſed mere ſufficiens, ut alias diximus. Ad id quod ex Auguſtino opponitur in ordine ad notas gratiæ efficacis facile reſpondetur, ejus infallibilem effectum, & ineluctabilem vim non provenire ex eo, quod gratia libertatem evertat, & neceſſitatem inducat, ſed ex eo quod poſita prævisione conſenſus ſub tali auxilio, impoſſibile ſit, quin collato tali auxilio conſenſus ſequatur. Unde conſenſus neceſſario promanat, quin tamen promanet conſenſus neceſſarius: proinde ſimul cum gratia ſtat facultas ad illi reſiſtendum, & ad peccandum. Quare

Ad primam notam jam diximus, quomodo non poſſit voluntas humana impedire divinam voluntatem, qua prædefinit conſenſum, quamvis poſſit gratiæ reſiſtere, & diſſentire; etenim non deſunt in ærario Omnipotentiæ infinita media, & auxilia, quibus voluntatem uniuſcujuſque hominis quantumvis duram poſſit ad arbitrium emollire, & quocumque velit inflectere, incolumi ejus libertate indifferentiæ: aliter Omnipotentia non poſſet dominari in creaturam liberam qua liberam; unde non competeret Omnipotentiæ ea perfectio, qua major excogitari non poſſit.

VIII. Ad ſecundam, Auguſtinus verbis illis ſolum vult innuere, quod relate ad opera ſalutaria potiſſimæ partes ſint gratiæ, quin tamen excludatur libera operatio voluntatis, quæ gratiæ reſiſtere poſſit; quod Apoſtolus innuit verbis illis: *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Hinc idem Auguſtinus exponens verba illa Roman. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei*, ſic habet: *Dicet mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus: Reſpondeo, immo & agis, & ageris, & tunc bene agis, ſi a bono agaris; ſpiritus enim Dei, qui te agit, adjutor eſt agentibus: nemo autem adjuvatur, ſi ab illo nihil agatur: Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram.* Et lib. de corrept. & grat. cap. 2. pariter habet: *Intelligant, ſi filii Dei ſunt, ſe ſpiritu Dei agi, ut quod agendum eſt, agant; & cum egerint, illi, a quo aguntur, gratias agant; & ad hoc eis oſtenditur, quid agere debeant, ut quando id agunt, ſicut agendum eſt, ideſt cum dilectione, & delectatione juſtitiæ, ſuavitatem, quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum ſuum, accepiſſe ſe gaudeant.* Stat ergo, quod voluntas gratiæ reſiſtere poſſit culpabiliter, quamvis a ſpiritu Dei ſuaviter, & fortiter in bonum inclinetur.

IX. Ad tertiam quomodo voluntas per gratiam efficacem indeclinabiliter, & inſuperabiliter a Deo agatur illæſa libertate, non ſemel explicavimus, præſertim in tertia theſi. Diſcrimen inter gratiam datam in ſtatu innocentiæ, & eam, quæ datur in ſtatu naturæ lapſæ, demonſtravimus in theſi 36., ubi diximus non dari inter utramque gratiam diſcrimen eſſentiale, ita ut illa daret ſolum poſſe cum libertate ad volendum, & hæc det etiam velle ſine libertate ad nolendum; ſed diſcrimen utriuſque eſſe accidentale, quatenus hæc & confertur poſitive indigno, & ſupponit redemptionem, & ex Chriſti meritis eſt uberior, ut poſſit ægritudinem naturæ lapſæ ſublevare; in utroque tamen ſtatu gratia efficax agit arbitrium inſuperabiliter, incolumi libertate, ut oſtendimus loco laudato.

X. Ad quartam, tribuuntur Deo operationes noſtræ ſalutares, ſicut victoria tribuitur Duci, quamvis milites bellum gerant; quia ſicut potiores partes ſunt Ducis in victoria, quam militis; ita a fortiori potiores partes ſunt Dei in victoria tentationum, & bonis operationibus, quam noſtræ voluntatis: cum Deus non ſolum dirigat, det arma, præcipiat, & intendat illas, ſed etiam det vires, & infallibiliter illas prædefiniat citra libertatis præjudicium. Hinc dicitur Deus in nobis loqui, & diligere.

XI. Ad quintam, quia ad operationes ſalutares diverſimode concurrit gratia, ac volun-

luntas, illa quidem tanquam cauſa principaliſſima, & invictiſſima, voluntas vero tanquam inſtrumentum liberum, quod poſſit quidem gratiæ reſiſtere, ſed ſubſit dominio Dei, cum non deſint auxilia, quibus poſſit illam emollire; ideo non poteſt dici, quod operatio ſalutaris non ſit miſerentis Dei, ſed volentis; poſſit autem ex oppoſito dici cum Apoſtolo, quod non ſit volentis, nec currentis, ſed miſerentis Dei: nec ſimiliter dici poteſt quod fruſtra Deus miſereatur, ſi nos nolimus; ſed dicendum, quod fruſtra nos velimus, ſi Deus non miſereatur.

XII. Ad ſextam diximus, inter gratiam Adamicam, & Chriſtianam, ſeu inter gratiam ſanitatis in ſtatu naturæ integræ, & medicinalem in ſtatu naturæ lapſæ, & ægrotæ, ſolum dari diſcrimen accidentale, quod hæc gratia ſit uberior ex meritis Chriſti, ut poſſit expugnari neceſſitas moralis ad peccandum orta ex rebellione carnis adverſum ſpiritum, quam ex peccato contraximus; quia tamen ubi *abundavit delictum*, *ſuperabundavit gratia*, ut dicitur ad Rom. 5. ideo gratia efficax in ſtatu naturæ lapſę dicitur ab Auguſtino dare ipſum velle, non quia gratia efficax in ſtatu innocentię non daret pariter ipſum velle; ſed quia cum gratia per Chriſtum ſit uberior, ideo ſpeciali modo, & frequentius in nobis ipſum velle operatur, ut obſervavit Petavius tomo 1. dogmatum lib. 10. cap. 16. Sicut enim cum loquimur de virtutibus ſpecialem vim habentibus, ſolemus eas explicare per actum ſecundum; unde cum definitur a Theologis, & Juriſperitis Juſtitia, explicatur per actum ſecundum dicendo, quod ſit Virtus tribuens unicuique jus ſuum: ita ad explicandam vim gratię efficacis in ſtatu naturę lapſę, exprimitur paſſim ab Auguſtino per actum ſecundum dicendo, quod det ipſum velle. Arauſicanum laudatum ſolum vult, quod Deus non expectet operationes noſtras naturales ad gratiam conferendam; non vero quod gratię nos non cooperemur, ſi velimus, atque adeo cum libertate ad reſiſtendum culpabiliter, unde per gratiam non reddimur inſtar mortui relate ad peccatum.

XIII. Opponitur ultimo. Per peccatum originale contraximus rebellionem carnis, & legem in membris repugnantem legi mentis: nam Trid. ſeſſ. 6. can. 1. definit, *Adamum per illam prævaricationis offenſam ſecundum corpus, & animam in deterius commutatum fuiſſe*. Ergo per gratiam baptiſmalem, qua tollitur adæquate originale, tollitur etiam hęc rebellis concupiſcentia, qua ad malum inclinamur; atque adeo gratia baptiſmalis non ſolum reddit peccato mortuum ſpiritum, & cor, ſed etiam ſenſum, tollendo motus ſenſuales inordinatos. Probatur conſequentia, quia Apoſtolus ad Rom. 5. docet, non minus profuiſſe nobis gratiam per Chriſtum, quam obfuerit peccatum Adæ, dicens: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita per unius obeditionem juſti conſtituuntur multi; ut ſicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Imo plus gratia profuit: quam obfuerit peccatum Adæ; cum dicat: *Non ſicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui ſunt; multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jeſu Chriſti in plures abundavit*.

Reſpondeo, errorem fuiſſe Heterodoxorum, quod per Baptiſmum debeat tolli, ac extingui fomes concupiſcentiæ, aliter peccata non tollerentur, ſed inſtar capillorum raderentur mox renaſcitura, & incrementum acceptura. Hunc errorem damnavit Tridentinum ſeſſ. 5. can. 5. dicens: *Manere in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc ſancta Synodus fatetur, & ſentit: quæ cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, & viriliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus non valet, quinimmo qui legitime certaverit, coronabitur*. Additque deinde, eam peccatum proprie non eſſe, ſed peccatum ab Apoſtolo appellari, eo quod a peccato ſit, & ad peccatum inclinet. Quare cum ea non ſit peccatum, bene ſequitur, quod gratia baptiſmalis omnino peccatum tollat, & non ſolum radat, ut docuit Auguſt. lib. 1. cont. duas Epiſt. Pelag. cap. 13. ubi habet: *Dicimus baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorum, unde creſcant iterum reſecanda peccata*. Idcirco autem remanet in nobis hæc peccati originalis pœna, ut ſciamus ad Redemptorem confugere, ejuſque gratiam implorare, ut in agone vincamus, ſcientes illicia gratiæ eſſe longe præſtantiora illiciis concupiſcentiæ. Id expreſſit Aug. lib. 4. de Continentia cap. 7. dicens: *Languorem iſtum culpa meruit, natura non habuit; quam ſane culpam per lavacrum regenerationis Dei gratia fidelibus jam remiſit: ſed ſub ejuſdem Medici manibus adhuc natura cum ſuo languore confligit*. Et deinde explicans illud Pſal. 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas*, ſubdit: *Propitius fit Deus iniquitatibus, cum peccata dimittit; ſanat languores*

cum

cum deſideria prava compeſcit: Illud fit in baptiſmate confitentibus; hoc fit in agone certantibus.

XIV. Heterodoxi pariter docuerunt, non poſſe citra errorem dici, quod concupiſcentia ſumpta pro actu ſecundo non ſit mala, niſi quando prætergreditur limites rationis, cujus imperio regi debet; & ideo volunt per gratiam baptiſmalem illam tolli: conſonat autem erroribus Janſenii, quod peccatum contrahatur, etiam ſine libertate indifferentiæ ad carendum illo. Sed falluntur, cum ea ſit doctrina Catholica, omneſque Patres doceant, concupiſcentiæ motus non eſſe peccaminoſos, ſi deſit illis liber conſenſus noſter. Auguſtinus lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 10. habet: *Nulla condemnatio eſt nunc iis, qui ſunt nunc in Chriſto JESU; non enim damnatur, niſi qui concupiſcentia carnis conſentit ad malum.* Et lib. 1. de Civit. Dei cap. 25. *Illa concupiſcentialis inobedientia quanto magis abſque culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis?* Et lib. 2. de Gen. cont. Manichæos cap. 14. *Aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrænat, atque compeſcit; Quod cum fit, non labimur in peccatum, ſed cum aliquanta luctatione coronamur.*

XV. Ad argumentum itaque negatur conſequentia. Ad probationem, gratia Redemptoris longe magis nobis profuit, quam obfuerit culpa, non quia ſuſtulit concupiſcentiæ motus, & languores per peccatum contractos, ſed quia relinquens illos ad agonem, ſanat ſuis auxiliis noſtras ægritudines, adeo ut univerſim plus alliciamur, & adjuvemur a gratia ad proſequendum honeſtum, quam alliciamur a concupiſcentia, & ob ægritudinem inclinemur ad turpia, ut ſic poſſimus ſplendidiorem gloriæ coronam mereri. Præterquamquod gratia Redemptionis ad delendam culpam neceſſaria eſt ſimpliciter infinita, &, ut Theologi oſtendunt, ſuperabundans pro culpa, etiamſi hæc eſſet gravitatis infinitæ; quod fuſe dixi in Curſ. Theolog. pa. 6. diſp. 1. quæſt. 5. ut proinde dicatur Pſalm. 129. *Copioſa apud eum redemptio.* Et 1. ad Cor. 6. *Empti eſtis pretio magno.* Et Apoſtolus loco laudato; *Non ſicut delictum, ita & donum.*

In calce adverto, in hoc alio ſenſu facile a Queſnello potuiſſe hanc theſim uſurpari, quod ſcilicet Fideles poſt receptam in baptiſmo gratiam ſanctificantem, quandiu in ea perſeverant, ſint veluti peccato mortui, ac ſoli Deo vivant, vel potius in eis vivat Chriſtus, omnia ipſorum opera per gratiam ſuam, & charitatem operando; ſic enim videtur interpretari illud Apoſtoli ad Rom. 2. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto JESU, in morte ipſius baptizati ſumus; conſepulti enim ſumus per baptiſmum in mortem.* & infra additur: *Exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu.* Sed Apoſtolus ſolum vult, baptizatos eſſe mortuos peccato profeſſione, obligatione, executione, & in perpetuum; aliter non hortaretur in eodem capite Fideles, ut non exhibeant membra ſua iniquitati. Quinimmo ſimul cum gratia, & charitate peccata venialia cohærere poſſe, nemo eſt qui ambigat, dicitur enim Prov. 24. *Septies cadet juſtus:* & 1. Jo. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt:* & Jac. 3. *In multis offendimus omnes.* Peccat itaque primo theſis iſthæc adverſus Caholica dogmata, dum contendit gratiam baptiſmalem inducere impeccabilitatem. Peccat ſecundo dum contendit inducere immunitatem ab omni culpa, ſaltem quandiu ipſa in anima perſeverat. Peccat tertio, dum contendit gratiam baptiſmalem reddere mortuum peccato, non ſolum ſpiritum, & cor, ſed etiam ſenſum, ita ut hac gratia præditus, perinde ac mortuus, careat motibus ſenſualitatis inordinatis; quod adverſatur experientiæ, adeo ut ipſe Apoſtolus non erubuerit publice fateri, quod in ſe experiebatur, dicens Rom. 7. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.*

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XLIII.

QUadrageſimatertia contendit, primum gratiæ baptiſmalis effectum eſſe, quod ita moriamur peccato, ut non ſolum ſpiritus, & cor, (ideſt anima, & voluntas) ſed nec etiam ſenſus, qui ſedes eſt concupiſceutiæ, quidquam vitæ habeat in ordine ad iterum peccandum; non ſecus ac homo mortuus nihil habet amplius vitæ pro rebus mundi. Propterea juxta hanc theſim, ſicut homo mortuus nullam poteſt exercere vitalitatem, ac libertatem relate ad res mundanas, nec poteſt amplius huic ſæculo vivere quantum eſt ex ſe; ita qui per gratiam baptiſmalem peccato eſt mortuus, nullam poteſt libertatem exercere in ordine ad peccandum: unde non poteſt amplius ab eo peccatum ullum perpetrari. Exſuſcitatur itaque hic a Queſnello hæreſis Joviniani, qui docebat baptiſmum reddere nos impeccabiles; quam

dein-

deinde ſecutus eſt Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini ſeſſ. 7. can. 7. ubi docuit, baptiſmo, veluti Dei chirographo, certiores nos reddi de perpetua gratia adoptionis; cum autem experientia liquido conſtet, plurimos poſt ſuſceptum baptiſmum non ſemel peccatorum vinculis ſponte alligari, dicendum eſſet juxta hanc hæreſim, quod gratiam baptiſmalem illi non ſuſceperint; ſicut non ſuſcipitur ab iis, qui cum fictione recipiunt baptiſmi Sacramentum; quamvis ab iſtis gratia non recipiatur, quia voluntarie ponunt obicem gratiæ, non deteſtando culpas præteritas; ab iis vero gratia non reciperetur ex eo præciſe, quod Deus vellet illam denegare; quandoquidem peccatum futurum non poteſt dici, quod ſit nunc obex gratiæ. Proinde latet etiam in hac theſi hæreſis illa Janſeniana, quod Chriſtus non ſit mortuus, nec ſanguinem fuderit pro omnibus omnino hominibus. Quomodo enim mortuus eſt pro iis, quibus denegat in baptiſmo gratiam baptiſmalem ad ſalutem perneceſſariam, etiamſi nullum illi ponant obicem gratiæ voluntarium? Quare falſum eſt primo, quod gratia baptiſmalis non conferatur iis, qui poſt baptiſmum ſunt peccaturi; etenim in Trid. ſeſſ. 7. can. 7. anathematizatur, qui dixerit, *per Sacramenta novæ legis non dari gratiam ſemper, & omnibus quantum eſt ex parte Dei, etiamſi rite ea ſuſcipiant; ſed aliquando, & aliquibus*. Falſum eſt ſecundo, quod juſtificati per gratiam, ac peccato mortui careant libertate requiſita ad relabendum, & quod ſint inſtar hominis mortui relate ad res hujus mundi: cum pariter a Tridentino ſeſſ. 6. can. 23. anathematizetur, qui dixerit, *Hominem ſemel juſtificatum amplius peccare non poſſe, neque gratiam amittere: atque adeo eum, qui labitur, & peccat, nunquam vere fuiſſe juſtificatum*. Aliter inepte hortaretur Apoſtolus ad non peccandum illos, quos dicit peccato mortuos, verbis illis Rom. 8. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis veſtris*. Denique falſum eſt, quod ſit effectus gratiæ baptiſmalis ita tollere quicquid habet veram, ac propriam rationem peccati, ut tollat etiam in renatis concupiſcentiam; unde ſenſus, qui ſedes eſt fomitis, ſe habeat inſtar mortui, ut habetur in hac theſi: etenim idem Trident. ſeſſ. 4. definit, *Manere in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, quæ cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus non valet*: Ubi etiam declarat, quod *licet ea ab Apoſtolo appelletur peccatum, non proinde in renatis vere, & proprie peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat*.

PROPOSITIO XLIV.

Non ſunt niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & Amor, quo nos ipſos, ac Mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus. *Queſnel. Jo. 5. 29. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO XLV.

Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat. *Queſn. Luc. 15. 13. edit. 1693.*

PROPOSITIO XLVI.

Cupiditas, aut Charitas uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt. *Queſn. Matth. 5. 28. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO XLVII.

Obedientia legis profluere debet ex fonte: & hic fons eſt Charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius: alioquin non eſt niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia. *Queſnel. Matth. 23. 26. edit. 1693.*

PROPOSITIO XLVIII.

Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine Charitate? *Queſn. Epheſ. 5. 8. edit. 1693. & 1699.*

PRO-

PROPOSITIO XLIX.

Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei. *Queſnel. Marc.* 7. 22. *&* 23. *edit.* 1693. *&* 1699.

PROPOSITIO L.

Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi, ſi Spiritus charitatis non eſt ille, qui clamat. *Queſnel. Rom.* 8. 15. *edit.* 1693. *&* 1699.

SYNOPSIS.

I. Iterum hic recuduntur theſes non ſemel alias a Pontificibus profligatæ. II. Bajus, Janſenius, Queſnellus non diſtinguunt virtutes morales, niſi ratione diverſorum officiorum, non vero ratione diverſorum objectorum formalium, unde relegant a choro virtutum Theologalium Fidem, & Spem.

III. Ex hiſce erroribus theſes iſtæ promanant.

IV. Hic duntaxat demonſtratur, amorem ſui, amorem proximi, & amorem creaturarum poſſe culpa vacare, etiamſi talis amor non referatur ad Deum, nec ſit actus charitatis erga Deum.

V. Probabiliter dari poſſunt actus morales indifferentes in individuo. VI. Et quamvis iſti repugnarent, non dubitatur tamen apud Catholicos, quod ſit ſtudioſus, & non peccaminoſus amor concupiſcentiæ, quo quis ſeipſum diligit, dum Deo inſervit propter retributionem.

VII. Pariter Spes, quæ prout condiſtincta a charitate reſpicit bonum noſtrum, non ſolum eſt actus peccaminoſus, ſed eſt etiam actus ſupernaturalis diſponens ad juſtificationem.

VIII. Amor etiam proximi propter ſe dilecti & eſt actus diſtinctus a charitate erga Deum, & eſt ſupernaturalis, ſi lumine ſupernaturali hujuſmodi objectum attingatur. IX. Tunc amor ſuimet eſt vitioſus, quando eſt immoderatus, & ſecundum appetitum ſenſitivum, non quando eſt ſecundum appetitum rationalem, & juxta dictamen rationis. X. Præceptum diligendi ſeipſum includitur in præcepto diligendi proximum; & ideo ſicut amor proximi, ita amor ſuimet poteſt eſſe rationabilis, quamvis non referatur actu, & formaliter ad Deum. XI. Non dicitur frui creaturis tanquam fine ultimo, qui illas diligit ſine relatione ad Deum. XII. Rerum terrenarum amor ſolum quando eſt nimius, animum in ipſas rapit, & redigit nos in earum ſervitutem. XIII. Quando per actum Spei concupiſcentem amamus Deum in creaturis, tunc creaturæ veniunt ut finis ultimus negative, non poſitive; ideo talis actus non eſt rationi diſſonus.

XIV. Non enim opponuntur inter ſe actus concupiſcentiæ, & actus benevolentiæ erga Deum, ita ut non poſſit ille ad hunc ordinari, & cum ipſo cohærere. XV. Quinimmo poteſt voluntas eodem ſimpliciſſimo actu in Deum ferri & amore concupiſcentiæ, & amore charitatis.

I. MIrum eſt, quod poſt proſcriptam a tribus Pontificibus Pio Quinto, Gregorio Decimotertio, & Urbano Octavo theſim illam Baji 38. quæ habet: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per ſpiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur:* poſt iterum proſcriptam ab Alexandro Octavo theſim illam ſeptimam a Janſenianis recuſam, quæ pariter habet: *Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel Mundi; ſi Dei, charitas Patris eſt; ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt mala eſt*: nunc iterum a Queſnello idem omnino virus in hiſce theſibus propinetur. Et perperam illum Queſnelliani excuſant, ut in adjectis Anacephalæoſibus fiet perſpicuum: ubi oſtendemus, theſes iſtas tam in proprio verborum ſenſu, quam ad mentem Auctoris eſſe erroneas. At quid faciant tela Theologica ad errores hos confodiendos, ubi nihil proſunt fulmina Apoſtolica? Nihilominus, ut eorum falſitas deprehendatur, adverto, Bajum magiſterio Calvini edoctum in lib. 1. de virtutibus impiorum cap. 2. & lib. de charit. cap. 3. plura huc ſpectantia docuiſſe, quæ deinde Janſenius iterum edocuit, & nunc Janſeniani pervicaciter tuentur. Primo quidem commentitiam eſſe diſtinctionem amoris Dei in naturalem, & ſupernaturalem; cum Deus nonniſi per charitatem a Spiritu Sancto diffuſam amari poſſit, ut habet in theſi 35. Deinde nullum exerceri poſſe actum virtutis moralis ſolis naturæ viribus, ut habet in theſi 37. Præterea omnia opera Infidelium eſſe peccata; quandoquidem deficiente fide ſupernaturali, non poſſunt diligere Deum ex charitate infuſa, & quicquid non ita diligitur, ut ad Deum referatur, vitioſum, & peccatum eſt. Quarto, omnem affectum mercenarium, & concupiſcentiæ, qui movetur ex amore retributionis, eſſe vitioſum, & ſolum affectum charitatis, & benevolentiæ erga Deum eſſe ſtudioſum, & bonum. Quinto, etiam dolorem peccati ex ſolo timore gehennæ eſſe vitioſum. Sexto, eſſe pariter turpem deteſtationem peccati, ſi movea-

veatur ex ejus fœditate, & non ex bonitate Divina. Denique virtutes morales, quæ proſequuntur amore officia virtutum propter ſolam earum honeſtatem, & propter ſolam convenientiam cum natura rationali abſque relatione ad Deum ſumme dilectum, non eſſe virtutes, ſed vitia. Quæ omnia erronea eſſe liquido conſtat ex Theſibus ab Alexandro Octavo profligatis. Quoniam autem iterum in hiſce theſibus perfricta fronte edocentur, ideo nonnulla hic ſubjiciam adverſus hos errores, quos jam docuerat antecedenter Calvinus in Antid. ad ſeſſ. 6. cap. 25. dicens: *Dei judicio nihil eſt ſincerum, nec probum, niſi quod ex perfecto ejus amore manat*; & olim Jo. Huſſ in Concilio Conſtantienſi damnatus, qui hæc effutiebat: *Diviſio immediata bonorum operum eſt, quod ſunt vel virtuoſa, vel vitioſa. Quare ſi homo eſt vitioſus, & agit quicquam, tunc agit vitioſe; & ſi eſt virtuoſus, & agit quicquam, tunc agit virtuoſe; quia ſicut vitium, quod crimen dicitur, ſeu mortale peccatum, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi, ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.*

II. Itaque Bajus, Janſenius, Queſnellus virtutes morales non diſtinguunt ratione diverſorum formalium objectorum, ſed quia Charitas ad varia virtutum officia incumbit propter Deum ſumme dilectum; etenim ſi ea diligantur ex objecto formali creato, talis dilectio eſſet vitioſa, & peccatum, quia non refertur ad Deum quod ad Deum referendum eſt: ſi vero diligantur ex objecto formali Increato, talis dilectio erit actus charitatis, qui omnia agit propter Deum, & hujuſmodi actum Deus remuneratur. Exempli gratia charitas ſi alienæ miſeriæ ſuccurrat propter Deum, appellatur Miſericordia; ſi propter idem motivum exhibeat Deo cultum, appellatur Religio; ſi colat parentes, appellatur Pietas; ſi ſuſtineat mala, appellatur Patientia; ſi præceptis obtemperet, dicitur obedientia, dummodo omnia hæc ad Deum referantur; ut proinde unicum detur objectum formale virtutis, nempe Deus ſumme dilectus, & ideo unica ſit virtus, nempe Charitas, reliqua vero ſint potius objecta materialia, & officia variarum virtutum. Quæ omnia quantum a veritate Catholica, & a ſenſu communi omnium Patrum, & Theologorum abhorreant, nemo eſt quin videat: Relegant quippe iſti Auctores a choro virtutum etiam duas alias virtutes Theologales, Fidem, & Spem; propterea Queſnellus in 52. theſi dicit, fidem non dari ſine amore, & fiducia; & in 57. non dari ſpem in Deo, ubi non eſt Dei amor; cum tamen ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. actus iſtarum virtutum ad dilectionem Dei diſponant, & ad impii juſtificationem. Adde proſcriptam pariter olim fuiſſe propoſitionem illam Baji 17. quæ habet: *Non eſt vera obedientia legis, quæ fit ſine charitate:* & tamen Queſnellus in hac 47. theſi obedientiam vocat hypocriſim, & falſam juſtitiam, niſi profluat ex fonte charitatis, nixus proculdubio verbis illis Baji l. 2. de merit. operum cap. 1. ubi habet: *Quia quæcumque ſine charitate fiunt, etiamſi apud homines ſpecioſa videantur, tamen apud Deum ſimulata tantum, & non vera ſunt legis obedientia; quicunque enim faciebant, quod lex jubebat, inquit Auguſtinus, non adjuvante ſpiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere.*

III. Duo hic a nobis eſſent demonſtranda. Alterum, quod inter amorem Dei bonum, & ſupernaturalem, & amorem, quo noſmetipſos, & mundum diligimus, qui ſit malus, & vitioſus, intercedant plures actus variarum virtutum, qui non ſint charitatis. Alterum vero, quod amor, quo noſmetipſos, ac mundum diligimus, non ſit malus per hoc præciſe, quod non referamus illum actu ſignato ad Deum; cum poſſit eſſe bonus, & ſupernaturalis, eſto non ſit actus elicitus, nec imperatus a charitate ſupernaturali. Ex utroque enim hoc aſſerto deſcendit primo falſitas hujus quadrageſimæquartæ theſis, quod ſcilicet non dentur ſolum duo amores in nobis; videlicet vel amor Dei, qui omnia agit propter Deum, vel amor mundi, qui non referendo omnia ad Deum eatenus ſit malus. Secundo deſcendit aperte falſitas quadrageſimæquintæ, quod non regnante in nobis Dei amore, debeat regnare amor vitioſus. Tertio falſitas quadrageſimæſextæ, quod uſum ſenſuum vel charitas faciat bonum, vel cupiditas malum, nec poſſit fieri bonus, niſi a charitate, & non malus a cupiditate; ſi enim dantur aliæ virtutes a charitate, poteſt ab amore illarum fieri bonus; & ſi poteſt amor ſui ipſius eſſe bonus, poteſt a tali cupiditate non eſſe malus. Quarto deſcendit falſitas quadrageſimæſeptimæ, quod obedientia ſit vitioſa, ſi non procedat ex amore Dei, quamvis procedat ex amore honeſtatis creatæ, ſeu ex eo quod conſonum ſit naturæ rationali, & juxta dictamen rationis, quod ſuperioribus obtemperemus: quod proſcriptum jam fuerat in theſi 16. Baji, quæ habet: *Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate*. Quinto deſcendit falſitas quadrageſimæoctavæ, quod ſine Fidei lumine, ſine Chri-

Chriſto, & ſine charitate non ſit in nobis, niſi tenebræ, aberratio a via, quæ Chriſtus eſt, & peccatum ; cum poſſint etiam Infideles lumine rationis illuſtrati elicere actus virtutum naturalium , ut diximus in theſi 26. necnon peccatores ſine Chriſto ponere actus etiam ſupernaturales , quibus ad juſtificationem diſponantur ; & ſine charitate elicere poſſint homines actum aliarum virtutum . Sexto deſcendit falſitas quadrageſimænonæ , quod nullum detur opus bonum , & nullus actus virtutis ſine amore Dei , & ſine actu charitatis . Septimo demum deſcendit falſitas quinquageſimæ theſis, videlicet, quod ſine ſpiritu charitatis non poſſit laudabiliter peccator Deum invocare verbis illis Iſaiæ 64. *Et nunc, Domine, Pater noſter es tu, nos vero lutum*; quamvis enim peccator , gratia orbatus non ſit filius Dei adoptivus , adhuc tamen ad imaginem , & ſimilitudinem Dei creatus , & affectu paterno a Deo enutritus poteſt illum invocare Patrem , cum dicatur Malach. 2. *Numquid non Pater unus omnium noſtrum ?* Et filius prodigus antequam rediret ad Patrem, dixit*: Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam illi ; Pater peccavi in cœlum , & coram te* . Et ipſe Dominus Lucæ 11. dixit*: Si vos cum ſitis mali , noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter de Cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe ?* Conſtat autem , quod non fruſtra clamaverit publicanus charitate deſtitutus Lucæ 18. dicens*: Deus propitius eſto mihi peccatori* ; ſic enim ad juſtificationem obtinendam ſe diſpoſuit , & deſcendit juſtificatus in domum ſuam .

IV. Quoniam autem iterum deinde Queſnellus in theſi quinquageſimatertia , & ſequentibus uni charitati tribuit actiones Chriſtifideli dignas , quam ſolam Deus audit , coronat , ac remunerat , ita ut nec ſpes , nec religio ſit , ubi non eſt charitas; idcirco in iis mox exponendis oſtendetur falſitas primi hujus Janſeniani aſſumpti , quod nullæ aliæ virtutes dentur præter charitatem. Hic adverſus alterum Janſenianum aſſumptum oſtendemus dumtaxat , amorem ſui, amorem proximi , ac amorem creaturarum poſſe culpa vacare ; ut proinde falſum ſit , quod peccet homo , quoties ſeipſum , aut creaturas diligit abſque relatione ad Deum ,

V. Itaque quamvis commendandum magnopere ſit, quod omnes , & ſingulos actus ad Dei gloriam referamus , & quod nihil in hoc mundo , niſi propter Deum diligamus : at probabiliter falſum eſt , quod non poſſint dari actus indifferentes in individuo (ut communius Theologi docent cum Soto, Bonaventura, Alenſi, & aliis apud Vaſquez p. 2. diſputat. 52. cap. 2.) qui ſcilicet verſentur citra bonum aliquod indifferens , hoc eſt neque honeſtum , neque turpe ; ut ſunt actus, quibus proſequimur quædam commoda , aut delectabilia naturæ convenientia , & non indecentia , ex motivo , quod ſint convenientia naturæ , & non ex motivo alio honeſto , aut propter Deum . Quod docuit Hieronymus epiſt. 89. ad Auguſtinum , dicens : *Bonum eſt continentia , malum eſt luxuria ; inter utrumque indifferens ambulare , &c. Hoc neque bonum , neque malum eſt : ſive enim feceris , ſive non feceris , nec juſtitiam , nec injuſtitiam habebis*. Et Gregorius Nazianzenus orat. 3. in Julianum habet, *Non continuo ſequi eſſe pœna dignum eum , qui laudem non meretur , vel contra laude dignum eſſe eum , qui non eſt dignus ſupplicio*. Idemque ſentit Gregorius Magnus hom. 27. in Evangelia , ubi dicit aliquos proſequi ſuos propinquos amore non præcepto a Deo , ſed qui ſponte impenditur a natura , & a Deo non prohibetur : unde nec eſt peccaminoſus, quia non prohibetur , nec virtuoſus, quia non eſt ex fine honeſto , nec per relationem ad Deum.

Neque obſtat primo , quod dicitur 1. ad Corinth. 11. *Omnia ad Dei gloriam facite* . Nam hoc eſt conſilium , non præceptum . Neque obſtat ſecundo quod actus non ordinatus ad finem debitum ſit peccaminoſus , ex Angelico p. 2. quæſt. 18. art. 9. Nam poteſt actus non eſſe peccaminoſus , licet non ordinetur ad finem honeſtatis , ſi ordinetur ad commodum naturæ , quod non apparet prohibitum. Sicut enim citra culpam poteſt aliquis actus non ordinari ad Deum perfectiſſimo modo, quo poſſit, quia tale præceptum non reperitur ; ita poteſt non ordinari ad finem honeſtum, quia nec tale præceptum reperitur .

VI. Sed tranſmiſſo, quod non poſſint dari actus indifferentes in individuo, illud extra controverſiam inter catholicos eſt, quod poſſit quis amore concupiſcentiæ ſeipſum amare, dum Deo inſervit præciſe intuitu retributionis ; quin tamen hic actus ſit actus charitatis , nec ſit peccaminoſus. Quod definit Trid. ſeſſ. 6. can. 31. ubi habet : *Si quis dixerit juſtificatum peccare , dum intuitu æternæ mercedis operatur , anathema ſit* . Et proſcripta eatenus eſt ab Alex. VIII. illa decimatertia Janſeniana theſis : *Quiſquis æternæ mercedis intuitu Deo famulatur , charitate ſi caruerit, vitio non caret , quoties intuitu licet beatitudinis operatur*. Ex quo diſerte colligitur , neque charitatis hunc actum eſſe ,

neque peccaminoſum: quicquid oblatret Lutherus in aſſert. articulorum contra Bullam Leonis, aſſert. 6. dicens: *Contritio, quæ paratur per amiſſionem beatitudinis, facit hypocritam, immo magis peccatorem.* Adverſus quod aſſertum proſcripta fuit ab Alexandro Octavo illa theſis decima, pariter Janſeniana, quæ habet: *Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, mere ut cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.* Et paſſim in Scripturis proponitur nobis merces, & retributio, ut ex ea ad legis Divinæ obſervantiam incitemur. 1. Petr. 5. *Cum apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam*: Eccleſ. 12. *Benefac juſto, & invenies retributionem magnam, & ſi non ab ipſo, certe a Domino.* Hinc David Pſalm. 118. dixit; *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem.* Unde Auguſtinus paſſim monet, ut intuitu mercedis æternæ, non temporariæ operemur. In Pſ. 102. habet; *Erige ſpem tuam ad Bonum bonorum omnium. Ipſe erit bonum tuum, a quo omnia in ſuo genere facta ſunt bonum tuum.* Et in pſalm. 14. *Non faciamus aliquid, niſi ſpe cœleſtium præmiorum; ipſa eſt enim altitudo, non hic quærere mercedem, ſed ſurſum.* Quomodo poterit hujuſmodi actus eſſe peccaminoſus, ſi ad illum paſſim impellimur, & cohortamur a Scripturis, a Patribus, a Concionatoribus, a Theologis, qui ſocordes excitant ad obſervantiam mandatorum ex hoc dumtaxat motivo æternæ retributionis, nulla facta mentione Divinæ bonitatis, quamvis deinde ſolertes, & perfectos excitent ex motivo altiori bonitatis Divinæ?

VII. Et ſane ſpes; ut condiſtincta a charitate, non habet pro motivo formali intrinſeco Deum ut bonum in ſe, ſed Deum ut bonum nobis; ut proinde affectus ſpei ſit affectus concupiſcentiæ reſpiciens bonum noſtrum, non amicitiæ reſpiciens Deum ſumme dilectum; & tamen hic actus non ſolum non eſt peccaminoſus, ſed ſupernaturalis diſponens ad juſtificationem, ex Trid. ſeſſ. 6. c. 6.

Neque dicas, ſpem ſupernaturalem ſine charitate eſſe non poſſe; cum dicat Auguſt. in Enchir. cap. 3. *Jam de amore quid dicam, ſine quo fides nihil poteſt? Spes vero ſine amore eſſe non poteſt. Propter quod Apoſtolus Paulus fidem, quæ per dilectionem operatur, commendat, quæ ſine ſpe eſſe non poteſt; proinde nec amor ſine ſpe eſt, nec ſpes ſine amore.* Ubi videtur docere, quod ſola ſpes elicita a Charitate ſit ſupernaturalis, & diſponat ad juſtificationem. Nam contra eſt, quia ex communiſſimo Theologorum ſenſu datur ſpes Theologalis a Charitate diſtincta; cum Apoſtolus tres exprimat virtutes Theologales 1. Cor. 13. dicens: *Fides, ſpes, & charitas, tria hæc, major autem horum eſt charitas.* Et Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. loquitur de ſpe tanquam virtute diſtincta a fide, & charitate, dum dicit: *In juſtificatione ſimul hæc omnia infuſa accipit homo, fidem, ſpem, & Charitatem.* Et hujus diſtinctionis argumentum evidens eſt, quod per quodvis peccatum deperdatur charitas, non tamen fides, & ſpes, niſi peccatum his virtutibus adverſetur. Unde Medina p. 2. qu. 62. art. 4. putat, oppoſitam doctrinam eſſe hæreticam; Vaſquez tamen p. 2. diſp. 91. cap. 4. cum Suar. Valentia, & aliis pene hæreticam, & ſaltem erroneam. Et ratio a priori eſt, quia objectum formale ſpei, quod eſt Deus ut bonus, & commodus nobis, eſt diverſum ab objecto formali charitatis, quod eſt Deus ut bonus in ſe; prior virtus reſpicit bonitatem Dei reſpectivam, poſterior abſolutam, & ideo eſſentialiter diſcriminantur. Nec Auguſtinus eſt contrarius, cum paſſim loquatur de ſpe tanquam de virtute condiſtincta a fide, & charitate. In Enchir. cap. 6. dixit: *Ad illa tria redeamus, fidem, ſpem, & charitatem.* Et c. 117. *Charitas, quam duabus iſtis majorem dixit Apoſtolus, quanto in quocunque major eſt, tanto melior eſt, in quo eſt: cum enim quæritur, Utrum quiſque ſit homo bonus; non quæritur, quid credat, aut ſperet, ſed quid amet.* Quare ubi dicit ſpem ab amore non ſejungi, loquitur, ut advertit Angelicus, de ſpe formata charitate; ſicut nec fides formata a charitate ſejungitur: At nec actus ſpei, nec actus fidei ſunt actus eliciti a charitate, ſed uterque iſte actus poteſt eſſe informis, & in peccatore eſſe ſine actu charitatis, ad quem illi diſponunt. Quando autem Apoſtolus 1. ad Cor. 13. loquens de Charitate dicit, *Omnia credit, omnia ſperat*, non vult, quod hi actus eliciantur, ſed ſolum quod imperentur paſſim a Charitate.

VIII. Denique oſtenditur, quod præter actum charitatis, quo Deum diligimus, dari poſſit actus, quo aliud a Deo diligamus, & non ſit actus vitioſus, ſed poſſit eſſe etiam ſupernaturalis: atque adeo ſtudioſus, cujuſmodi eſt amor proximi elicitus a charitate erga proximum, quo hic ametur propter ſe; ita ut actus ſit naturalis, ſi conſideretur lumine naturali, quod proximus ſit propter ſe amandus; ſit vero ſupernaturalis, ſi conſideretur lumine ſuperna-

naturali, & in ordine ad gratiam, & gloriam æternam. Quod enim amor Dei, & amor proximi propter ſe ad duas virtutes ſupernaturales Charitatis ſpectent, ut communius Theologi docent, ex eo colligitur, quia Chriſtus Dominus utrumque actum nobis præcipit, & Dilectionis Dei, & dilectionis proximi, dicens Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Hoc eſt maximum, & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic, Diliges proximum tuum ſicut te ipſum:* non eſſent autem duo præcepta Charitatis, ſi unica eſſet Charitatis virtus, ita ut proximus eſſet propter Deum diligendus; quandoquidem præceptum diligendi complectitur generaliter alia omnia, quæ propter Deum diligenda ſunt. Præterquamquod, ut advertit D. Thom. 2. 2. quæſt. 27. art. 8. ſi proximus unice propter Deum diligendus eſſet, ad hoc ut actus ſit bonus, & ſupernaturalis, non vero peccaminoſus, ſequeretur, quod præceptum diligendi Deum non eſſet primum, & maximum; quia in tantum dilectio Dei præſtat dilectioni proximi, in quantum hæc conſideratur ut dilectio proximi propter ſe; quod ſi conſideretur ut dilectio proximi propter Deum, talis dilectio præſtat dilectioni ſolius Dei, quia complectitur hanc, & ſe extendit ad aliquid aliud, videlicet ad dilectionem proximi. Hæc ſunt verba D. Thom. 2. 2. q. 27. art. 8. *Alio modo poteſt attendi comparatio, ut dilectio Dei accipiatur ſecundum quod ſolus diligitur; dilectio autem proximi accipiatur ſecundum quod proximus diligitur propter Deum; & ſic dilectio proximi includit dilectionem Dei, ſed dilectio Dei non includit dilectionem proximi. Unde erit comparatio dilectionis Dei perfectæ, quæ extendit ſe etiam ad proximum, ad dilectionem Dei inſufficientem, & imperfectam; quia hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum; & hoc ſenſu dilectio proximi præeminet.*

IX. Opponunt primo adverſus hanc ultimam doctrinam Janſeniani ex eorum Præceptore lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 21. Debemus diligere proximum, ſicut nos ipſos; ſed noſmetipſos vitioſe diligimus, ſi propter nos diliganus; ergo etiam vitioſe diligimus proximum propter ſeipſum, non propter Deum. Minor probatur ex Apoſtolo 2. ad Timoth. 3. qui radicem vitiorum vult eſſe amorem ſui, dicens: *Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum magis amatores, quam Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, ſed virtutem ejus abnegantes.* Propterea amor ſui eſt potius odium ſuimet, quia fons, & origo eſt malorum omnium.

Confirmat id Janſenius, quia Deus nunquam dedit præceptum diligendi ſeipſum, ſed ſolum præcepit, ut proximum ſicut nos ipſos diligamus, ad indicandum, quod ſicut noſmetipſos ſolum propter Deum debeamus diligere, ita & proximum; nam diligere eſt velle bonum; qui autem Deum bonum ſummum vult ſibi, aut proximo, hic profecto ſe, & proximum diligit; aliter odit potius, quam diligat. Quod Auguſtinus docuit ep. 52. dicens, *Nullam aliam eſſe dilectionem, qua quiſque diligit ſeipſum, niſi quod diligit Deum. Qui enim aliter ſe diligit, potius ſe odiſſe dicendus eſt; ſit quippe iniquus, privaturque luce juſtitiæ, qui a potiore, ac præſtantiore bono averſus, atque inde vel ad ſeipſum converſus, ad inferiora, & egena utique convertitur; ſitque in ipſo, quod veraciſſime ſcriptum eſt: Qui autem amat iniquitatem, odit animam ſuam. Quia ergo nemo, niſi Deum diligendo, diligit ſeipſum, non opus erat, ut dato de dilectione Dei præcepto, etiam ſeipſum homo diligere juberetur; cum in eo diligat ſeipſum, quod diligit Deum.*

Reſpondeo negando minorem, Ad probationem: Docent nonnulli cum Angelico lect. 9. quod Apoſtolus ibi loquatur de amore ſuimet immoderato, qui dicitur apud Græcos Philautia, quo homo ſuæ gloriæ, lucris, deliciis, ac voluptatibus inhiat. Hic enim amor procul dubio eſt fons omnium vitiorum. Quod pariter docuit Eſtius ex eadem Schola Lovanienſi, qui hæc habet: *Phraſis hæc exponenda eſt de amore inordinato, quo bona privata communibus anteponuntur; quemadmodum Auguſtinus in Regula exponit illud 1. ad Cor. 13. Charitas non quærit quæ ſua ſunt.* Quod ſi audiamus Toſtatum in Caput 22. Matth. qu. 292. loquitur Apoſtolus de amore, quo homo amat ſeipſum ſecundum appetitum ſenſitivum, & carnalem, non ſecundum rationalem, & juxta dictamen rationis. Quare ſicut poſſumus amare Deum nobis ex virtute ſpei condiſtincta a Charitate, ita poſſumus deſiderare Deum proximo. Quicquid ſit, an Deum proximo deſideremus per eandem virtutem ſpei, qua Deum nobis concupiſcimus, an per aliam? in quo Theologi variant. Præterea poſſumus ex virtute miſericordiæ condiſtincta a charitate ſubvenire proximo indigenti, ſicut poſſumus virtuoſe depellere miſerias a nobiſmetipſis. Ac demum ſicut poſſumus nobiſmet velle, & procurare bona ſpiritualia,

necnon temporalia, quæ non impediunt aſſecutionem ultimi finis; ita ex virtute ſupernaturali amicitiæ poſſumus velle proximo bona ſpiritualia, puta virtutes ſupernaturales fidei, ſpei, charitatis, patientiæ, miſericordiæ, necnon temporalia, quæ ultimi finis aſſecutionem non retardent.

X. Ad confirmationem: Deus omiſit præceptum diligendi ſeipſum, quia talis amor eſt unicuique inſitus a natura, ut habet Cornelius exponens laudatum caput Matthæi; vel omiſit, quia charitas re vera eſt erga alterum, juxta illud Gregorii Magni homil. 17. in Evangelia: *Charitas minus quam inter duos haberi non poteſt*. Vel dici poteſt cum eodem Toſtato, quod Deus dum præcepit homini, quod diligat proximum ſicut ſeipſum, indiviſum præceperit, ut ſeipſum diligeret, dilectione recta, & rationabili; ad quam non ſpectat, quod ſemper amet ſibi Deum, aut alia bona propter Deum. Quamvis enim talis amor ſit perfectiſſimus; at non obligat Deus homines, ut ſemper ſeipſos ament amore perfectiſſimo; aliter cum ſit perfectior amor, quo homo ſeipſum amet propter Deum, quod pertinet ad Charitatem, quam quo amet ſibi Deum, quod pertinet ad ſpem, ſequeretur, quod hic etiam amor ad ſpem pertinens eſſet vitioſus; quod oſtendimus eſſe falſum. Quare licite poteſt homo ſeipſum amare dilectione minus perfecta, qua velit ſibi bona creata, quæ tamen non impediant Dei ſummi boni aſſecutionem. Ad auctoritatem addductam Auguſtini reſpondetur, illum diligere ſeipſum, qui diligit Deum nihil amando, quod retardet ab ejus aſſecutione; unde ita velit bona creata ſibi, ut non avertatur a potiore, & præſtantiore bono, loquitur idem S. Doctor. Et quamvis nobis præcipiatur dilectio Dei *ex toto corde*, non proinde fit, quod ſemper præcipiatur dilectio Dei perfectiſſima, & quod noſmetipſos propter Deum diligamus. Nam per illa verba, *ex toto corde*, ſolum fit ſenſus, quod non dividatur cor noſtrum, partim amando Deum, partim creaturas, quæ retrahunt nos a Deo: ſicuti quando Philippus Eunucho petenti baptiſmum dixit Act. 8. *Si credis ex toto corde, licet*, non exprimebat per illa verba, quod fides deberet eſſe intenſiſſima, aut quod non poſſet ille aliquid aliud credere ab eo, quod credendum eſt, ſed ſolum; quod nihil deberet admiſcere, quod veræ fidei repugnaret; quia hoc ſolum importat diviſionem cordis in credente, & ſic etiam in amante Deum.

XI. Opponunt ſecundo ex eodem Janſenio ad probandum, quod non poſſint creaturæ diligi citra culpam, niſi propter Deum ex actu perfectæ charitatis: Creatura rationalis nonniſi increato bono frui poteſt, ut docet paſſim Auguſtinus, præſertim lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 10. frui autem nihil aliud eſt, quam alicui bono inhærere propter ipſum, ut idem docet loco laudato cap. 4. ergo creatura rationalis non poteſt amare creaturas propter ſeipſas; atque adeo præter actus charitatis non datur niſi vitioſa cupiditas.

Confirmatur ex affectibus, quos gignit amor creaturarum. Nam primo reddit animum ſimilem rebus amatis, & corruptibilibus; unde Aug. tr. 2. in Epiſt. Jo. habet: *Talis eſt quiſque, qualis ejus dilectio eſt. Terram diligis, terra eris*. Secundo ita rebus terrenis animum ligat, ut difficulter poſſit ab eis ſe avellere: propterea, ut habet Auguſt. lib. 20. de Civit. c. 26. *Eorum amiſſione cruciamur, quibus fruendo utique lætabamur*. Tertio amor facit amantem ſervum amati, ſiquidem omnia facit propter amatum; non poteſt autem citra culpam homo alium Dominum agnoſcere præter Deum: ergo creaturas nonniſi propter Deum poteſt licite amare.

Reſpondeo, Auguſtinum loqui de fruitione boni tanquam finis ultimi, in quo Beatitudo colllocetur, ut habet loco laudato cap. 22. dicens. *Quod propter ipſum diligendum eſt, in eo conſtituitur vita beata*. Et cap. 31. habet: *Dicimus ea re nos perfrui propter ſeipſam, & ea re nobis fruendum eſſe tantum, qua efficimur beati*. Et in hoc ſenſu tr. 10. in Epiſt. Jo. dicit, non eſſe collocandum amorem noſtrum in divitiis, in ſalute corporis, aut in gloria, & honoribus, ſed altius aſſurgendum ad Deum amandum, eoque fruendum. Tramſmiſſo autem; quod repugnet actus indifferens in individuo, & quod non poſſit commodum aliquod naturæ propter ſe amari, negari non poteſt, quod poſſit propter ſe amari bonum honeſtum, quod reperitur V. G. in tribuendo unicuique jus ſuum, in ſuccurrendo egenis; in obtemperando parentibus: etenim iſta ſecundum ſe ſunt rectæ rationi conſona, atque adeo propter ſe amabilia, ita ut poſſint quidem ultimate propter Deum amari, ſed non teneamur, ut diximus, ad talem finem poſitive ea referre.

XII. Ad Confirmationem, illi effectus gignuntur ab amore vehementi, & inordinato, non a moderato, & rationabili, præſertim rerum honeſtarum, ut conſtat experientia: Amor quippe nimius & reddit amantem ſimilem amato, & amantem ligat, ita ut difficul-

ficultet ab objecto amato recedat, & reddit eundem ſervum amati: ſecus vero amor moderatus, & ſubordinatus intentioni ſuperiori, qua identidem nos, & actus noſtros in Deum referimus, tanquam in finem ſimpliciter ultimum.

XIII. Opponunt tertio ad probandum, quod non poſſimus per actum ſpei concupiſcere Deum nobis, ſed quod teneamur ex affectu charitatis Deum nobis concupiſcere propter Deum ipſum. Etenim talis actus concupiſcentiæ ſejunctus ab affectu charitatis reſpicit Deum tanquam finem creaturæ, illum huic referendo; hoc autem fert ordinis perverſitatem, eo quod utatur potius creatura Deo, quam illo fruatur; & ex Aug. lib. 83. qq. q. 30. *Summa perverſitas eſt frui utendis, & uti fruendis:* ergo talis actus eſt vitioſus. Major probatur, tum quia qui Deum amat ſibi, potius ſe amat, quam Deum, ſiquidem ex amore ſui naſcitur amor Dei, ut ſibi convenientis, ac commodi; unde Auguſtinus homil. 34. habet: *Si diligis aurum, prius te diligis, & ſic aurum*: tum etiam quia amans Deum creaturæ amat Deum in ordine ad creaturam, & ſic tractat creaturam tanquam finem ultimum Dei; cum enim propter finem ultimum omnia debeant amari, dum Deus propter creaturam amatur, Deus tractatur tanquam finis ultimus creaturæ: ergo talis actus concupiſcentiæ referendo Deum creaturæ pervertit ordinem, ac reſpicit Deum ut finem creaturæ.

Confirmatur, quia amor hic concupiſcentiæ opponitur amori amicitiæ erga Deum; ergo eſt vitioſus. Probatur antecedens, quia amor concupiſcentiæ eſt amor mercenarius, & reſpicit commodum amantis; amor amicitiæ, & benevolentiæ eſt gratioſus, & reſpicit bonum amati: ergo opponuntur.

Reſpondeo, finem ultimum alium eſſe poſitive ultimum, ita ut non poſſit haberi ulterior finis: alium vero eſſe finem ultimum negative, quatenus ita eſt ultimus, ut non excludat finem ulteriorem. Quando per actum concupiſcentem Spei amamus Deum creaturis, creaturæ ſunt finis ultimus negative, quatenus per hunc actum Deus ad creaturam duntaxat ordinatur, ſed non ita ordinatur, ut non poſſit hoc ipſum commodum, quod a Deo creatura reportat, per actum charitatis ordinari ad Deum, tanquam ad finem ultimum poſitive, qui alium finem ulteriorem excludit. Non eſt autem diſſonum, ſed conſentaneum rationi, quod ita Deum creaturis amemus; etiamſi perfectior eſſet actus charitatis, quo commodum, quod creaturæ reportant a Deo ſibi appropriato, referatur deinde ad Deum tanquam ad finem ultimum poſitive: Ad eum modum, quo conſentaneum rationi eſt, quod vitemus culpam propter timorem gehennæ, quamvis perfectior eſſet actus charitatis, quo nollemus gehennam, ne a Deo ſumme dilecto elongemur. Etenim per actum ſpei non amatur Deus creaturis tanquam medium, ſed tanquam finis ultimus *qui* fini *cui* tantum negative ultimo, ſolum præſcindendo, non excludendo relationem ad finem *cui* ultimum poſitive, quæ habetur per actum charitatis. Hoc autem non ſolum vacat culpa, ſed etiam eſt laudabile, & bonum; quia bonum, & virtuoſum eſt amare Deum, prout nobis proponitur amandus; atqui proponitur nobis amandus non ſolum ut bonus in ſe per actum charitatis, ſed etiam ut bonus nobis per actum ſpei: ergo actus ſpei non ſolum non eſt vitioſus, ſed etiam poſitive ſtudioſus. Hinc qui vult per actum ſpei Deum creaturæ, non dicitur uti Deo, aut frui creatura; quia Deum non amat propter creaturam tanquam propter finem ultimum poſitive: & quamvis per talem actum potius ſe amet, quam Deum, non proinde talis actus eſt vitioſus, quia ſolum præſcindit, non excludit actum perfectiorem, quo ſe amet propter Deum: ſicuti qui peccatum odit propter gehennam, hoc actu magis odit gehennam, quam peccatum: etenim propter quod unumquodque tale, & illud magis: nec tamen talis actus eſt vitioſus: quia ſolum præſcindit ab actu perfectiori, quo peccatum odio habet magis, quam gehennam. Ex quo etiam ſequitur, quod non tractetur Deus tanquam finis ultimus creaturæ, quia ſcilicet per talem actum venit Deus ſolum ut finis *qui* relate ad creaturam, quæ eſt finis *cui* ſolum negative, non vero poſitive ultimus; quatenus de facto non ordinetur hoc ipſum bonum creaturæ ad Deum per actum charitatis, poſſit tamen, & quidem dignius ordinari.

XIV. Ad Confirmationem, falſum omnino eſt, quod illi actus concupiſcentiæ, & benevolentiæ erga Deum opponantur; quamvis enim dicant diverſos reſpectus, non propterea opponuntur, ut non poſſit aut in eadem voluntate uterque actus cohærere, aut in eodem actu uterque reſpectus indentificari. Quod poſſit in eadem voluntate ſimul dari uterque actus, ex eo evincitur, quia quamvis dicant reſpectus diverſos, non tamen oppoſitos: Sicut actus juſtitiæ, & actus liberalitatis poſſunt ob eandem

dem rationem in eadem ſimul voluntate componi ; unde poteſt ſimul Cajus velle ſolvere Titio centum, quæ illi debet, & ſimul gratis erogare ex liberalitate quinquaginta, quæ non debet: Et qui debet extreme indigenti ex virtute miſericordiæ dare alimenta , & ſimul habet votum erogandi ſtipem pauperi , poteſt idem extreme indigenti alimenta ſubminiſtrare, ut utrique obligationi ſatisfaciat , eliciendo duos actus , alterum miſericordiæ , alterum religionis : unde poterit pariter homo velle obſervare Divinam legem & ex motivo retributionis, & ex motivo complacendi Deo ſumme dilecto; atque adeo duplici actu, quorum alter ſit concupiſcentiæ, & mercenarius; alter amicitiæ, & gratioſus; & ſimul poterit duplici conſimili actu amare ſibi Deum ſummum bonum, tanquam ſibi commodum , & ſumme convenientem , ſeu propter ſuam bonitatem reſpectivam, & amare Deum propter ſe , videlicet propter bonitatem ſuam abſolutam .

Confirmatur , quia poteſt amor amicitiæ imperare actum , qui conferat ad ſuum finem ; amor autem concupiſcentiæ poteſt conferre ad amorem amicitiæ ; ergo poteſt actus amicitiæ , ſeu charitatis erga Deum imperare actum concupiſcentiæ elicitum a ſpe Theologica , & ſic uterque actus imperans , & imperatus in eadem voluntate commorari . Probatur minor, tum quia ad finem intentum ab actu amicitiæ cum Deo confert omnis actus Deo gratus , & talis eſt, ut oſtendimus, actus elicitus a ſpe Theologica ; tum etiam quia ad finem charitatis maxime conducit noſtra beatitudo , ac Dei poſſeſſio , quæ intenditur ab actu ſpei; in eo quippe beatitudinis ſtatu charitas liquidius , & ardentius ſuum erga Deum affectum explicat , eumque glorificat ; unde poteſt actus concupiſcentiæ a ſpe elicitus imperari ab actu charitatis .

XV. Dixi , quod etiam poſſit in eodem ſimpliciſſimo actu identificari realiter tum formalitas propria actus concupiſcentiæ, ſeu actus mercenarii tum, etiam formalitas propria actus amicitiæ, ſeu actus gratioſi . Sicut enim in eodem ſummo bono identificatur & bonitas abſoluta , quatenus Deus in ſe eſt ſumme bonus , & bonitas reſpectiva, quatenus eſt ſumme bonus , & conveniens nobis; ita poterit idem actus utramque bonitatem reſpicere , amando Deum & qua in ſe bonum , & qua bonum ipſi amanti : Ad eum pariter modum, quo poteſt idem indiviſibilis actus eſſe ſimul ex virtute miſericordiæ , ex virtute religionis , ex virtute juſtitiæ , & ex virtute obedientiæ ; quando quis ſubminiſtrat extreme indigenti alimenta, quæ debet, & ratione talis indigentiæ, & ex vi voti , & ex debito juſtitiæ antecedenter contracto , & ex Superioris præcepto ; ſicut etiam furtum ſacrilegum v. gr. quod redigat parentes ad miſeriam , ſimul opponitur virtuti juſtitiæ, virtuti religionis, ac virtuti pietatis erga parentes . Poterit ergo voluntas creata tam duplici , quam eodem actu indiviſibili ferri ſimul in Deum & amore charitatis , tanquam in ultimum finem *qui* & *cui* , & amore concupiſcentiæ, tanquam in finem ultimum *qui*, reſpiciendo creaturam rationalem tanquam finem *cui* negative tantum, & non poſitive ultimum, ita ut poſſit hanc ipſam Dei poſſeſſionem , quam intendit , in Deum dirigere tanquam in finem poſitive ultimum, cui major ipſius gloria, & manifeſtatio intendatur.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XLIV.

QUadrageſimaquarta docet , noſtras omnes volitiones originem ſuam trahere a duobus Amoris Actibus , videlicet aut Amoris erga Deum omnia propter ipſum operantis , adeoque boni , ac præmio digni , aut Amoris mundi non ordinantis ad Deum, quæ ad ipſum referenda ſunt, adeoque mali. Quis hæc audiendo iram comprimat? cum non ſemel proſcripta ſint, tam in theſi 38. Baji dicentis; *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua Mundus diligitur , & a Joanne prohibetur ; aut laudabilis illa Charitas , qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur*; quam in ſexta ex theſibus ab Alex. VIII. profligatis , ubi pariter dicitur: *Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio, vel mundi; ſi Dei, Charitas Patris eſt ; ſi Mundi , Concupiſcentia carnis, hoc eſt mala eſt*. Errat ſiquidem primo, dum præter amorem mundi, quem dicit vitioſum, nullum alium amorem agnoſcit præter amorem Dei omnia propter ipſum operantem , qui ſpectat ad virtutem Theologicam charitatis . Etenim præter hos duos amores dantur proculdubio amores , quibus proſequimur tum objecta honeſtatum aliarum virtutum Theologic., nempe Fidei, & Spei, tum etiam omnium virtutum moralium; hi autem amores neque ad charitatem preſſe dictam ſpectant , neque poſſunt dici mali : cum enim actus fidei, ac piæ affectionis ad fidem , ſpei , timoris, pœnitentiæ , aliique

ad

ad juſtificationem diſponentes ſint actus ſupernaturales; proculdubio mali eſſe non poſſunt. Errat deinde theſis, dum præter amorem Dei nullum alium amorem agnoſcit, quo noſmetipſos, aut mundum diligamus, qui non ſit malus. Etenim non ſolum non ſunt mali, ſed poſitive laudabiles ſunt amores, quibus proſequimur objecta virtutum ſupernaturalium, ſicut etiam illi, quibus proſequimur objecta virtutum naturalium; Infideles enim non male operantur, ſed honeſte, dum parentes honorant, egenis ſubveniunt, ac reddunt unicuique jus ſuum; quod tamen ſecundum ſe ſine gratia ſupernaturali præſtant, utpote deſtituti fide, quæ initium, & fundamentum eſt ſalutis. Unde ad Roman. 2. dicitur: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.* Et proſcripta eſt theſis 22. Baji, ubi dicitur, a Pelagianis, non a Catholicis hunc Apoſtoli textum intelligi de Gentibus fidei gratiam non habentibus. Errat denique, dum docet, amorem, quo noſmetipſos, ac mundum diligimus, non referendo id ad Deum, propter hoc ipſum eſſe malum; perinde quaſi detur obligatio referendi ſignate quamcunque noſtram operationem ad Deum, diligendo illum amore charitatis in ſingulis actibus noſtris: Sicut autem nemo admiſerit, dari obligationem ponendi in quacunque opportunitate actum intenſiſſimum charitatis perfectæ, qui hic & nunc poni poſſet, eo quod iſthæc obligatio eſſet nimis ardua, & induceret homines ad deſperandum de ſalute aſſequenda: ita nemo pariter admittere debet, quod quandocunque libere operamur, obligemur ponere actum perfectæ charitatis, omnia ad Deum referendo, ita ut omnis actus liber, qui non ſit perfectæ charitatis, ſit peccaminoſus, prout exprimitur in theſi; quandoquidem iſta etiam obligatio eſt nimis ardua, & induceret in deſperationem, atque adeo induceret homines in reprobum ſenſum, quo collineant theſes rigidiſſimæ tam morales, quam Scholaſticæ Janſenianorum. Et ſane de fide eſt ex Tridentino ſeſſ. 6. can. 7., non eſſe peccaminoſa opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, ut ad illam diſponant; & tamen ea non ſunt actus perfectæ charitatis, ſed fidei, ſpei, timoris, pœnitentiæ: quare erronee aſſeritur, quod præter actum charitatis, quo Deum amamus, omnia propter illum operando, quilibet alius amor ſit malus. Quod pariter conſtat ex Canone trigeſimoprimo laudatæ ſeſſionis Tridentini, ubi anathematizatur qui dixerit, *juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur:* hoc enim actu homo ſeipſum amat amore concupiſcentiæ optando ſibi gloriam æternam, non amat Deum amore amicitiæ, idipſum ad Deum referendo, nec proinde actus eſt malus, prout Janſeniani delirabant in theſi 13. ab Alex. VIII. confixa.

Hinc ſi attente perpendatur theſis hæc Queſnelliana, non poteſt accipi in eo ſenſu, in quo accipitur doctrina Leonis Papæ, qui ſermone quinto de jejunio ſeptimi menſis videtur idipſum docere, dum dicit: *Duo amores ſunt, ex quibus omnes proceunt voluntates; rationabilis enim animus, qui ſine dilectione eſſe non poteſt, aut Dei amator eſt, aut mundi.* Quod pariter videtur docere Auguſtinus lib. 2. de peccator. merit. cap. 18. ubi dicit: *Mirum eſt, ſi voluntas poſſit in medio ita conſiſtere, ut nec bona ſit, nec mala: ſi enim juſtitiam diligimus, eſt bona, ſecus eſt mala.* Conſtat quippe, quod univerſim Patres paſſim doceant, eſſe Dei, & juſtitiæ amatorem, non ſolum illum, qui Deum diligit amore perfectæ charitatis, omnia propter ipſum operando, ut vult Queſnellus, ſed etiam illum, qui aliis aliarum virtutum actibus amore Deum proſequitur tantum exercite, non ſignate, quatenus amat objecta virtutum, quæ Deo arrident; ut proinde dixerit Chriſtus D. Jo. 14. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*, cum ſit aliqua etiam Dei dilectio mandatorum obſervantia. Præterquamquod cum omnis creata honeſtas, ac bonitas ſit quædam divinæ bonitatis participatio, conſequens eſt, ut qui quamcunque honeſtatem objectivam amat, Deum etiam aliquatenus amore proſequatur. Quare falſiſſimum eſt, quod actus aliarum virtutum diſtinctarum a charitate (qui non ſunt formalis, ſed virtualis dilectio Dei) ſint peccaminoſi: Quicquid ſit, an ſint, etiam poſſibiles actus morales indifferentes in individuo, qui nec boni moraliter ſint, nec mali. Ex quibus omnibus facile innoteſcit etiam theſium proxime ſequentium falſitas.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XLV.

QUadrageſimaquinta ſimiliter ſuſtinet, quod amore Dei non amplius regnante in corde peccatoris, neceſſe ſit, ut in eo regnet carnalis cupiditas, quæ omnes ejus actiones corrumpat; quaſi vero non poſſit peccator amiſſa gratia, & charitate quicquam boni facere, ſed omnes ejus a-

ctus ſint peccaminoſi . Diximus autem non ſolum actus ſupernaturales fidei, ſpei, timoris , attritionis ad juſtificationem diſponentes eſſe bonos , ac a Deo aliquando præceptos, juxta doctrinam Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. quamvis tunc in corde peccatoris nondum regnet Dei amor , & charitas ; ſed etiam quamplures impiorum actus naturales eſſe ſtudioſos , juxta doctrinam Auguſtini pluribus in locis , ac præſertim lib. de ſpirit. & liter. cap. 28. ubi habet : *Impiorum quædam facta vel legimus , vel novimus , vel audimus , quæ ſecundum juſtitiæ regulam non ſolum vituperare non poſſumus , verum etiam merito, rectèque laudamus: quamquam ſi diſcutiuntur , quo fine fiant , vix inveniuntur , quæ debitam juſtitiæ laudem , defenſionemque mereantur* . Idcirco autem *vix* , ſeu raro admodum ea ſic inveniuntur , quia impii carent abundantia illa auxiliorum , quæ conſona eſt juſtis ex exigentia gratiæ juſtificantis . Et idem S. Doctor epiſt. 5. ad Marcellinum pariter dicit, in Romanis Ethnicis fuiſſe aliquas Civiles ſine vera Religione virtutes. Quare ubi Auguſtinus in Enchirid. cap. 117. dicit: *Regnat enim carnalis cupiditas , ubi non eſt charitas*, intellligendus eſt, ut in ſuperiori theſi dicebamus , quod peccatum a cupiditate carnali ortum in iis actionibus regnet , in quibus non habetur charitas ſaltem late ſumpta, per hoc ſcilicet, quod diligantur objecta aliarum virtutum a charitate diſtinctarum, quæ tamen per ſe ad charitatem ordinantur. Dicitur etiam regnare cupiditas carnalis, ubi non regnat Dei amor, quia deficiente gratia , & charitate , deeſt abundantia auxiliorum, quibus carnali cupiditati valide repugnetur .

Quod ſi quæras , quare non debeant etiam aliquam conſimilem benignam interpretationem ſuſcipere verba hujus theſis , ita ut intelligantur , quod regnet cupiditas , ubi non regnat amor Dei , ſaltem late ſumptus , quod eſſet dicere actum liberum eſſe turpem , ſi non ſit ex amore alicujus virtutis; quod paſſim Catholici docent negantes actus morales indifferentes in individuo : Reſponſio eſt facilis , quia verba doctrinalia ſumi debent in ſenſu proprio , & quem præſeferunt , niſi quid obſtet , prout Auguſtinus docet de verbis Sacrorum Bibliorum ; aliter nihil certi ex iis haberi poſſet, ſi ad minus proprium , ac legitimum ſenſum detorquerentur , ut fit ab Heterodoxis . Quod autem ubi Patres docent inter cupiditatem , & charitatem nihil mediare, explicentur de charitate preſſe dicta , obſtat eorundem doctrina ; cum paſſim doceant , præter charitatem Theologicam dari alias virtutes , quarum actus non ſint peccaminoſi ; unde explicandi ſunt de charitate late ſumpta, quæ complectitur omnes virtutes ; cum autem nuſquam Queſnellus admittat alias virtutes a charitate diſtinctas (immo pluribus in locis eas neget , ut videre eſt in harum theſium decurſu , præſertim in quinquageſimatertia , & ſequentibus) nihil obſtat quo minus verba hujus theſis intelligantur in ſenſu proprio de amore Dei , qui ſpectat ad charitatem Theologicam . Et propterea hic idem ſenſus dicendus eſt etiam ſenſus ab Auctore intentus. In hoc autem ſenſu theſis eſt hæretica ; & ideo fuit abſolute proſcribenda tum in proprio verborum ſenſu , quem de ſe facit , tum etiam in ſenſu , quem facit in codice Auctoris . Sic abſolute prolata proſcribenda eſſet hæc propoſitio : Odio habendi ſunt parentes , quia in ſenſu verborum proprio male audit . At in Evangelio , in quo parentum honoratio præcipitur , verba illa Chriſti D. *Qui non odit patrem , & matrem* , &c. *non poteſt meus eſſe diſcipulus* , digna ſunt ſuo Auctore , ſed accipienda ſunt in ſenſu accommodo , ne dicamus Chriſtum loqui pugnantia , ac ſibimet contradicere , videlicet , (ut exponit Gregorius Papa homil. 37. in Evangelia) quod parentes odio habendi ſint , ac fugiendi , quoties eos in via Dei patimur adverſarios .

Quibus adde, theſim hanc eſſe erroneam etiam in eo, quod pariter afferit, videlicet neceſſe eſſe, ut in corde peccatoris , in quo abeſt amor Dei , regnet cupiditas , quæ omnes ejus actus corrumpat . Si enim omnes actus peccatorum neceſſario ſunt peccaminoſi , non datur in iis libertas indifferentiæ , ſeu libertas a neceſſitate , requiſita ad demeritum , & ad peccatum formale , ſed ſolum datur libertas a coactione ; quæ juxta ſententiam Catholicam contra Janſenium non ſufficit ad demeritum . Quare non ſolum eſt erroneum dicere , quod peccator in omnibus ſuis actionibus peccet , puta audiendo Miſſam , aut jejunando juxta præceptum Eccleſiæ ; ſed eſt erroneum etiam dicere, quod non habeat libertatem indifferentiæ ad carendum hac , vel illa culpa , ut oſtendimus in theſi trigeſima octava ; ea enim eſſet libertas phyſica , non moralis ; atque adeo libertas flocci pendenda in ordine ad culpam evadendam , ut proinde dici deberet liberum arbitrium per peccatum eſſe extinctum ; quod adverſatur doctrinæ Tridentini ſeſſ. 6. can. 5.

ANA-

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XLVI.

QUadrageſimaſexta in eadem fęce volutatur, dum dicit, cupiditatem, aut charitatem reddere malum, aut bonum uſum ſenſuum; quaſi vero non poſſimus uti ſenſibus, niſi aut per actus malos ortos a cupiditate, ſeu a concupiſcentia, aut per actus bonos imperatos a charitate; cum tamen certiſſimum ſit ex nuper dictis, quod poſſit uſus ſenſuum eſſe bonus per actus imperatos ab aliis virtutibus diſtinctis a charitate, nempe per actus miſericordiæ, juſtitiæ, mortificationis, pęnitentię, & ſimiles; peccator quippe ante juſtificationem, quamvis charitate careat, bene utitur ſenſibus ſuis, dum ſe diſponit ad juſtificationem, audiendo Miſſam præceptam, jejunando, reſtituendo ablatum ex amore juſtitiæ. Quod ſi pravus eſſet ſenſuum uſus ex hiſce actibus ortus, & ex prava cupiditate actus iſti, charitate deficiente, eſſent peccaminoſi, ſequeretur, quod peccator ad juſtificationem ſe diſponeret patrando novas culpas; atque adeo per hujuſmodi actus redderet ſe magis indiſpoſitum ad juſtificationem obtinendam; nec deberent illi actus præcipi, ſed prohiberi. Quod ſi dicas, actus illos, ut malitiam exuant, debere ex charitate promanare, & poni ex motivo divinæ bonitatis ſumme dilectę, ad quam omnia referenda ſunt, non vero ex motivo creato illarum virtutum; jam ex hoc fieret, quod unicuique iſtorum actuum eſſet annexa juſtificatio, quippe quæ a dilectione perfecta Dei ſeparari non poteſt; atque adeo nulla daretur diſpoſitio remota, ac præparatio ad juſtificationem, contra doctrinam Tridentini ſeſſ. 6. cap. 6. Erroneum proinde eſt, quod ſolum a charitate uſus ſenſuum ſit bonus, & a cupiditate ſit malus. Nomine enim charitatis in hac theſi ſecundum proprium verborum ſenſum venit charitas Theologica, ut ſupra diximus, non vero charitas late dicta, quæ chorum omnium virtutum complectatur; in quo ſenſu Auguſtinus in pſalm. 18. dixit: *Qui noluerit ſervire charitati, neceſſe eſt, ut ſerviat iniquitati.* Nomine vero cupiditatis venit cupiditas vitioſa reddens actus peccaminoſos, ut docet Auguſt. lib. 3. de Serm. Dom. in monte cap. 22., ubi habet: *Voluntas non eſt, niſi in bonis; nam in malis, flagitioſiſque factis cupiditas proprie dicitur.* In hoc ſenſu proprio a Queſnello hic uſurpari tam charitatem, quam cupiditatem conſtat etiam ex præcedentibus theſibus; atque adeo theſis iſthæc tam in proprio, quem præſeferunt verba, quam in ſenſu ab Auctore intento fuit configenda.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XLVII.

QUadrageſima ſeptima in iiſdem erroribus verſatur, dum docet, legis obſervantiam non habere rationem virtutis, niſi ea profluat ex fonte charitatis, ita ut Dei amor ſit ejus interius principium, & Dei gloria ſit ejuſdem finis. Quod ſi deſit Dei amor tanquam principium interius, & Dei gloria tanquam ejuſdem finis, tunc exterior obedientia fit hypocriſis, & falſa, ſeu fucata juſtitia. Proſcripta jam fuerat a Pio V., a Gregorio XIII., & ab Urbano VIII. hæc eadem Baji propoſitio 16. dicens: *Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate.* Nec veretur Queſnellus iterum illam in medium adducere, contendens peccati reos eſſe, ac hypocritas, qui proximum diligunt ſicut ſeipſos, qui parentes honorant, qui præceptis naturalibus, ac poſitivis Dei, & Eccleſiæ obtemperant ex motivo proprio virtutis obedientiæ, reſpiciendo unice honeſtatem, quæ relucet in exequendis mandatis Legislatorum, præſcindendo a motivo charitatis: quaſi vero turpe ſit, & peccaminoſum ſectari honeſtatem, quæ in virtute morali obedientiæ continetur. Ex quo fieret, quod qui ex tali motivo legem obſervat, ob hoc ipſum peccet, quatenus tranſgreditur aliam legem de non operando honeſte, niſi ex motivo charitatis. Hanc tamen legem non dari, non ſolum ex eo conſtare videtur, quia eſſet nimis ardua, ferretque moralem impoſſibilitatem, ut obſervetur, (non ſecus ac lex de ponendo ſemper actu charitatis intenſiſſimo) ut proinde induceret in deſperationem; ſed etiam quia de medio tolleret virtutes alias a charitate diſtinctas; cum tamen de fide ſit dari tres virtutes Theologales ex Apoſtolo 1. Corinth. 13., ubi dicit: *Fides, Spes, & Charitas, tria hæc, major autem horum eſt Charitas.* Non poſſet autem dici charitas eſſe major, niſi darentur aliæ virtutes, quibus præferretur. Hinc Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. de his tanquam de tribus virtutibus loquitur dicens: *In juſtificatione ſimul hæc omnia accipit homo, fidem, ſpem, & charitatem;*

tem ; ac deinde definit in eadem ſeſſ. can. 28. , quod licet per quodvis peccatum gratia , & charitas amittatur , non ſemper amittatur etiam fides. Similiter de virtutibus moralibus , tanquam de virtutibus inter ſe , & a charitate diſtinctis , dicitur Sapient. 8. *Sobrietatem , & prudentiam docet , & juſtitiam , & virtutem , quibus utilius nihil eſt in vita hominis* . Hinc communiſſimus Theologorum , Patrum , ac totius Eccleſiæ ſenſus fert varietatem , ac diſtinctionem virtutum , ut ſine temeritate ea negari non poſſit . Quare licet perfectius ſit amare objectum virtutum moralium propter Deum ex affectu charitatis , quam amare illud propter ſe , & ex motivo proprio talis virtutis ; non propterea hujuſmodi amor eſt vitioſus , aut dicit ullam imperfectionem poſitivam ; ſicut non eſt imperfectus poſitive , aut culpabilis amor Dei minus intenſus , quamvis ſit minus perfectus , quam amor Dei intenſior ; & conſequenter legis obedientia , quæ non ponitur ex motivo charitatis , ſed ex motivo proprio virtutis obedientiæ , quia ſcilicet rationi conſonum eſt ſuperiorum mandata exequi , non eſt *hypocriſis* , nec *juſtitia falſa* , ſed vera virtus , quamvis minus perfecta , quam ſit charitas.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XLVIII.

QUadrageſima octava docet , nihil boni eſſe poſſe in nobis ſine fidei lumine , ſine Chriſto , & ſine charitate , atque adeo in Infidelibus non poſſe eſſe , niſi tenebras , & barathrum culparum , & in peccatoribus poſt Chriſtum , ejuſque gratiam , & charitatem amiſſam nihil ſupereſſe præter aberrationem a via ſalutis , & peccatum . Quod attinet ad Infideles , recuditur vigeſima quinta ex proſcriptis Bajanis theſibus , quod ſcilicet *Omnia opera Infidelium ſint peccata* : cum tamen certum eſſe debeat , poſſe Infideles ſolis naturæ viribus honeſte aliquando operari , ut paſſim Patres teſtantur . Hieronymus in illud ad Gal. 1. *Ut revelaret filium ſuum in me* , hæc habet : *Perſpicuum ſit , natura omnibus Dei ineſſe notitiam , & habere in ſe ſemina ſapientiæ , & juſtitiæ , reliquarumque virtutum : Unde multi abſque fide , & Euangelio Chriſti ſapienter faciunt aliqua , vel ſanctè ; ut parentibus obſequuntur* , &c. Chryſoſt. hom. 5. in Roman. 2. habet , *Deum ſic hominem finxiſſe , ut poſſit per ſe virtutem intelligere , ac vitium declinare* . Cum autem per Adæ peccatum , quæ nobis naturalia ſunt non amiſerimus , & ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 1. liberum arbitrium non ſit amiſſum , licet ſit viribus attenuatum , & inclinatum , idcirco etiam in natura lapſa dantur vires naturales ad honeſte operandum ; unde proſcripta eſt vigeſima ſecunda Baji theſis docens : *Cum Pelagio ſentiunt , qui textum Apoſtoli ad Roman. 2. Gentes , quæ legem non habent , naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt , intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus* ; ſiquidem etiam ſine lumine fidei poteſt humanum arbitrium naturaliter legem ſervare . Quibus adde , quod Infideles , etiam ante actum fidei , qui ſpectat ad intellectum , elicere poſſunt actum ſupernum , qui ſpectet ad voluntatem , quo ſcilicet velint fidem amplecti , & credere ; quandoquidem ex tali actu libero voluntatis fides denominatur meritoria ; unde dicitur Rom. 10. *Corde enim creditur ad juſtitiam* .

Quod autem ſpectat ad peccatores , recuditur pariter hic 34. ex Bajanis proſcriptis theſibus , quæ habet : *Omne , quod agit peccator , vel ſervus peccati , peccatum eſt :* necnon 39. dicens : *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati* . Et ſane peccator , qui a Chriſto , atque adeo a via ſalutis aberravit , antiquam gratiam ſanctificantem , & charitatem recuperet , poteſt a Deo excitatus , ejuſque gratia adjutus , actibus ſupernis fidei , ſpei , doloris ad illam ſe diſponere , & cum filio prodigo dicere : *Surgam , & ibo ad Patrem meum , & dicam illi , Peccavi ;* in quo certe non aberraret , nec peccaret ; unde falſum eſt , quod ſine Chriſti gratia , & charitate nihil aliud eſſe poſſit peccator , quam aberratio , & peccatum . Quinimo Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. declarat , attritionem a peccatore conceptam non ſolum non reddere illum hypocritam , & magis peccatorem , (prout redderet , ſi eſſet peccaminoſa) ſed etiam eſſe donum Dei , & Spiritus Sancti impulſum , quo pœnitens viam ſibi ad juſtitiam parat , & ad gratiam Dei per Sacramentum obtinendam ſe diſponit . Hinc ab eodem Trid. ſeſſ. 6. cap. 9. anathematizatur , qui dixerit : *Opera omnia , quæ ante juſtificationem fiunt , quacunque ratione facta ſint , vere eſſe peccata , aut quanto vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam , tanto gravius peccare* .

Denique ex eo etiam theſis hæc eſt erronea , quod velit ſine fidei lumine , ſine Chriſto , ſine charitate non poſſe homines culpas declinare ; cum certum ſit non poſſe culpæ aſcribi , quod vitari non poteſt . Hinc Tridentinum ſeſſ. 6. can. 6. docet , in poteſta-

teſtate hominis eſſe vias ſuas malas facere; & conſequenter poteſt culpas declinare, etiamſi fidei lumine careat, Chriſto, & charitate.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XLIX.

QUadrageſima nona contendit, eodem modo peccatum ſe habere ad amorem noſtri, ſicut opus bonum ad amorem Dei; unde ſicut nullum peccatum excludit amorem noſtri, ita nulla bona operatio ſejungatur a Dei amore: ex quo recurrit, quod in theſibus ſuperioribus dicebatur, operationes, quæ non profluunt ex fonte charitatis erga Deum, eſſe lutulentas, & peccaminoſas. Sed manifeſte errat; cum enim peccatum ſit turpe, & inhoneſtum, & ſub hac ratione amari non poſſit, debet apparere aliquo modo nobis bonum, (videlicet aut quia eſt delectabile, aut quia eſt utile) ut poſſit amorem terminare; ſi autem amatur, quia parit in nobis delectationem, aut utilitatem, dum peccatum amamus, volumus nobis bonum illud delectationis, vel utilitatis, & ideo amamus noſmetipſos, cum amare nihil aliud ſit, quam velle bonum. At opus bonum, utpote honeſtum, poteſt de ſe amorem terminare, nec eſt neceſſe, quod illud velimus propter Deum dilectum, quando independenter ab hac relatione ad Deum habet ſuam bonitatem, nempe honeſtatem, quæ ſecundum ſe poteſt amari: & ideo poteſt opus bonum eſſe ſine amore Dei. Sic qui propter mercedem æternam bene operatur, non ſolum non peccat, ut definitur a Tridentino ſeſſ. 6. can. 31. verum etiam ponit actum bonum, & ſalutarem; & tamen ſic operando non amat Deum, cum nihil boni Deo velit, ſed amet ſeipſum, cum velit Deum ſibi; unde Deum amat amore concupiſcentiæ ſpectante ad ſpem ſupernaturalem, non amore amicitiæ, qui ſpectat ad charitatem. Similiter qui proximum diligit, non quidem ex motivo Divinæ bonitatis ſumme dilectæ id præcipientis, ſed ex motivo honeſtatis creatæ, quæ reperitur in dilectione proximi, quatenus talis dilectio eſt conformis naturæ rationali, & dictamini rationis, non amat hoc actu Deum; & tamen opus non ſolum eſt uſquequaque honeſtum, tam ex objecto formali, quam ex objecto materiali, ſed etiam eſt opus præceptum a Deo, qui peccatum præcipere non poteſt: Siquidem non unum, ſed duo ſunt præcepta charitatis: Primum quidem, ut diligamus Deum ex toto corde, atque adeo non ex corde diviſo inter amorem Dei, & amorem creaturarum oppoſitum Divinæ voluntati; Alterum, ut proximum ſicut noſmetipſos diligamus. Quod ſi teneremur proximum diligere ex motivo charitatis erga Deum, non eſſent duæ virtutes charitatis, altera, quæ Deum tantum reſpiceret, altera, quæ tantum reſpiceret proximum, ut communiter Theologi docent; ſed eſſet una, quæ utrumque actum eliceret, & dilectionis Dei propter ſeipſum & dilectionis proximi propter Deum; & conſequenter non eſſent duo Præcepta charitatis, ſed unum tantum, quod generaliter complecteretur omnia, quæ propter Deum ſunt diligenda. Immo ex Angelico 2. 2. quæſt. 27. art. 8. ſi non poſſemus honeſte diligere proximum propter ſe, ſed teneremur illum amare propter Deum, ſequeretur, quod præceptum dilectionis Dei non eſſet primum, & maximum, prout Chriſtus Dominus Matth. 22. illud appellavit, ſed præcipuum eſſet, & maximum præceptum de dilectione proximi propter Deum; eo quod dilectio proximi includeret Dei ſimul, & proximi dilectionem, ad quod non ſe extenderet mera dilectio Dei. Poteſt itaque opus eſſe uſquequaque bonum, quamvis amorem Dei formalem non includat.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſum Theſim L.

QUinquageſima non eſt abſimilis præcedentibus, dum docet fruſtra nos clamare ad Deum, Pater mi, quando ille, qui clamat, non eſt ſpiritus charitatis; atque adeo Dei invocationem, fiduciam in ejus amore paterno, orationes, ſuſpiria eſſe inania, niſi ex fonte charitatis promanent. Sed quomodo dici poſſunt inania, ſi maxime conferunt ad charitatem, & juſtificationem impetrandam, ac de congruo promerendam, quoties procedunt ex auxilio ſuperno? Propterea Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. docet, *ex ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe clamores illos Sanctorum, Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, & alios hujuſmodi generis: ac deinde can. 5. anathematizat qui dixerit, hanc *peccatorum deteſtatio-*

tionem, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum multitudinem, ac fœditatem, necnon amiſſionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incurſum, non eſſe verum, & utilem dolorem, neque ad gratiam præparare. Et tamen hujuſmodi clamores, ac peccatorum deteſtatio non profluunt ex fonte charitatis, ſed potius ex amore quo quis ſeipſum honeſte diligit, dolendo de culpis ob amiſſionem gloriæ, & ob damnationis incurſum. Quod ſi fruſtra Deum Patrem noſtrum invocaremus, quando nondum adeſt ſpiritus charitatis, qui clamet, quomodo peccatori id a Deo injungeretur Jerem. 3. ubi dicit: *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere: ergo ſaltem amodo voca me, Pater meus, & dux virginitatis meæ tu es?* Dum enim huic invocationi promittitur peccatorum remiſſio, & charitas, ea invocatio non procedit ex ſpiritu charitatis, & tamen utilis eſt ad charitatem impetrandam. Sic etiam non fruſtra filius prodigus Lucæ 11. decrevit dicere: *Pater peccavi in cœlum, & coram te*, ſiquidem ob hoc propoſitum ex conſideratione propriæ egeſtatis ortum, cum adhuc longe eſſet, atque adeo nondum reverſus ad Patrem, hic miſericordia motus accurrit, & oſculatus eſt eum, ac induit illum ſtola prima, reſtituendo illi, quam amiſerat, charitatem. Idemque dicitur de Publicano Lucæ 18. qui cum fiducia remiſſionis obtinendę clamabat, *Deus propitius eſto mihi peccatori*, & hac de cauſa *deſcendit juſtificatus in domum ſuam*. Verum quidem eſt, quod deficiente charitate habituali, operationes virtutum ſupernaturalium, quibus Patris Cœleſtis auxilium imploramus, nullatenus deſerviant ad merendam de condigno gratiam. In quo ſenſu 1. ad Corinth. 13. dicitur: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, ut advertit D. Proſper lib. 1. de vita contempl. cap. 4. Deſerviunt tamen ad illam impetrandam, & ad merendum de congruo vires ſupernas, quibus ad illam pervenire poſſimus; unde non ſunt fruſtra, ut Queſnellus effutit adverſus Catholicas veritates. Quod ex eo etiam fit perſpicuum, quia oratio Dominica etiam a peccatoribus charitate orbatis recitanda ſit, dicendo cum fiducia, & humilitate, *Pater noſter, qui es in cœlis, dimitte nobis debita noſtra*; quamvis enim peccator non ſit Dei filius adoptivus per gratiam, adhuc poteſt Deum invocare Patrem, per hoc quod ad ejus imaginem, ac ſimilitudinem ſit creatus, & ab eo enutritus affectu paterno: unde dicitur Malach. 2. *Nunquid non Pater unus omnium noſtrum?*

PROPOSITIO LI.

Fides juſtificat, quando operatur, ſed ipſa non operatur, niſi per charitatem. *Queſn. act.* 13. 39. *edit.* 1693. & 1699.

SYNOPSIS.

I. Duplex hic error involvitur, & quod fides juſtificet, & quod fides non operetur, niſi per charitatem. II. Fides non juſtificat, niſi diſpoſitive, non formaliter; & per dilectionem operatur, quatenus actus fidei diſponit, ac ſe extendit ad inducendam operationem propriam charitatis. III. Multifariam Heterodoxi errarunt in explicando quomodo fides juſtificet. Queſnellus docet, fidem non eſſe ſine fiducia, & amore, atque hac ratione per fidem apprehendi potius juſtificationem, quam acquiri.

IV. Si poſſet fides formaliter juſtificare, conjuncta cum Spe, & Charitate, poſſet pariter ſejuncta ab illis. V. Quod autem poſſit ab iis ſeparari, perperam Calvinus inficiatur. VI. Juſtus ex fide vivit, *tum quia per fidem reddit ſibi quadantenus præſentem beatitudinem: tum etiam quia ex fide formata charitate vivit vita gratiæ. VII. Fides autem ſicut poteſt eſſe ſine charitate, ita poteſt ſine illa operari.*

VIII. Paſſim fides dicitur juſtificare, ſed ſolum cauſaliter, & meritorie. IX. Tribuitur quidem fidei ſalus, ſicut tribuitur etiam ſpei, dilectioni, timori, baptiſmo, quin tamen hæc ſeorſim ad ſalutem ſint ſatis. X. Explicatur in quonam ſenſu verum ſit, quod Omnis, qui credit, habeat vitam æternam. XI. Et in quonam ſenſu Patres doceant ſolam fidem juſtificare.

I. UTrumque erroneum, & fidei catholicæ adverſum, & quod fides juſtificet per ſuam operationem, & quod non poſſit habitus fidei ſuam operationem exercere niſi per charitatem. Docet quidem Apoſtolus ad Rom. 3. quod nos per fidem juſtificemur; & ad Galatas 5. quod fides per dilectionem operetur. At quomodo per fidem juſtificemur explicat Trident. ſeſſ. 6. cap. 8. dicens, *Ea verba in eo ſenſu intelligenda eſſe, quem perpetuus Eccleſiæ conſenſus tenuit, & expreſſit, ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire.* Calvinus autem, & cum eo Janſeniani contendunt,

dunt, fidem formaliter juſtificare per ſuam operationem, quæ vel ſit quædam fiducia, & amor in Deum, vel ab his actibus non ſejungatur, ut habet Queſnellus in theſi ſequenti. Hæc ſunt Calvini verba in Antid. Concilii ad can. 11. ſeſſ. 6. *Sola fides eſt, quæ juſtificat, fides tamen, qua juſtificat, non eſt ſola; ſicut calor Solis ſolus eſt, qui terram calefacit, ipſe tamen calor non eſt ſolus in Sole, ſed cum ſplendore.* Quod pariter docuerunt Philippus Melanchton, Kemnitius, & alii Heterodoxi apud Bellar. lib. 1. de Juſtific. cap. 15. putantes ad præſentiam charitatis fidem juſtificare, ita ut effectus juſtificationis ſoli fidei tribuatur, & charitas ſit ſolum requiſitum. Quod pariter non obſcure docet Queſnellus in theſi 68. dicens: *Dei bonitas abbreviavit viam ſalutis, claudendo totum in fide, & precibus*, indicans ſolam fidem, quæ juxta ſuas hallucinationes nonniſi per charitatem operatur, & non eſt ſine fiducia, & amore, formaliter juſtificare, & non mere diſpoſitive, ut docet Tridentinum.

II. Præterea modus, quo fides per dilectionem operatur, juxta verba Apoſtoli, explicatur ab Angelico his verbis: *Fides primo, & principaliter conſiſtit in operatione, in quantum ſcilicet inhæret primæ veritati; ſed veritas prima eſt etiam ultimus finis, propter quem operamur; inde etiam eſt, quod fides ad operationem ſe extendit, ſecundum illud ad Galatas 5. Fides per dilectionem operatur.* Quare licet verum ſit, quod operationem fidei, quæ primæ veritati inhæret, ſubſequatur deinde operatio charitatis, propter quam aſſequimur ultimum finem, non propterea verum eſt, quod in hac theſi dicitur, fidem non operari, niſi per charitatem, ita ſcilicet ut non poſſit vera fides in peccatoribus Chriſtifidelibus dari, ac operari abſque charitate; cum definitum ſit in Trid. ſeſſ. 6. can. 28., non ſemper amiſſa per peccatum gratia, & charitate, fidem amitti.

III. Antequam oſtendam falſitatem utriuſque aſſerti, præmitto multiſariam ab Heterodoxis explicari, quod fides juſtificet; etenim juſtificat quatenus *fides eſt fiducia miſericordiæ, quod propter Filium Dei habeamus remiſſionem peccatorum, non propter noſtras virtutes*, ut habet Philippus Melanchton in locis communibus titulo de bonis operibus. Lutherus vero in 2. cap. ad Galat. dicit: *Fides eſt formalis juſtitia, propter quam homo juſtificatur, non propter charitatem.* Alii cum Calvino, & Kemnitio dicunt fidem juſtificare, quia homo credendo accipit, quod Deus promittendo offert; & idcirco fides non eſt ſine fiducia accipiendi, quod Deus promiſit, & ſine amore Dei dantis, quod promiſit. Huic ſententiæ videtur inhæſiſſe Bajus, Janſenius, & nunc Queſnellus, docentes fide juſtificationem apprehendi potius, quam acquiri.

IV. Oſtenditur nunc prius, quod fides non juſtificet per ſuam operationem, ſed ſolum ad juſtificationem diſponat, & deinde oſtendemus, quod non requiratur charitas ad hoc, ut fides operetur. Quod attinet ad primum, ratio cur fides non juſtificet, eſt, quia ſi poſſet juſtificare ad præſentiam fiduciæ, ſeu ſpei, & charitatis, poſſet etiam ſeparata ab his virtutibus juſtificare; conſtat autem quod ſine dilectione non poteſt peccator juſtificari ſaltem extra Sacramentum Pœnitentiæ, juxta illud 1. Jo. 2. *Qui non diligit, manet in morte.* Ergo fides non juſtificat. Probatur ſequela, quia fides eadem omnino eſt, ſive præſentes ſint aliæ virtutes Theologicæ, ſive ſint abſentes: ergo ſi juſtificaret præſentibus aliis virtutibus, etiam juſtificaret iis abſentibus, imo etiam præſentibus vitiis oppoſitis.

V. Neque dicas, quod fides non poſſit a fiducia, & charitate ſeparari. Nam peccatores amiſſa per peccatum charitate, & gratia, non amittunt fidem, ſi non peccant peccato infidelitatis, ut diximus ex Tridentino loco laudato, quare poteſt a charitate ſeparari, & ſic ſeparata poſſet juſtificare, ſi verum eſſet, quod fides juſtificet, quod eſt erroneum. Deinde in tantum in ſententia Calvini, & Lutheri, quos ſequitur in his theſibus Queſnellus, vera fides non poteſt a fiducia, & amore ſeparari, in quantum, ut habet Lutherus in epiſt. ad Romanos, fides eſt ſimilis igni, qui ſi non luceat, & ardeat, non eſt ignis; vel in quantum, ut habet Calvinus lib. 3. inſtit. cap. 2. fides comparatur Chriſto, & Charitas Spiritui ſancto; unde ſicut Chriſtus nequit eſſe ſine Spiritu ſancto, ita nec fides ſine charitate: fides quippe intuetur, & recipit Chriſtum ſimul cum ſpiritu dilectionis, & ſanctificationis. Sed neutra ratio quicquam probat; non prima, quia etiam ſimilitudines, quæ habentur in Evangeliis, non in omnibus debent convenire, ut alias advertimus ex Auguſtino, & fortiori ſimilitudines, quæ a nonnullis adducuntur ad aliquid explicandum. In Scripturis autem ſola charitas, non vero fides igni comparatur; dicitur enim in Canticis: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem; lampades ejus lampades ignis.* Et quamvis fides comparetur igni, in tantum eſſet igni ſimilis, in quantum habet de ſe fides ſummam activitatem, non vero in quantum ſemper fides operatur,

aut

aut in quantum ſemper debeat habere ſecum annexam charitatem, quæ ſemper operetur; quis enim ſomniet, virtutes Theologales, ſemper ac ſunt in anima, ſemper operari? cum enim in baptiſmo infundantur infantibus, deberent etiam in infantibus operari. Neque quicquam evincit Calvini ratiocinatio, quia ſcilicet qui fide reſpicit, & intuetur Chriſtum, intuetur illum cum ſpiritu dilectionis, & ſanctificationis. Hinc enim ſolum fit, quod ad fidem ſpectet tum Chriſtus, tum Spiritus ſanctus ſolum objective: eo modo, quo ſanitas eſt in ægroto, quando de illa cogitat, & illam appetit; at hinc non ſequitur, quod non poſſit fides a ſpiritu dilectionis ſeparari.

Neque inſtes, charitatem conſequi ad fidem; & idcirco fides ſemper charitati annectitur: & per charitatem operatur. Nam charitas non conſequitur ad fidem tamquam paſſio, & proprietas neceſſaria; ſed conſequitur tamquam virtus, ad quam alia diſponit, & inclinat; ideo enim fides dicitur gignere charitatem, quia actus fidei inclinat, & diſponit ad actum charitatis, & ad diligendum Deum, cui credit, quin tamen neceſſitet ad talem dilectionem; aliter actus charitatis non eſſet meritorius, & ſalutaris.

VI. Neque opponas illud Habacuc 2. *Juſtus ex fide vivit*, quod videtur innuere, fidem ſejungi non poſſe a charitate, qua vivimus vita ſpirituali.

Nam ſententia iſta, qua non ſemel utitur Apoſtolus, ſi ad literam explicetur, ſolum ſignificat, juſtum ſuſtentare ſe, ac tolerare in via deſiderium patriæ per fidem; quoniam fides facit quodammodo præſentem beatitudinem, quam ſperamus; ea quippe eſt *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium*, ut dicitur ad Hebr. 11. Significatur etiam per eandem ſententiam, quod juſtus vivat vitam ſpiritualem, & divinam ex fide, videlicet ex fide formata per charitatem, non vero ex fide informi, neque inde infertur, quod fides non poſſit eſſe informis.

VII. Quod attinet ad alterum aſſumptum, quod ſcilicet non requiratur charitas, ut fides eſſe, & operari poſſit, unde falſum ſit, quod nonniſi per charitatem vera fides operetur, manifeſte oſtenditur ex eo, quod etiam in magnis peccatoribus poſſit dari vera fides, ergo a fortiori poteſt haberi fidei exercitium in aliis non magnis peccatoribus, ſine charitate. Antecedens conſtat, tum ex proſcriptione theſis duodecimæ facta ab Alex. VIII. quæ habet: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & ſi videantur credere, non eſt vera fides divina, ſed humana*; tum etiam ex verbis Apoſtoli 1. ad Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habeam, nihil ſum*; Ubi cum dicat *omnem fidem*, amplectitur etiam divinam; unde poteſt divina fides haberi ſine charitate. Præterquamquod ibi ſolum loquitur Apoſtolus de fide divina, cum ſtatim addat: *Nunc autem manet fides, ſpes, & charitas*. Hinc Trid. ſeſſ. 6. can. 28. habet: *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva, aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit*. Et ſimiliter Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 18. docet, *Fidem ſine charitate eſſe poſſe, non tamen prodeſſe*. Et ratio cur Deus voluerit ex ſua miſericordia, tum quod perſeverent in peccatore habitus fidei & ſpei, amiſſa charitate, & gratia, quando peccatum his virtutibus non adverſatur, tum etiam quod per auxilium ſupernaturale poſſit ante exercitium charitatis haberi verus actus fidei Divinæ, ac ſpei, etiam ab eo, qui deſtitutus eſt habitu fidei propter infidelitatem, eſt, quia voluit peccatorem poſſe ſe diſponere per hos actus ſupernaturales fidei, & ſpei ad actum charitatis. Cum enim ordo gratiæ imitetur ordinem naturæ, ſicut in ordine naturæ ad introductionem formæ debent præire diſpoſitiones, ita in ordine gratiæ; eſt autem diſpoſitio congrua ad actum charitatis actus fidei divinæ, ac ſpei Theologicæ: & ideo Deus ad eliciendos hos actus confert auxilium, antequam conferat auxilium ad actum charitatis. Quando autem in peccatore non infideli perſeverat habitus fidei infuſæ, tunc ad hujus exigentiam datur connaturalius auxilium ſupernaturale ad eliciendum actum fidei. Quod ſi in peccatore infideli ille habitus non præſupponatur, tunc auxilium datur ex divina miſericordia, ut poſſit peccator per actus fidei ponere congruam diſpoſitionem ad actum charitatis. Quinimo non poteſt tale auxilium deeſſe, poſito quod cuilibet peccatori præcipiatur, ut revertatur ad Dominum, & ſine illo auxilio reverti non poſſit.

VIII. Opponitur primo a Janſenianis, quod paſſim in Scripturis dicamur nos per fidem juſtificari; juſtificatio autem nequit haberi ſine charitate; ergo fides ſine charitate haberi non poteſt; atque adeo fides juſtificat, quando ipſa operatur, nec operatur, niſi per charitatem. Antecedens patet; nam Rom. 3. dicitur: *Juſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum:* ad Epheſios 2. *Salvi facti eſtis per fidem*: ad Roman. 3. *Arbitramur*

ho-

hominem juſtificari per fidem. Quare fides juſtificat, non quidem diſpoſitive, ſed formaliter, quatenus homo credendo accipit ſpiritum dilectionis, quem Deus promittendo offert.

Confirmatur, quia Lucæ 8. dicitur: *Crede tantum, & ſalva eris:* Lucæ 7. *Fides tua te ſalvam fecit:* Jo. 3. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*. Et Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Ergo fides ſola eſt, quæ juſtificat, quamvis debeat per charitatem operari.

Confirmatur ſecundo, quia omni credenti infallibiliter a Deo promittitur ſalus: ergo juſtificatio competit actui fidei; cum autem juſtificatio ſine charitate haberi non poſſit, ſequitur, quod repugnet fides informis, quæ non juſtificet. Quare dicendum, quod juſtificet per charitatem, ſeu potius ad præſentiam charitatis; non ſecus ac ſol calefacit per calorem ad præſentiam lucis, ut loquitur Calvinus. Antecedens probatur, quia ad Rom. 10. dicitur: *Omnis qui credit in eum, non confundetur:* Jo. 3. *Ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Act. 3. *In hoc omnis, qui credit, juſtificatur*.

Reſpondeo, quando in Scripturis dicitur impius juſtificari per fidem, aut ex fide, ſolum ſenſus eſt, quod fides ſit initium, & fundamentum ſalutis noſtræ, & radix juſtificationis, ut diximus ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. unde fides non eſt nuda apprehenſio juſtitiæ, ut contendunt Adverſarii, ſed eſt noſtræ Juſtitiæ inchoamentum, ita ut illam nobis impetret, & promereatur de congruo. Hinc ad Hebr. 12. dicitur: *Sancti per fidem operati ſunt Juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones;* Ubi particula, *Per*, ſolum indicat cauſam, non apprehenſionem Juſtitię; ſicut cum dicimur juſtificari per Chriſtum, indicatur, quod Chriſtus ſit cauſa noſtræ juſtificationis. Et Auguſt. de Verb. Apoſt. ſerm. 16. *A fide incipit homo, ſed quia & dæmones credunt, neceſſe eſt addere ſpem, & charitatem:* Et ſerm. 22. *Domus Dei credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur*; Et in pſal. 31. *Magnum opus, ſed ex fide; laudo ſuperædificationem operis, ſed video fundamentum fidei; laudo fructum boni operis, ſed in fide agnoſco radicem*. Quare tam in locis Scripturæ adductis, quam in aliis plurimis ſolum fit ſenſus, quod fides inchoet noſtram juſtificationem, & illam impetret, ac promereatur. Sic Lucæ 7. dicitur: *Fides tua te ſalvam fecit*; ubi indicatur, quod fides contulerit ad ſalutem, impetrandi illam. Et aperte Auguſt. in Epiſt. 105. ad Sixtum docuit, fidem mereri, & impetrare, non vero eſſe noſtram Juſtificationem, dicens: *Nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetret; neque enim nullum eſt meritum fidei*. Et lib. 1. contra Adverſarium legis, & Prophetarum cap. 17. *In novo Teſtamento fides impetrat Charitatem*. Et lib. de prædeſtinat. Sanctor. cap. 7. *Ex fide ideo Apoſtolus dicit juſtificari hominem, non ex operibus, quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juſte vivitur*. Quod ſi peccatoris contritio ſolum de congruo meretur juſtificationem, quin ipſa juſtificetur formaliter, ut communius Theologi docent contra Vaſq. & alios, a fortiori fides ſolum ut cauſa meritoria remota de congruo ad noſtram juſtificationem concurrit.

IX. Ad primam confirmationem, ubi Chriſtus D. dixit ſufficere ſolam fidem, non dixit eam ſolam ſufficere ad remiſſionem peccatorum, ut Sectarii opinantur, ſed ſufficere ad miraculum illud de excitatione defunctæ, de quo ibi erat ſermo. Non negatur autem a Catholicis, quod ſola fides interdum ſufficiat ad miracula impetranda, quando hæc requiruntur ad fidem confirmandam, non vero ad illuſtrandam vitam patrantis illa. Non eſt itaque verum, quod ſola fides ſufficiat ad ſalutem: Et quamvis fidei aliquando ſalus tribuitur, non propterea fit, quod ſola fides ſalutem cauſet ſine concurſu aliarum virtutum; ſic ſalus tribuitur etiam ſpei, dum dicitur Roman. 8. *Spe ſalvi facti ſumus*; tribuitur etiam timori Dei, dum dicitur Eccleſ. 2. *Timor Domini expellit peccatum*; necnon dilectioni, dum dicitur Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; aliquando etiam Baptiſmo, dum dicitur ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*; nec proinde ſequitur, quod ſingula iſtorum ſeorſim ſatis ſint ad ſalutem.

X. Ad ſecundam, dum dicitur, quod omnis, qui credit, habet vitam æternam, non fit ſenſus, quod ſola fides ad id ſufficiat, ſed fit ſenſus, quod fides ſalutem cauſet, ſi cætera non deſint, ut modo diximus. Pariformiter enim dicitur in hoc eodem ſenſu Eccleſ. 2. *Omnis qui ſperat in eum, non confundetur;* Et Lucæ 11. *Quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit;* Et ad Rom. 10. *Factus eſt omnibus obedientibus ſibi cauſa ſalutis æternæ*; quin tamen hæc ſola ſatis ſint, ubi cætera deſint. Hinc Patres paſſim docent, ſolam fidem ad ſalutem non eſſe ſatis. Auguſtin. tr. 10. in Epiſt. Joan. *Multi dicunt, Credo, ſed fides ſine operibus non ſalvat*. D. Proſper lib. 1. de vita contempl. cap. 19. *Nec opera ſine fide, nec fides ſine operibus juſtificat*. Quibus adde, in eo etiam ſenſu

dici

dici poſſe, quod omnis, qui credit in illum, habeat vitam æternam, quatenus nemo ſine fide conſequitur vitam æternam. Quod ſic explicat Auguſt. lib. de prædeſt. Sanctor. cap. 8. Si in aliqua Urbe ſit unus duntaxat Rhetoricæ præceptor, bene diceretur, quod omnes in ea Urbe ab eo Rhetoricam diſcant, non quia omnes Rhetoricæ navent operam, ſed quia nemo eſt, qui huic facultati dat operam, quin eam diſcat ab illo.

XI. Opponitur ſecundo auctoritas multorum Patrum, qui ſoli fidei juſtificationem aſcribunt; nec poſſet illi ſoli aſcribi, niſi aliquatenus imbiberet charitatem, ita ſcilicet, ut nonniſi per charitatem operetur, Baſilius in hom. de humilitate habet: *Hæc eſt perfecta gloriatio in Deo, quando neque ob juſtitiam ſuam quis ſe jactat, ſed novit quidem ſe ipſum veræ juſtitiæ indignum, ſola autem fide in Chriſto juſtificatum.* Ambroſius in ſer. 45. *Sicut ſuffecit Judæ ad ſcelera Chriſtum deſeruiſſe, ita ſuffecit latroni ad innocentiam, Domino credidiſſe.* Et in cap. 4. *Non ergo opus eſt lex, quando impius per ſolam fidem juſtificatur.* Chryſoſt. hom. 3. in epiſt. ad Titum: *Si credis fidei, cur alia infers? quaſi fides juſtificare non ſufficiat ſola.* Et Auguſt. lib. cont. duas Epiſt. Pelagianorum cap. 21. *Quantælibet virtutis antiquos prædicas juſtos, non eos ſalvos fecit, niſi fides Mediatoris.*

Reſpondeo, quod Sancti Patres, ubi docent ſolam fidem juſtificare, opponunt fidem aut operibus cæremonialibus veteris legis, aut operibus externis, aut ſimilibus, quin excludant ſpem, dilectionem, pœnitentiam, & quicquid ad juſtificationem requiritur. Baſilius iis verbis laudatis excludit opera, quæ fiunt ſine fide, & gratia Dei; dicens quippe ſola fide hominem juſtificari, ſignificat ex dono Dei tantum juſtificari, non vero ex aliis operibus prævenientibus omnia Dei dona. Hinc idem Baſilius in ſermone de fide diſerte docet, ad ſalutem requiri præter fidem etiam charitatem: quod probat ex eo, quia Joan. 15. Chriſtus Dom. prædixit, diſcipulos ſuos non ex ſola fide, ſed etiam ex dilectione eſſe cognoſcendos. Ambroſius ibi ſolum excludit opera cæremonialia legis. Etenim in Comment. ad 4. cap. ad Hebr. habet: *Magna res eſt fides, & ſalutaris, & ſine hac non eſt ſalvari poſſibile, ſed ſola fides non ſufficit.* Chryſoſt. pariter ibi docet, ſolam fidem, ideſt ſine cæremoniis veteris legis, ad ſalutem eſſe ſatis: propterea hom. 1. in 1. Epiſt. ad Timoth. habet: *Non fide ſolum opus eſt, ſed etiam charitate.* Denique Auguſtinus ſolum ibi vult, neminem ſine fide ſalvari, atque adeo antiquos juſtos neque per opera naturæ viribus elicita, neque per legem Moyſis, ſed per fidem in Chriſtum D. eſſe ſalvatos. Paſſim enim Auguſtinus docet, ſolam fidem ad ſalutem non ſufficere; & loco ſupra laudato de Trinitate diſerte dixit; *Fidem ſine charitate eſſe poſſe, non tamen prodeſſe.*

Ex quibus fit, falſum omnino eſſe primo, quod fides juſtificet per ſuam operationem. Falſum omnino eſſe ſecundo, quod fides non operetur, niſi per charitatem; eſt quippe vera fides Divina, quæ antecedenter ad charitatem, & ſine charitate operatur, quin tamen ea juſtificet, ſed ſolum ad juſtificationem diſponat.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LI.

QUinquageſima prima dupliciter errat adverſus fidei dogmata; tum quia docet, fidem juſtificare, quando operatur; tum etiam quia docet, fidem non operari, niſi per charitatem. Quod attinet ad primum, certum eſt, fidem habitualem operari poſſe, & influere in actum fidei, etiam ſeparatum a charitate; ſiquidem ex Tridentino ſeſſ. 6. can. 28. non ſemper amiſſa per peccatum gratia amittitur fides; quæ ne fruſtra remaneat, debet poſſe operari; ejus tamen operatio, quamvis non ſit viva, & charitate informata, adhuc tamen ex eodem Tridentino vera fides eſt; nec proinde talis fides juſtificat. Etenim ex cap. 7. ejuſdem ſeſſionis Tridentini fides vitam æternam non præſtat ſine ſpe, & charitate. Fides eſt requiſita, ut accedamus, non ut per illam dumtaxat perveniamus ad Deum: propterea ad Hebr. 11. dicitur: *Credere oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit:* fidei enim operatio eſt ſolum ad Deum introductoria, & per eam tantum ad illum appropinquamus; at non juſtificat, nec vitam æternam præſtat ex eodem Tridentino ſe ſola; ut proinde a Chriſto D. dicatur Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata;* & Jacob. 2. *Fides ſine operibus mortua eſt.* Propterea in canon. 9. ejuſdem ſeſſ. Tridentini anathematizatur, qui dixerit, *Impium ſola fide juſtificari.* Multi enim, quamvis parati vitam potius perdere, quam Chriſti fidem negare, ſunt tamen fornicatores, adulteri, &c. qui proinde ex 1. ad Corinth. 6. *Regnum Dei non poſſidebunt.* Quando autem Apoſtolus ad Roman. 3. dicit, *Arbitramur juſtificari hominem per fidem ſine operibus,*

ſo-

ſolum excludit opera legis, & naturæ, non opera gratiæ, inter quæ eſt dilectio, quæ eſt ultima diſpoſitio ad juſtificationem. Explicat autem Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 8. in quo ſenſu Apoſtolus dicat, nos per fidem juſtificari, quia ſcilicet Fides eſt *humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis:* propterea ſolum radicaliter juſtificat, non formaliter.

Quod attinet ad alterum errorem hujus theſis, oſtendimus habitualem fidem non ſemper per quodvis peccatum amitti; & tunc, ne ſit prorſus fruſtranea, ſuam habere poteſt operationem propriam, qua firmiſſime credimus Deo loquenti: hæc autem operatio non poteſt haberi per charitatem, quæ jam ſupponitur per peccatum amiſſa: quare falſum eſt, quod fides operetur per charitatem. Propterea Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. docet, per fidem, timorem, ſpem, ac pœnitentiam impium præparari, ac diſponi ad juſtificationem, gratiam, & charitatem habitualem obtinendam: cum autem operatio fidei præcedat habitum charitatis infuſum, non poteſt operatio fidei ullatenus aſcribi charitati. Docet quidem Apoſtolus ad Galat. 5. quod ad ſalutem conſequendam valeat *non circumciſio, neque præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur.* At in eo ſenſu id accipiendum eſt, ut advertit D. Thomas, non ſolum quia fides per charitatem habet meritum vitæ æternæ, quod etiam competit ſpei, & aliis virtutibus infuſis: ſed etiam quia fides eſt initium ſalutis, & obtenta charitate, ad operationes impellit, quibus finem ultimum aſſequamur. Ubi adverte, verum dumtaxat eſſe, quod fides, quæ per dilectionem operatur, juxta ſenſum explicatum, valeat ad ſalutem: at erroneum eſſe, quod in theſi dicitur, fidem non operari, niſi per charitatem, cum poſſit adhuc ſejuncta a charitate operari.

Videri poſſet nonnulli imperito, quod theſis iſthæc non eſſet proſcribenda, quippe quæ uſurpat ipſiſſima verba Apoſtoli, & non videtur quare dici non poſſit, quod ea uſurpet in eodem ſenſu Catholico, in quo ab Apoſtolo uſurpantur, videlicet quod fides, quando operatur, juſtificet, non quidem formaliter, ſed radicaliter: & quod fides non operetur, niſi per charitatem, videlicet opera meritoria vitæ æternæ. Sic autem benigne explicata, prout Apoſtoli verba explicantur, ſanam, & Catholicam doctrinam continet, nec eſt obnoxia cenſuræ.

Sed fallitur, qui non advertit ad regulam ſupra traditam, quod ſcilicet verba doctrinalia, & dogmatica ſumi debeant in ſenſu proprio, non ſecus ac verba Sacrorum Bibliorum accipi debent, ut advertit Auguſtinus, in ſuo germano ſenſu, ſicut etiam verba Conciliorum, quoties aliunde non conſtat, in ſenſu minus proprio hic, & nunc accipienda eſſe: E. g. dum dicitur in Tridentino, quod ad Sacramentum pœnitentiæ conſtituendum requiratur dolor, non poteſt id intelligi de dolore virtuali, qui in actu amoris Dei virtualiter continetur, ſed debet intelligi de dolore formali, quia hic eſt ſenſus proprius hujus vocis, nec aliunde habetur, quod poſſit intelligi de dolore virtuali: contra vero, quando in Scripturis dicitur, quod juſtificatio extra Sacramentum peccatori non conferatur, niſi præmiſſa peccatorum deteſtatione, ac dolore, profecto intelligi poteſt tam de dolore formali, quam de virtuali incluſo in dilectione Dei ſuper omnia, quia ſcilicet ex aliis Scripturæ locis habetur, quod etiam vi dilectionis Dei ſuper omnia conferatur juſtificatio. Ad rem noſtram: Ex aliis ejuſdem Apoſtoli textibus habetur, quod fides ſine charitate nihil profit, nec poſſit præſtare vitam æternam; propterea quando dicit, quod fides juſtificet, non debet intelligi, quod fides juſtificet formaliter, ſed ſolum radicaliter. Similiter ibi docet Apoſtolus, fidem a charitate ſejunctam poſſe operari, ut quando dicitur 1. Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*; propterea dum dicit fidem per dilectionem operari, non debet id ita explicari, ut requiratur charitas ad operationem fidei, prout ferret proprius, ac obvius verborum ſenſus. Contra nunc in caſu noſtro, ex aliis Queſnelli locis non ſolum non habetur, quod in ſenſu minus proprio ad mentem Apoſtoli verba hujus theſis uſurpentur, quin potius conſtat oppoſitum, ut facile eſt advertere. Quare cum theſis ſit doctrinalis, & in ſenſu obvio, quem præſeferunt verba, ſit erronea, fuit procul dubio tum in propria verborum ſignificatione, tum etiam ad mentem Auctoris proſcribenda; præſertim quia in ſenſu verborum proprio ab Heterodoxis uſurpata ſit, & a Tridentino damnata; unde perſpicuum eſt, callide hic obtrudi ad circumventionem erroris.

Quibus adde, quod licet Queſnellus (putans forte theſim hanc eſſe æquivocam) in ſenſu Catholico hic, & nunc uſurparet, & ſenſum hunc Catholicum forte aliis in locis innuerit, non propterea ea abſolute prolata, & abſque explicatione ſenſus Catholici non fuiſſet proſcribenda. Ratio eſt, quia propoſitio, quæ capax eſt utriuſque ſenſus

tam Catholici, quam hæretici, poſtquam in controverſiam adducta eſt in Eccleſia ; præſumitur, quod abſolute prolata uſurpetur in ſenſu hæretico ; datur enim obligatio explicandi ſenſum hunc æquivocum ad vitandum ſcandalum ; atque adeo niſi ſenſus explicetur, præſumitur, quod in ſenſu hæretico uſurpetur. Et ratio ulterior eſt, quia cum voces æquivocæ ex circumſtantiis determinentur ad hanc potius ſignificationem, quam illam, (ut verbum, Abſolvo te, ex circumſtantia Confeſſionis Sacramentalis ſignificat abſolutionem a peccatis , ex circumſtantia vero fori externi ſignificat abſolutionem a reatu pœnæ) hinc fit, quod quoties propoſitio aliqua ab hæreticis male uſurpata eſt , & ab Eccleſia damnata, ex hac circumſtantia determinetur ad ſignificandum ſenſum damnatum, quoties non explicatur: & ideo abſolute prolata eſt digna, quæ proſcribatur , idque verum eſt, etiamſi aliis in locis Auctor aliquatenus ſenſum ejus Catholicum innuiſſet. Sic poſtquam propoſitio iſta a Chriſto D. prolata, *Pater major me eſt*, ab Arianis explicata eſt erronee de majoritate Patris relate ad Filium ut Deum, non licet abſolute dicere, (præſertim in locis, in quibus adhuc viget hæreſis Ariana) quod Pater ſit major Filio, quia ex circumſtantiis determinetur ad ſignificandum ſenſum falſum, quod Filius Dei ſit creatura, etiamſi aliis in locis Auctor dixerit, quod Dei Filius ſit Patri coæqualis. Quare cum damnata ſit a Tridentino theſis dicens , fidem juſtificare , nempe formaliter , ex hac circumſtantia fit , quod ea prolata abſolute (præſertim in locis , ubi ea hæreſis ſuos habuit Aſſeclas) determinetur ad ſignificandum ſenſum damnatum ; unde proſcribenda eſt, quamvis Auctor aliis in locis verbis ſubobſcuris ad effugiendas cenſuras ſenſum ejus Catholicum explicaſſet. Idemque dicendum de aliis Queſnellianis theſibus , quæ damnatum Janſenianum ſenſum præſeferunt . Quare quamvis e. g. Queſnellus dicat in cap. 14. Lucæ verſ. 1. quod homo aperiat ſæpe cor malignitati , praviſque ſuſpicionibus , quando deberet illud aperire lumini, & gratiis, quas Salvator ſua viſitatione eidem offert , unde videtur admittere, quod poſſit humana voluntas gratiæ reſiſtere ; non propterea fit , quod non fuerit proſcribenda ejus theſis decimatertia , & aliæ ejuſdem furfuris , in quibus diſerte dicitur, quod gratiæ interiori voluntas reſiſtere non poſſit. Iſtæ enim theſes poſt condemnationem theſium Janſenii non alium ſenſum præſeferunt, quam illum ab Eccleſia damnatum, unde proſcribendæ ſunt : quamvis Queſnellus verbis illis relatis doceat in eo alio loco , quod poſſit homo aperire oculos malignitati , quos deberet aperire gratiis a Salvatore oblatis , de quibus loquitur in theſi quinta . Quare perperam nonnulli conantur Queſnellum excuſare: præſertim quia cum paſſim Janſenizet, quamvis recte ſentiret, adhuc iſtis locutionibus damnatum ſenſum præſeferentibus ſcandalum non declinaret.

Ex quibus omnibus fit, Auguſtinum laudabiliter ſenſum Catholicum ab Apoſtolo locis laudatis intentum expreſſiſſe in Epiſtolam ad Galatas in præfat. illis verbis : *Non aufert peccatum, niſi gratia fidei, quæ per dilectionem operatur* ; Queſnellum vero non expreſſiſſe ſenſum Catholicum , ſed hæreticum a verbis hujus theſis: *Fides juſtificat, quando operatur; nec operatur, niſi per charitatem* . Primo, quia verum eſt, peccata non tolli ſine gratia fidei , ut habet Auguſtinus ; non eſt tamen verum , quod fides juſtificet, quando operatur , ut loquitur Queſnellus . Verum pariter eſt , juxta locutionem Auguſtini , quod fides per dilectionem operetur , hoc eſt vi dilectionis impellat ad operationem , videlicet ad mandata ſervanda ; at non eſt verum , quod non operetur fides , niſi per charitatem , ut habet Queſnellus ; cum poſſit dari fidei actus ſine charitate . Secundo, quia licet conſimilibus æquivocis verbis loquuti fuiſſent Auguſtinus , & Queſnellus , verba Auguſtini nonniſi ſenſum Catholicum haberent ex ea circumſtantia , quod tunc juxta ſenſum Catholicum Apoſtoli communiter uſurpabantur : Contra vero eadem verba in Queſnello haberent ſenſum hæreticum ex hac circumſtantia , quod in hoc ſenſu damnato ea uſurpata ſint ab Heterodoxis , a quibus ſignate debuiſſet recedere, ſi nollet iis aſtipulari . Tertio , quia paſſim ex aliis Anguſtini textibus ejus mens deprehenditur ; unde ex hac pariter circumſtantia vox æquivoca ad ſenſum catholicum determinatur : contra vero , quia paſſim Queſnellus Janſenizat, ideo ex hac circumſtantia ad ſenſum Janſenianum vox æquivoca determinatur : Ad eum modum quo in codice alicujus Ethnici, qui paſſim doceret, Solem ut Deum eſſe adorandum , verba illa ſacroſancta Apoſtoli 1. ad Tim. 1. *Soli Deo honor & gloria*, ex circumſtantia talis codicis determinarentur ad ſenſum execrandum . Et hæc dicta ſint pro aliis theſibus , quæ videntur alicui imperito affines eſſe locutionibus Sanctorum Patrum ; quamvis enim revera æquivocationem paterentur ; ex adjunctis tamen aut loci, aut temporis, aut auctoris, aut codicis

in

in Sanctis Patribus ſtatim obvius fieret ſenſus Catholicus, in Queſnello vero ſenſus erroneus.

PROPOSITIO LII.

Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine, ſed hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia. *Queſnel. Act.* 10. 43. *edit.* 1693. *&* 1699.

SYNOPSIS.

I. Peccat theſis hæc tum in eo, quod velit, Deum nihil aliud nobis ad ſalutem conferre præter fidem; tum etiam in eo, quod velit fidem eſſe non poſſe ſine fiducia, & amore.

II. Præire debet ad fidem pia affectio, a qua fidei aſſenſus imperetur. III. Pia hæc affectio ad fidem eſſe debet actus ſupernaturalis, atque adeo prærequirens auxilium ſupernum. IV. Nec eſt actus ſimplicis alicujus complacentiæ elicitus a charitate. V. Quando cupiditas credendi dicitur procedere a charitate, tunc nomine charitatis venit quæcunque virtus moralis. VI. Virtus autem, quæ gignit piam affectionem ad Fidem, non eſt Theologalis, ſed moralis.

VII. Fidei actus pertinet ad intellectum, unde diſtinguitur a fiducia, quæ ſpectat ad voluntatem. VIII. Fides eſt cauſa fiduciæ, ſeu confidentiæ in Deum. IX. Venit quidem aliquando apud Latinos nomine fidei fiducia; At in Scripturis nomine fidei venit fides firma, quæ paſſim fiduciam parit; non ſecus ac fides debilis, & infirma parit timorem, quin tamen vera fides componi poſſit cum formidine, ne non ſit Deus locutus.

X. Diſtinguitur etiam fides ab amore. XI. Per actus prævios fidei, & ſpei peccator diſponitur ad charitatem, & contritionem. XII. Inter veros fideles dantur plurimi, qui retenta fide charitatem amittunt.

XIII. Juſtus vivit ex fide formata charitate, & conſervat vitam gratiæ credendo, quæ a Deo revelata ſunt. XIV. Quamvis fides non ſit formata charitate, adhuc eſt ſupernaturalis. XV. Fides eſt virtus Thelogalis ex numero intellectualium virtutum, quamvis ea Ariſtoteli fuerit ignota: eſtque præſtantior, quam ſit ſcientia. XVI. Fides informis non eſt otioſa, ſed prodeſt ad merendum de congruo auxilium ad reſipiſcendum. XVII. Fides operatur per charitatem, quatenus per charitatem habet, ut ponat operationes meritorias vitæ æternæ. XVIII. Inaniter Queſnellus excuſatur.

I. SI ſenſus primæ partis hujus theſis eſſet, quod fides ſit humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis, omnino verum haberet; ea quippe eſt doctrina Tridentini ſeſſ. 6. cap. 8. At ex contextu aliarum theſium, & ex proprio verborum ſenſu denotatur, in hac prima parte, in qua dicuntur omnia ſalutis media contineri in fide, illud Queſnellum contendere, quod nihil aliud nobis a Deo detur conferens ad ſalutem præter fidem, quam deinde in ſecunda parte theſis dicit non eſſe abſque amore, & fiducia: cum enim nullam aliam virtutem infuſam agnoſcat præter charitatem imbibitam in fide, ut in proxime ſequentibus theſibus aperte aſſeverat, ideo ſenſus ab eo hic intentus non eſt, quod fides ſit radix noſtræ juſtificationis, ſed quod nullum aliud a Deo nobis conferatur auxilium in ordine ad ſalutem præter hanc fidem, & quod omnis alius actus, qui non ſit fidei imbibentis charitatem, ſit vitioſus, ut habet in theſi 44. & ſequentibus. Secunda vero pars hujus theſis nova explicatione non indiget; etenim ex modo dictis in theſi præcedente aperte conſtat, fidem poſſe eſſe ſine fiducia, & amore, & proſcriptam fuiſſe ab Alexandro Octavo theſim duodecimam, in qua dicebatur, *In magnis peccatoribus deficiente amore deficere fidem; & quod licet videantur credere, ea non ſit fides Divina, ſed humana.*

Ad confodiendum utrumque errorem, oſtendam prius non ſolum conferri nobis in ordine ad ſalutem actum fidei neceſſario prærequiſitum ad actum dilectionis ſupernaturalis; cum ex Apoſtolo impoſſibile ſit ſine fide placere Deo; nec ſolum conferri nobis auxilia ad eliciendos actus ſupernaturales aliarum virtutum moralium, quod fuſe dicendum in expoſitione theſium proxime ſubſequentium: ſed etiam conferri auxilium ſupernaturale ad ponendum actum piæ affectionis ad fidem, quo ſcilicet velimus libere credere; ut proinde hæc pia affectio ita ad fidem amplectendam ſpectet, ut antecedat illam: nec ſolum non ſit actus vitioſus, ſed etiam habeat ſuum meritum ſupernaturale, non ſecus ac reliqui actus ſupernaturales ſpectantes ad voluntatem. Deinde iterum oſtendam, fidem ſecundum ſe non ferre fiduciam, & amorem, ſed eſſe actum intellectus diſtinctum ſimul, & ſuperabilem ab utroque hoc alio actu fiduciæ, & amoris ſpectante ad voluntatem.

II. Demonſtro itaque, præter actum ſupernaturalem fidei, quo intellectus firmiſſime credit Primæ veritati, conferri etiam nobis a Deo auxilium ſupernaturale ad eliciendum antecedenter actum liberum piæ affectionis

imperantem aſſenſum fidei, ut inde eluceat hunc actum non eſſe vitioſum, nec omnia ſalutis media contineri in ſolo actu fidei involvente fiduciam, & amorem ad mentem Queſnelli. Sic autem arguo: Ad hoc ut intellectus determinetur ad aſſenſum fidei firmiſſimum, & obſcurum, præire debet actus voluntatis imperans talem aſſenſum: aliter aſſenſus fidei non eſſet liber, & meritorius libertate extrinſeca orta ab actu libero illum imperante, quæ unice poteſt illi competere, cum in intellectu libertas eſſe non poſſit. Qua de cauſa Auguſtinus lib. de don. perſeverantiæ cap. 18. dixit; *Quoniam fides ſine voluntate non poteſt eſſe*: Hic autem actus voluntatis nequit eſſe vitioſus, imo nec naturalis; tum quia immediate, & per ſe antecedit, & determinat ad actum ſupernaturalem; tum etiam, quia eſt actus ſalutaris, ac meritorius in ordine ad finem ſupernaturalem obtinendum. Nec poteſt talis actus eſſe elicitus a charitate, quippe qui præcedit actum fidei, & conſequenter actum charitatis, & ad illos actus diſponit: ergo requiritur ad talem actum libere eliciendum auxilium ſupernaturale, tanquam medium neceſſario prærequiſitum ad ſalutem obtinendam; atque adeo non omnia ſalutis media continentur tanquam in germine, ac ſemine in ſolo actu fidei imbibente fiduciam, & amorem ad mentem Queſnelli; nec eſt verum, quod omnis actus, qui non eſt elicitus a charitate, ſit vitioſus.

III. Confirmatur. Actus piæ affectionis ad fidem, quo voluntas determinat intellectum ad aſſenſum fidei, eſt affectus poſitive virtuoſus; & non eſt elicitus a charitate, ſed a virtute, quæ a Theologis dicitur Piæ affectionis, eo quod cauſet pium affectum erga Primam veritatem revelantem, quo determinatur intellectus ad credendum: ergo præter fidem, ſpem, & charitatem, aut præter fidem, quæ non ſit abſque amore, & fiducia, requiritur hoc aliud ſalutis medium, quod illas virtutes antecedat. Unde non eſt verum, quod omnis actus, qui non ſit elicitus a charitate, ſit vitioſus. Antecedens probatur quoad utramque partem: & primo quidem, quod ille actus ſit affectus virtuoſus, conſtat, tum quia a tali affectu oritur meritum in actu fidei; meritum autem non poteſt dari in actu, qui non ſit laudabilis, & ſtudioſus: tum etiam, quia talis actus eſt conformis legi Divinæ, & naturæ rationali, quæ tenetur velle aſſentiri revelatis a Deo, ſi proponantur ſufficienter credibilia: tum demum quia eſt ſupernaturalis, & ſalutaris, quippe qui per ſe præcurrit aſſenſum fidei ſupernaturalem, & confert ad ſalutem per actum fidei obtinendam. Propterea Auguſtinus epiſt. 107. hæc habet: *Tu initium fidei, ubi eſt etiam initium bonæ, hoc eſt piæ voluntatis, non vis eſſe donum Dei?* Ergo hic affectus non ſolum non eſt vitioſus juxta aſſerta Queſnelli, ſed etiam eſt poſitive virtuoſus, ſupernaturalis, & ſalutaris. Probatur autem ſecunda pars antecedentis, quæ a Janſenianis negatur, quod ſcilicet non ſit actus elicitus a charitate; etenim affectus charitatis ſupernaturalis ſupponit per ſe aſſenſum fidei, cum non poſſit dirigi niſi a cognitione ſupernaturali, quæ regulariter alia non eſt, quam fides; ergo actus piæ affectionis ad fidem non poteſt prodire a charitate; Aliter ad hunc alium actum elicitum a charitate deberet alius actus fidei præire, & ſic proceſſus in infinitum. Hinc Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. inter diſpoſitiones peccatoris ad juſtificationem ponit primo loco actum voluntatis, quo libere credit, ſeu qui imperat aſſenſum fidei. Et Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum habet: *Niſi ergo vocando præcedat miſericordia Dei, nec credere quiſquam poteſt, ut ex hoc incipiat juſtificari.*

IV. Neque dicant Janſeniani, hanc piam affectionem imperantem actum fidei eſſe actum imperfectum, & complacentiam ſimplicem elicitam a charitate, & ideo non præire ad illum aſſenſum fidei, ſicut præire debet ad actus charitatis perfectos. Nam primo omnis actus charitatis, etiamſi imperfectus, oritur a cognitione ſupernaturali pertinente ad habitum fidei. Deinde falſum eſt, quod hujuſmodi actus ſit imperfectus, & ſimplex complacentia: cum pia affectio ad fidem ſit actus liber, & meritorius: affectus autem ſimplices, & inefficaces non poſſunt eſſe liberi, ſed fiunt in nobis ſine nobis libere operantibus. Præterquamquod actus, qui determinat, & cogit intellectum ad aſſenſum fidei, non poteſt eſſe affectus ſimplex, & actus charitatis imperfectus, ut patet.

V. Opponunt ad hæc, quod actus fidei neceſſario procedat ex affectu charitatis: ergo pia affectio ad fidem eſt actus elicitus a charitate. Antecedens probatur, tum quia prima cupiditas boni eſt voluntas credendi: cupiditas autem boni eſt charitas; cum dicat Auguſtinus lib. 2. ad Bonif. c. 9. *Quid eſt boni cupiditas, niſi charitas, de qua Joannes Apoſtolus ſine ambiguitate loquitur, dicens: Charitas ex Deo eſt?* Tum etiam quia omnem actum fidei præcedit voluntas bona; hæc autem eſt actus charitatis, ex Auguſtino lib. de Gratia Chriſti c. 2. ubi habet: *Quaſi vero aliud ſit bona voluntas, quam charitas, quam*

Scri-

Scriptura nobis eſſe clamat ex Deo, & a Patre datam, ut filii ejus eſſemus. Tum demum quia ex Auguſtino duo dantur amores, alter Creatoris pertinens ad charitatem infuſam, alter creaturæ pertinens ad vitioſam cupiditatem, cum autem pia affectio ad fidem non pertineat ad cupiditatem vitioſam, ſequitur, quod pertineat ad charitatem.

VI. Reſpondeo, falſum ex dictis eſſe antecedens. Ad primam probationem, Auguſtinus nomine charitatis non ſolum uſurpat charitatem infuſam, ſed etiam non raro quamcunque virtutem moralem, ut dicemus in theſi ſequenti; virtus autem piæ affectionis ad fidem non eſt Theologalis, cum non habeat ipſum Deum pro objecto formali motivo, ſed eſt moralis, habens pro objecto motivo honeſtatem, quæ reperitur in volendo libere credere Deo revelanti poſitis ſignis credibilitatis. Ad ſecundam recurrit eadem reſponſio, quod nomine charitatis ſæpe Auguſtinus intelligat omnem virtuoſum affectum ſalutarem, quamvis non ſit amor Divinæ Bonitatis; prout eſt in ſe. Ad tertiam, quando Auguſtinus dicit, præter vitioſam cupiditatem non dari niſi amorem Dei, intelligit de amore Dei aut formali, aut quodammodo virtuali, ſicut eſt omnis amor honeſtatis creatæ, quæ a virtute morali reſpiciatur; hic enim cum natura ſua referatur, & ſit actu referibilis ad Deum, dicitur eſſe amor Dei quodammodo virtualis, ſeu amor Dei non preſſe, ſed late ſumptus.

VII. Oſtendo nunc contra ſecundam hujus theſis partem, fidei actum non eſſe actum fiduciæ in Deum, & deinde oſtendam nec eſſe actum amoris, & ab utroque actu ſejungi poſſe. Quod ad fiduciam attinet, Apoſtolus dicens 1. ad Cor. 13. *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas, tria hæc; major autem horum eſt charitas*, diſtinguit fidem a ſpe, & dicit eſſe duo diverſa; cum autem fiducia nihil aliud ſit, quam ſpes roborata, manifeſtum eſt, fidem eſſe diverſam a fiducia. Hinc Job 8. dicitur: *Spes hypocritæ peribit, & ſicut tela aranearum fiducia ejus*: Et ubi pſ. 39. dicitur, *Beatus vir, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus*, Hierem. 17. habetur, *Beatus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus*; quibus ſignificatur fiduciam eſſe ipſam ſpem, atque adeo pertinere ad voluntatem: ubi fides pertinet ad intellectum, ut conſtat ex illo 2. ad Cor. 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*: per fidem enim intellectus in obſequium Chriſti ducitur captivus, quia a pia affectione voluntatis cogitur credere, quod non apparet evidenter verum, ſed ſolum apparet evidenter credibile.

VIII. Confirmatur: quia ad Eph. 3. dicitur: *In quo habemus fiduciam, & acceſſum in confidentia per fidem ejus*: quare ſi per fidem habetur fiducia, & confidentia, ſequitur, quod fides ſit cauſa fiduciæ, & non ipſa fiducia: quod etiam colligitur ex verbis illis 1. ad Timoth. 3. *Qui bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto*. Si enim fiducia acquiritur in fide, ſequitur, quod fides fiduciam cauſet, unde poſſit a fiducia ſejungi, ut in Anacephalæoſi ſolidius firmabitur. Quibus adde, quod fiducia, & ſpes ſit ſolum de bonis arduis probabiliter futuris; fides vero ſit de omnibus revelatis, etiam de gehenna, quæ non ſperatur, ſed timetur, necnon de aliis, quæ nec ſperantur, nec timentur. Hinc ſæpe in Scripturis dicimur credere, quin poſſit ibi eſſe ſermo de fiducia: ut cum dicitur Jo. 10. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? alioquin propter opera ipſa credite*. Et Rom. 10. *Si in corde tuo credideris, quia Deus eum ſuſcitavit a mortuis, ſalvus eris*. Et Act. 8. *Credo Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum*. Neque obſtat, quod Heterodoxi docent cum Kemnitio in examine Concilii Tridentini, videlicet quod ratione fidei primo loco conſurgat in nobis notitia rerum credendarum, ſecundo aſſenſus, quo unuſquiſque affirmet talem promiſſionem, aut aliud objectum revelatum ad ſe pertinere, tertio deſiderium juſtificationis, & demum fiducia accedendi ad thronum gratiæ, quæ juſtificationem apprehendat.

Nam contra eſt, quia quoties dantur omnes iſti actus, tunc duo primi pertinent ad intellectum, duo poſteriores ad voluntatem; unde non una eſt virtus fidei, ad quam omnes iſti actus ſpectent, cum non poſſit una virtus gignere actus ſpectantes ad diverſas potentias; ſed ſolum cor, ſeu anima poteſt concurrere ad actus diverſarum potentiarum; unde cordi tribuuntur tam quæ ſpectant ad intellectum, quam quæ ſpectant ad voluntatem: ſic Matth. 9. dicitur: *Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Matth. vero 22. dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

IX. Opponunt ad hæc, quod Apoſtolus dicens ad Rom. 4. Abraham juſtificatum ex fide, nomine fidei intelligat fiduciam: dicit enim, *Qui contra ſpem in ſpem credidit*: Et infra addit: *Non hæſitans diffidentia*: In hoc ſenſu Jacobi 1. dicitur etiam, *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans*: & Marci 11. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis*. Necnon 2. Paralip.

20. *Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis.*

Confirmant primo, quia in Evangelio reprehenditur quidem ob timiditatem, & defectum fidei, ubi nomine fidei venit fiducia: Matth. 8. *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* Matth. 14. *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Matth. 6. *Quanto magis vos modicæ fidei?* Sic fortitudo etiam tribuitur paſſim fidei, & nomine fidei videtur importari fiducia. Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, fortes facti ſunt in bello.* 1. Petri 5. *Cui reſiſtite fortes in fide.*

Reſpondeo non negari, quod aliquando nomen fidei apud Latinos uſurpetur pro fiducia: negatur ſolum, quod fides divina non poſſit eſſe actus intellectus nixus authoritati Dei loquentis, quin ullam imbibat, aut trahat fiduciam: ut quando credimus v. g. David genuiſſe Salomonem. Aliquando tamen nomine fidei in Scripturis venit fides firma, quæ trahat actum ſpei, & fiduciæ, quod ſcilicet impetrandum ſit id, quod creditur; ut cum dixit Chriſtus D. Chananææ Matth. 15. *O mulier, magna eſt fides tua.* Et 1. ad Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam.* Sic Abraham credendo in ſpem contra ſpem credidit ob divinam promiſſionem poſſe ſperare ex Sara ſterili filium, quem ſperare non poterat naturaliter: unde iis verbis ſignificatur fides Abrahæ, non ſpes, aut fiducia, quamvis ſpes ex fide illa gigneretur: Quod etiam ſignificatur, dum dicitur, quod Abraham non hæſitaverit diffidentia; credidit quippe ſine hæſitatione, & fides fiduciam peperit. Quando D. Jacobus dicit, *Poſtulet in fide nihil hæſitans*, ſimiliter vult, quod ſine dubitatione credatur eventurum, quod poſtulatur, ſi recte poſtuletur, & quod talis fides annectatur ſpei de obtinendo bono quod poſtulatur. Idemque dicas in aliis textibus adductis.

Ad confirmationem; ſicut fides, quando eſt firmiſſima, ſæpe fiduciam parit: ita quando deficit a firmitate debita, non ſolum non gignit fiduciam, ſed parit timorem: Ubi notandum, proſcriptam eſſe ab Innoc. XI. theſim 21. dicentem: *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit Deus locutus.* In hujus tamen theſis expoſitione diximus in Trutina, fidem poſſe eſſe modicam, & debilem, ita ut timorem gignat; non tamen per hoc quod ſit formidoloſa, ſed per hoc quod ſit imperfecta, infirma, & introductoria, ita ut facile amittatur: Sicut propoſitum non peccandi dicitur imperfectum, & debile, non quia admiſcet voluntatem peccandi, ſed quia facile ſuperveniente tentationis impulſu deſeritur. Propterea D. Petrus dicitur fuiſſe modicæ fidei, non quia compoſuit fidem cum dubitatione, ſed quia fidem per dubitationem amiſit: Quod notavit Auguſtinus Serm. 14. de verbis Domini, ubi habet: *Titubatio Petri quaſi mors fidei fuit, ſed ubi exclamavit, fides reſurrexit; non ambularet, niſi crederet; ſed nec mergeretur, niſi dubitaret.* Ad id quod additur de fortitudine ſimiliter reſpondendum, fidem firmiſſimam gignere aliquando fortitudinem, ſicut gignit fiduciam, non quod ipſa ſit aut fiducia, aut fortitudo, ſed quod ſit iſtarum radix.

X. Oſtendo denique contra illam aliam hujus theſis particulam, fidem & diſtingui, & ſejungi poſſe ab amore Dei, non ſecus ac a fiducia; Tum quia, ut diximus, tres virtutes Theologales fidem, ſpem, & charitatem Apoſtolus enumerat 1. ad Corin. 13. unde fides a charitate, non ſecus ac a ſpe, diſtinguitur: tum etiam quia Apoſtolus ibidem dicit: *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil ſum*, diſerte indicans, quod poſſit fides, etiam Divina, de qua ibi loquitur, a charitate ſeparari. Quod pariter definit Trid. ſeſſ. 6. can. 28. ubi habet: *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva, aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit:* fides quippe viva, & formata non differt ſpecie, & ſubſtantialiter a mortua, & infirma; ſicut homo vivus a mortuo, ſed differt ſolum accidentaliter, & denominative, ut advertit Angelicus; ita ſcilicet, ut ſi gratiæ coexiſtat, dicatur viva, potens exercere operationes meritorias vitæ æternæ; ſi vero gratiæ non coexiſtat, dicatur mortua: Sicuti corpus humanum, aut membrum dicitur vivum, ſi animæ ſit unitum, ſecus vero dicitur mortuum. Quod docuit Auguſtinus lib. contra Donatiſtas, ubi habet: *Sicut ſi manus alicujus eſſet arida, verum quidem eſſet membrum, ſed ſine ſanguine, ideoque mortuum; ſic & fides cum ſit vera, tamen ſine operibus mortua eſt.*

XI. Confirmatur primo, quia peccator tenetur ſe convertere ad Deum, & gratiam amiſſam recuperare; atqui non poteſt illam recuperare, niſi per actus prævios fidei, qui diſponunt ad charitatem, & quam impetrant, ut habet Aug. lib. de ſpir. & lit. cap. 31. dicens: *Unde eſt dilectio, ideſt charitas, per quam fides operatur, niſi unde illam fides*

ipſa

ipſa impetravit? ergo fides charitatem antecedit, tanquam diſponens ad illam, & impetrans illam: atque adeo ab ea non ſolum diſtinguitur, ſed etiam ſeparari poteſt; ſiquidem poteſt aliquando fides habere vim impetrandi auxilium ad ponendum libere actum charitatis, quin tamen ſub tali auxilio voluntas ſe determinet ad illum ponendum; aliter non libere conſentiret.

Confirmatur ſecundo, quia in Eccleſia ſunt fideles boni, & fideles mali; ergo datur in fidelibus malis vera fides abſque charitate, & gratia; atque adeo ſtare poteſt fides ſine charitate. Antecedens conſtat ex ſimilitudinibus, quæ in Evangelio habentur ad id ſignificandum; nempe ex ſimilitudine palearum, & tritici in eadem area, Matth. 3. Ex ſimilitudine piſcium bonorum, & malorum in eodem reti, Matth. 22.: Ex ſimilitudine venientium ad nuptias ſine veſte nuptiali, Matth. 25. necnon ex ſimilitudine Virginum prudentium & fatuarum; ovium, & hædorum, &c.

XII. Neque dici poteſt, quod fideles ſi careant charitate, & gratia, habeant ſolum fidem hiſtoricam, ſeu notitiam articulorum fidei, non fidem veram preſſe dictam. Nam ſi carerent vera fide, non ſolum deberent reprehendi, quod gratiam amiſerint, ſed etiam quod amiſerint fidem. At ſolum reprehenduntur, quod amiſerint gratiam, videlicet quod careant veſte nuptiali, quæ gratiam ſignificat, ex Hieronymo, & Chryſoſtomo; & quod Virgines fatuæ oleum non habeant, ideſt opera Miſericordiæ; ut notat idem Chryſoſtomus; ac ſimiliter qui ex grege Dominico erunt a ſiniſtris, non damnabuntur ob carentiam fidei, ſed propter mala opera, ut advertit Auguſtinus in lib. de fide, & operibus cap. 15. ergo ſtat fides vera ſine ullo amore, & charitate.

XIII. Opponitur primo tum id quod dicitur 1. Jo. 5. *Omnis, qui credit quoniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt*, atque adeo fides non ſejungitur a charitate; tum quod dicitur 1. ad Timoth. 5. *Qui ſuorum, & maxime domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*: tum demum quod habetur Habacuc 2. *Juſtus ex fide vivit*: ubi videtur fides imbibere charitatem, quæ eſt animæ vita.

Reſpondeo, in primo textu ſermonem eſſe de fide formata charitate, ut exponit Auguſt. tr. 10. in Epiſt. Joannis: In ſecundo ex Chryſoſtomo ſermo eſt de iis, qui, ut loquitur Apoſtolus ad Tit. 1. *confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*; de his jure merito dicitur, quod quamvis corde credant, quia tamen operantur, perinde ac ſi non crederent, ſunt Infideli deteriores, eo quod ſint magis inexcuſabiles: In tertio textu juxta nonnullos ſenſus eſt, quod juſtus vivat ex fide formata charitate; at legitimus ſenſus literalis eſt, quod juſtus conſervet vitam gratiæ, & toleret deſiderium æternorum ex fide, ſeu credendo, mox ſibi eſſe obventura ea, quæ ſperat.

XIV. Opponitur ſecundo, quod fides informis non ſit vera fides ſupernaturalis, ſed fides naturalis, non ſecus ac fides de objecto falſo: ergo fides ſupernaturalis eſt formata, & imbibit charitatem. Antecedens probatur tum ex Angelico, qui q. 4. de fide art. 5. habet: *Fides informis non eſt vera virtus, quia etſi habeat perfectionem debitam ex parte intellectus, non tamen ex parte voluntatis:* tum ex D. Gregor. hom. 26. in Evang. ubi habet: *Vera fides eſt, quæ hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit:* tum demum, quia fides ſine charitate eſt otioſa: dicitur enim 1. ad Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.*

Confirmatur, quia ex eodem Apoſtolo ad Galat. 5. *Fides per charitatem operatur*; unde ſi a charitate ſejungatur, operari non poteſt, atque adeo eſt ſupervacanea. Propterea Auguſt. in Enchir. c. 117. habet; *Qui recte amat, proculdubio recte credit, & ſperat; qui vero non amat, inaniter credit, etiamſi ſint vera, quæ credit; inaniter ſperat, etiamſi ad veram felicitatem doceantur pertinere, quæ ſperat.*

XV. Reſpondeo, fidem informem eſſe fidem ſupernaturalem; hæc enim ſemel infuſa non expellitur per quodvis peccatum, ut oſtendimus; fides tamen de objecto falſo non poteſt eſſe ſupernaturalis: huic enim ex Tridentino ex præſtantia entis ſupernaturalis falſum ſubeſſe non poteſt. Quare nego antecedens. Ad primam probationem: fidem eſſe veram virtutem, etiam ſe unctam a charitate, non ſolum conſtat ex eo, quod Apoſtolus tres enumeret virtutes Theologales, Fidem, Spem, & Charitatem; ſed etiam quia ex D. Th. p. 2. q. 55. art. 1. Virtus eſt, quæ inclinat potentiam ad bonum: atqui fides Theologica, cui falſum ſubeſſe non poteſt, etiam ſeorſum a charitate inclinat, ac determinat potentiam ſolum ad verum, quod eſt bonum potentiæ intellectivæ: ergo eſt vera virtus. Et ratio ulterior eſt, quia ad rationem virtutis tria univerſim requiruntur, & quod potentiam perficiat in ordine ad ſuum actum: & quod talis actus ſit difficilis, & arduus: ac demum, quod talis a-

ctus referri poſſit ad ultimum finem; quæ omnia fidei Theologicæ omnino conveniunt: ea enim perficit potentiam in ordine ad actum certiſſimum, ac ſupernaturalem, qui ratione ſupernaturalitatis præſtat actui ſcientifico: præterea talis actus ratione obſcuritatis eſt difficilis ac arduus: ac demum ad finem ultimum de ſe eſt ordinabilis, ut eſt in confeſſo: unde negari non poteſt, quod fides informis ſit vera virtus: Competit enim illi virtutis definitio, nempe quod ſit *Diſpoſitio perfecti ad optimum*, cum diſponat potentiam intellectivam in ſuo genere perfectam ad actum optimum infallibiliter verum, ac ſupernaturalem: ſicut etiam alia definitio virtutis, quod *bonum faciat habentem, & opus ejus bonum:* reddit quippe hominem bonum in ordine intellectivo: non enim requiritur, quod virtus reddat ſubjectum bonum in linea morali.

Neque dicas, quod non recenſeatur ab Ariſtotele inter virtutes intellectuales, quæ ſunt duntaxat quinque, nempe intellectus, ſeu Habitus primorum principiorum, Scientia, Sapientia, Prudentia, & Ars. Nam Ariſtoteles non potuit cognoſcere lumine naturali hanc virtutem ſupernaturalem, quæ præſtantiori modo perficit intellectum, quam quælibet alia virtus intellectualis naturalis. Quamvis autem ex defectu evidentiæ fides non ſoleat appellari virtus intellectualis, ut advertit Angelicus in 3. diſt. 23. art. 3. quia ſcilicet ita determinat ad cognoſcendum verum, ut non determinet ad cognoſcendum verum evidenter: nihilominus ſolet appellari virtus Theologica, per hoc quod habeat pro objecto formali ipſum Deum: ſoletque etiam dici virtus intellectualis large dicta, cum perficiat intellectum multo magis, quam ſcientia, relate ad quam ſe habet ut excedens, & exceſſum: longe tamen magis præſtat ſcientiæ fides ratione ſupernaturalitatis, quam præſtet fidei ſcientia ratione evidentiæ.

XVI. Ad ſecundam probationem antecedentis: Sicut fides ſine operibus dicitur a D. Jacobo fides mortua, quippe quæ non operatur per charitatem, quæ eſt vita animæ; ita fides, quæ, quod verbis dicit, moribus contradicit, a D. Gregorio dicitur non eſſe fides vera, quatenus non eſt fides conſummata, ac vivificata a gratia, ut advertit Suar. diſput. 7. de Fide ſect. 4. Quod autem fides ſine charitate adhuc ſit vera fides, definit Tridentinum ſeſſ. 6. can. 28. ſupra laudato.

Ad tertiam, negatur quod fides ſine charitate ſit otioſa. Quamvis enim non proſit ad merendum de condigno gloriam, prodeſt tamen ratione ſupernaturalitatis ad merendum de congruo novum auxilium, quouſque ad recuperandam vitam gratiæ deperditam perveniatur; unde prodeſt ad reſipiſcendum, quamvis non proſit ad vitam æternam; in quo ſolum ſenſu Apoſtolus loco laudato dicit, nihil prodeſſe.

XVII. Ad confirmationem, Fides independenter a charitate operatur ſuam operationem utilem ad reſipiſcendum; unde non eſt ſupervacanea. Dicitur autem ab Apoſtolo fides per charitatem operari, non quia ſine charitate non operatur, ſed quia a charitate habet, quod ponat actionem meritoriam vitæ æternæ; tum etiam, quia fides eſt initium, & fundamentum noſtræ ſalutis, & obtenta charitate ad operationes impellit, quibus ultimum finem conſequamur. Similiter Auguſtinus ſolum ibi contendit, quod fides, & ſpes ſine charitate careant merito vitæ æternæ; non vero quod non proſint ad reſipiſcendum, merendo de congruo auxilium requiſitum ad ſpiritualem reſurrectionem.

XVIII. Ad excuſandum Queſnellum, adrumant ejus Aſſeclæ dicendo, quod theſis hæc cenſuram non mereatur, ſaltem quoad hanc partem, in qua dicitur fides non eſſe abſque amore: Siquidem fides non eſt abſque prævia pia affectione ad fidem, quæ aliqualis amor eſt honeſtatis, quæ relucet in captivando intellectum in obſequium fidei; unde in bono ſenſu dici poteſt, quod fides non ſit abſque amore.

Sed incaſſum Queſnelliani oblatrant, ut canes ad Lunam. Etenim tam ſecundum germanum verborum ſenſum, quam etiam ad mentem Auctoris dici nequit, quod fides non ſit ſine amore; tum quia amor abſolute dictus denotat amorem, qui pertineat ad charitatem; tum etiam quia dum dicitur fides non eſſe abſque amore, & fiducia, ſicut nomine fiduciæ venit ſpes, ita nomine amoris venit charitas. Præterea cum dixerit Queſnellus in theſi antecedenti, quod fides juſtificet, quando operatur, nec operetur niſi per charitatem, jam vult fidei operationem non ſejungi a charitate juſtificante, atque adeo ab amore preſſe dicto. Et cum in theſi 68. dicat, viam ſalutis claudi in fide, & precibus, vult conſequenter, fidem habere ſecum amorem juſtificantem. Quare excuſationes iſtæ, quæ pro Queſnello adducuntur, ſale, & oleo deſtitutæ, inſulſitatem ipſam ſapiunt, & protervitatem.

ANA-

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LII.

QUinquageſimaſecunda errat trifariam. Errat primo, dum docet, omnia ſalutis media contineri in fide tanquam in ſuo germine, & ſemine. Errat etiam, dum docet, fidem nunquam ſejungi ab amore. Errat demum, dum docet, fidem non eſſe abſque fiducia. Quoad primum, falſum eſt, quod omnia ſalutis media in fide contineantur; tum quia vocatio ad fidem, & actus ſupernaturalis piæ affectionis ad fidem, ſunt media ad ſalutem, quin contineantur in fide, quippe quæ fidem antecedunt; eſto nomine fidei, quæ eſt ſalutis fundamentum, veniat etiam pia affectio, a qua fides denominatur libera, & meritoria: unde Auguſtinus Epiſt. 107. dicit: *Tu initium fidei (ubi eſt etiam initium bonæ, hoc eſt piæ, voluntatis) non vis eſſe donum Dei?* Tum etiam quia ad fidem libere acceptatam, quæ ſalutis initium eſt, ac fundamentum, reliqua ſalutis media conſequuntur, non continentur; etenim ſi in ea continerentur, ſe ſola ſufficeret ad ſalutem, quando alia non poſſunt haberi, quod eſt falſum; ſicuti quia in dilectione Dei ſuper omnia continetur virtualiter, tanquam in germine, & ſemine, obſervantia omnium mandatorum, juxta illud ad Rom. 13. *Plenitudo legis eſt dilectio*, idcirco qui cum ſola Dei dilectione decedit, ſalvatur.

Quod vero attinet ad ſecundum errorem, conſtat fidem poſſe eſſe ſine amore, tum ex Apoſtolo 1. ad Corint. 15. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum;* tum ex Trident. ſeſſ. 6. can. 28. ubi anathematizatur, *qui dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti*; tum demum ex theſi 12. ab Alexandro VIII. confixa: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; & etiamſi videantur credere, non eſt fides Divina, ſed humana*; ſeparabilitas autem fidei a charitate eſt evidens ſignum diſtinctionis; poteſt itaque dari vera fides abſque ullo amore.

Denique quoad tertium, quamvis fiducia (quæ nihil aliud eſt quam ſpes ſupernaturalis roborata, ex Bellarmino de Juſtif. lib. 1. cap. 6.) conſiſtere non poſſit ſine fide, quæ eſt baſis, & fundamentum reliquarum virtutum infuſarum; falſum tamen eſt, quod non poſſit viceverſa fides eſſe abſque ſpe, ſeu fiducia: ſicut enim ſtare poteſt vera fides ſine charitate, & de facto ab ea ſejungitur, quandocunque homo mortaliter peccat, & peccatum non eſt infidelitatis; ita ſtare poteſt vera fides ſine ſpe, ſeu fiducia, & de facto ab ea ſejungitur, quando homo peccat ſolum peccato oppoſito ſpei, deſperando de Divina Miſericordia, quin peccet peccato infidelitatis oppoſito fidei. Multo minus verum eſt, quod fides cum fiducia identificetur, (quod fortè Queſnellus contendit, ut evincat unicam tantum eſſe virtutem, nempe charitatem, quæ cum fide, & fiducia identificatur) damnatur quippe hæc hæreſis a Tridentino ſeſſ. 6. can. 12. ubi anathematizatur, *qui dixerit, fidem juſtificantem nihil aliud eſſe, quam fiduciam divinæ miſericordiæ peccata remittentis propter Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe, qua juſtificamur:* fides enim, quæ ſolum diſpoſitive juſtificat, non vero formaliter, ut ibidem Tridentinum docet cap. 8. ſpectat ad intellectum, cujus eſt credere: (unde 2. ad Corinth. 10. dicitur, *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti*) fiducia vero, ac omnis ſpes pertinet ad voluntatem, ut proinde de ſe meritoria ſit: unde Hierem. 7. habetur: *Beatus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.* Verum quidem eſt, aliquando in Scripturis nomine fidei venire fiduciam, ut cum dicitur Matth. 8. *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* cum etiam apud Latinos aliquando fides pro fiducia ſumatur, ut apud Terent. *Triſtis ſeveritas ineſt in vultu, atque in verbis fides*: paſſim tamen nomine fidei in Scripturis venit aſſenſus præſtitus Deo revelanti, qui fiduciam, ſeu ſpem certam cauſare natus eſt, quamvis non ſemper illam cauſet, ac proinde ab ea ſeparetur. Hinc dicitur Matth. 9. *Confide, filia: fides tua te ſalvam fecit*, ubi excitatur ad fiduciam concipiendam mulier, quæ propter fidem ſanata erat. Quare fides nec identificatur, nec eſſentialiter connectitur cum fiducia, aut cum amore, nec ea continet tanquam in germine, ac ſemine omnia ſalutis media.

PROPOSITIO LIII.

Sola Charitas Chriſtiano modo facit (actiones Chriſtianas) per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum. *Queſn. Coloſſ. 3. 14. edit. 1693. & 1699.*

PRO-

PROPOSITIO LIV.

Sola Charitas eſt, quæ Deo loquitur; eam ſolam Deus audit. *Queſnel.* 1. *Corinth.* 13. 1. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LV.

Deus non coronat, niſi Charitatem: qui currit ex alio impulſu, & ex alio motivo, in vanum currit. *Queſnel.* 1. *Corinth.* 9. 24. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LVI.

Deus non remunerat, niſi Charitatem, quoniam Charitas ſola Deum honorat. *Queſn. Matth.* 25. 36. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LVII.

Totum deeſt Peccatori, quando ei deeſt ſpes; & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei. *Queſnel. Matth.* 27. 5. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LVIII.

Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt Charitas. *Queſnel.* 1. *Jo.* 4. 8. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LIX.

Oratio Impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium. *Queſnel. Joan.* 10. 25. *edit.* 1693.

SYNOPSIS.

I. Simulata iſthæc charitatis commendatio eo collineat, ut ab exercitio reliquarum virtutum abſtineamus. II. Perinde quaſi nullus actus, qui non ſit charitatis, ſit ſtudioſus.

III. Poſſibilis eſt amor Dei naturalis.

IV. Lex enim naturalis obligat nos ad Deum diligendum, & ad hunc finem creaturæ rationales conditæ ſunt. V. Per peccatum amiſimus ſolum gratiam, qua Deum diligamus amore ſuperno, non tamen vires naturales, quibus Deum diligamus. VI. Amor Dei naturalis non fert amicitiam cum Deo extinctivam culpæ.

VII. Quicquid ſit, an in alia ſaltem providentia dari pariter poſſit præter fidem ſupernaturalem etiam fides naturalis.

VIII. Negari non poſſunt aliæ virtutes a charitate condiſtinctæ. IX. Dantur quippe virtutum objecta formalia diverſa. X. Si actus aliarum virtutum non eſſent ſecundum ſe ſtudioſi, neque eſſent tales dum imperantur a charitate.

XI. Commentitium eſt, quod per actus virtutum moralium reponatur finis ultimus in objecto creato. XII. Communiſſima Doctorum auctoritas ſtat pro virtutum diverſitate.

XIII. Quando dicitur ab Auguſtino, inter charitatem, & cupiditatem nihil mediare, nomine Charitatis veniunt actus omnium virtutum, & nomine Cupiditatis venit cupiditas mala, ſeu concupiſcentia, radix omnium malorum. XIV. Virtutum moralium actus ſunt honeſti, etiamſi non dicant ſignate, & formaliter relationem ad Deum, ſed ſolum exercite, & virtualiter. XV. Hinc deſcendit ſingularum harum theſium falſitas.

I. OMnes iſtæ theſes videntur ad amplexum charitatis animum incendere, quippe quæ ſola Chriſtianos mores exornat, ſola cum Deo neceſſitudinem habet, ſola coronam, ac præmium reportat, & ſola Dei honorem proſequitur: Eaque deficiente, nulla ſpes ineſt peccatori, nulla eſt ejus religio, ac obſervantia erga Deum, ac demum oratio ejus fit in peccatum. Verum dum uni charitati ſceptrum dant, & coronam, eidem coronam auferunt, ac ſceptrum, cum regalem ei auferant comitatum, & de medio tollant chorum virtutum reliquarum, quæ Charitati principi inſerviunt. Ex quo fit, ut peccatores viribus deſtituti, quibus ad charitatis ſolium illico prætervehantur, animum abjiciant, ac in barathrum deſperationis ſeſe præcipites agant, cum non valeant virtutum inferiorum prenſare manus, quibus tanquam per gradus valeant ad charitatis verticem pervenire, nec poſſint orationibus quicquam virium miſericorditer conſequi; quin potius oratio ipſa a charitate ad ſalutem perneceſſaria, per novam culpam, magis removeat; ut proinde ab ipſa oratione retrahi animus debeat, ne majus præbeat impedimentum charitati a Deo ad arbitrium infundendæ Electis ſuis.

Ec-

Ecce quo collimat ſimulata iſthæc charitatis commendatio.

II. In expoſitione quadrageſimæ quartæ ex his theſibus palam fecimus quamplurimos errores Janſenianorum in duobus præſertim aſſertis, videlicet & quod nulla alia detur in voluntate virtus præter charitatem, & quod omnis amor, qui non ſit Dei, & charitatis, ſit vitioſus, & culpabilis. Adverſus hoc ſecundum aſſertum plura ibi diximus, oſtendendo, quod poſſit amor objecti creati, præſertim honeſti, eſſe ſtudioſus; etiam tranſmiſſo, quod repugnet actus indifferens in individuo, qui quamvis bonus non ſit, adhuc culpa vacet. Huc autem remiſimus demonſtrare alterius aſſerti falſitatem, quod ſcilicet nulla alia detur virtus ad voluntatem ſpectans condiſtincta a charitate: quamvis non pauca adverſus hunc palmarem errorem dixerimus in expoſitione ſeptimæ theſis ab Alexandro Octavo confixæ, in qua idem virus a Janſenianis eructabatur.

Antequam ejuſdem aſſerti falſitatem iterum demonſtrem, adverto, Queſnellum ſolum amorem Dei ſupernaturalem, & charitatem infuſam agnoſcere, quæ non ſit peccaminoſa, adeo ut neget poſſibilem in natura lapſa in Ethnico nondum fide ſupernaturali inſtructo amorem Dei naturalem. Eatenus enim in hac quinquageſima tertia theſi dicit, quod ſola charitas Chriſtiano modo faciat actiones chriſtianas per relationem ad Deum, & JESUM Chriſtum, quia niſi dicat relationem ad Jeſum Chriſtum; (qui ſola fide ſupernaturali cognoſci poteſt, attingendo in illo Trinitatem perſonarum, & Incarnationem) non eſt charitas infuſa, nec chriſtiano modo exercetur. Propterea oſtendo prius dari poſſe viribus naturæ amorem Dei, qui quamvis non ſit meritorius beatitudinis ſupernaturalis, eſt tamen laudabilis; ut propterea ex hoc etiam capite falſum ſit, quod ſit peccaminoſus omnis amor, qui non ſit actus charitatis infuſæ: quod Janſeniani contendunt cum Queſnello in Theſi quadrageſima octava. Deinde oſtendam præter charitatem infuſam dari etiam alias virtutes in natura lapſa ſupernaturales, quarum actus ſint ſtudioſi, etiamſi non imperentur a charitate per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum, ut vult hic Queſnellus, juxta errores Baji Anteſignani.

III. Quod attinet ad poſſibilitatem amoris Dei naturalis, qui non dicat relationem ad Deum ſimul, & Jeſum Chriſtum, ſed ad ſolum Deum cognitum naturali lumine, conſtat ad hunc actum non deeſſe vires in natura lapſa: (quamvis fideles in præſenti providentia nunquam actum amoris exerceant abſque concurſu gratiæ, ratione cujus ſit ſupernaturalis) Siquidem proſcripta eſt illa Baji propoſitio 33. quæ habet: *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut Auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut Beatificator, vana eſt, & commentitia*: necnon alia 37. dicens: *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ cum injuria Crucis Chriſti defenditur a nonnullis Doctoribus.* Apoſtolus etiam ad Rom. 1. docet inexcuſabiles eſſe Gentiles, qui agnoſcentes ex creaturis viſibilibus Deum, illum non ſicut Deum glorificaverunt; unde oſtendit poſſe ab iis naturæ viribus diligi, & glorificari. Hæc ſunt verba Apoſtoli: *Inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles; quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Quod expendens Ambroſius ſubdit: *Idcirco tam pulcra aſtra condidit, ut ex his quantum, & quam admirabilis eſt Creator eorum, poſſit agnoſci, & ſolus adorari. Per naturalem ergo legem reum facit genus humanum; potuerunt enim id per legem naturæ apprehendere, fabrica mundi teſtificante Authorem ſolum Deum eſſe diligendum.* Idem Apoſtolus Act. 17. dixit: *Definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, ſi forte attrectent eum, aut inveniant*, indicans poſſe naturali lumine Deum attrectari, & inveniri, utique ut amor illi debitus rependatur. Et Rom. 2. idem eriam Apoſtolus habet: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt.* Et quia primum, & maximum legis præceptum eſt de Dei dilectione, ideo ex Apoſtolo naturaliter Gentes poſſunt Deum diligere; ut proinde proſcripta ſit Baji illa theſis 22. *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum illum Apoſtoli ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus.* Hinc Trid. ſeſſ. 6. can. 3. anathematizat, *Qui dixerit, hominem ſine adjutorio gratiæ credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur*; indicans, quod omnes hos actus poſſit quidem ſine gratia exercere, non tamen *ſicut oportet*. Auguſtinus etiam paſſim id docet. Nam lib. 1. Confeſſ. cap. 1. dicit: *Feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te:* naturali quippe conditione, ſicut magnes in pyxide nautica ſolum quieſcit

ſcit cum ad polarem ſtellam ſe convertit; & ignis ſemper nititur ad ſphæram ſuam advolare, ut ibi conquieſcat: ita homo in dilectione Divina ſatietatem habet, & quietem. Et in dialogo contra Manichæos idem Auguſtinus habet: *Partem eam animi, in qua cupiditas ſita eſt, nempe voluntatem, nobis idcirco dedit, ut ipſum, qui ſolus eſt, concupiſcamus.* Similiter D. Proſper Auguſtino conſonat dicendo ſer. 139. *Non eſſet vitium recedere a Deo, niſi naturæ, cujus hoc vitium eſt, potius competeret eſſe cum Deo.* Quod etiam docuit Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 3. dicens: *Deus cognoſcendi, ac diligendi ſe nonniſi Angelis, & hominibus indidit facultatem.* Necnon Anſelmus in Monol. c. 66. *Nihil aptius, quam rationalem creaturam ad hoc eſſe factam, ut Summam eſſentiam, & ſuper omnia bona amet, ſicut ipſa eſt ſummum bonum; immo ut nihil amet, niſi illam, aut propter illam.*

IV. Præter auctoritates adductas, id pariter efficaciſſime ſuadent rationes Theologicæ. Primo quidem, quia lex naturalis nos obligat ad Deum diligendum; lex autem non obligat ad impoſſibile, ut non ſemel oſtendimus, & naturæ lumine perſpicuum eſt; ergo naturę viribus diligi Deus poteſt. Secundo, quia Deus ut Auctor naturæ creaturam rationalem condidit in ſui amorem, & ut virtutes exerceat, quibus ipſum opificem ſuum glorificet; hic autem finis eſſet impoſſibilis, ſi naturæ viribus creatura rationalis non poſſet Deum ut Auctorem naturæ amare, eique morem gerere; ergo. Major conſtat, quia Deus non condidit Angelos, & homines niſi propter finem ipſis conſentaneum, & dignum ſuo conditore, qualis eſt, ut ipſi inſerviant, illumque glorificent, & ament. Hinc Eccleſ. 17. dicitur: *Poſuit oculum ſuum ſuper corda illorum, oſtendere illis magnalia operum ſuorum, ut nomen ſanctificationis collaudent; & gloriari in mirabilibus ejus, ut magnalia enarrent operum ejus.* Tertio quia poteſt voluntas per vires gratiæ elevari ad ponendum amorem Dei ſupernaturalem: ergo poteſt per vires naturæ ponere amorem Dei naturalem. Conſequentia ex eo probatur, quia non poteſt voluntas, nec alia potentia ferri extra proprium formale ſpecificativum; non enim poteſt elevari v. g. potentia viſiva ad Deum videndum, eo quod Deus ſit extra ſpecificativum oculi, quod eſt coloratum; poteſt autem elevari intellectus ad Deum videndum, quia Deus eſt intra ſpecificativum intellectus, quod eſt ens ut ens; & quia poteſt naturaliter Deum cognoſcere cognitione abſtractiva, ideo poteſt per lumen gloriæ indebitum elevari ad illum intuitive videndum. Et eadem ratione non poteſt appetitus ſenſitivus elevari ad Deum amandum, cum non feratur naturaliter niſi ad objecta delectabilia, & materialia, non ad honeſta. Quare cum poſſit voluntas per adjutorium gratiæ elevari ad amorem Dei ſupernaturalem, ſequitur, quod viribus naturæ poſſit Deum amare amore naturali. Quarto poteſt voluntas affectu naturali diligere parentes, & amicos; ergo a fortiori Deum, in quo cognoſcit longe præſtantiora incitamenta ad amandum. Denique quælibet creatura fertur naturali impetu in bonum ſibi conveniens: ergo a fortiori naturæ ductu creatura rationalis fertur modo ſibi conſentaneo, hoc eſt per amorem liberum ad bonum Increatum, quod ſibi maxime conveniens eſt, & conſentaneum.

V. Neque dicas primo, quod licet poſſibilis fuerit Dei dilectio in ſtatu innocentię, non ſit tamen poſſibilis in ſtatu naturæ lapſæ ob ejus imbecillitatem; ut docuit Auguſtinus epiſt. 107. ad Vitalem, ubi habet: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum granditate primi peccati perdidimus.*

Nam licet per peccatum amiſerimus gratiam, qua poſſemus Deum diligere amore ſupernaturali, non amiſimus tamen vires naturæ, quibus poſſimus Deum diligere amore naturali. Ex Tridentino enim ſeſſ. 6. can. 5. & cap. 1. poſt Adæ peccatum non eſt extinctum liberum arbitrium licet viribus ſit attenuatum, & inclinatum; unde ex ea culpa ſolum contraxit impotentiam moralem, non vero phyſicam ad Deum diligendum; & in hoc ſenſu loquutus eſt Auguſtinus loco laudato.

VI. Neque dicas ſecundo, quod ſi poſſet in natura lapſa dari amor Dei naturalis, poſſet per vires naturæ dari amicitia cum Deo extinctiva culpæ.

Nam ad amicitiam requiritur mutuus amicorum amor, & Jus ad talem amorem: in præſenti providentia amor ipſe ſupernaturalis in peccatore non conſtituit hanc amicitiam cum Deo, ſed diſponit ad gratiam, quæ fert talem amicitiam; ea quippe dat ex divina promiſſione jus creaturæ, ut ametur a Deo, unde confert jus ad gloriam; & ex altera parte habet Deus ratione ſummæ ſuæ bonitatis jus, ut a creatura ametur: unde per gratiam habetur inter Deum, & creaturam rationalem jus ad mutuum amorem amicabilem, & ideo gratia conſtituit divinam amicitiam. Amor tamen naturalis ne diſpoſitive quidem confert ad amicitiam divinam, & ad remiſſionem peccati. Propterea nullum

ſe-

ſequitur inconveniens, quod in natura lapſa homo diligat Deum amore naturali; eſto in præſenti providentia fideles nunquam amore naturali illum diligant, quia ſemper ac volunt Deum diligere, præſto eſt divinum auxilium, quod influat in talem actum, ut proinde amor ſit ſupernaturalis. Infideles tamen non poſſunt amore ſupernaturali Deum diligere; etenim *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*, ut habetur ad Heb. 11. propterea ſi aliquando Deum diligerent amore naturali, antequam Deo crederent fide ſupernaturali, Deus non permitteret, ut docent communiter, quod cum eo amore decederent, antequam fidei lumine illuſtrarentur, & ad dilectionem ſupernaturalem invitarentur: ſi tamen permitteret, non eatenus gehennam declinarent, cum talis amor non ſufficiat ad deletionem culpæ, ne diſpoſitive quidem.

VII. Neque dicas tertio, quod ſi poſſet dari in natura lapſa uterque Dei amor, naturalis, & ſupernaturalis, poſſet pariter dari fides naturalis etiam, & ſupernaturalis; ſicut enim Dei bonitas poteſt movere ad ſui amorem, ita prima veritas revelans poteſt ad ſibi credendum obligare: unde par ratio.

Nam licet Deus ſemper ad quemcunque fidei actum concurrat auxilio ſupernaturali; quod diſcutitur apud Ripaldam diſput. 45. de ente ſupernaturali: certum tamen eſt, quod non concurrat auxilio ſupernaturali ad amorem Dei, qui ante fidem ſtricte dictam eliciatur ab Ethnico, eo quod non poſſit hic ſine fide placere Deo; placeret autem, ſi Deum amaret amore ſupernaturali, qui in præſenti providentia eſt ultima diſpoſitio ad gratiam; unde quamvis non poſſit dari fides ſtricte dicta naturalis, poteſt tamen dari amor Dei naturalis, qui ſolum dicat relationem ad Deum, non vero ad Jeſum Chriſtum, qui lumine ſupernaturali duntaxat attingi poteſt. Corruit itaque doctrina Queſnelliana, quod præter charitatem chriſtiano modo facientem actiones chriſtianas per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum, omnis alius actus ſit culpabilis, & quod ſine fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine charitate iſta ſupernaturali nihil ſimus, niſi tenebræ, niſi aberratio, niſi peccatum, ut loquitur theſis 48.

VIII. Oſtendendum nunc, quod præter charitatem infuſam, dentur in natura lapſa actus ſupernaturales aliarum etiam virtutum ad voluntatem ſpectantium; nec ſpei duntaxat, ut oſtendimus in expoſitione theſis 44. & pię affectionis ad fidem, qua velimus fidem amplecti, & ſic ad ſpem, & charitatem diſponi, ut oſtendimus in theſi 51. ſed etiam aliarum virtutum moralium, puta obedientiæ, miſericordiæ, juſtitiæ, religionis, patientiæ, & ſimilium; ita ut iſtarum actus non ſolum ſint officia harum virtutum juxta doctrinam Bajanorum, quam in expoſitione theſis quadrageſimæquartæ explicavimus, ſed etiam ſint actus iſtarum virtutum nullatenus ad charitatem ſpectantes, qui ab Infideli exerceri poſſint naturæ viribus, & ſint actus naturales laudabiles, (quamvis non meritorii vitæ æternæ) & a fidelibus exerceantur viribus gratiæ, unde ſint actus ſupernaturales; qui ſi eliciantur a juſtis, mereantur de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ; ſi vero eliciantur a peccatoribus, mereantur de congruo ulteriorem gratiam, ut tandem aliquando ad juſtificationem obtinendam, aut per dilectionem Dei ſuper omnia, aut per attritionem cum ſacramento diſponantur.

IX. Probatur autem iſta virtutum multiplicitas; quia ubi ſunt motiva, & objecta formalia virtutum diverſa, ibi dantur diverſæ virtutes; ſed præter motivum ſpecificans charitatem, quod eſt bonitas Dei abſoluta, & motivum ſpecificans ſpem, quod eſt bonitas Dei reſpectiva, dantur plures aliæ honeſtates creatæ, quæ ſunt diverſa motiva, & ſpecificativa virtutum moralium; ergo dantur plures virtutes morales diſtinctæ a Theologalibus. Minor probatur, quia honeſtates, quæ reperiuntur v. gr. in obtemperando ſuperiori, in cultu divinæ excellentiæ, in ſubveniendo indigentibus, in tribuendo unicuique jus ſuum, ſunt diverſæ inter ſe ſpecificantes varias virtutes, puta obedientiæ, religionis, miſericordiæ, juſtitiæ; nec iſta ſunt objecta increata, ſed creata: ergo dantur plures honeſtates creatæ, quæ ſint objecta motiva plurium virtutum moralium.

X. Confirmatur: Si actus iſtarum virtutum non eſſent ſtudioſi ſecundum ſe, ſed vitioſi, ſequeretur, quod nec eſſent ſtudioſi, ſi imperarentur a charitate; quia imperium intrinſecum, quod haberent ab actu charitatis imperante, non immutat eorum naturam: Ad eum modum, quo ſi actus bonus miſericordiæ imperetur ab actu malo inanis gloriæ, imperium hoc extrinſecum non immutat bonitatem, & honeſtatem propriam actus miſericordiæ. Et ratio a priori eſt, quia actus miſericordiæ ſive imperetur ab actu bono charitatis, ſive ab actu malo inanis gloriæ, ſive nullatenus ab alio actu imperetur, ſemper eſt conformis naturę rationali, atque adeo ſemper habet ſuam intrinſecam honeſtatem, & bonitatem moralem. Hinc in præſen-

ſenti providentia actus miſericordiæ tam ponitur auxilio gratiæ, & eſt ſupernaturalis, ac meritorius, ſi ponatur ſeorſim ab alio actu imperante, quam ſi ponatur imperatus ab actu charitatis; & probabiliter etiam eſt ſupernaturalis, ſi imperetur ab actu leviter malo inanis gloriæ, ut oſtendi in Curſu Theologico p. 2. diſp. 7. qu. 5. ex Lugo diſp. 10. de fide, & aliis.

XI. Confirmatur ulterius, quia intantum actus v. g. miſericordiæ non eſſet in ſententia Janſenianorum bonus, ſed vitioſus, ſi non ordinaretur ad Deum ſumme dilectum, ita ut imperetur a charitate, in quantum eliciens hunc actum amaret propter ſe honeſtatem illam creatam, a qua talis actus ſpecificatur, & ſic finem ultimum conſtitueret in ipſa creatura; atqui ſive talis actus imperetur a charitate, ſive non imperetur, ſemper ſpecificatur ab eadem honeſtate creata: ergo ſicut non reponitur finis ultimus in tali honeſtate creata, quando actus imperatur a charitate, ita neque quando ſeorſim ponitur. Et ratio a priori eſt, quia non quodcunque amatur propter ſe, & propter ſuam intrinſecam bonitatem, amatur tanquam finis ultimus poſitive, ſicut eſt Deus; paſſim enim amatur tanquam finis negative ultimus, quatenus talis amor terminatur quidem ad eam bonitatem creatam, ſed poteſt ulterius terminari ad Deum, referendo illum ad finem poſitive ultimum; quod ſi præſcindatur a tali relatione ad Deum, non eatenus ille actus eſt malus, ut fuſius diximus in expoſitione theſis quadrageſimæ quartæ.

Confirmatur denum, quia ſi virtutes v. g. juſtitiæ, & religionis non diverſificarentur inter ſe; ſecluſo quovis imperio extrinſeco charitatis, ſequeretur, quod reus furti ſacrilegi non deberet utramque malitiam in confeſſione exponere; in tantum enim tenetur, quia furtum opponitur diverſæ virtuti, ac opponantur ſacrilegium; illud opponitur juſtitiæ, hoc religioni. Neque enim pluralitas præceptorum ſecundum ſe reddit peccata ſpecie diverſa, niſi hæc diverſis virtutibus opponantur; propterea qui comedit carnes in pervigilio v. gr. Sancti Matthiæ, quod incidit in tempus Quadrageſimæ, & in diebus quatuor temporum, unum ſolum peccatum committit, quia quamvis violet tria præcepta, horum tamen violatio eidem virtuti temperantiæ opponitur.

XII. Ad hæc accedit auctoritas omnium omnino Theologorum, qui præter virtutes Theologales agnoſcunt quatuor Cardinales, vid. Prudentiam, Fortitudinem, Juſtitiam, ac Temperantiam: quod Patres, & Interpretes docent ſignificari Sapientiæ octavo iis verbis: *Sobrietatem enim, & prudentiam docet, & juſtitiam, & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus.* Accedit etiam auctoritas Eccleſiæ, cum in Concilio Viennenſi, ut habetur in Clementina unica de ſumma Trinitate, decernatur, probabilius eſſe, quod in baptiſmo parvulis cum gratia infundantur virtutes morales, de quibus ſolum, & non de Theologalibus erat controverſia: unde habet: *Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, (quæ per Baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem ſecundam, quæ dicit, tam parvulis, quam adultis conferri in Baptiſmo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis ſanctorum, & doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, & concordem, ſacro approbante Concilio, duximus eligendam.* Accedit pariter auctoritas Auguſtini, qui diſertiſſime libro 4. contra Julianum cap. 3. habet: *Noveritis itaque, non officiis, ſed finibus a vitiis diſcernendas eſſe virtutes. Officium eſt autem, quod faciendum eſt; finis vero, propter quod faciendum eſt*: quod expreſſe adverſatur doctrinæ Janſenianæ, quæ virtutes ſolum diſtinguit ratione officiorum, quatenus v. gr. miſericordia appellatur officium erogandi ſtipem, & juſtitia officium ſolvendi debitum; cum tamen finis omnium iſtarum virtutum dicatur eſſe finis ipſius charitatis, nempe Deus, propter quem exerceri debent ea officia, ut ſint ſtudioſa, & non vitioſa. Auguſtinus tamen diſtinguit virtutes a finibus, ſeu ab objectis motivis, & ſpecificativis diverſis, non ab officiis; ideo actus earum virtutum vult eſſe ſtudioſos, etiamſi non imperentur a charitate, nec referantur ad Deum. Accedit demum auctoritas communiſſima aliorum ſanctorum Patrum. D. Proſper de vita contemplativa lib. 3. cap. 18. habet: *Principales quatuor eſſe virtutes, non ſolum Philoſophi ſentiunt, ſed etiam noſtri conſentiunt. Sed quare quatuor, vel quæ ſint opera ſingularum, hoc Domino illuminante debemus breviter demonſtrare.* Hieronymus ſimiliter in Epiſtol. ad Pammachium habet: *Dicamus aliquid & de Philoſophis. Quatuor virtutes deſcribunt Stoici, ita ſibi invicem nexas, & mutuo cohærentes, ut qui unam non habuerit, omnibus careat, Prudentiam, Juſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam. Has omnes ſic habetis ſinguli, ut tamen emineatis in ſingulis.* Sic etiam paſſim Gregorius, Ambroſius, & alii, ut proinde temeritatis notam non effugiat, qui ab hoc communiſſimo omnium ſenſu diſcordat in re tam dilucida, ut pigeat in ea ulterius immorari.

XIII.

XIII. Opponitur primo auctoritas Auguſtini dicentis in Enchiridio cap. 107. *Regnat carnalis cupiditas, ubi non eſt charitas;* Et in Pſ. 18. *Qui noluerit ſervire charitati, neceſſe eſt, ut ſerviat cupiditati*: ergo ex Auguſtino non datur alius actus, qui non ſit peccaminoſus præter actum charitatis: atque adeo hæc ſola virtus eſt, quæ facit actiones Chriſtianas per relationem ad Deum, & JESUM Chriſtum; quæ Deo loquitur, & quam Deus audit; quam coronat, & remunerat; ita ut nec ſpes, nec religio virtutes ſint, ſi deſit charitas; nec oratio impiorum a culpa ſit immunis ob defectum charitatis. Quod pariter docet Leo Papa ſerm. 5. de jejunio dicens: *Duo amores ſunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates: rationalis enim animus, qui ſine dilectione eſſe non poteſt, aut Dei amator eſt, aut mundi.*

Reſpondeo, ſatis ſuperque demonſtratum eſſe, quod etiam ex Auguſtini ſententia dentur virtutes morales a charitate diſtinctæ. Et quod ſpes a charitate ſejungatur ex eo conſtat, quod non amittuntur habitus fidei, & ſpei infuſæ per quodvis peccatum, etiamſi quodvis peccatum charitatem expugnet, idque ut poſſit peccator per actus ſupernaturales, atque adeo ſtudioſos fidei, & ſpei ad reſurrectionem ſpiritualem ſe diſponere. Quare quando opponitur ab Auguſtino, a Leone Papa, & aliis ſanctis Patribus charitas cupiditati, & amor Dei amori hujus mundi, dicendo inter hos actus non dari medium, tunc, ut notat Vaſquez par. 2. diſp. 192. cap. 2. nomine Charitatis non venit charitas preſſe dicta, ſed late ſumpta pro quolibet actu cujuſvis virtutis, quo aut Deum diligimus, aut ad Deum diligendum diſponimur; & nomine cupiditatis, ſeu amoris mundi non venit quilibet actus, quo objectum creatum amamus, ſed venit ipſa mala cupiditas, ſeu concupiſcentia, de qua dicitur Jacobi 1. *Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum.* Quod S. Doctor lib. 83. qq. quæſt. 36. expreſſit dicens: *Aliud eſt charitas, radix omnium bonorum, aliud cupiditas, radix omnium malorum; tantumque inter ſe differunt, quantum virtus, & vitium.* Et lib. 1. de lib. arb. cap. 4. *Convenit inter nos, omnia malefacta non ob aliud mala eſſe, niſi quod libidine, hoc eſt improbanda cupiditate fiunt.* Et ſane ſicut miſericordia, juſtitia, & aliæ virtutes poſſunt late ſumi pro actibus externis talis virtutis, ita ut dicatur miſericors, qui egenis ſuccurrit, & juſtus, qui debita ſolvit, quamvis hos actus non exerceat ex motivo iſtarum virtutum, ſed ex motivo charitatis v. gr.; & poſſunt etiam ſtricte ſumi pro actibus, qui fiant ex motivo proprio illarum: ita pariter charitas poteſt tum ſtricte ſumi pro actu elicito ex amore bonitatis divinæ; tum etiam late pro quolibet actu virtuoſo, quo obſequia Deo grata, & glorioſa exercemus, unde ad ejus dilectionem diſponimur. Et in hoc ſenſu verum eſt, quod ubi non regnat charitas, ſeu virtus, regnet cupiditas, ſeu vitium, & ubi non datur Dei amor late ſumptus, (ita ſcilicet ut ſit vel formaliter amor Dei, vel ſaltem diſpoſitive, ut eſt quilibet alius actus virtutis infuſæ) detur amor mundi, ſeu concupiſcentia pariens peccatum, (ſi ſupponantur impoſſibiles actus morales indifferentes in individuo) Et hoc ſenſu dixit Chriſtus D. Matthæi 12. *Qui non eſt mecum, contra me eſt.*

XIV. Opponitur ſecundo, quia nullum opus poteſt vacare culpa, niſi referatur ad Deum, qui ſicut neceſſario eſt principium omnis bonæ operationis, ita debet eſſe ejuſdem finis; ut proinde omnis affectus ſiſtens in creatura ſit vitioſus, quippe carens fine debito: atqui ſolus actus charitatis refert omnia ad Deum; ergo præter charitatem nulla alia datur virtus. Major videtur doceri ab Auguſtino lib. 4. contra Julianum cap. 3. ubi habet: *Cum non ad ſuum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipſo male his utentes efficiuntur injuſti.* Et deinde concludit: *Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, ſi non propter quod facere debet, peccare convincitur.* Et apertius infra dixit: *Quicquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc, propter quod vera ſapientia præcipit, etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.* Quibus verbis oſtendit præcipi nobis ab ipſo rationis dictamine, ut omnia in Deum referamus actu charitatis; quod ſi non referamus, eo ipſo deſumus obligationibus a natura impoſitis; & ſic quantumvis videamur exercere opera virtutis, adhuc tamen ob omiſſionem hujus reſpectus debiti erga Deum peccamus.

Reſpondeo, actum virtutis moralis eſſe honeſtum, etiamſi non referatur ad Deum formaliter, & ſignate: ſufficit enim, quod referatur exercite, & virtualiter, quatenus ſuapte natura quilibet actus honeſtus ad Deum tendit, & ad illum aſſequendum, & glorificandum ordinatur, unde ad illum formaliter referri poteſt. Obligatio autem referendi ad Deum ſignate quamcumque noſtram operationem non datur, eſſetque onerosa nimis: ut proinde onus Chriſtianæ legis non eſſet leve, nec jugum Chriſti ſuave; unde falſum eſt, quod ex defectu talis relationis actus aliarum virtutum a charitate

ſint

ſint culpabiles, & vitioſi. Omiſſo tamen, quod revera ea obligatio daretur, negari non poteſt, quod poſſet dari ignorantia invincibilis talis præcepti, aut quod aliquis probabiliſſime exiſtimaret ex communiſſimo Theologorum conſenſu illud non dari, in quo caſu violatio illius non eſſet culpabilis; ſiquidem ignorantia invincibilis juris naturæ excuſat a peccato formali, ut conſtat ex ſecunda theſi proſcripta ab Alex. VIII. unde ſaltem in tali caſu, qui eſſet frequentiſſimus, dari poſſet exercitium aliarum virtutum a charitate, quod eſſet ſtudioſum, & non culpabile, quamvis actualiter, & formaliter non referret omnia ad Deum ex imperio charitatis. Itaque Auguſtinus in locis adductis interpretandus eſt, quod velit omnia referenda eſſe ad Deum exercite, & virtualiter, ſicut referuntur actus aliarum virtutum a charitate reſpicienium honeſtatem creatam propriam illorum; & quod ſic non refertur, revera eſt culpabile, ſi negatur poſſibilitas actus indifferentis in individuo, a qua quæſtione hic præſcinditur.

Quod autem in hoc ſenſu loquutus ſit Auguſtinus, conſtat, quia diſputabat adverſus Julianum, contendentem veras virtutes in Infidelibus reperiri; ex quo inferretur actum eſſe virtuoſum, & laudabilem, ſi ejus objectum materiale eſſet bonum, ſed objectum formale eſſet turpe: ut ſi quis erogaret ſtipem pauperi ob inanem gloriam, aut ex alio fine temporali, & vitioſo. Propterea dicit, veras virtutes non poſſe tendere, niſi ad objectum formale honeſtum de ſe referibile ad Deum, & quod natura ſua ad Deum ordinetur. Hinc lib. 4. cap. 3. adverſus Julianum hæc habet: *An placet tibi, ut veras virtutes avarorum eſſe dicamus, cum lucrorum vias prudenter excogitant, cum pro acquirenda pecunia ſæva, atque aſpera multa fortiter tolerant, cum varias cupiditates, quibus ſumptuoſe vivitur, temperanter, ſobrieque caſtigant, cum abſtinent ab alieno, & de ſuo ſæpe amiſſa contemnunt, (quod videtur ad Juſtitiam pertinere) ne jurgiis, & judiciis plura conſumant?* Quare Auguſtinus ſolum vult, a fine turpi fœdari actus iſtos, qui videntur ad virtutes pertinere, non vero ex defectu relationis ad Deum; quandoquidem ſi ex motivo proprio virtutum procederent, ſufficienter ad Deum implicite, & virtualiter referrentur, & eſſent laudabiles, ac præmium conſentaneum mererentur. Quod diſerte docet loco laudato, ſic alloquens eundem Julianum: *Ergo virtutes iſtæ tali fine turpes, atque deformes, & ideo nullo modo germanæ, veræque virtutes, tibi tamen ita veræ videntur, & pulchræ, ut nec nominis ſui poſſint, nec generis ſuſtinere diſpendium, ſed ſolum, quod appetiverunt, præmii exilitate fruſtrentur, ideſt terrenorum commodorum fructu, non cœleſtium præmiorum?*

XV. Adde, quod ſi officia iſtarum virtutum eſſent vitioſa, & peccaminoſa præciſe ex defectu relationis ad Deum, ad ſummum continerent culpam venialem: cum autem Auguſtinus loco laudato dicat, quod utentes Dei donis ſine relatione ad Deum efficiantur injuſti, atque adeo graviter peccent, aperte ſequitur, quod loquatur de iis, qui ne virtualiter quidem actus virtutum referunt ad Deum, ſed exercent officia virtutum referendo illa poſitive ad finem lethaliter pravum. Et in hoc ſenſu intelligendum eſt, quod alias dixit Auguſtinus, virtutes Romanorum non fuiſſe veras virtutes, & virtutes Stoicorum fuiſſe fucoſas; quia ne implicite quidem, & exercite ad Deum officia virtutum referebant, ſed poſitive ordinabant illa ad finem pravum: unde dixit lib. 19. de Civ. cap. 16. *Superari vitia apertiſſima vitiis quibuſdam occultis, quæ putantur eſſe virtutes, in quibus regnat ſuperbia, & quædam ſibi placendi altitudo ruinoſa.* Et Hieronymus pariter lib. 2. in epiſt. ad Galat. cap. 3. dixit: *Illi Philoſophi vitium vitio, peccatumque peccato medicantur: nos amore virtutum vitia ſuperamus:* Nec dixit, amore virtutis, ſed amore virtutum, ad ſignificandum præter charitatem infuſam alias dari veras virtutes; quamvis Auguſtinus ſæpe nomine charitatis infuſæ intelligat omnes virtutes infuſas, ut ſupra animadvertimus; & in eo ſolum ſenſu dixerit inter charitatem infuſam, & cupiditatem vitioſam nihil mediare.

XVI. Opponitur ultimo celebris locus Auguſtini tr. 86. in Jo. ubi dixit: *Quid enim boni operis eſt ante fidem? cum dicat Apoſtolus, Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt:* ergo ſi Infideles deſtituti fide, & charitate ſupernaturali in quovis opere peccant, pariter fideles peccant, ubi non charitate ducuntur.

Reſpondeo proſcriptam jam eſſe theſim illam vigeſimam quintam Baji: *Omnia opera Infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Quare Auguſtinus ſolum ibi docet, quod ante fidem nihil boni operis poſſit dari conducens ad vitam æternam, ut diſerte expreſſit lib. 4. cap. 3. contra Julianum, dicens: *Si ad conſequendam veram beatitudinem, quam nobis fides per Chriſtum promittit, nihil proſunt homini virtutes, non ſunt veræ virtutes,* quatenus ſcilicet non ſunt virtutes conducentes ad finem ultimum, quem unice conſequi de facto poſſumus, poſita ele-

elevatione naturæ ad talem finem ſupernaturalem. In tantum autem Auguſtinus addit, quod ſit peccatum quodcunque ab infidelibus fit, quia paſſim ex fine pravo officia virtutum ab iis depravantur. Textum vero adductum Apoſtoli Patres communiter, & Interpretes non intelligunt in hoc ſenſu, in quo dicitur illum Auguſtinus uſurpare, quod ſcilicet ſit peccatum, quod ſit ab infidelibus, eo quod fides ſit initium bonorum operum conducentium ad vitam æternam; ſed intelligunt in eo ſenſu, quem alias expoſuimus, quod ſcilicet peccatum ſit omne, quod non eſt ex fide, hoc eſt ex dictamine conſcientiæ, & credulitate, quod liceat. Negari enim non poteſt, quod ante fidem ſtricte dictam poſſint actus variarum virtutum exerceri. Nam & poſſunt Infideles legem naturalem obſervare, aliter non peccarent illam tranſgrediendo; & poſſunt ponere plures actus virtutum naturalium, immo actum ipſum naturalis dilectionis Dei, ut oſtendimus; & elicere poſſunt actum ſupernaturalem piæ affectionis ad fidem neceſſario prævium ad aſſenſum fidei, ut diximus in expoſitione theſium immediate præcedentium: deſiderium ipſum fidei, & orationem, qua Infideles petunt fidem, eſſe actus ſupernaturales docet probabiliter Lugo diſp. 12. de Fide n. 24. quia talis oratio videtur ad fidem ſpectare, non ſecus ac voluntas credendi, juxta illud Gregorii Magni Homil. 9. in Ezechielem: *Opera ſine fide non adjuvare, niſi fortaſſe pro fide percipienda fiant.* Quare non poteſt illud Apoſtoli, *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, in eo ſenſu accipi, quod omnia infidelium opera ſint peccaminoſa. Aliter fruſtra Daniel cap. 4. conſuluiſſet Nabuchodonoſori Regi Infideli, quod peccata ſua eleemoſynis redimeret, ſi elemoſynarum erogatio eſſet peccaminoſa: quamvis enim is actus non eſſet ſupernaturalis, unde non poſſet ordinari ad merendum præmium ſupernaturale; erat tamen actus virtutis naturalis, qui ordinari poterat ad præmium naturale, nempe ad avertendam pœnam temporalem jam imminentem; & propterea non poterat eſſe actus vitioſus, & culpabilis.

XVII. Ex hactenus dictis facile eſt iſtarum omnium theſium falſitatem deprehendere. Falſum quippe eſt primo, quod ſola charitas infuſa faciat actiones chriſtianas; cum etiam aliæ virtutes ſupernaturales actiones chriſtianas operentur. Falſum eſt ſecundo, ſolam charitatem Deo loqui, illamque ſolam Deum audire: Deo quippe loquimur variis ſupernaturalibus affectibus, qui non ſunt actus charitatis, illoſque Deus exaudit, cum ſint meritorii præmii ſupernaturalis. Falſum eſt proinde tertio, quod Deus non coronet, niſi actus charitatis, & quod in vanum currat, qui ex alio impulſu, & motivo currit; (præſcindendo hic ab ea ſententia, quod Deus non coronet, niſi actus, qui ſaltem aliquatenus a charitate imperentur, quam refert, ac rejicit Vaſq. 1. 2. diſp. 217.) Etenim qui ex motivo aliarum virtutum operantur, non currunt in vanum, ſed ex una virtute cum adjutorio gratiæ ad aliam virtutem gradum faciunt, quouſque ad coronam gloriæ perveniant, ut habetur Pſ. 83. *Etenim benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem.* Falſum eſt quarto, quod Deus non remuneret, niſi charitatem, & quod ſola charitas Deum honoret; aliis quippe plurimis actibus Deus honoratur, puta religionis, petitionis, gratiarum actionis, confidentiæ in illum, quæ etiam, ut dicitur Hebr. 10. *Magnam habet remunerationem.* Falſum eſt quinto, quod peccatori totum deſit, ſi deſit ſpes, nec ſpes dari poſſit ſine amore Dei; poteſt quippe peccator antecedenter ad ſpem credere, orare, & alias virtutes ſupernaturales exercere, quæ mereantur de congruo ulteriorem gratiam ſupernaturalem; poteſt ſimiliter antecedenter ad actum charitatis ſpem firmam, ac ſupernaturalem in Deo reponere, & ſic ad Dei dilectionem ſe diſponere. Falſum eſt ſexto, quod ubi non eſt charitas, nec Deus ſit, nec Religio; quamvis enim peccator deſtitutus Dei amicitia Deo careat, non propterea non poteſt auxilio gratiæ actus ſupernaturales exercere, ſicut fidei, & ſpei, ita etiam Religionis, miſericordiæ, patientiæ, ac aliarum virtutum, quibus auxilium ſupernaturale mereatur, ut ad charitatem, & ad Dei gratiam pertingat. Falſum denique eſt, quod Impiorum oratio ſit novum peccatum; & quod ſit novum in eos judicium, quod illis conceditur; etenim oratio impiorum poteſt eſſe ſupernaturalis, & impetratoria gratiæ ad reſipiſcendum; ſicut Lucæ 18. dicitur, quod Publicanus deſcenderit in domum ſuam juſtificatus, *quia a longe ſtans nolebat oculos ad Cœlum levare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori.*

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LIII.

QUinquageſima tertia vult, ſolam charitatem Chriſtiano modo operantem, omnia referendo ad Deum, & Chriſtum Do-

minum, facere actiones Chriſtianas; ut proinde nulla operatio digna ſit homine Chriſtifideli, quæ non procedat ex motivo charitatis perfectæ, reſpicientis non ſolum Deum, ſed etiam Chriſtum. Cum autem certum ſit, eſſe operationes Chriſtianas, credere, ſperare, orare, diligere proximum, & ſimiles, ſequitur, quod niſi hujuſmodi operationes ex motivo charitatis, & per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum procedant, juxta hanc theſim non ſint operationes ſtudioſæ, & Deo, ac Chriſto gratæ. Ex quo etiam fieret, nullam aliam dari virtutem a charitate diſtinctam, & hujuſmodi varias honeſtas operationes eſſe officia diverſa ejuſdem charitatis, non vero actus diverſos diverſarum virtutum; quod Janſeniani contendunt diſerte ab Auguſtino doceri, qui lib. 9. de Trinit. cap. 7. habet: *Si ad Creatorem referatur amor, non jam cupiditas, ſed charitas erit; tunc enim eſt cupiditas, cum propter ſe amatur.* Et lib. 6. de Muſica cap. 14. *Amor inferioris pulchritudinis* (quam divinæ) *animum polluit.* Propterea etiam docent, quamcumque aliam liberam operationem, quæ non ſit charitatis perfectæ, eſſe iniquam, & Chriſtiano homine indignam, non agnoſcentes medium inter charitatem, & vitioſam cupiditatem.

Errant tamen, & vehementer errant. Si enim ita ſe res haberet, cum valde arduum ſit ſemper operari ex motivo perfectiſſimo charitatis, via ad Cœlum eſſet impervia, (quo ſemper collineat Janſenianorum doctrina) unde non poſſet dici, quod jugum Chriſti ſit ſuave, & onus leve; nec diceretur 1. Jo. 5. *Mandata ejus gravia non ſunt.* Propterea anathematizatur a Tridentino ſeſſ. 6. can. 31. *qui dixerit, juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur.* Et ſane non aliunde, amiſſa gratia, & charitate, non ſemper amittuntur habitus infuſi fidei, & ſpei, niſi ut poſſit peccator per exercitium harum virtutum laudabiliter operari, ac ſe diſponere ad juſtificationem, & ad charitatem recuperandam; unde hujuſmodi actus non ſpectant ad charitatem. Hinc tres enumerat Theologales virtutes Apoſtolus 1. ad Cor. 13. dicens: *Fides, ſpes, & charitas, tria hæc; major autem horum eſt charitas.* Quod autem iſtæ ſint virtutes diverſæ conſtat, tum quia charitas non poſſet dici virtus præſtantior, ſi ea eſſet unica; tum etiam quia objectum formale charitatis eſt diverſum ab objecto formali fidei, & ſpei; motivum enim formale charitatis eſt Deus prout in ſe bonus; ſpei vero eſt Deus ut bonus nobis, & fidei motivum eſt Auctoritas Dei loquentis. Hac etiam de cauſa diſtinguuntur virtutes morales tam inter ſe, quam a Theologalibus, quia pariter habent objectum formale diverſum; miſericordia enim v. g. movetur ab honeſtate, quæ reperitur in ſublevatione pauperum ab eorum miſeriis; Juſtitia ab honeſtate tribuendi unicuique jus ſuum; Religio ab honeſtate cultus præſtiti Divinæ excellentiæ; & ſic de reliquis. Quod vero harum honeſtatum amor ſit ſtudioſus; etiam præciſa relatione ad Deum, conſtat, quia conformis eſt rationis dictamini; quamvis enim honeſtius, & laudabilius eſſet, harum virtutum actus ponere ex motivo charitatis, & cum relatione ad Deum; at non proinde inhoneſtum eſt, & vituperabile, ſed ſolum minus honeſtum, & minus laudabile eſt, eos ponere ex motivo proprio ſingularum virtutum; quod cum ſit rationi conſentaneum etiam ſpectatum ſecundum ſe, habet ſuam propriam honeſtatem, & laudabilitatem. Quod Auguſtinus docuit lib. 4. contra Julianum cap. 3. dicens: *Noveris non officiis, ſed finibus a vitiis diſcernendas eſſe virtutes: officium eſt autem, quod faciendum: finis vero, propter quod faciendum eſt.* Propterea ubi S. Doctor dixit, amorem, qui non refertur ad Deum, eſſe cupiditatem, & amorem creaturæ animum polluere, intelligendus eſt de amore, qui nullatenus ad Deum refertur, neque formaliter, neque lato modo, ac de amore creaturæ, qui nullatenus ſit amor ſaltem late ſumptus Creatoris. At amor honeſtatis creatæ, quæ in motivo virtutum moralium reperitur, refertur ad Deum ſaltem lato modo, quatenus natura ſua eſt ordinabilis ad Deum, & proſequitur directe objectum creatum, quod Deo placet; unde eſt etiam amor Dei late ſumptus, juxta illud Chriſti D. Jo. 14. *Si diligitis me, mandata mea ſervate*, quia ſi minus formaliter, certe lato modo Deum diligit, qui ejus imperata facit: cum enim idem ſit aliquem amare, ac velle illi aliquid ei gratum, & grata procul dubio ſint Deo opera, quæ natura ipſa (atque adeo Deus condens naturam) per rationis dictamen conſulit, aut præcipit, conſectarium eſt quod Deum diligat ſaltem lato modo, qui ponendo opera virtutum moralium dictamini rationis obtemperat, quamvis ea non referat ad Deum ſignate, amando illum amore perfecto charitatis.

Quibus adde, ex eo etiam erroneam eſſe hanc theſim, quod velit, actiones ſtudioſas, ac Chriſtifideli dignas fieri non poſſe ſine relatione ad Deum ſimul, & ad Chriſtum Dominum. Ex quo fieret, quod non ſolum peccaret, qui poneret opera virtutum mo-

ra-

ralium, necnon actus fidei, ac ſpei abſque relatione ad Deum, ſed etiam peccaret, qui ex motivo charitatis operaretur cum ſola relatione ad Deum abſque relatione ad Chriſtum Dominum, quo quid abſurdius dici poteſt? Certum quippe eſt, quod fidelis, cui non deſit fides ad ſalutem neceſſaria, ſi poſt amiſſam per peccatum gratiam conteratur ex motivo Divinæ bonitatis offenſæ, ſtatim juſtificetur, quamvis hic & nunc non cogitet de Chriſto Domino, de Trinitate, ac de Incarnatione Verbi; nuſquam enim in Scripturis, ubi præcipitur dilectio Dei ſuper omnia; & dolor de peccato commiſſo, imponitur, quod hujuſmodi dilectio, & dolor ponantur cum relatione ad Chriſtum Dominum. Queſnellus hanc aliam invehens obligationem, vult inviam omnino reddere viam ſalutis, cum ad hæc omnia non facile obvia nos adigat, ad quæ Deus ſumme miſericors noluit nos adigere. Cadunt enim optimæ iſtæ operationes ſub conſilium, non ſub præceptum: propterea qui conteritur cum ſola relatione ad Deum, & non etiam ad Chriſtum, cæteris paribus, actum ponit minus perfectum, non tamen peccaminoſum, aut inſufficientem ad juſtificationem, & ſalutem conſequendam: non ſecus ac qui ponit actum perfectæ charitatis cum relatione ad Deum, & ad Chriſtum intenſum ut quatuor, ponit actum minus perfectum, quam ſi poneret actum intenſum ut ſex, ſed non poneret actum culpabilem, & cui non ſubſequatur juſtificatio: Niſi forte Queſnellus ad has etiam anguſtias vellet homines adigere, ut velit eos, ſemper ac libere operantur, ad actum charitatis intenſiſſimum cum relatione ad Deum, & ad Chriſtum Dominum obligare, ut prorſus de ſalute aſſequenda deſperent, & ſic in reprobum ſenſum abducantur.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LIV.

QUinquageſimaquarta idem reponit, dum docet, ſolam charitatem Deo loqui, & a Deo audiri. Utrumque autem erroneum; cum Deum nos alloquamur etiam actibus fidei, ſpei, necnon timoris, doloris, miſericordiæ erga pauperes, orationis, pœnitentiæ, aliarumque virtutum moralium; & Deus etiam hos noſtros affectus, ac preces miſericorditer audiat. Docet quippe Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. clamores, ac gemitus peccatoris, qui ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipiuntur, ſi voluntatem peccandi excludant, cum ſpe veniæ, eſſe donum Dei, ac Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed moventis, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat. Additque, Ninivitas hoc timore utiliter concuſſos miſericordiam a Domino impetraſſe. Quare non ſolis actibus charitatis Deum alloquimur, nec ſolos clamores ex amore conceptos Deus exaudit. Et ſane actus fidei, ſpei, timoris, ac pœnitentiæ, qui ex eodem Tridentino ſeſſ. 6. cap. 6. ad juſtificationem diſponunt, quamvis non procedant a virtute charitatis, adhuc Deum alloquuntur, miſericordiam expoſcendo, illoſque Deus audit, miſericordiam impertiendo. Peccator ingemiſcens dicit: *De profundis clamavi ad te Domine: Si iniquitates obſervaveris, quis ſuſtinebit? Speravit anima mea in Domino*; quibus clamoribus permotus miſericordiam Deus elargitur, ac redimit illum ex omnibus iniquitatibus ejus. Adde, quod non ſolum oratio juſti, ſi debito modo fiat, ſit impetratoria, & Deus illam audiat, quamvis non procedat ex motivo charitatis; (ad id enim noluit nos Chriſtus adigere, dicens, *Petite, & accipietis*) verum etiam peccatores vitiis dediti, qui ad perfectam contritionem concipiendam illico induci non poſſunt, ſi a Deo poſtulent auxilium, quo etiam moralem hanc impoſſibilitatem expugnent, illud obtineant, ex eodem Tridentino ſeſſ. 6. cap. 11. ubi dicitur: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.* Cum ergo peccatores iſti, quibus contritio perfecta eſt moraliter impoſſibilis, admoneantur, ut faciendo quod poſſunt, petant quod non poſſunt, ecce tibi, ſi petant, Deo loquuntur citra actum charitatis. Et cum dicatur Deus eos adjuvare, ut poſſint conteri; ecce tibi, quomodo Deus audit voces aliarum virtutum a charitate diſtinctarum; unde nec ſola Charitas Deo loquitur, nec eam ſolam Deus audit.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LV.

QUinquageſimaquinta pariter contendit, Deum ſolam charitatem coronare, & in vanum currere, qui ex alio motivo, & impulſu currit. Docet proinde gloriæ coronam non conferri propter actus aliarum virtutum ſupernaturalium, & hujuſmodi actus

in eo, qui currit ad comprehendendum, eſſe prorſus inutiles. Utrumque pariter eſt erroneum, & quod Deus ſoli charitati coronam gloriæ conferat; (quicquid tamen ſit, an actus meritorius vitæ æternæ debeat ſaltem ex aliquo charitatis imperio promanare, juxta ſententiam, quam diximus referri, ac refelli a Vaſquio p. 2. diſp. 217.) & quod inanes ſint conatus noſtri, ſi non profluant ex motivo charitatis. Quoad primum: Chriſtus Dominus, ut ad actus virtutum moralium, præſertim ad charitatem erga proximum, & ad opera miſericordiæ nos incendat, in extremo die, nulla facta mentione motivi charitatis, dicet iis, qui a dextris ejus erunt, ſe illos ad Regnum poſſidendum, & ad immarceſcibilem gloriæ coronam advocare, ut promiſſam reportent remunerationem illorum actuum, qui, ſi minus ex charitate erga Deum promanant, ad illam tamen maxime conducunt: Sicut etiam ob eorundem actuum omiſſionem, ut habetur Matth. 25. *Dicet his, qui a ſiniſtris ejus erunt: Diſcedite a me maledicti in ignem æternum.* Similiter Chriſtus Dominus enumerans octo beatitudines docuit, actus virtutum moralium perducere homines ad gloriam, eo quod per illos charitas erga Deum & foveatur, & augeatur; unde nulla facta mentione charitatis dixit Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum*: Pariterque beatos, ac præmio dignos docuit eſſe mites, lugentes, juſtitiam eſurientes, miſericordes, mundo corde, pacificos, ac perſecutionem patientes propter juſtitiam. Hinc Eccleſ. 12. dicitur: *Benefac juſto, & invenies retributionem magnam, & ſi non ab ipſo, certe a Domino:* & Pſalm. 118. dicitur: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem;* quia ſcilicet Deus non ſolum coronat omnes uſquequaque perfectas operationes juſtorum; ſed etiam coronat illas, quamvis fiant ex motivo retributionis, & non ex motivo perfectæ charitatis. Quod pariter denotatur verbis illis 1. ad Corint. 9. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

Quoad alterum errorem, non ſolum non ſunt inanes in ordine ad coronam gloriæ operationes aliarum virtutum a charitate diſtinctarum, quæ a juſto eliciuntur, ut hactenus dictum eſt, ſed etiam utiles ſunt in peccatore ad juſtificationem, ſi fiant ex auxilio gratiæ; quippe quæ ad illam diſponunt, promerendo de congruo nova auxilia, quibus novi actus ſupernaturales eliciantur, quouſque ad juſtificationem perveniatur, ut docet Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. dicens: *Hoc timore utiliter concuſſi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam a Deo impetrarunt.* Et can. 5. loquens de attritione ſupernaturali peccatoris, anathematizat, qui de ea dixerit, *non eſſe verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam.* Idemque dicendum de aliis ſupernarum virtutum actibus tam Theologalium, nempe fidei, & ſpei, quam Moralium; etenim etiam orando, jejunando, Miſſas audiendo, peccator ad juſtificationem obtinendam diſponitur, quin tamen per eos actus juſtificetur. Unde neque juſtus, neque peccator in vanum currunt univerſim in ordine ad ſalutem per hoc, quod ex alio impulſu, & ex alio motivo currant, quam ex motivo charitatis.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LVI.

QUinquageſima ſexta in eundem ſcopum collineat docendo, quod ſolam charitatem Deus remuneret, & quod ſola charitas Deum honoret; cum tamen utrumque pariter Doctrinæ Catholicæ adverſetur. Docet quippe Apoſtolus 1. ad Corinth. 15. *Abundate in omni opere bono, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis apud Deum:* ideo autem dicitur non eſſe inanis, quia Deus eſt illum remuneraturus. Quod autem nomine boni operis non veniat ſola Dei dilectio, ſed etiam exercitium aliarum virtutum, conſtat, quia ſæpe Scriptura tanquam bona commendat officia aliarum virtutum, nulla facta mentione finis extrinſeci, & motivi charitatis; nempe Abrahæ hoſpitalitatem Geneſ. 18. Jobi miſericordiam in pauperes Job 29. Tobiæ erga mortuorum ſepulturam Tob. 1. continentiam Joſeph Geneſ. 39. Honorem parentibus, & ſenioribns 1. Petr. 5. Retributionem autem omnibus harum virtutum operibus dandam eſſe oſtendit Apoſtolus dicens ad Hebr. 6. *Non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtenditis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis Sanctis, & miniſtratis:* & cap. 10. *Vincti compaſſi eſtis, & rapinam veſtrorum bonorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam. Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.* Quinimo ex Scripturis conſtat, Deum præmio temporali ſæpe remuneraſſe exercitia harum virtutum naturalium.

Sic

Sic Ezechielis 29. dicitur de Nabuchodonoſore: *Dedi ei terram Ægypti pro eo, quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus.* Quæ verba exponens Hieronymus addit: *Ex eo quod Nabuchodonoſor mercedem accepit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, ſi quid boni fecerint, non abſque mercede Dei judicio præteriri.* Unde conſtat, non dari ſolam virtutem charitatis ſupernaturalis, nec ſolam charitatem Deum remunerare.

Ex his autem conſequenter deſcendit alter hujuſce theſis error, quo ſcilicet ſola charitas Deum honoret; cum etiam ab exercitio reliquarum virtutum honor, ac reverentia Deo debita exhibeatur. Sicut enim non ſolum odio, & blaſphemia, ſed per quodcunque peccatum Deus inhonoratur; teſte Apoſtolo ad Rom. 2. ubi habet, *Per prævaricationem legis Deum inhonoras;* ita non ſolum dilectione formali, ſed etiam aliis virtutum actibus Deum honoramus; quippe qui ſunt amor Dei late ſumptus, quatenus qui diligit honeſtatem alicujus virtutis propter ſe, & ſecluſo motivo charitatis, ponit actus Deo gratos, & ſic Deum ſaltem lato modo diligit. unde Joan. 14. dicitur: *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* Et ſane negari non poteſt, quod Deus honorabatur Sacrificiis, quæ Deo tanquam domino vitæ, & necis exhibebantur; ergo multo magis obſervatione præceptorum, ac miſericordiæ, & charitatis operibus honoratur; cum dicatur 1. Reg. 15. *Melior eſt obedientia, quam victimæ;* & Oſeæ 6. *Miſericordiam volui, & non ſacrificium, & ſcientiam Dei pluſquam holocauſta;* & Marci 12. *Diligere proximum tanquam ſeipſum, majus eſt omnibus holocauſtomatibus, & ſacrificiis.* Uſqueadeo autem etiam oratione, ac precibus Deus honoratur, ut Martialis Ethnicorum lingua loquens dixerit: *Qui fingit ſacros auro, vel marmore vultus, Non facit ille Deos; qui rogat, ille facit.* Quanto autem altius Deus honoratur per actus fidei, ac ſpei, dum intellectum captivamus in ejus obſequium, & fiduciam omnem in ejus fidelitate, ac miſericordia collocamus? Quare nec ſolam charitatem Deus remunerat, nec ſola charitas Deum honorat.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LVII.

QUinquageſima ſeptima vult peccatori totum deeſſe, ubi deſit illi ſpes in Deo, & hanc ſpem ſine Dei amore conſiſtere non poſſe. Utrumque pariter fidei dogmatibus refragatur. Conſtat ſiquidem (quod attinet ad primum) ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 15. nonniſi per peccatum infidelitatis fidem amitti, atque adeo peccatori, cui per peccatum deſperationis deeſt ſpes, non deeſſe fidem, qua poſſit per conſiderationem divinarum promiſſionum, ac infinitæ miſericordiæ animum jam per deſperationem abjectum erigere in ſpem magnam, & ſic ad juſtificationem ſe diſponere. Fidem autem non eſſe fiduciam, ſeu ſpem roboratam, nec eſſentialiter cum fiducia connecti ſupra oſtendimus in theſi 52. Præterquamquod ſi de Infidelibus ipſis, quibus fides deeſt, dici non poteſt citra injuriam divinæ miſericordiæ, & ſanguinis Chriſti pro illis etiam oblati, quod totum illis deſit in ordine ad ſalutem, cum non deſint illis auxilia ſuperna miſericorditer collata, quibus ad fidem amplexandam incitantur; Deus quippe, ut habetur Joann. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* a fortiori non deſunt auxilia ad reſurgendum in peccatore, qui per peccatum deſperationis ſpem amiſit; cum ea a fide habituali, quæ abſque infidelitate non amittitur, exigantur. Quibus adde, quod peccatori poſt ſpem amiſſam, imo etiam poſt amiſſam fidem, adhuc remanet liberum arbitrium, quo poſſit non ſolum cum auxiliis gratiæ, quæ illi non deſunt, per actus fidei, ſpei, timoris, doloris, ac per orationem, ac corporis mortificationem præparare ſe ad gratiam recuperandam, ſed etiam ſine auxiliis ſupernis aliquem virtutis actum ponere, aut peccatum aliquod declinare: ut conſtat ex vigeſima nona Baji proſcripta theſi, quæ habet: *Non ſolum ii fures ſunt, & latrones, qui Chriſtum viam, & oſtium veritatis & vitæ negant, ſed etiam quicunque aliunde, quam per Chriſtum in viam juſtitiæ, hoc eſt ad aliquam juſtitiam conſcendi poſſe dicunt:* necnon ex vigeſimaoctava, quæ habet: *Pelagianus eſt error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum*, quandoquidem liberum arbitrium, quamvis per culpam ſit viribus attenuatum, & inclinatum, non eſt tamen amiſſum, ut docet Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 1. Verum qui-

quidem eſt, quod operationes ſtudioſæ, ſi non ſint ſupernaturales, nullatenus conducant ad ſalutem; ſed falſum eſt, quod non poſſit impius ſine gratiæ auxiliis ponere aliquam ſtudioſam operationem. Quod docuit Auguſtinus lib. de ſpirit. & lit. cap. 28. dicens: *Sicut non impediunt a vita æterna juſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur; ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillime vita cujuslibet peſſimi hominis invenitur.*

Quoad alterum ejuſdem theſis errorem, videlicet, quod ſpes in Deo reperiri non poſſit abſque Dei amore, oſtendimus in eadem quinquageſimaſecunda theſi, id etiam refragari veritati: ſiquidem ex communiſſima Theologorum ſententia, ſicut fides non amittitur per quodvis peccatum, ſed ſolum per peccatum infidelitatis: ita ſpes non amittitur, niſi aut per peccatum oppoſitum ſpei, aut per peccatum infidelitatis; (quatenus amiſſa per hoc peccatum fide, quæ eſt fundamentum ſpiritualis ædificii, amittitur conſequenter etiam ſpes) Poteſt itaque in eo, qui charitatem, ac amorem amiſit, adhuc remanere non ſolum fides, ſed etiam ſpes in Deo, ut per auxilia ab his virtutibus exigita poſſit in earundem actibus exerceri, & ſic viam munire ad gratiam recuperandam, juxta doctrinam Tridentini ſeſſ. 6. cap. 6. Quare ubi Auguſtinus in Enchirid. cap. 3. hæc habet: *Jam de amore quid dicam, ſine quo fides nihil prodeſt? ſpes vero ſine amore eſſe non poteſt*; vel loquitur de ſpe formata, & non informi, (ut interpretatur Angelicus) quæ certe ſine charitate eſſe non poteſt, vel loquitur de amore late ſumpto, ut notat Rip. diſp. 22. num. 23. quatenus omnis ſpes eſt quidam amor, & deſiderium boni ſperati. At ſi amor ſumatur antonomaſtice pro charitate, (prout ſumi debet in hac theſi juxta proprium ejus, ac germanum ſenſum, quem habet de ſe; cum præſertim illum etiam habeat ex adjunctis) certe poteſt ſpes ab amore ſejungi, non ſecus ac fides a ſpe, & charitate. Quare theſis hæc integre accepta, quod ſcilicet totum deſit, atque adeo etiam fides deſit, quando deeſt ſpes, quæ non eſt ſine Dei amore, aut ſaltem ab eo non ſeparatur, directe adverſatur definitioni Tridentini ſeſſ. 6. can. 28. ubi anathematizat, qui dixerit, *amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti.*

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LVIII.

QUinquageſima octava abſolute negat, Deum, ac Religionem ineſſe in peccatore charitate denudato; quaſi vero non poſſit peccator poſt amiſſam gratiam Deum habere ſibi conjunctum per actus fidei, ac ſpei, illumque per actus religionis colere, & ita ad charitatem recuperandam ſe diſponere; cum tamen ad id teneatur, ut advertit Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. Dicitur enim 1. Reg. 7. *Præparate corda veſtra Domino*; his autem actibus congrua ſit præparatio. Paralogizant Janſeniani, dum docent, quod ſi Religio Deum colat, & non ex motivo charitatis, ſed ex motivo honeſtatis creatæ, quæ reperitur in cultu exhibito Divinæ excellentiæ, in tali caſu aliquid creatum amaretur propter ſe, & non propter Deum, unde in creatura reponeretur finis ultimus; quod ſane vitioſum eſt, & ſuperſtitioſum; propterea putant, deficiente charitate, deficere veram Religionem, ſeu cultum veri Numinis, & haberi ſuperſtitionem, per hoc quod creatura tanquam Numen, & finis ultimus colatur. Sed enormiter errant, quia dum honeſtas creata cultus exhibiti Divinæ excellentiæ diligitur propter ſe, ſiſtendo in tali objecto creato abſque relatione ad Deum, tunc honeſtas hæc creata amatur ſolum tanquam finis ultimus ipſius actus, ſeu operis non ultra de ſe tendentis, non vero amatur tanquam finis ultimus amantis, ſeu operantis, quatenus hic velit in hoc creato objecto ſuum ultimum finem conſtituere, illudque tanquam numen colere. Hic amor reſpiciens honeſtatem creatam cultus Deo exhibiti, tanquam finem ultimum operantis, procul dubio eſſet impius, & ſuperſtitioſus; at amor reſpiciens eandem honeſtatem creatam, ut finem ultimum operis, eſt religioſus, ac pius; quippe qui terminatur ad objectum conforme rationis dictamini, ac Deo gratum: unde, ut alias diximus, eſt quidam Dei amor, non quidem formalis, cum non ſpectet ad charitatem, ſed late ſumptus, ſpectans ad virtutem moralem a Theologalibus condiſtinctam. Quod ſimiliter dicendum de objectis aliarum virtutum moralium. Propterea deficiente charitate adhuc poteſt in peccatore tam Deus eſſe per actus fidei, ac ſpei, quam vera Religio, cujus actus terminentur ad honeſtatem creatam

cul-

cultus Deo exhibiti, quæ ſolum eſt finis ultimus operis, relate vero ad operantem eſt finis ultimus ſolum negative, quatenus non ordinat actu amorem hujus objecti creati ad Deum; non eſt tamen finis ultimus poſitive, ita ut in eo beatitudinem collocet, præferendo creaturam Creatori. Hoc enim præſtat peccator ſolum quando diligit objectum turpe; ſiquidem tunc Deus ipſe contemnitur, (dicitur enim univerſim de prævaricatoribus Iſaiæ 1. *Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me*) & quodammodo finis ultimus in objecto illo turpi affective reponitur. Profecto theſis hæc in alio Codice Aſcetico poſſet non male audire, & ſolum denotare ex adjunctis, quod per peccatum exulet a corde peccatoris tum Deus per gratiam, tum etiam Religio, quatenus peccator falſum Numen colit, præponendo creaturam Creatori, illamque ſibi habendo pro Idolo, prout dicitur ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter eſt*: At ſecundum ſe in proprio, ac germano verborum ſenſu eſt erronea, ut oſtendimus; & multo magis eſt erronea ex adjunctis in Queſnelli Codice; tum quia non ſemel in ejus theſibus hic error aliis aliiſque verbis diſſeminatur; tum etiam quia paſſim in eo recuduntur errores Janſenii, inter quos poſtremum non obtinet locum, quod nulla detur virtus a charitate diſtincta. Proſcribenda proinde fuit hæc theſis, tum in ſenſu germano, & obvio, quem præſeferunt verba, tum etiam ex adjunctis ad mentem Auctoris.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſum Theſim LIX.

QUinquageſima nona citra horrorem audiri non poteſt, cum doceat Impiorum orationem eſſe novum peccatum, & quod per illam conceditur, eſſe novum in eos judicium: ita ut non ſolum de oratione tanquam de nova culpa, ſed etiam de beneficiis ſive ſpiritualibus, ſive temporalibus ſibi collatis ob preces Deo exhibitas judicandi, ac puniendi ſint peccatores, quomodocumque iis utantur; quaſi vero ſit novum etiam peccatum qualiſcunque uſus ſive bonus, ſive malus quorumcunque bonorum, quæ Deus impiis orantibus elargitur. Inhæret in hac theſi Queſnel. veſtigiis Baji, cujus trigeſimaquinta ex profligatis theſibus habet: *Omne, quod agit peccator, ſive ſervus peccati, peccatum eſt*: & quadrageſima: *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit cupiditati dominanti*: Sicut etiam ſexageſimaquinta: *Nonniſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis lib. arb. bonus, ſive non malus, & gratiæ Chriſti injuriam facit, qui ita ſentit, & docet*. His, aliiſque ejuſdem furfuris Bajanis, ac Janſenianis theſibus inſtructus Baji, ac Janſenii Aſſecla docuit in quadrageſimaquarta, & ſequentibus, duos eſſe dumtaxat in homine amores, alterum perfectæ charitatis bonum; alterum carnalis cupiditatis malum: propterea peccatoris oratio, & uſus beneficiorum Dei, cum non promanent a charitate, dicuntur non eſſe immunes a nova culpa. Conſtat autem non eſſe culpabiles, quin etiam eſſe commendabiles, multas, etiam Ethnicorum, ſtudioſas operationes, eaſque a Deomet commendatas, ac remuneratas in hac vita, ut diximus in theſi 41. & 48. & pluribus in locis advertit Auguſtinus, præſertim lib. contra mendacium cap. 15. ubi habet; *Quod ſcriptum eſt, bene Deum feciſſe cum Hebræis obſtetricibus, & cum Rahab Hierichuntina meretrice, non ideo factum eſt, quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt*. Quod ſi virtutes inferioris notæ Deus commendat, ac remuneratur; quanto magis Deo grata erit etiam Ethnicorum oratio, naturæ viribus elicita, in qua plures actus ſtudioſi erga Deum exercentur, adorationis, humiliationis, fiduciæ, & ſimiles? ed longe gratior Deo eſt oratio fidelium impiorum viribus gratiæ elicita, quæ de ſe meritoria de congruo, ac impetratoria eſt novi auxilii ſuperni, quo bene utatur peccator, quouſque perveniat ad juſtificationem, juxta doctrinam Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. Sic Lucæ 18. Publicanus ille, poſtquam oravit dicens, *Deus propitius eſto mihi peccatori*, reverſus eſt in domum juſtificatus: oratio enim, ac deprecatio peccatoris nata eſt non irritare, ſed placare Deum iratum, ac miſericordiam implorare ſimul, & obtinere. Quod ſi ea eſſet novum peccatum, deberet peccatoribus oratio Dominica inhiberi, quia omnes præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati audemus Patrem noſtrum exorare, ut dimittat nobis debita noſtra. Et filius prodigus decernens petere humiliter a Patre, ut faceret ſe tanquam unum de mercenariis ſuis, non ad miſericordiam illum commoviſſet, quin potiuſ ejus iracundiam excitaſſet, ſi verum eſſet, quod impiorum oratio ſit nova culpa, & quod Deus illis concedit, ſit novum in eos judicium. Ex quo etiam fieret, quod peccator in Sacramento Pœnitentiæ deberet ſe accuſare, quod a

Deo auxilium poſtulaſſet ad evadendas dæmonis inſidias, & ad veniam delictorum exorandam. Quo quid abſurdius dici, aut fingi poteſt? Illud hic mirari non deſinam, quod cum tam enormiter Janſeniani deſipiant, adhuc tamen tot, ac tamdiu ſuos habent Aſſeclas.

Adverſus hæc objectant paſſim, quod oratio appelletur victima labiorum, juxta illud Oſeæ 14. *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum*; victimæ autem, ſi offerantur ab impiis, non ſunt acceptæ coram Deo; dicitur enim Prov. 15. *Victimæ impiorum abominabiles Domino*: ergo oratio impiorum non eſt accepta Deo, ſed abominabilis, & peccaminoſa. At contra eſt, quia illę dumtaxat victimæ impiorum ſunt abominabiles, quæ ſunt impiorum qua talium, ſeu quæ procedunt ex pravo affectu, ac intentione, atque adeo cum ſcelere, non vero quæ ſunt quidem impiorum, ordinantur tamen ad placandum Deum iratum, qualis eſt oratio impii directa ad petendum a Deo auxilium ad reſurgendum.

PROPOSITIO LX.

Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ducit ad deſperationem. *Queſnell. Matth.* 27. 5. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXI.

Timor nonniſi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur. *Queſn. Luc.* 20. 59. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXII.

Qui a malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo. *Queſ. Matth.* 21. 46. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXIII.

Baptizatus adhuc eſt ſub lege, ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore. *Queſn. Rom.* 6. 14. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXIV.

Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur ſive faciendo malum, ſive illud nonniſi ob timorem evitando. *Queſnel. Gal.* 5. 18. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXV.

Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui ſunt abſque eo quod ullum Deo dederint Filium, cum non effecerint niſi mancipia per timorem. *Queſn. Marc.* 12. 19. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXVI.

Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem, ſicuti beſtiæ, ſed per fidem, & per amorem, ſicuti filii. *Queſn. Hebr.* 13. 20. *edit.* 1693.

PROPOSITIO LXVII.

Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem. *Queſn. Luc.* 19. 21. *edit.* 1993.

SYNOPSIS.

I. Dum retrahit nos Queſnellus a timore ſervili, retrahit pariter a charitate, ad quam timor manuducit. II. Non ſemel conſimiles harum the-

theſium errores a Pontificibus, & a Conciliis confixi ſunt. III. Solus timor ſervilis formaliter eſt vitioſus, utpote retinens affectum ad culpam, non tamen ſervilis materialiter, nedum initialis, aut filialis.

IV. Timorem ſervilem eſſe rectum, & ſupernaturalem oſtendunt Scripturæ, & Tridentinum.

V. Eſto non procedat ex amore charitatis.

VI. Nec ſit Initialis imbibens aliquem charitatis affectum, ſed ſit pure ſervilis. VII. Eſt quippe charitatis oſtiarius, & manuductor.

VIII. In eo actu neque ex parte objecti materialis, neque ex parte formalis apparet turpitudo. IX. Dum odio habetur peccatum ex timore pœnarum, non excluditur objectum præſtantius charitatis, ſed ab eo præſcinditur.

X. Congeruntur plures Theologicæ ratiocinationes ſuadentes rectitudinem timoris ſervilis.

XI. Si odium peccati ortum ex metu eſſet ſecundum quid involuntarium, per hoc quod includeret aliquem affectum liberum erga illud, proculdubio eſſet peccaminoſum; ſecus vero ſi ſolum includat aliquem affectum ineſficacem, & non liberum; & in hoc caſu attritio non dicitur eſſe coacta. XII. Quamvis requireretur actus amoris erga juſtitiam, ad hoc ut odium injuſtitiæ ſit virtuoſum; at amor hic juſtitiæ non deberet oriri ex charitate. XIII. Judæi legem implebant ex timore pœnæ mundano involvente affectum erga culpam, non ex timore ſervili, & ſupernaturali. XIV. Deteſtatio peccati ob timorem pœnæ fert quidem amorem ſui, ſed non inordinatum; & quamvis eo actu magis odio habeatur pœna, quam culpa, non inde fit, quod ceſſante timore pœnæ, haberetur affectus ad culpam. XV. Hinc omnes, & ſingulæ iſtæ theſes corruunt.

I. TImorem ſervilem in hiſce Theſibus tanquam hoſtem virtutis teterrimum repræſentat Queſnellus, vim inferentem, & coactionem, quæ aditum aperiat deſperationi. Illum vult peccato cor addicere, ſi ſejungatur ab amore juſtitiæ; & reatum coram Deo habere pediſſequum, quamvis a culpa animum avocet, per hoc quod non avocet ex motivo charitatis. Chriſtifidelem æque ac Judæum docet eſſe ſub lege, non vero ſub gratia, ſi metu dumtaxat pœnæ ad legem implendam adducatur; ut proinde quamvis ſit ſub lege gratiæ, quæ amorem juſtitiæ poſtulat, adhuc videatur eſſe ſub ſervitute peccati, ſeu ſub lege, in qua maledictum, & peccatum dominabatur, (ut explicavimus ex Auguſtino in theſi ſeptima) eo quod timore dumtaxat pœnæ homines cogebat ad legis obſervantiam; quamobrem peccarent tam faciendo malum, quam illud nonniſi ob timorem evitando. Negat Moyſen, & Prophetas, ac legis ſcriptæ Doctores ullum induxiſſe ad Dei filiationem adoptivam, & ad obtemperandum divinis mandatis ex amore filiali, putans omnes, quotquot ad legis obſervantiam comminationibus, ac flagellis perterriti iuducerentur, eos tanquam mancipia timore ſervili, non filiali, atque adeo non ſine culpa voluiſſe culpam declinare, ac legem implere; quinimo tanquam belluas potius ob timorem, non tanquam filios per fidem, & amorem ad Deum appropinquaſſe; Timor quippe ſervilis ſub oculos hominum ponit Deum velut ſagittas jaculantem, & fulmina intorquentem, immitem, illacrymabilem, & injuſtum. Hæc omnia Queſnellus congerit adverſus timorem ſervilem, perinde quaſi velit ad filialem Dei dilectionem nos allicere. At revera retrahendo nos a timore indiviſim nos pariter retrahit ab amore, cum ille ad hunc manuducat, & raro admodum eveniat, ut ad aulam charitatis aliunde pateat aditus, quam per oſtium timoris; cum dicatur Eccleſ. 25. *Timor Dei initium dilectionis ejus.* Dum autem Queſnellus docet, timorem compellendo ad pœnitentiam inducere in deſperationem, ipſe fucatis iſtis perſuaſionibus homines inducit ad deſperandum. Cum enim ex una parte inſtanter inculcet, neminem per viam timoris incedere, niſi greſſibus peccaminoſis, qui ducunt ad perditionem; & aliunde via dilectionis, quæ ad ſalutem ducit, editiſſima ſit, & ſui abnegationem expoſcat, quid ſupereſt homini, quam ut in barathrum deſperationis ſponte ſe conjiciat? Præſertim quia juxta doctrinam harum theſium charitas non confertur a Deo volentibus, conantibus, laborantibus, orantibus, ſed iis dumtaxat, quos Deus ad arbitrium voluit in ſyllabum Electorum aſcribere; neque enim eſt in manu voluntatis gratiam efficere efficacem, ſed in manu Dei illam conferre citra ullam voluntatis cooperationem, ut dicitur in theſi vigeſimaprima, & ſequentibus.

II. Quod admirationem non levem hac in re excitat, illud eſt, quod cum proſcripta fuerit paucis ab hinc annis ab Alex. VIII. theſis illa 14. dicens, *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis;* necnon decimaquinta dicens: *Attritio, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis;* Cum tam diſerte Tridentinum anathematizaverit ſeſſ. 14. Can. 5. *qui dixerit, dolorem ex gehennæ metu conceptum non eſſe utilem, & ad gratiam non præparare;*

nec-

necnon ſeſſ. 6. Can. 8. *qui dixerit, gehennæ metum, per quem ad Dei miſericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere*; adhuc tamen in hiſce theſibus errores iſti toties damnati, & ad vivum exuſti iterum reviviſcunt: perinde quaſi triumphum reportent Janſeniani, ſi adverſus tot Pontificis ex Cathedra loquentis definitiones, & adverſus Œcumenici Concilii Tridentini Canones adverſa fronte pugnam committant. Quis autem niſi mentis impos adverſus Eccleſiæ dogmata auſit militare?

III. Ut autem oſtendam futiles eſſe, ac umbratiles ratiocinationes, quibus Adverſarii conantur errores harum theſium propugnare, paucis oſtendam prius timorem ſervilem non ſolum vacare culpa, ſed etiam eſſe laudabilem, & timorem gehennæ eſſe ſupernaturalem, ut diximus ex theſi decima quarta proſcripta ab Alexandro VIII. Quod ut rite percipiatur, advertendum cenſeo ex D. Thoma 2. 2. quæſt. 19. art. 2. Timorem dividi in filialem, initialem, ſervilem, ac mundanum: Quos omnes ſic explicat Doctor Angelicus: *Cum objectum timoris ſit malum, quandoque homo propter mala, quæ timet, a Deo recedit, & iſte dicitur Timor humanus, vel mundanus: Quandoque autem homo propter mala, quæ timet, ad Deum convertitur, & inhæret: quod quidem malum eſt duplex, ſcilicet malum pœnæ, & malum culpæ. Si ergo aliquis convertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor ſervilis. Si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis, nam filiorum eſt timere offenſam Patris; ſi autem propter utrumque, eſt timor initialis, qui eſt medius inter utrumque timorem.* Impræſentiarum autem agendum de timore ſervili, quo quis culpam fugit, ne pœnam incurrat, non quatenus culpam vellet, ſi abeſſet pœna; nam hujuſmodi timor procul dubio eſt peccaminoſus, utpote imbibens affectum ad culpam; (quicquid ſit utrum talis timor dicatur Mundanus, quatenus vi talis timoris homo res mundanas amans a Deo recedit actu interno peccaminoſo, an vero Servilis in quantum ſervilis, ut loquitur Angelicus 2. 2. qu. 19. arr. 4., qua ſcilicet vi illius ſolum pœna timetur, quin ullatenus ametur juſtitia) ſed quatenus præciſe is timor adhibetur tanquam medium ad culpam fugiendam; & hunc non ſolum vacare culpa, ſed etiam eſſe actum ſupernaturalem, ſi procedat a lumine ſupernaturali, docent Catholici contra Janſenianos. Dicitur autem timor hic procedere a lumine ſupernaturali, quoties lumine naturali non poteſt attingi malum, quod timetur, ut eſt gehenna, & quævis pœna ut procedens a Deo culparum vindice; propterea ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. Attritio, quæ ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, dicitur eſſe donum Dei, & Spiritus Sancti impulſus, qui ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ diſponit, ac propterea eſt actus bonus, & ſupernaturalis; cum non poſſit ad gratiam, quæ eſt ſupernaturalis, diſponere, niſi actus ſupernaturalis, eo quod in eodem genere debeat eſſe diſpoſitio, & forma.

IV. Oſtenditur autem, quod hic timor ſervilis ſit bonus, & rectus, quia paſſim in Scripturis Deus hunc timorem incutit, ut homines a culpa removeat, illumque commendat: ergo adhibere hujuſmodi medium ad culpam fugiendam de ſe eſt bonum; eſto medium præſtantius ſit proponere bonitatem divinam, quæ per culpam offenditur, ut ex amore Dei a culpa fugiamus. Antecedens conſtat. Nam Lucæ 13. dicitur: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Lucæ 12. *Oſtendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete.* Pſal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui.* Malach. 1. *Si ego Pater, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus; ubi eſt timor meus?* Eccleſ. 25. *Timor Dei initium dilectionis ejus.* Prov. 14. *Timor Dei fons vitæ, ut declinent a ruina mortis.* Cum autem in his, & aliis plurimis Scripturæ locis modo timor Dei Vindicis commendetur, modo ad timorem gehennæ, & pœnarum homines cohortentur, modo timor a Deo nobis miſericorditer conferri dicatur, manifeſtum eſt, illum eſſe rectum, & laudabilem, & ſi procedat a fidei lumine, eſſe ſupernaturalem, ac meritorium, non vero vitioſum. Quod pariter oſtendunt verba laudata Tridentini appellantis illum, Donum Dei, ac Spiritus Sancti impulſum. Et in eadem ſeſſ. 14. Can. 5. definit Concilium, dolorem peccati conceptum ex conſideratione pœnarum Inferni eſſe utilem, ac præparare ad gratiam: quæ omnia luculenter indicant timorem ſervilem non eſſe vitioſum, ſed laudabilem, eſto perfectior ſit timor filialis.

V. Neque dicant primo Heterodoxi, ex his Scripturæ, & Tridentini locis ſolum inferri, quod ſit bonus, & rectus timor pœnarum, qui ex amore charitatis procedit, & in Deum tanquam in ultimum finem refertur, non vero timor pure ſervilis, qui nul-

nullatenus ex amore charitatis ad Deum dirigatur : Ad eum modum quo ex doctrina Auguſtini actio naturalis comedendi, alendi filios, & ſimiles, ſi referatur ad Deum, eſt actio recta, & laudabilis ; ſecus vero ſi deſtituatur tali relatione.

Nam hoc ipſum eſt, quod Tridentinum damnat adverſus Lutherum : qui ſolum negabat timorem pure ſervilem eſſe donum Dei, non vero timorem pœnarum ortum ex affectu charitatis. In Epiſt. enim ad Sulpicium hæc habet Lutherus : *Pœnitentia vera non eſt, niſi quæ ab amore juſtitiæ, & Dei incipit, & hoc eſt principium pœnitentiæ.* Et eandem rationem ſui erroris reddit Lutherus in ſerm. de Pœnitentia, quam adducunt nunc Janſeniani : quia ſcilicet *quo magis timore pœnæ, & dolore damni homines conteruntur, eo magis peccant, & afficiuntur ſuis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odiſſe.* Quare in his theſibus idem error olim a Tridentino damnatus iterum recuditur. Conſtat autem ex verbis laudatis tum Scripturarum, tum Tridentini, approbari timorem, & dolorem ortum a conſideratione pœnarum, nulla facta mentione charitatis ; atque adeo ſecundum ſe timor ſervilis, etiam ſejunctus a charitate, culpa vacat, & eſt Dei donum. Præſertim quia in loco laudato Eccleſiaſtici hujuſmodi timor dicitur aperte eſſe initium dilectionis ; quod ſi ex charitate procederet, charitas, quæ illum imperat, eſſet initium timoris, & non e converſo timor initium charitatis. Et Tridentin. ſeſſ. 6. cap. 6. docet hoc idem verbis illis ; Peccatores *a Divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.* Quare vocatur utilis timor ſervilis, & ſimul dicitur eſſe initium dilectionis, unde non profluit a charitate, ſed viam munit ad illam. Præterquamquod ſi timor ſervilis ſecundum ſe eſſet vitioſus, non poſſet a charitate imperari, & ad Deum referri ; cum non poſſit actus in ſe malus ex amore Dei diligi, ac in Deum referri. Poſſunt ſolum referri in Deum actiones illæ natura ſua rectæ, (videlicet actio alendi filios, ac vitam conſervandi) quippe quæ non ſunt malæ per hoc præcife, quod non referantur ad Deum actu, & formaliter, ut diximus in expoſitione theſis 53. ex eodem Auguſtino ; cum ſatis ſit quod natura ſua, implicite & virtualiter ob earum honeſtatem ad Deum referantur ; ſunt tamen malæ, ſi non referantur ad Deum, ſimul poſitive referantur ad finem pravum.

VI. Neque dicant ſecundo, Scripturas, & Tridentinum loqui de timore filiali, aut ſaltem initiali, quo poſſumus ex charitate utrumque ſimul horrere, ac fugere, videlicet Dei offenſam, & gehennam.

Nam recurrunt eædem reſponſiones modo allatæ, quod ſolum mentio ibi fiat de timore pœnarum ; & ſolus hic timor dicebatur vitioſus a Luthero, quem damnat Tridentinum. Præterquamquod Apoſtolus ad Roman. 8. loqens de utroque amore ſervili, & filiali, utrumque dicit eſſe donum Dei : hæc enim habet : *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum :* ubi Gloſſa addit : *Unus ſpiritus eſt, qui facit duos timores, ſervilem, & caſtum.* Hinc D. Bonaventur. lib. 5. de Grat. Sanctific. ca. 4. dicit : *Timor ſervilis donum Spiritus Sancti eſt, nec tamen eſt cum Spiritu Sancto, ſicut aurora eſt a Sole, nec tamen cum Sole eſt. Timor ſervilis Spiritui Sancto locum præparat, & eum, ſicut ſeta filum, introducit.* Et Auguſt. de verbis Apoſtol. ſerm. 13. habet : *Timor ſervus eſt charitatis. Ne poſſideat diabolus cor tuum, præcedat ſervus in corde tuo, & ſervet Domine venturæ locum : fac vel timore pœnæ, ſi nondum potes amore juſtitiæ.* Et ſerm. 18. de verbis Domini cap. 12. *Adhuc timor ille ſervilis eſt, cuſtos quidem malorum, ut abſtineant ſe a malis, & abſtinendo digni ſint ad ſe admittere charitatem.* Quomodo autem poterit dici malus timor, qui eſt oſtiarius charitatis, quæ regina virtutum eſt, & ad illam homines introducit ? ita tamen introducit, ut deinde a charitate expellatur, non quidem ut malus, ſed ut minus bonus, ac perfectus ; dicitur enim 1. Joan. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem.* Hinc Auguſt. ſerm. 14. de Tempore habet : *Cum per timorem pœnæ bona vita retinetur, per bonam vitam bona conſcientia comparatur, ut per bonam conſcientiam nulla pœna timeatur. Quapropter diſcat timere, qui non vult timere.* Et idem S. Doctor tradit, Apoſtolum per timorem ſervilem tranſiiſſe ad perfectam charitatem ; ſiquidem prius fuit timore perterritus, quando proſtratus divina virtute, tremens, ac ſtupens exclamavit Act. 9. *Quid me vis facere ?* & ſic deinde ad Deum diligendum ſecluſo timore gradum fecit. Hæc ſunt verba Auguſtini epiſt. 50. *Quem major timor compulit ad charitatem, ejus perfecta charitas foras miſit timorem.* Charitas autem non expellit timorem filialem ; nam de hoc timore dicitur Pſ. 18. *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi ;* ſed timorem ſervilem, utpote

cum

cum perfecta dilectione incongruum, licet ſit introductorius ad illam.

VII. Adde, vix accidere, ut aliquis ad Deum convertatur, niſi prius aliquo timore perterrefiat: quod advertit Auguſtinus de catechizandis rudibus cap. 5. dicens: *Rariſſime accidit, immo vero nunquam, ut quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo timore Dei perculſus.* Et propterea Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 10. dicit: *Fundamentum, & firmamentum fidei, ac ſpei eſſe timorem.* Quis autem dixerit illum eſſe malum, a quo tam ingentia bona promanant? & quomodo dici poterit, quod a charitate procedat, ſi deſervit charitati, ad illam introducit, & ab eadem expellitur, non quia malus eſt, ſed quia cum perfecta dilectione non cohæret? non ſecus ac fides in patria expellitur a viſione Dei, non quia fides non ſit virtus, & quidem Theologalis, ſed quia nequit cum Dei viſione habere conturbernium. Unde Baſilius in Pſ. 32. dixit: *Neceſſario velut introductorius ad pietatem timor aſſumitur: dilectio vero deinceps ſuccedens a timore ſcientifico adoptatos perficit.*

VIII. Nec ſolum luculentis, ac innumeris auctoritatibus, ſed rationibus etiam Theologicis demonſtratur bonitas, & rectitudo timoris ſervilis, quo quis a culpa refugit ex hoc duntaxat motivo, ne pœnam incurrat: ſecluſo tamen affectu illo pravo, quod culpam amaret, ſi pœnam non haberet pediſſequam. Et primo, quidem a priori, quia in odio peccati ex motivo declinandi gehennam neque apparet turpitudo ex parte objecti materialis; cum ſit conforme rationi, ac divinæ legi peccatum odiſſe: neque ex parte objecti formalis, & motivi: quia rationi pariter, & conſiliis, ac admonitionibus divinis conſentaneum eſt, quod ab ira Dei vindicis, & a gehenna refugiamus: quoties autem actus honeſtatem habet, & naturæ dictamini concordat tum ex parte objecti materialis, tum ex parte objecti formalis, non poteſt non eſſe rectus, & ſtudioſus: ergo hujuſmodi eſt timor ſervilis.

IX. Neque dicant Janſeniani, quod deteſtans culpam præciſe ad vitandam pœnam hoc ipſo habeat affectum ad culpam, & idcirco timor ſervilis ſit peccaminoſus.

Nam hoc aſſumptum eſt omnino gratuitum, & falſum: poteſt quippe voluntas odiſſe, aut amare aliquod objectum ex uno motivo, & ſolum præſcindere ab alio, quin illud poſitive excludat: v. g. poteſt quis deteſtari peccatum ob ingratitudinem erga Chriſtum redemptorem, præſcindendo a motivo bonitatis divinæ, quæ per peccatum offenditur, quin tamen talis actus excludat poſitive hoc ſecundum motivum, & implicite dicat, ſi non daretur motivum redemptionis, non odiſſem peccatum ex motivo Divinæ bonitatis: ita pariter odio habens peccatum ob ſolum motivum gehennæ præſcindit ab alio motivo proprio charitatis; unde non dicit implicite, quod ſi non daretur gehenna, non odio haberet peccatum ob motivum divinæ bonitatis; quoniam autem præſcinditur ab hoc alio actu peccaminoſo, ideo nulla turpitudo in eo primo actu continetur. Sicut enim in intellectu *Præſcindentium non eſt mendacium*, juxta commune proloquium, ita in voluntate *Præſcindentium non eſt malitia.* Sic fur, qui dum ducitur ad patibulum, deteſtatur furtum ob ſolum motivum ſuſpendii, non peccat, ſi præſcindat ab alio motivo, quod ſit offenſa Dei; peccaret autem, ſi illud excluderet poſitive, dicendo, quod non deteſtaretur peccatum ex motivo offenſæ divinæ, ſi deeſſet ſuſpendium. Sic etiam qui ſolvit debitum pauperi ex motivo juſtitiæ, non eatenus debet dicere, quod non conferret illi pecuniam ex motivo miſericordiæ, ſi ea non deberetur ex juſtitia; cum poſſit ab hoc ſecundo actu præſcindere.

X. Secundo, ſi timor ſervilis non eſt malus, quando imperatur a charitate, non eſt malus ſecundum ſe, cum non poſſit actus malus a charitate imperari, & ſic evadere bonus.

Tertio, Si dolor ex ſolo motivo pœnarum eſſet malus, non poſſet ultimo diſponere ad juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ; quod autem diſponat, negari non poteſt, cum ſit actus ſupernaturalis, ut conſtat ex proſcriptione theſis decimæquintæ facta ab Alexand. VIII. quæ habet: *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.*

Quarto, quia timor, qui elicitur a virtute ſpei Theologicæ, eſt bonus, & ſupernaturalis; hujuſmodi autem eſt timor ſervilis, quo quis fugit culpam, ne incidat in gehennam: ergo. Probatur minor, quia virtuti ſpei competit elicere timorem de malo, quod opponitur bono iliam ſpecificanti; cum ad eandem virtutem, ad quam ſpectat proſequi bonum proprium, ſpectet etiam fugere a malo, quod bono proprio talis virtutis opponitur; atqui bonum ſpecificans ſpem Theologicam eſt æterna beatitudo, & malum huic oppoſitum eſt gehenna: ergo ad eandem virtutem ſpei ſpectat & proſequi beatitudinem, & fugere a gehenna, atque adeo ob timo-

rem

rem gehennæ fugere a culpa, quæ ad illam inducit: Sicuti quia bonum, quod ſpecificat charitatem, eſt Divina bonitas, prout eſt in ſe, & malum huic oppoſitum eſt offenſa Dei, idcirco ad eandem virtutem charitatis ſpectat & amore proſequi divinam bonitatem, & fugere ab offenſa Dei, atque adeo ob timorem filialem nolle Deum offendere. Quare ſicut timor filialis ſpectat ad virtutem theologicam charitatis, ita timor ſervilis ad virtutem ſpei theologicæ; unde bonus eſt, & ſupernaturalis.

Quinto, quia poteſt quilibet ex timore gehennæ nolle ſimpliciter peccare, ut patet; atqui ſi timor iſte eſſet peccaminoſus, qui ex timore gehennę nullum vult committere peccatum, deberet hunc ipſum timorem nolle, utpote peccaminoſum, atque adeo vellet, & nollet hunc timorem ſervilem, quod repugnat.

XI. Opponitur primo, quia omnia, quæ ex timore fiunt, ſunt involuntaria, ita ut ceſſante malo, quod timetur, non fierent; ſicut projectio mercium ex timore naufragii eſt involuntaria, & coacta, & non poneretur, ſi naufragium non immineret: ergo qui fugit a culpa ex timore gehennæ, a culpa nollet recedere, ſi deeſſet gehenna, atqui hic actus eſt aperte peccaminoſus; ergo timor ſervilis eſt peccaminoſus. Antecedens docetur tum ab Angelico p. 2. qu. 6. art. 7. ubi dicit: *In eo, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id, quod agitur, ſecundum quod in ſe conſideratur*: Tum ex Auguſtino in epiſt. ad Galat. ubi habet: *Timore iſta implere cogebantur*. Et infra: *Qui per charitatem ſervit, libere ſervit, & ſine miſeria, obtemperans Deo cum amore, faciendo, quod docetur, non cum timore, quod cogitur*; quoties autem legis obſervantia eſt coacta, & involuntaria, non poteſt non eſſe peccaminoſa.

Confirmatur, quia juſtitia, quæ ponitur ob timorem pœnæ, juxta phraſim Apoſtoli, dicitur eſſe juſtitia ex lege, quippe quæ ponitur ex metu legis perterrefacientis; atqui juſtitia, quæ eſt ex lege, eſt culpabilis; ergo timor inducens ad hanc juſtitiam culpabilem eſt pariter peccaminoſus. Minor probatur. Ad Philipp. enim cap. 3. dicit Apoſtolus: *Secundum juſtitiam, quæ ex lege eſt, converſatus ſine querela: Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta*: ſignificans contemnendam eſſe juſtitiam, quæ eſt ex lege, ſeu quæ fit ob timorem legis terrentis. Propterea notavit Fulgentius lib. de Incarn., & Grat. cap. 27. Cum in illa juſtitia, quæ ex lege eſt, ſine querela converſaretur Apoſtolus, fuiſſe ſe impium non negat.

Reſpondeo, hunc ipſum fuiſſe Lutheri errorem, quod ſcilicet attritio ex ſolo metu concepta ſit coacta, & involuntaria; hæc enim habet ſerm. de Pœniten. *Quo magis timore pœnæ conteruntur, eo magis peccant, & afficiuntur ſuis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odiſſe*. Adverſus hunc errorem, Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. loquens de hac contritione, quæ dici ſolet attritio, decrevit in hæc verba: *Falſo docent contritionem eſſe extortam, & coactam, non liberam, & voluntariam*, & can. 5. anathematizat, *qui dixerit, illum eſſe dolorem coactum, & non liberum, & voluntarium*. Quare dicendum dupliciter poſſe eſſe involuntarium, quod fit ex metu: primo quidem contra affectum actualem de ſe efficacem, & nobis liberum, ratione cujus voluntas vellet oppoſitum, ſi malum non immineret: ſecundo contra affectum inefficacem, & neceſſarium. Si primo modo quis doleat de culpa ob timorem pœnæ, habendo affectum efficacem erga culpam, ſi deeſſet pœna, proculdubio peccat; & talis dolor dici ſolet abſolute involuntarius, quatenus habetur affectus efficax, & liber objecti vetiti, ſeu culpæ, de qua habetur coactus dolor. Et de his actibus meticuloſis dicit Angelicus, quod fiant coacte, & cum repugnantia voluntatis: At ſi ſecundo modo quis doleat non peccat; quia affectus ille inefficax, cum non ſit liber, non poteſt imputari ad culpam: Nec talis dolor dicitur coactus, ſeu contra actum efficacem in oppoſitum; dicitur tamen eſſe involuntarius ſecundum quid, & voluntarius ſimpliciter, juxta doctrinam Angelici p. 2. qu. 6. art. 6. ubi cum Philoſopho lib. 3. Et hic cap. 1. docet omnia, quæ ex metu fiunt, eſſe ſimpliciter voluntaria, & ſolum ſecundum quid involuntaria ratione affectus inefficacis, & inevitabilis erga bonum oppoſitum malo, quod imminet. Nihilominus poteſt aliquid fieri ex metu, ita tamen, ut nec fiat coacte, nec actus ſit involuntarius ullo pacto, neque ſecundum affectum efficacem, & liberum erga bonum oppoſitum, neque ſecundum affectum inefficacem, & naturaliter conſurgentem, atque adeo non liberum; & hoc accidit quoties aliquid ita fit ex metu, ut tamen in tali operatione nulla ſit difficultas, & moleſtia, nec inclinatio in oppoſitum; ut ſi quis ex metu v. gr. gehennæ deteſtetur peccatum, ad quod tamen nullam habet inclinationem, ut proinde in tali deteſtatione nullam patiatur moleſtiam, & nullus conſurgat affectus inefficax in oppoſitum. Cæterum

ſive

ſive deteſtatio culpæ ex metu gehennæ fiat ſine tali affectu inefficaci in oppoſitum, & ſit omnimode voluntaria, ſive fiat cum tali affectu inefficaci non libero, & ſit ſecundum quid involuntaria, nunquam tamen dicitur eſſe coacta, cum non fiat contra actum efficacem liberum in oppoſitum. Immo nonnemo docet illa tantum, quæ fiunt ex metu, dici involuntaria ſecundum quid, quæ ſunt coacta, ſeu contra actum efficacem, & liberum, non contra actum ineſficacem, & naturalem in oppoſitum; & quod in tantum quæ fiunt ex metu dicantur univerſim eſſe involuntaria ſecundum quid, in quantum ut plurimum fiunt cum actu libero in oppoſitum; Sicut qui projicit merces ex metu naufragii, poſitive nollet eas projicere, ſi naufragium non immineret. Sed quicquid ſit de hoc, illud certum eſt, quod actu poſitivo in oppoſitum carere debeat attritio ex metu gehennæ, & pœnarum præciſe concepta, quam Tridentinum definit non eſſe extortam, & coactam, ſed liberam, & voluntariam, & quæ eſt actus bonus, & ſupernaturalis; eſſet tamen coacta, & peccaminoſa, ſi ſtaret cum affectu libero ad culpam, quam vellet patrare, qui illam deteſtatur, ſi non daretur gehenna.

Ad confirmationem, juſtitia, & legis obſervantia, quæ ponitur ex lege perterrefaciente, tunc ſolum ſtat cum injuſtitia interna, quando eſt coacta, & cum actu efficaci, & libero, quod nollet homo legem ſervare, ſi poſſet declinare pœnas a lege indictas adverſus inobſervantes; cujuſmodi ut plurimum erat juſtitia Judæorum, qui erant ſub peccato legis, hoc eſt quibus peccatum dominabatur. Quod ſi deſit hic affectus liber in oppoſitum, juſtitia non poteſt non eſſe laudabilis; nec dicitur eſſe coacta, quamvis ex metu pœnæ præciſe ponatur, & non ex motivo charitatis.

XII. Opponitur ſecundo, quia ad tollendam perverſam voluntatem peccandi, & affectum erga culpam requiritur amor juſtitiæ ortus ex charitate; hic tamen non habetur, quoties quis ex præciſo metu pœnæ culpam deteſtatur: ergo per talem actum non tollitur, ſed fovetur affectus erga culpam. Antecedens probatur ex Auguſt. lib. 3. contra Adverſ. Legis, & Prophet. cap. 7. ubi habet: *Deſiderium peccandi non extinguitur, niſi contrario deſiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur.* Et ſimiliter infra habet: *Deſiderium peccati per prohibitionem non extinguitur per jubentem literam timore pœnæ, ſed per juvantem Spiritum dilectione juſtitiæ.* Et alibi non ſemel docet, quod timor non tollat, ſed premat tantum cupiditatem peccandi; ut proinde neceſſarius ſit amor juſtitiæ, ut animus a peccati amore avertatur.

Confirmatur, quia idem Auguſt. lib. de ſpir., & lit. cap. 8. docet, iram Dei exarſiſſe tam adverſus Judæos, qui legem violabant, quam adverſus illos, qui legem implebant; quia ſolum implebant timore pœnæ, non amore juſtitiæ. Hæc ſunt verba S. Doctoris; *Qui & quicunque faciebant, quod lex jubebat, non adjuvante Spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore juſtitiæ; ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere, potiuſque ex illo rei tenebantur.*

Reſpondeo, quod licet requireretur ad tollendum affectum erga culpam aliquis amor juſtitiæ; at non per hoc debet eſſe amor Dei ortus a charitate infuſa; cum ſufficiat aut amor juſtitiæ ortus a virtute ſpei (quatenus timor ghennæ promanat ab amore boni oppoſiti, quod eſt æterna beatitudo, quæ eſt ſpei Theologicæ objectum formale) aut amor juſtitiæ, ſeu quilibet actus virtuoſus, quo juſtitiam, ſeu legis obſervantiam diligimus. Et quamvis aliquando Auguſtinus dicat requiri amorem charitatis; nihilominus nomine charitatis ſæpe venit quilibet affectus erga virtutem, quamvis non ſit elicitus a virtute Theologica charitatis, ut diximus in expoſitione theſis 44. Cæterum falſum eſt, quod ad eliciendum actum odii erga peccatum ex timore pœnæ requiratur actus formalis amoris erga juſtitiam; poteſt ſiquidem odium peccati excitari aut ex conſideratione propriæ malitiæ, quæ in culpa reperitur, aut ex conſideratione pœnæ, quam trahit, quin ponatur amor abſolutus, & efficax boni oppoſiti, ut communius Theologi docent: Sicut ex oppoſito poteſt voluntas amare Deum, quin ſimul debeat ponere odium formale peccati oppoſiti bonitati Divinæ; quemadmodum enim amor Dei continet tantum virtualiter odium peccati, ita odium peccati poteſt continere ſolum virtualiter amorem juſtitiæ, & hujuſmodi virtualis amor juſtitiæ, incluſus in deteſtatione peccati orta ex amore gehennæ, ſufficit in Sacramento Pœnitentiæ ad peccatum delendum.

Ad argumentum itaque nego antecedens. Ad probationem; Auguſtinus ibi requirit dilectionem juſtitiæ, ſeu charitatem late ſumptam; non quidem ut tollatur deſiderium peccandi ſimpliciter, & abſolute, ſed ut tollatur, ac deponatur firmiter, & conſtanter; niſi enim actu poſitivo tendamus aut in Deum, aut in juſtitiam, facile cupiditas peccandi redit in priſtinum.

XIII.

XIII. Ad confirmationem, idcirco Dei ira exarſit adverſus Judæos, qui legem implebant ex timore pœnæ, quia implebant cum affectu poſitivo ad culpam, ſi pœna abfuiſſet; & ideo nec formalis, nec virtualis amor juſtitiæ erat in ea legis obſervantia coacta, ſed potius amor, & affectus erga inobſervantiam, quam vellent ponere, ſi poſſent pœnam declinare; unde apud Deum erant potius rei, quam juſti, quamvis exterius legem implerent.

XIV. Opponitur tertio: Deteſtans culpam ob timorem pœnæ inordinate operatur; ergo peccaminoſe. Antecedens probatur; primo, quia talis pœnæ timor non oritur ex amore Dei, ſed ex amore ſui: atque adeo timens reſpicit ſeipſum tanquam ultimum finem: unde Auguſtinus tract. 9. in Epiſt. Jo. habet: *Ille timor, ne in ignem æternum mittaris cum diabolo, non eſt caſtus; non enim venit ex amore Dei.* Secundo, quia per talem actum homo magis odit pœnam, quam culpam; ſiquidem *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*: atqui hic affectus eſt inordinatus; tum quia non deteſtatur culpam ſuper omne malum, ſi magis odit pœnam, quam culpam; tum etiam quia non deteſtatur magis, quod eſt magis odibile; tum demum, quia ſic deteſtans culpam implicite dicit, Si deberet alterutrum vitari, potius vitarem pœnam, quam culpam: Sicuti qui aſſentitur concluſioni propter præmiſſas, implicite dicit, quod ſi alterutrum eſſet negandum, neganda prius eſſet concluſio, quam præmiſſæ, cum propter præmiſſas detur aſſenſus concluſioni.

Reſpondeo actum illum non eſſe inordinatum, ſed ordinatiſſimum; cum ordinetur ad vitandam gehennam, quam quilibet vitare tenetur, ut poſſit aſſequi ſuum ultimum finem. Ad primam probationem; quamvis timor ille immediate oriatur ex amore ſui: at non proinde talis amor eſt inordinatus, aut reponens in creatura ultimum finem; ſatis enim eſt, quod ſit referibilis ad Deum, tanquam ad finem poſitive ultimum. Auguſtinus ſolum negat, quod talis amor ſit caſtus, hoc eſt filialis, & procedens ex amore Dei, ſed non propterea vult eſſe vitioſum; cum ibidem dicat, illum in charitatem introducere, & eſſe initium Sapientiæ; tunc autem non eſſet ſimpliciter caſtus, quando ita deteſtaretur culpam ob timorem pœnæ, ut affectu libero vellet culpam, ſi abeſſet pœna. Ad ſecundam probationem, quamvis illo actu magis homo odio habeat pœnam, quam culpam, adeo ut ceſſante hoc motivo pœnæ, hic & nunc non deteſtaretur culpam; at non propterea fit, quod ceſſante motivo pœnæ vellet peccare, ut recte advertit Suar. apud Lugo diſput. 5. de Pœnitentia nu. 158. Ad eum modum quo ſi quis inſerviat Regi propter mercedem, non dicitur eatenus, quod ceſſante motivo mercedis nollet Regi inſervire. Sicut autem non peccat, qui ſolum odit gehennam, & nullo modo hic & nunc odit peccatum: ita nec peccat, qui hic & nunc utrumque odit, ſed odit magis gehennam, quam peccatum, dummodo non velit potius declinare gehennam, quam peccatum. Verum quidem eſt, quod peccatum ſit dignum odio ſuper quodvis odibile; at non ſemper tenemur odiſſe illud, nec ſemper tenemur odiſſe illud odio magis intenſo, quam odio habeamus aliud malum; cum ſatis ſit, quod deteſtans peccatum propter pœnam non odio habeat peccatum tanquam minus malum, quam ſit pœna; quamvis illud hic & nunc minus odio habeat, quam pœnam. Si enim non eſt vitioſum odium ſolius pœnæ ſine ullo odio peccati, neque eſt vitioſum odium majus pœnæ, ubi habetur minus odium peccati; dummodo peccatum non odio habeatur tanquam minus malum, quam ſit pœna.

Præterea falſum eſt, quod odio habens magis pœnam hic & nunc, quam peccatum, debeat eſſe cum ea præparatione animi, ut ſi alterutrum eſſet declinandum, magis vellet declinare gehennam, quam peccatum: Sicuti qui inſervit Regi propter mercedem, quamvis hic & nunc magis hoc actu amet mercedem, quam Regem, non proinde implicite dicit, quod ſi alterutrum eſſet contemnendum, prius contemneret Regem, quam mercedem. Ad paritatem de actu concluſionali dicendum, quod ſi ad aſſentiendum concluſioni nullum aliud daretur motivum præter præmiſſas, bene inferretur, quod ſi alterutrum deberet negari, potius negaretur concluſio, quam præmiſſæ, poſito quod propter premiſſas præſtatur concluſioni aſſenſus; at ſi daretur aliud motivum ad affirmandam concluſionem, non ſequitur, quod intellectus deberet potius concluſionem negare, quam præmiſſas; cum poſſet ob præſtantius aliud motivum affirmare concluſionem negatis præmiſſis. Similiter in caſu noſtro: ſi deeſſet aliud motivum ad deteſtandum peccatum præter gehennam, optime inferretur, quod deteſtans peccatum propter gehennam, ſi alterutrum tantum deberet declinare, potius vitaret gehennam, quam peccatum; at quia poteſt ex alio motivo præſtantiori, puta Bonitatis divinę, odio haberi peccatum, ideo deteſtans peccatum

pro-

propter gehennam poſſet velle peccatum odiſſe propter motivum præſtantius Bonitatis divinæ, ſi non daretur gehenna; unde in deteſtatione peccati propter gehennam ne implicite quidem continetur ille affectus peccaminoſus, quod potius vitaretur gehenna, quam peccatum, ſi ſolum deberet alterutrum declinari.

XV. Ex hactenus dictis conſtat primo non poſſe dici, quod ſi ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, hæc aut ſit violenta, ſeu coacta, aut inducat in deſperationem. Oſtendimus enim, attritionem conceptam ex ſolo motivo pœnarum non eſſe coactam, ſed liberam, ac plene voluntariam, ut adverſus Lutherum a Tridentino definitum eſt; nec ſolum non inducere ad deſperationem, ſed natura ſua introducere ad Dei amorem, & charitatem: Quin potius ad deſperandum incitaretur homo, ſi non poſſet aliter ſalutem conſequi, quam per charitatem, ad quam non poſſet ſe per actus prævios ſupernaturales diſponere, & quæ nullatenus eſſet in manu voluntatis, ſed ex mero Divino arbitrio danda eſſet unice Electis, prout contendit Queſnellus.

Nequit etiam ſecundo dici, quod timor ſolum manum a peccato cohibeat, non cor; ſeu ſolum actiones exteriores legi conformet, interior tamen voluntas ſit culpabilis, ſi non ducatur ab amore juſtitiæ, ac in Deum ſumme dilectum omnia referat. Oſtendimus enim vacare culpa, & eſſe Dei donum, ac impulſum Spiritus Sancti, atque adeo eſſe actum ſupernaturalem, timorem pœnæ cognitæ homine ſuperno; nec requiri, quod actu charitatis, & probabiliter nec requiritur quod alio actu virtutis infuſæ juſtitia ametur, ut ſit ſupernaturalis, ac meritoria deteſtatio peccati ex metu gehennæ.

Nequit pariter dici tertio, quod peccet, & ſit reus coram Deo, qui abſtinet a malo ductus timore pœnæ; aliter, ut oſtendimus, non poſſet quis ex metu gehennæ ab omni culpa abſtinere; ſiquidem non poſſet abſtinere ab hac ipſa culpa, quam tunc committeret, ſi verum haberet ſententia Janſeniana.

Nequit dici quarto, quod baptizatus non ſit ſub gratia, ſed ſit ſub lege, ſicut Judæus; ita ſcilicet, ut peccatum, & non gratia illi dominetur, ſi legem non impleat, aut illam impleat ex ſolo timore. Ratio eſt, quia cum baptizatus ſit ſub gratia, non ſolum affluenter haurit in gaudio aquas, ſeu gratias actuales de fontibus Salvatoris, ſed etiam de facili poteſt per attritionem cum Sacramento Pœnitentiæ recuperare gratiam ſanctificantem. Quare cum poſſit per gratiam, quæ in lege Evangelica datur copioſa, expugnare, ſi velit, neceſſitatem moralem ad peccandum, non dicitur eſſe ſub lege, ut Judæus, qui ſæpe coacte, & cum affectu ad culpam legem perterrefacientem implebat; juxta illud Auguſtin. lib. de Grat. & lib. Arbitr. cap. 12. ubi docuit, dominari peccatum iis, qui erant ſub lege, non vero iis, qui erant ſub gratia, dicens: *Peccatum vobis non dominabitur; non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Et in Epiſt. ad Rom. n. 12. habet: *Sub lege pugnamus, ſed vincimur; fatemur enim mala eſſe, quæ facimus, & fatendo mala eſſe, utique nolumus facere, ſed quia nondum eſt gratia, ſuperamur.*

Nequit dici, quinto, quod ſub maledicto, ſeu peccato legis, videlicet ſub lege, in qua maledictum dominatur, nunquam fiat bonum, & quod peccetur etiam quando malum vitatur obtimorem pœnæ. Etenim, ut oſtendimus in theſi ſexta, & ſeptima, etiam multi eorum, qui ſub lege erant, bonum operabantur Deum diligendo ex toto corde, & bonum plurimi operabantur implendo legem ob timorem pœnæ, ſed ſine affectu ad culpam, atque adeo ſine animo legem non implendi, ſi poſſet pœna declinari.

Nequit dici ſexto, quod Moyſes, & alii Prophetæ nullum Deo dederint dilectorem, ac filium adoptivum per gratiam ſanctificantem, & quod ſolum tanquam mancipia homines ad legem implendam cogerent per timorem. Ratio eſt eadem, quia niſi multi ex Judæis Deum dilexiſſent, quomodo potuiſſent multi ſalutem conſequi, & Chriſtum Dominum in Aſcenſione ſua ad cœlum comitari? Quis autem ſomniare poterit, quod ſine comitatu conſentaneo, atque adeo ingenti, præſertim Judæorum, quos Deus præ aliis dilexit, Chriſtus mortis, & peccati triumphator cœlum conſcenderit? Deinde plurimi etiam ex Judæis per timorem pœnæ bonam, & ſupernaturalem viam ſibi muniebant ad dilectionem. Quare non omnes ducebantur tanquam mancipia timore pœnæ culpabili imbibente affectum ad tranſgreſſionem legis, ſi pœna deeſſet. Hoc autem ex eo fit perſpicuum, quod Joannes cap. 7. Apocalypſis recenſeat ex qualibet tribu filiorum Iſrael duodecim millia ſignatorum, qui reipſa ad cœleſtem Jeruſalem pervenerunt; additque ſe poſtea vidiſſe *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, &c. ſtantes ante thronum in conſpectu Dei, & Agni.* Et Auguſtinus lib.

lib. 3. ad Bonifac. cap. 4. ubi refert calumniam ſibi impoſitam a Pelagianis, quod Judæis gratia ſufficiens denegata fuiſſet, (ut nunc docent Janſeniani) oſtendit exemplo Sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum, tanquam notiori, omnes juſtos illius temporis, necnon juſtos, qui fuerunt in Lege naturæ, tanquam filios promiſſionis, non ex lege, ſed ex fide in Chriſtum Dominum gratiam per eundem Chriſtum obtinuiſſe, ut ſalvarentur, dicens: *Sive igitur Abraham, ſive ante illum Juſti, ſive poſt eum uſque ad ipſum Moyſen, ſive cæteri Prophetæ poſt eum, & Sancti homines Dei, uſque ad Joannem Baptiſtam, filii ſunt promiſſionis, & gratiæ, ſecundum Iſaac filium liberæ, non ex lege, ſed ex promiſſione hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti. Abſit enim, ut Noe juſtum, & prioris temporis Juſtos, & quicunque ab illo uſque ad Abraham Juſti eſſe potuerunt, vel conſpicui, vel occulti, negemus ad ſupernam Jeruſalem, quæ Mater noſtra eſt, pertinere.*

Nequit dici ſeptimo, quod volentes Deo appropinquare ſolum poſſint ad illum venire per fidem, & amorem ut filii, & non etiam per timorem ſervilem, non tamen ut belluæ, ſed ut homines, quia rationabiliter a culpa abſtinent etiam timore pœnæ. Etenim homines per fidem, & timorem ſupernum etiam Deo appropinquant, & ad ejus amicitiam, & filiationem diſponuntur; unde Auguſtinus lib. de catechizandis rudibus cap. 5. dixit: *Ipſa etiam ſeveritate, qua corda fidelium ſaluberrimo terrore quatiuntur, charitas ædificanda eſt.*

Nequit poſtremo dici, quod timor ſervilis Deum ſibi repræſentet ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem, cum potius Deum ſibi repræſentet ut Dominum miſericordem ſimul, & juſtum; appellatur quippe Pſalm. 111. *Miſericors, & miſerator, & juſtus*; & ut Expoſitores ſacrorum Bibliorum advertunt, dicitur quidem non raro Deus, quod ſit multum miſericors, & quod multus ſit ad ignoſcendum; nuſquam tamen dicitur, quod ſit multum juſtus, & quod multus ſit ad puniendum. Propterea timor ſervilis, qui eſt bonus, & ſupernaturalis, juſtitiam iſtam ſibi ponit ob oculos tanquam Deo debitam, ne ab homuncionibus contemnatur, & ut culpa deferatur, quæ Deum ad iram provocat, & vindictam, per hoc quod peccator abutatur ejus patientia, benignitate, ac longanimitate.

Videtur cum verbis ſexageſimæ primæ theſis cohærere, quod habet Angelicus 1. 2. q. 107. ar. 1. ad 2. dicens: *Lex vetus dicitur cohibere manum, non animum; quia qui timore pœnæ ab aliquo malo abſtinet, non ſimpliciter ejus voluntas a peccato recedit; & propter hoc lex nova, quæ eſt lex amoris, dicitur animum cohibere.* Sed manifeſte Angelicus ibi non loquitur de timore ſervili reſpiciente pœnas æternas, & amiſſionem bonorum ſupernorum, hunc quippe timorem expreſſe 2. 2. qu. 19. ar. 4. docet eſſe a Spiritu Sancto, & ſecundum ſubſtantiam ſuam eſſe bonum; quandoquidem per illum non ſolum pœnam expaveſcimus, ſed etiam juſtitiam amamus. Loquitur itaque loco laudato de timore ſervili reſpiciente ſolum pœnas temporales a Deo, vel ab hominibus infligendas, & amiſſionem bonorum terrenorum; docetque hunc de ſe manum dumtaxat cohibere, non animum. Etenim qui timore harum pœnarum mandatis legis obtemperat, non eatenus a peccato recedit ſimpliciter; ſiquidem cum tali externa legis obſervantia cohærere poteſt interior culpa, ſeu animus non obtemperandi, ſi metus abeſſet. At timor pœnarum æternarum de ſe manum ſimul cohibet, & animum; quia qui hoc metu ductus legi obtemperat, nequit ſimul dicere, quod legem non ſervaret, ſi metus abeſſet, quandoquidem ex hoc ipſo pravo animo gehennam mereretur: quare de ſe timor gehennæ manum ſimul, & animum cohibet. Quinimo Tridentinum hujuſmodi timorem dicit eſſe *donum Dei, & Spiritus Sancti impulſum*; & proſcripta fuit ab Alexandro VIII. theſis illa 14., qua dicebatur timor gehennæ non eſſe ſupernaturalis. Et ratio a priori eſt, quia licet motivum formale, propter quod ponitur legis obſervantia, quoties ea ponitur ex metu gehennæ, ſit ad pœnas evadendas: nihilominus adhuc talis actus involvit odium peccati, & amorem juſtitiæ, ſeu obſervantiæ tanquam objectum terminativum: unde ex nullo capite poteſt eſſe malus. Addo præterea ſpem propemodum, juxta ſententiam probabiliſſimam Reginaldi, Lugo de Pœnit. diſp. 5. n. 140. & aliorum apud de la Croix de Contrit. aum. 884. dici poſſe, quoties ponitur legis obſervantia, & odio habetur peccatum ex metu pœnarum temporalium, ſi lumine ſuperno iſtæ attingantur tanquam a Deo vindice infligendæ; quandoquidem etiam talis actus ſupernaturalis eſt, & uſquequaque bonus, quin poſſit ullatenus cum culpa cohærere; unde voluntas a malo abſtinens ob hunc timorem ſimpliciter a peccato recedit. Sicut enim obſervantia legis ob metum gehennæ cohærere non poteſt cum illa culpabili voluntate conditionata non obſervandi legem, ſi talis metus abeſſet, quia eo ipſo huic voluntati gehenna debe-

retur, atque adeo ea non declinaretur; ita obſervantia legis poſita ex motivo evadendi pœnas temporales lumine ſupernaturali attactas, tanquam a Deo vindice infligendas, cohærere nequit cum actu illo pravo conditionato non ſervandi legem, ſi talis metus abeſſet; quia pariter huic pravo actui divinam iram provocanti deberetur vindicta a Deo infligenda; unde ea non declinaretur. Contra vero, ſi obſervantia legis ponatur ex metu v. gr. ſuſpendii a Judice infligendi, aut infamiæ, &c. cohærere poterit cum hac obſervantia actus ille conditionatus pravus legem non ſervandi, ſi ſuſpendii, aut infamiæ metus abeſſet; quia ad hunc actum internum pravum non conſequitur ſuſpendium, nec infamia; unde pœnæ iſtæ declinarentur. Quare quia in veteri lege pœnæ hujuſmodi temporales paſſim tranſgreſſoribus imponebantur, ideo Angelicus docet, quod lex vetus de ſe non animum cohibebat, ſed manum; lex vero amoris, ſeu lex nova (in qua etiam juſtitia tanquam objectum terminativum amatur, ut diximus, quoties ex metu gehennæ culpa odio habetur) de ſe non ſolum manum cohibet, ſed etiam animum; unde non ſolum habetur vi talis actus exterior legis obſervantia, ſed etiam interior. Denique metu gehennæ, atque pœnarum animum quoque, & non ſolam manum cohiberi, ſatis aperte colligitur ex Concilio Tridentino, quod ſeſſ. 14. cap. 4. ſupponit contritionem imperfectam, ſeu attritionem ex tali metu conceptam omnem peccandi voluntatem aliquando excludere.

Et ſane, quod Deum timere ſit malum, nec poſſit homo citra culpam ex timore induci ad legem ſervandam fuit hæreſis Quintiniſtarum, ut advertit Cajet. p. 1. quæſt. 19. art. 1. dicentium, quod conſcientia timore Dei imbuta habenda ſit pro inferno, & quod conſcientia divini judicii contemptrix, ſecura, ſtupida, & conſopita habenda ſit pro Paradiſo. Eſt autem Catholicum dogma, quod expaveſcere divinum judicium ſit de ſe bonum, & ſuo modo Paradiſus, quatenus, ut habet idem Cajetanus ibidem, eſt ad Paradiſum via; ut proinde Proverb. 18. dicatur: *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus.* Et ratio eſt, quia, ut dicitur Eccleſ. 7. *Qui timet Dominum, nihil negligit;* unde viam ſibi munit ad Paradiſum; ſicut etiam animum diſponit ad Deum honorandum, juxta illud Apocal. 14. *Timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus:* redundat enim in Judicis honorem, quod ejus judicium timeatur. Contra vero conſcientia timore exuta habenda eſt pro Inferno, quatenus ſimiliter eſt ad Infernum via; unde Eccleſ. 1. dicitur: *Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.* Hinc Eccleſia utrumque a Deo deprecatur, timorem ſcilicet, & amorem, dicens: *Sancti Nominis tui, Domine, timorem pariter, & amorem fac nos habere perpetuum.*

His adde, quod Angelicus loco laudato dicat, legem veterem datam fuiſſe imperfectis, hoc eſt nondum conſecutis Spiritum gratiæ vi illius legis, & ratione illius ſtatus; quandoquidem gratia Spiritualis (ut diximus in theſi 7.) tunc dabatur vi legis Gratiæ, & per merita Chriſti venturi; & ideo lex illa vocabatur lex timoris; & Apoſtolus vocat illam Rom. 3. *Legem Factorum*, quæ vox actiones externas proprie ſignificat, quia tunc homines imperfecti inducebantur ad obſervantiam externam legis per comminationem pœnarum temporalium. Propterea nil mirum, quod lex vetus dicatur manum cohibere, non animum; & quod non ſimpliciter a peccato recedat, qui timore iſtarum pœnarum ab aliquo malo abſtinent. Lex vero nova, cum ſit lex gratiæ per Spiritum Sanctum diffuſæ in cordibus noſtris, ut dicitur ad Rom. 5. manum ſimul, & animum cohibet; quia qui actu ſuperno a peccato abſtinet, etiamſi metu gehennæ, adhuc juſtitiam amat, & ſimpliciter a peccato recedit. Additque Angelicus, quod ſicut in ſtatu veteris teſtamenti fuerunt nonnulli habentes charitatem, & gratiam Spiritus Sancti; qui principaliter expectabant promiſſiones ſpirituales, & æternas, & ſecundum hoc pertinebant ad legem novam, ut proinde quoties metu gehennæ, aut metu amiſſionis gloriæ juſtitiam diligebant, ſimpliciter a peccato eorum voluntas recederet; ita in novo teſtamento ſunt nonnulli carnales, quos oportet ad virtutis opera inducere etiam per timorem pœnarum temporalium, & per aliqua temporalia promiſſa: quouſque tamen hoc metu legem obſervant, non ſimpliciter a peccato recedunt, & licet manum cohibeant, non tamen eatenus etiam animum cohibent.

Quomodo autem verum ſit, quod homines in lege veteri nullatenus participarent gratiam ratione illius ſtatus, ſed ſolum in quantum participabant ſtatum novi teſtamenti, expreſſit Cajetanus in Epiſt. ad Rom. 6. his verbis: *Eſſe ſub lege, & ſub gratia eſt nomen ſtatus legalis, qui integratur tribus conditionibus. Prima eſt ſubjectio hominis legi Moſaicæ. Secunda eſt negatio Divinæ gratiæ adjutricis pro quanto lex præcipiebat, ſed per ſua opera quæcunque non afferebat gratiam adjutricem,*

cem, ut patet ex ſuperius dictis a Paulo: Ex operibus legis nemo juſtificatus eſt. Tertia hinc conſequens, quod homo ſub lege relinquatur ſibi ipſi, utpote non adjutus interno dono Divinæ gratiæ. Ad evitandam tamen imperitorum deceptionem, in quam facile ex hac doctrina labi poſſent, addit idem Cajetanus: *Nec per hoc intelligas Novitie, quod Judæi ante Chriſti adventum ſub lege exiſtentes caruerint gratia; quoniam hoc non dicimus: ſed intellige, quod ex illo ſtatu non habuerint gratiam, ſed habebant gratiam, qui illam habebant, ex participatione ſtatus novi revelandi per Chriſtum: Participabant autem ſtatum novi teſtamenti fide, & devotione ad Mediatorem Dei, & hominum Meſſiam.* Hinc optime Angelicus docuit, legem veterem, in qua ratione talis ſtatus gratia ſuperna homines deſtituebantur, non cohibere de ſe animum, ſed manum dumtaxat, ſeu ſolam externam obedientiam ex ſolo metu pœnarum temporalium induxiſſe; quamvis qui ex participatione novi ſtatus revelandi per Chriſtum, & ex fide in Chriſtum venturum gratia ſuperna muniebantur, animum ſimul, & manum cohiberent, ſive ducti ex motivo charitatis, ſive ducti ex metu pœnarum ſuperno lumine attactarum, quas a Deo vindice luituri eſſent, niſi obtemperaſſent.

Quod autem in eo ſtatu legis veteris non ſolum præciperentur actus externi, ſed etiam actus interni virtutum etiam Theologalium, qui ſine gratia exerceri non poſſunt, unde illam haberent homines ex participatione ſtatus novi Teſtamenti, fuſe oſtendit Suarius lib. 9. de Legibus cap. 4. 6. & 7. Etenim a lege veteri poſitiva qua tali, ſeu quatenus reſpiciente cæremonialia legis, ſolum præcipiebantur actus externi; a lege tamen veteri qua morali præcipiebantur actus virtutum moralium, & Theologalium; ſicut etiam olim in ſtatu legis naturæ. Hinc Chriſtus D. interroganti, *Quodnam eſt mandatum magnum in lege?* reſpondit Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum.* Et Matth. 19. alteri interroganti, *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* reſpondit; *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Cum autem certum ſit, quod ſine fide impoſſibile ſit placere Deo, & ſine dilectione Dei, ad quam ſpei actus manuducunt, vita æterna ab adultis in lege veteri obtineri non potuiſſet, ſicut neque ſine contritione peccatoris, ſequitur evidenter, quod ea in lege, ſecundum quod moralis erat, etiam actus virtutum Theologalium præciperentur.

Inquires. Quomodo poterant homines in lege veteri per obſervantiam mandatorum ſalutem conſequi? cum certum ſit, non potuiſſe homines in eo ſtatu juſtificari, atque adeo neque ad ſalutem diſponi per opera legis, dicente Apoſtolo Rom. 3. *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo.*

Ad hoc reſpondendum, quod per opera legis cæremonialia nullatenus poterant juſtificari, neque ex opere operantis, quia nullum ex iis operibus aut gratiam conferebat, aut diſponebat ad illam; neque ex opere operato, quia etiam Sacramenta veteris legis erant, ut loquitur Apoſtolus Galat. 4. *elementa egena, & infirma*, quæ nullatenus gratiam continebant, atque adeo illam cauſare non poterant: unde circumciſio, qua peccatum originale tollebatur, erat ſolum conditio, qua poſita ex meritis Chriſti venturi gratia conferebatur; ſicut etiam in lege naturæ hujuſmodi erat remedium, quo tollebatur originale a parvulis, ut communiter Theologi docent in tractatu de Sacramentis. Et ratio a priori eſt, quia ex doctrina Apoſtoli, & Conciliorum nullum opus legis ſcriptæ, vel naturalis vim habet juſtificandi; circumciſio autem, & remedium legis naturæ erant opus legis ſcriptæ, vel naturalis; ergo juſtificare non poterant; unde ſolum erant conditiones, quibus poſitis Deus vi meritorum Chriſti gratiam conferebat deletivam originalis peccati. Hinc Apoſtolus ad Galat. 2. dicit: *Si ex lege juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.* Contra vero Baptiſmus & continet, & cauſat gratiam, quia eſt actio moraliter aſſumpta a Chriſto D. principaliter baptizante, atque adeo continens merita Chiſti D. quæ vim habent obtinendi nobis gratiam. Præterea per opera legis moralia in lege Moſaica, ac in lege naturæ (puta per actum contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia) poterat peccator ſuppoſito actu fidei eſſentialiter prærequiſito, diſpoſitive juſtificari; non ſecus ac in lege gratiæ merendo gratiam de congruo, & juſtus per actus virtutum ſupernaturalium poterat de condigno mereri augmentum gratiæ. At quia gratia tunc tam actualis ad exercendos hos actus requiſita, quam habitualis non conferebatur ex vi veteris teſtamenti, ſed ſolum ex meritis Chriſti venturi, & in fide, ac per fidem ejuſdem, idcirco in lege veteri homines non dicebantur per opera legis ullatenus juſtificari; unde ad Hebr. 9. Apoſtolus docet, fieri non poſſe, quod per ſanguinem hircorum, aut vitulorum peccata deleantur.

Ex quibus omnibus fit perſpicuum, in lege veteri præter præcepta cæremonialia, & poſitiva fuiſſe etiam præcepta naturalia, ac

præcepta fidei, ſpei, charitatis, pœnitentiæ, religionis, & ſimilia, non ſecus ac in lege naturæ; & quia ad ſatisfaciendum præceptis virtutum Theologalium requiritur gratia Theologica, idcirco in lege Moſaica, ac in lege naturæ gratia iſthæc non defuit, quamvis ea non daretur niſi ex meritis Chriſti venturi; unde in tantum gratia hæc dabatur, in quantum qui illam habebant, participabant ſtatum novi teſtamenti. Propterea quamvis in lege ſcripta paſſim Deus bona temporalia promitteret cuſtodientibus legem ſuam, ac pœnas temporales comminaretur prævaricatoribus, nihilominus adhuc bona æterna promittebat juſtis, (non ſecus ac in lege naturæ) & peccatoribus comminabatur gehennam; dicitur enim Sapient. 5. *Juſti autem in perpetuum vivent*. Et Tob. 2. *Filii Sanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam daturus eſt Deus iis, qui fidem ſuam non mutant ab illo*. Nec potuiſſet Princeps ille Judæorum Chriſtum interrogare Lucæ 18. *Magiſter, quid faciens vitam æternam poſſidebo?* niſi notitiam haberet mercedis æternæ juſtis a Deo promiſſæ, ac conferendæ. Similiter Iſaiæ 33. dicitur: *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Et Judith. 16. *In die judicii viſitabit illos, dabit ignem in carnes eorum, ut urantur, & ſentiant uſque in ſempiternum*, Iſaiæ 66. *Vermis eorum non morietur*, & ſic alibi paſſim. Quare in tantum lex vetus dicebatur lex timoris, lex vero gratiæ dicitur lex amoris, quia in lege veteri gratia non conferebatur ratione illius ſtatus, neque unquam ex opere operato; ac proinde non conferebatur in ea ubertate, qua nunc confertur, dum haurimus aquam in gaudio de fontibus Salvatoris; deficiente autem gratiæ ubertate, opus erat ad legum obſervantiam illos adigere variis pœnis etiam temporalibus, quæ imperfectis magis terrorem incutiunt quam pœnæ æternæ; ubi autem in novo Teſtamento charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis, vires ſupernæ non deſunt nobis; ut facile, & cum delectatione, liberati ab oneribus legis veteris, poſſimus præceptis divinis obtemperare, amore potius ducti, quam timore: Quamvis etiam timor gehennæ bonus ſit, & laudabilis, necnon etiam ſupernaturalis, cum ſit regulariter, ut diximus, janitor charitatis, qui ad Dei amorem manuducit. Quomodo autem Chriſtus mereri potuerit gratias illas Sanctis Patribus, aliiſque collatas ante ſui adventum, variis, ac ſublimibus modis a Theologis, ad quos ſpectat, explicatur, eoſque in Curſu Theologico diſp. 3. de Incarnat. quæſt. 3. art. 2. recenſui, ac ſuis rationum momentis expendere conatus ſum.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſum Theſim LX.

SExageſima docet, quod ſi ſolus ſupplicii timor animet pœnitentiam, quo hæc eſt magis violenta, eo magis ad deſperationem ducat; atque adeo vult, quod dolor de peccatis patratis procedens ex ſolo gehennæ metu, & non etiam ex motivo charitatis, quo magis eſt coactus, ac moleſtus, eo magis animi dejectionem, ac deſperationem inducat de ſalute aſſequenda. Errat tamen primo, dum ſupponit pœnitentiam hanc a ſolo metu gehennæ animatam eſſe violentam, ſeu coactam. Errat deinde, dum dicit, pœnitentiam iſtam, utut moleſtam, ac gravem (& in hoc ſolum ſenſu violentam) de ſe ullatenus ducere ad deſperationem. Quod attinet ad primum; a Tridentino ſeſſ. 14. can. 5. anathematizatur, qui dixerit, dolorem ex gehennæ, ac pœnarum metu conceptum eſſe extortum, & coactum, non vero liberum, & voluntarium; ſicut etiam qui dixerit, illum non præparare ad gratiam, ſed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem. Quare nequit dici, quod pœnitentia, quam ſolus ſupplicii timor animat, ſit violenta, ſeu coacta, & cum renitentia appetitus eliciti, cum ſit plene libera, & voluntaria. Quamvis enim quæ fiunt ex metu, dici ſoleat, quod fiant coacte, & ſint ſecundum quid involuntaria; ut eſt projectio mercium facta ex metu naufragii, quæ libere quidem ponitur, ſed coacte, ſeu cum renitentia voluntatis, quæ nollet merces projicere, nec illas projiceret, ſi abeſſet periculum naufragii, unde non dicitur eſſe plene voluntaria, ſed dicitur admiſcere involuntarietatem, & eſſe ſecundum quid involuntaria: hoc tamen ſolum eſt verum, quando quæ fiunt ex metu, ſunt ſecundum ſe mala, & noxia, ut eſt mercium projectio; quod ſi eſſent de ſe bona, & nobis utilia, quamvis ex metu fiant, non proinde fiunt coacte, nec ſunt ſecundum quid involuntaria: proinde qui leges obſervat ex metu ſupplicii, non eatenus obſervat coacte, ita ut cenſeatur velle eas non obſervare, ſi metus abeſſet. Quamvis enim poſſint ita leges ex metu obſervari, ut habeatur hic pravus affectus conditionatus illas non obſervandi, ſi metus abeſſet; at de ſe hic pravus affectus

ctus non eſt annexus obſervantiæ legum factæ ex metu ; quippe quæ de ſe eſt bona , & appetibilis, unde de ſe non fert affectum illum inconditionatum non obſervandi leges, ſi ſupplicium non eſſet tranſgreſſoribus indictum ; ac proinde quamvis ſit facta ex metu , non dicitur eſſe coacta , nec ſecundum quid involuntaria. Sic etiam qui tempeſtate ſuborta ob metum naufragii elicit actum contritionis perfecte, non dicitur illum elicere coacte , nec talis contritio dicitur eſſe involuntaria ſecundum quid : eſt quidem verum, quod ſi non daretur hic & nunc metus naufragii , non poneretur hic , & nunc actus contritionis ; at non eſt verum, quod cum actu contritionis a metu occaſionatæ annectatur pravus ille affectus , quod nollet homo contritionem ponere tanquam de ſe malam, ſi metus abeſſet ; Sicut e converſo cum projectione mercium ob metum naufragii ſtat ille affectus conditionatus, quod projectio mercium , utpote mala, non poneretur abſente metu. Quare cum dolor de peccatis de ſe ſit honeſtus , & rationi conſonus, qui de iis dolet ob metum gehennæ , tanquam ob motivum præciſum talis doloris, (ita ut ſit attritio, & non contritio) non dicitur ponere illum coacte , ſed plene libere, ac voluntarie , cum non debeat illi annecti pravus ille affectus conditionatus , quod ſi talis metus abeſſet ; nollet homo de peccatis dolere . Illud tamen eſt inconcuſſum, quod ſi culpabiliter talis affectus dolori de peccatis adjungeretur , procul dubio hujuſmodi dolor ad gratiam non præpararet, ſed redderet hominem magis peccatorem . Conſtat itaque , quod pœnitentia , quam ſolus ſupplicii timor animat, ſeu attritio , non ſit coacta , neque in hoc ſenſu violenta.

Deinde quamvis attritio dici poſſit in hoc alio ſenſu violenta , quatenus eſt amara , moleſta, & gravis ; non per hoc dici poteſt, quod ullatenus ad deſperandum inducat , eo magis, quo magis eſt violenta. Ratio eſt, quia tunc moleſtia , & arduitas alicujus operationis de ſe nimia animum concutit, & incitat ad deſperandum, quando arduitas illa expugnari non poteſt alieno adjutorio facile parabili . At ad ponendum dolorem de peccatis nobis a Deo injunctum , quantumcunque ſit arduus , præſto nobis eſt Deus adjutorio gratiæ, quod arduitatem emolliat ; ut enim docet Tridentinum ſeſſ. 6. c. 11. *Deus impoſſibilia* (hoc eſt nimis ardua , quæ cum ſint moraliter impoſſibilia , dici ſolent abſolute impoſſibilia, ut advertit Angelicus 3. p. qu. 86. art. 1.) *non jubet , ſed jubendo monet , & facere quod poſſis , & petere quod non poſſis , & adjuvat ut poſſis* . Quare cum facile poſſimus auxilium gratiæ a Deo petere , illudque non denegetur, quo adjuvante poſſimus ſine difficultate, ac moleſtia de peccatis dolere , nunquam dici poteſt , quod hujuſmodi dolor a Deo injunctus (quamvis de ſe arduus) nobis moleſtus , ac gravis ſit, & in hoc ſenſu violentus, unde ad deſperationem ducat. Et ſane in omnium ſententia magis difficilis peccatori eſt contritio, quam ſit attritio ; (ut proinde in lege gratiæ ad emolliendam contritionis arduitatem unice olim requiſitæ ad peccatorum remiſſionem obtinendam , Chriſtus Dominus inſtituerit Sacramentum Pœnitentiæ, in quo ad Dei gratiam impetrandam attritio diſponeret) nemo tamen dixerit, quod contritio peccatoribus injuncta ſit operatio gravis , ac violenta ducens ad deſperationem ; quandoquidem poſſumus de facili auxilium a Deo expoſcere , illudque debito modo oranti nunquam denegatur , quo poni poſſit citra moleſtiam , immo etiam cum delectatione contritio præcepta ; unde multo magis id verum eſt de attritione , quæ de ſe minus ardua eſt , quam contritio : & ideo theſis hæc eſt erronea , tam ſi velit attritionem eſſe violentam, ſeu coactam, quam ſi ſolum aſſerat , eam eſſe ita arduam, ut ducat ad deſperationem.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LXI. & LXII.

SExageſima prima loquens de eo qui metu ductus facit bonum , & ſexageſima ſecunda loquens de eo , qui ob metum pœnæ declinat a malo , in hoc errore conveniunt, quod ſcilicet timor a charitate ſejunctus ſit culpabilis. Prior ſiquidem docet, quod univerſim quamvis timor divini ſupplicii manum cohibeat a patrando ſcelere externo , & ad legis obſervantiam impellat, cor tamen peccato addicatur, quouſque non ducitur ab amore juſtitiæ, ſeu ex motivo charitatis. Altera pariter docet, eum qui a culpa non abſtinet, niſi timore pœnæ, illam in corde ſuo committere, & eſſe coram Deo reum. Verum quamvis procul dubio peccaminoſus ſit timor mundanus , ſeu humanus , ſive, ut loquitur Angelicus 2. 2. qu. 19. ar. 4. ſervilis, in quantum ſervilis , hoc eſt formaliter

ſervilis, & proprius mancipiorum, quando ſcilicet quis propter timorem pœnæ mandatis obtemperat cum affectu pravo conditionato, quod non obtemperaret, ſi metus abeſſet; ſic enim non ſolum juſtitia non amatur formaliter, ſed etiam poſitive amatur injuſtitia actu illo conditionato, efficaci quantum eſt ex ſe, quatenus injuſtitia, ſeu legis tranſgreſſio poneretur, ſi non adeſſet comminatio pœnæ: nihilominus timor ſervilis, qui materialiter tantum eſt ſervilis, (quando ſcilicet ob pœnæ metum bene operamur citra affectum illum pravum conditionatum non bene operandi, ſi metus abeſſet) non ſolum non eſt peccaminoſus, ſed etiam ex Tridentino ſeſſ. 14. can. 4. eſt donum Spiritus ſancti, atque adeo eſt ſupernaturalis, quando eſt timor pœnæ cognitæ per lumen fidei, qualis eſt gehenna; proſcripta ſiquidem eſt decima quarta illa Theſis ab Alex. VIII. quæ habet: *Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis:* propterea ſi quis ob metum gehennæ ſecluſo quolibet motivo charitatis legem divinam implet, ponit actum obedientiæ ſtudioſum, ac ſupernaturalem; & qui ob eundem metum dolet de peccatis, ponit actum attritionis ſupernum, qui, ut habet Tridentinum loco laudato, ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit; eo quod ſit Spiritus Sancti impulſus, quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat; quamvis extra ſacramentum per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat. Hinc proſcripta pariter eſt ab Alex. VIII. theſis 15. dicens: *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.* Et ſane qui ob metum gehennæ ſervat mandata, ac de peccatis dolet, ponit medium inſtitutum a Deo ad obſervantiam ſuorum mandatorum, & ad peccata deteſtanda; ponendo autem hoc medium, nempe gehennæ metum, in ordine ad finem a Deo intentum proculdubio bene operatur. Hinc in Scripturis ſæpe pœna inducitur ad hunc finem, ut ex ejus metu a peccatis abſtineamus, & de perpetratis doleamus. Matth. 7. dicitur: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Lucæ 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Et ipſe Chriſtus Dominus ad hunc timorem habendum hortatur dicens Lucæ 12. *Oſtendam vobis quem timeatis, timete eum, qui poſtquam occiderit corpus, habet poteſtatem mittere in gehennam; Ita dico vobis, hunc timete.* Et ratio ulterior eſt, quia qui legem implet, & a malo abſtinet unice ob metum gehennæ, quamvis ad id non moveatur ex amore juſtitiæ, tamen revera juſtitiam, ſeu legis obſervantiam amat, illamque eatenus ponit; unde objectum materiale talis actus proculdubio eſt bonum; objectum autem formale, quod eſt metus gehennæ, uſqueadeo bonum eſt, ut ad ipſum Chriſtus D. hortetur; & ex Tridentino eſt *bonus motus, Dei donum, & impulſus Spiritus Sancti*: quibus verbis denotatur, ipſum eſſe ſupernaturalem, & eatenus ad gratiam impetrandam diſponere; unde talis actus uſquequaque eſt bonus, ac rectus, tam ex objecto materiali, quam ex objecto formali. Quomodo igitur dici poterit, quod peccato cor addicat, & ſit reus coram Deo, qui aut facit bonum, aut declinat a malo, non ductus ab amore juſtitiæ, aut ex motivo charitatis, ſed ex ſolo gehennæ, ac pœnarum metu? Quare theſis hæc eſt erronea tum in proprio verborum ſenſu, tum etiam in ſenſu ab authore intento.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LXIII.

SExageſimatertia docet, quod baptizatus, ſive legem non adimpleat, ſive illam ex ſolo timore adimpleat ſub lege, ſit ſicut Judæus; quatenus ſicut Judæus peccati reus erat etiam legem adimplendo, ſi ex ſolo timore illam adimplebat, ita pariter baptizatus. Sed tripliciter errat; Primo ſupponendo, quod Judæus, qui ſub lege erat, (hoc eſt ſub onere legis ſcriptæ, in qua multa præcepta poſitiva addita fuerunt a Deo, quæ non erant ante legem, ſeu in ſtatu legis naturæ; nec conferebatur illa gratiarum ubertas, quæ nunc confertur in lege gratiæ, ut poſſent facile tunc ea præcepta ſervari, quamvis gratia ſufficiens non deeſſet) univerſim legem adimpleret ex timore pœnæ ſervili inquantum ſervili, atque adeo peccaminoſo, nunquam vero ex timore ſervili bono, ac laudabili; cum tamen certum ſit, ut dicemus in theſi 65. multos ex Judæis legem obſervaſſe, non ſolum ex motivo pœnæ ſervili, ſed etiam ex motivo charitatis, & ſic ſalutem æternam aſſequutos eſſe, ut docet Angelicus p. 2. qu. 107. ar. 1. ad 2.

Errat ſecundo, dum aſſerit, quod ſi baptizatus legem adimplet ex timore pœnæ, ſit ſub lege, & non ſub gratia, ſeu deſtitutus ſit illa gratiarum ubertate, quæ confertur nobis in ſtatu legis gratiæ, præſertim

per

per ſacramenta novæ legis, & per ſacrificium incruentum. Etenim, niſi velit Queſnellus negare homini libertatem a neceſſitate ad bene operandum, tam poterat Judæus cum gratia intenſa ut unum ſufficiente de ſe ad bene operandum legem ſervare laudabiliter, atque adeo non ex timore mundano ſeu formaliter ſervili, quam poteſt baptizatus cum gratia intenſa ut ſex legem ſervare peccaminoſe, hoc eſt ex motivo timoris mundani. Unde fit, quod ſi baptizatus reſiſtat gratiæ intenſæ ut ſex, & tali timori mundano ſuccumbat, non eatenus dicatur eſſe ſub lege, ſeu deſtitutus ubertate gratiarum; & viceverſa ſi Judæus cooperabatur gratiæ intenſæ ut unum, & legem ſervabat, aut ex ſolo timore ſervili, aut ex motivo charitatis, non eatenus dicebatur eſſe ſub gratia, ſeu inſtructus ubertate gratiarum. Etenim antiquæ legis ſacramenta ab Apoſtolo dicuntur fuiſſe egena, & infirma, (quippe quæ gratiam non continebant, ut ſacramenta novæ legis) & ideo carebant Judæi plenitudine auxiliorum, quæ nobis per Chriſti merita conferuntur in lege gratiæ; non tamen deerat illis gratia ſufficiens ad legem laudabiliter implendam, atque adeo non ex timore mundano peccaminoſo. Nam ſi deſuiſſet illis gratia ſufficiens ad non peccandum; nullatenus peccare poſſent. *Quis enim peccat in eo, quod nullatenus cavere poteſt?* ut habet Auguſtinus.

Errat tertio, dum vult, baptizatum æque ac Judæum, qui legem adimplet ex ſolo timore, eſſe ſub lege, (in qua, ut habet Auguſtinus, peccatum dominabatur) & eatenus peccare. Etenim neque Judæus implendo legem, ut poterat, ex ſolo timore ſervili, peccabat, quin imo laudabiliter operabatur, quamvis eſſet ſub lege; quia peccatum in ea tunc dominari, ſolum fert, quod plerunque, non quod ſemper, & neceſſario peccaretur: Neque baptizatus peccat implendo legem ex ſolo timore ſervili; quia quamvis ſit ſub gratia, ejuſque auxiliis affluat, non idcirco obligatur ad ſemper operandum perfectiſſimo modo, ſeu ex motivo charitatis, ſicut non obligatur ad ponendum ſemper actum charitatis intenſiſſimum quem poteſt. Quare ſicut laudabiliter operatur ponendo actum charitatis minus intenſum, eſto minus perfecte operetur, quam ſi poneret actum charitatis intenſiorem; ita laudabiliter operatur implendo legem ex ſolo timore ſervili, quamvis minus perfecte ſe gerat, quam ſi legem impleret ex motivo charitatis. Quod autem ſpiritus timoris ſervilis ſit bonus, non peccaminoſus, eſto minus perfectus ſpiritu charitatis, conſtat ex Apoſtolo ad Rom. 8. ubi habet: *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum.* Ubi gloſſa addit: *Unus Spiritus eſt, qui facit duos timores, ſervilem, & caſtum*: cum autem a Deo ſit tam timor ſervilis, quam caſtus & filialis, ut advertit D. Thom. 2. 2. q. 19. art. 4. uterque bonus eſt, quamvis caſtus ſit præſtantior.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LXIV.

SExageſimaquarta contendit, ſub maledicto, (hoc eſt ſub peccato) legis nunquam fieri bonum, eo quod tam peccatur faciendo malum, quam illud declinando ob merum pœnarum metum. Errat tamen, tum in aſſerto, tum in cauſali aſſertionis. Quod attinet ad aſſertum. Quamvis ſub peccato legis, hoc eſt ſub lege ſcripta, in qua concupiſcentia, & peccatum dominabatur, ex Auguſt. lib. de Grat. & lib. arb. cap. 12. ut plurimum homines peccarent, quippe qui multis præceptis legalibus onerati carebant ea gratiarum ubertate, quæ nobis, qui ſumus ſub gratia, confertur ex meritis Chriſti D. jam exhibiti, præſertim vi Sacramentorum, & Sacrificii novæ legis; nihilominus omnino a veritate abhorret, quod tunc temporis nihil boni fieret; multi enim ex motivo perfectiſſimo charitatis operabantur, ut dicemus in theſi ſequenti, necnon ex motivo aliarum virtutum, quarum actibus ad juſtificationem per contritionem habendam diſponebantur. Sicut enim dum ſumus nunc ſub gratia, (ita ſcilicet ut gratia dominetur) non pauci reſiſtendo gratiæ male operantur; ita homines qui tunc erant ſub lege, (ita ſcilicet, ut peccatum tunc & concupiſcentia dominarentur) non pauci reſiſtendo cupiditati dominanti recte operabantur: cum enim tunc gratia ſufficiens ad ſalutem aſſequendam non deeſſet, qui ad Deum per fidem ſupernaturalem accedebant, ex fide ad ſpem, & ad alios virtutis actus ſupernos auxiliis cœleſtibus progrediebantur uſque ad dilectionem Dei ſuper omnia, & ad juſtificationem obtinendam: cum hoc ſolum diſcrimine inter utrumque ſtatum, quod nunc auxiliorum copia eſt ſuperabundans, & ad juſtificationem in ſacramento Pœnitentiæ obtinendam etiam per actum attritionis diſponimur; ſecus vero tunc, quando homines erant ſub lege.

Quod vero attinet ad cauſalem aſſerti, pariter eſt erronea: tum quia ea diviſio non eſt adæquata; licet enim nihil boni facerent homines ſub maledicto legis, aut faciendo malum, aut illud ob timorem evitando, poterant tamen recte operari per exercitium fidei, ſpei, charitatis, & aliarum virtutum moralium: tum etiam quia poterant laudabiliter operari etiam quando ob merum timorem gehennæ declinabant malum, ſi timor, ex quo moverentur, non eſſet mundanus, ſed ſervilis, ut oſtendimus in theſibus præcedentibus. Et ratio ulterior eſt, quia timor hic ſervilis, cum manuducat, & diſponat ad charitatem, ſupernaturalis eſt, & eatenus bonus. Eccleſ. 5. diſerte dicitur: *Timor Dei initium dilectionis eſt*. Et Auguſtinus ſerm. 18. de Verbis Domini cap. 12. *Timor ille ſervilis eſt cuſtos quidem malorum, ut abſtineant ſe a malis, & abſtinendo digni ſint ad ſe admittere charitatem*; ita tamen timor ſervilis ad charitatem munit viam, ut deinde a charitate tanquam a Regina virtutum expellatur; juxta illud 2. Jo. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem*; non quidem filialem, ac reverentialem, qui a charitate procedit, de quo dicitur Pſal. 18. *Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi*; ſed ſervilem, de quo etiam 1. Jo. 4. dicitur: *Timor pœnam habet; qui autem timet, non eſt perfectus in charitate*; & idcirco a charitate expellitur: ad eum fere modum, quo ſuperveniente Dei viſione ceſſat fides, quæ ad illam tendit; unde dicitur 1. ad Cor. 13. *Cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt*.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LXV.

SExageſimaquinta aſſerit, Moyſen, Prophetas, Sacerdotes, ac Doctores legis ſcriptæ nullum dediſſe Deo Filium, qui videlicet ex motivo charitatis operaretur, & Spiritu Dei ageretur, prout Apoſtolus loquitur ad Rom. 8. *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii ſunt Filii Dei*, ſed ſolum effeciſſe mancipia, qui ſcilicet ex timore pœnæ ad legis obſervantiam ducerentur. Sed primo falſum eſt, quod in lege veteri defuerint homines a legis Doctoribus inſtructi citra providentiam Dei extraordinariam, qui legem naturalem, & poſitivam diligendi Deum ſuper omnia ſervaſſent, ut eatenus ultimo diſponerentur ad Gratiam ſanctificantem, qua redderentur filii Dei adoptivi; cum Angelicus dixerit p. 2. q. 107. ar. 1. ad 2. *Fuerunt aliqui in ſtatu veteris teſtamenti habentes charitatem, & gratiam Spiritus Sancti*; quamvis enim tunc cupiditas, & peccatum ita dominaretur, ut non ſine difficultate voluntas gratiæ collatæ ad ſervandas leges conſentiret; at non proinde nemo ex illis recte operatus eſt, ut gratiam ſanctificantem aſſequeretur, fieretque Dei filius. Sicut enim lege gratiæ, in qua ſcilicet gratia dominatur; & abundat, multi gratiæ quantumvis intenſæ diſſentiunt, & peccant inſtar Judæ, qui innumeris auxiliis fuit inſtructus; ita in lege, in qua concupiſcentia dominabatur, non pauci gratiæ conſentiebant, & legem implebant; & eodem modo ante legem, ſeu in ſtatu legis naturæ, quando ita crevit malitia hominum ſuper terram, ut pœnituerit Deum feciſſe hominem, multi Patriarchæ, & Prophetæ, aliique ad Dei dilectionem pervenerunt, qua gratiam ſanctificantem, & Dei filiationem aſſequuti ſunt. Unde Auguſtin. lib. 3. ad Bonif. cap. 4. dicit: *Sive Abraham, ſive ante illum juſti, ſive poſt eum uſque ad ipſum Moyſen, ſive ceteri Prophetæ poſt eum, & Sancti homines Dei uſque ad Joannem Baptiſtam filii ſunt promiſſionis, & gratiæ*. Nonne ſeptem Machabæi ex motivo charitatis tanquam Dei filii dicebant 2. Machab. 7. *Parati ſumus mori magis, quam patrum leges prævaricari?* Nonne ex eodem motivo Suſanna dixit Daniel. 13. *Melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quam peccare in conſpectu Domini?* Hinc Jo. Apocal. 7. vidit ex qualibet tribu duodecim millia ſignatos *ſtantes ante Thronum in conſpectu Dei, & Agni*, quia ſcilicet multi ex qualibet tribu in lege veteri auxiliis gratiæ, quamvis non valde intenſis, bene uſi ſunt, uſque ad ſalutem conſequendam, in erubeſcentiam, & confuſionem eorum, qui in lege evangelica innumeris, ac valde intenſis gratiæ auxiliis diſſentiendo damnantur.

Deinde, quod in lege veteri, quicunque ex timore ducebantur ad legem implendam, inſtar mancipiorum legem ſervarent, (ſeu cum affectu pravo conditionato legem non ſervandi ſi metus abeſſet) pariter eſt erroneum; oſtendimus quippe ex Scripturis, Tridentino, Patribus, & ratione, poſſe homines ob timorem mere ſervilem, ac proprium ſervorum, (qui ſe magis, quam Dominum amant) abſque ullo affectu ad culpam, legem implere, & ſic laudabiliter, ac meritorie operari; Ad eum modum quo recte & laudabiliter operatur, qui inſtar mercenarii legem obſervat intuitu mercedis æter-

ternæ, quin peccet ex hoc, quod non operetur ex motivo charitatis, ut definit Tridentinum ſeſſ. 6. can. 31. Quamvis autem conditio mercenarii ſit nobilior conditione ſervi, unde ſublimius operatur, qui legem obſervat intuitu mercedis æternæ, quam qui illam obſervat ob metum gehennæ: uterque tamen actus eſt bonus, ac ſupernaturalis; bonus quidem eſt uterque actus, quia in utroque bonum eſt objectum materiale, nempe legis obſervantia, & in utroque bonum eſt objectum formale, nempe deſiderium mercedis æternæ, & timor, ac fuga gehennæ: eſt etiam uterque actus ſupernaturalis, quia uterque procedit ex lumine ſuperno, quo dumtaxat cognoſcimus & mercedem æternam, & gehennam. Immo, ut advertit Ripalda to. 3. diſp. 22. ſect. 7. uterque actus pertinet ad virtutem infuſam ſpei; quia bonum proprium ſpei eſt beatitudo, quam ſperamus, & propter quam præcepta ſervamus: cum autem ad eundem virtutis habitum ſpectet, & proſequi bonum, a quo illa ſpecificatur, & fugere a malo, quod ei bono opponitur; & bonum oppoſitum beatitudini, quam reſpicit ſpes infuſa, ſit gehenna; ideo ad eundem habitum ſpei, ad quem ſpectat operari propter beatitudinem, ſpectat etiam operari ob timorem, & fugam gehennæ; Ad eum modum, quo ſpectat ad eundem habitum charitatis infuſæ tam dilectio Dei propter ejus bonitatem, quam timor filialis, & fuga a Dei offenſa; quia bonum oppoſitum divinæ bonitati eſt Dei offenſa. Quare tam eſt erroneum, quod in lege veteri nemo operabatur ut filius Dei adoptivus ex motivo charitatis; quam eſt erroneum, quod omnes, qui ex metu pœnæ legem implebant, illam implerent ut mancipia ex metu mundano peccaminoſo, & coacte.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LXVI.

SExageſimaſexta docet, quod debeamus Deo appropinquare per fidem, & amorem ut filii, non per timorem ut belluæ, nec ad illum venire cum brutalibus paſſionibus, aut adduci per inſtinctum naturalem. Verum, quod inſtinctus naturalis non adducat ad Dei cognitionem, & amorem mere naturalem, negari non poteſt: etenim ſicut lapis ductu naturæ fertur ad centrum, & ignis ad ſphæram; ita homo naturæ inſtinctu fertur ad Deum; ita ut inquietum ſit cor noſtrum, donec in illo requieſcat. Hinc Damaſcenus lib. 1. Orthodoxæ fidei cap. 1. dixit: *Notitia Dei omnibus a natura eſt inſita; neque aliquis ratione utens ignorare poteſt.* & Job 36. dicitur: *Omnes homines vident eum, unuſquiſque intuetur procul*: Solus inſipiens, ac ſtultus huic naturali dictamini reluctatur, ut ad arbitrium vivat. Hinc Pſal. 53. habetur: *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus*: Ubi Anſelmus in Proſ. cap. 3. addit: *Ideo dixit, quia ſtultus eſt, & inſipiens.* Quare ſi naturæ magiſterio edocti dicimus dari Deum pelagus bonorum omnium, ad eundem pariter diligendum ipſa natura nos impellit. Neque enim verum eſt, quod non poſſimus Deum naturæ viribus diligere; cum proſcripta ſit Bajana illa theſis 36. dicens: *Amor naturalis, qui ex naturæ viribus exoritur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ, cum injuria Crucis Chriſti, defenditur a nonnullis Doctoribus.* Quod ſi quando ſarcina brutalium paſſionum premimur, adhuc ad illum adire tenemur, ut ea nos exoneret.

Præterea quamvis in ordine ſupernaturali primus acceſſus ad Deum fiat per fidem; dicitur enim ad Hebr. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*: Nihilominus ad illum deinde non appropinquamus per ſolam charitatem, ſed etiam per ſpem, & per alios actus virtutum moralium, quas inficiari non debet Queſnellus, ut oſtendimus in theſi 53. Quamvis autem de aliis virtutibus in hac theſi præſcindatur; tamen ex hoc ipſo hic cenſentur erronee excludi, ut in ſimili diximus in Anacephaleoſi theſis 32.

Denique erroneum eſt, quod ad Deum appropinquare non poſſimus per timorem; (dummodo non ſit mundanus, qui a culpa non eſt immunis, & ad externam legis obſervantiam homines tanquam belluas revera coarctat) oſtendimus quippe timorem ſervilem eſſe bonum motum, Dei donum, & Spiritus Sancti impulſum, ex Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. doloremque ex gehennæ metu conceptum non ſolum eſſe utilem, & ad gratiam præparare, ſed etiam eſſe liberum, ac voluntarium, non vero coactum, ut ibidem Tridentinum definit can. 5. Poſſumus itaque ſi minus ut filii, ſaltem ut ſervi, (non tamen ut belluæ, vel ut mancipia) per hunc timorem Deo appropinquare, cum diſponat, ac viam muniat ad Dei gratiam in ſacramento Pœnitentiæ impetrandam. Quod autem ad Dei gratiam diſponit, proculdubio ſupernaturale eſt; adeoque ad Deum

poſ-

poſſidendum per gratiam, & gloriam facit nos approquinquare.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LXVII.

SExageſimaſeptima ſomniat timorem ſervilem non repræſentare ſibi Deum, niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, ac intractabilem; perinde quaſi non ſatis eſſet ad homines a culpa retrahendos animadvertere, quod quamvis Deus ſit patiens, longanimis, facile exorabilis, ſit etiam juſtus; unde tandem aliquando gehennæ pœnam culpis debitam ad oſtenſionem ſuæ juſtitiæ reſpuentibus auxilia gratię quodammodo coactus imponat. Etenim uſqueadeo Deus alienus eſt a puniendo, ut de eo dicatur proprium eſſe miſereri ſemper, & parcere; & punitio dicatur opus ejus peregrinum apud Iſaiam 28. ubi dicitur: *Sicut in valle, quæ eſt in Gabaon, iraſcetur, ut faciat opus ſuum, alienum opus ejus; ut operetur opus ejus, peregrinum eſt opus ejus ab eo.* Quod ex eo fit perſpicuum, quia ut juſtitiam ſimul oſtenderet, & delinquentibus parceret, *proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, ut habetur ad Rom. 8. Quare ergo Deum timens timore ſervili repræſentare ſibi debet Deum ut Dominum durum, ſi ad expugnandam cordis noſtri duritiem opponit continenter divitias ſuæ bonitatis, & longanimitatis? unde ad Rom. 2. dicitur: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ.* Quare Deus repræſentari debet ut imperioſus, & acerbus, ſi ita comminatur acerba conſona gravitati culparum, ut ſimul ſemper pronus ſit ad ignoſcendum? ſi non ſepties, ſed ſeptuagies ſepties peccata dimittit? ſi peccatoribus exprobrare poteſt, quod voluerit toties illos congregare, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluerint? ſi per Iſaiam 40. dixit: *Numquid obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego non obliviſcar tui.* Quare Deus repræſentatur ut injuſtus, ſi Pſal. 85. dicitur eſſe *Miſerator, & miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ?* ſi ſemper punit citra condignum? ſi propter nimiam (ut loquitur Apoſtolus) charitatem ſuam, qua dilexit nos, ad debitam damnationis ſententiam non deſcendit, niſi poſtquam Filium ſuum dederit nobis cauſæ noſtræ Patronum? dicitur enim 1. Jo. 2. *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum.* Quare demum repræſentandus Deus ut intractabilis, & inexorabilis, ſi cor contritum, & humiliatum non deſpicit? immo ad quamcumque peccatoris lacrymulam miſericordiam ſuam mirum in modum ubertim elargitur? ſi una tantum ex centum ovibus amiſſa, vadit ad illam quærendam, & poſt inventam imponit in humeros ſuos gaudens, & cupiens, ut ſibi, non ovi, amici, & vicini congratulentur; perinde quaſi magis conferat ſibi habere hanc ovem, quam ovi eſſe ſub tanto Paſtore? Quare timor ſervilis, a quo Deus repræſentetur, ut eſt in ſe, & qualis a Davide deſcribitur Pſal. 144. *Miſerator, & Miſericors Dominus, patiens, & multum miſericors*, ſed tamen etiam juſtus, plurimum confert ad avertendos homines a reatu culpæ, illoſque ad Dei dilectionem perducendos. Sic Joſaphat 2. Paralip. 20. *timore perterritus totum ſe contulit ad rogandum Dominum.* Sic Ninivitæ ex Triden. ſeſſ. 14. cap. 4. *timore utiliter concuſſi plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam a Domino impetrarunt;* & communiter peccatores, ut advertit idem Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. *a Divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt.* Qua de cauſa a Sanctis Patribus timor hic vocatur veluti oſtiarius charitatis, quia per illum fit nobis aditus ad perfectam Dei dilectionem. Inſtar omnium ſit Auguſtinus, qui ſerm. 18. de Verb. Domini cap. 8. habet: *Time tamen, ut iſta formido cuſtodiat te, & perducat ad dilectionem.*

PROPOSITIO LXVIII.

Dei Bonitas abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in fide, & precibus. *Queſnell. Act. 2. 21. edition. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Nititur hæc theſis in Auguſtinis verbis non rite intellectis. II. Triplicem autem errorem continet; & quod excludat alia media ad ſalutem neceſſaria; & quod neget fidem eſſe actum

ctum intellectus; & quod alias non agnoſcat virtutes ab iſta diſtinctas.

III. Non ſufficit ad ſalutem Fides ſine exercitio aliarum virtutum Theologalium, & Moralium, & ſine obſervantia mandatorum.

IV. Scriptura, Tridentinum, & Patres docent id apertiſſime. V. Duplex etiam ratio id efficaciter evincit.

VI. Huic doctrinæ non adverſatur auctoritas D. Jacobi. VII. Fides ſine operibus non eſt mortua ad eum modum, quo homo dicitur mortuus, quatenus amiſſa anima non eſt amplius homo; ſed ſicut corpus dicitur mortuum, quod adhuc ab anima ſeparatum eſt corpus.

VIII Explicatur quonam pacto per fidem juſtificemur. IX. Et quomodo verbum Dei ſanet, ac ſalvet nos. X. Dum Sancti Patres docent, ſolam fidem juſtificare, excludunt opera cæremonialia, & externa; non vero charitatem.

I. ILlud ipſum in hac theſi Queſnellus contendit, quod docuerat in quinquageſima ſecunda, videlicet, quod omnia ſalutis media contineantur in fide, quæ non eſt ſine fiducia, & amore. Non enim vult, quod ſola fides informis cum oratione contineat media omnia ad ſalutem neceſſaria; quandoquidem in theſi quinquageſima nona dicit, Orationem impiorum non ſolum non deſervire ad ſalutem obtinendam, ſed eſſe novum peccatum, & quod per talem orationem a Deo conceditur, eſſe novum in eos judicium. Quare ſolum hic docet, viam ſalutis a Deo abbreviatam eſſe, omnia claudendo in fide, & precibus, hoc eſt in fide, quæ per fiduciam, & amorem Deum invocat, & exorat. Cum enim dicatur Joan. 2. *Quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*; nec poſſit nomen Domini invocari ſupplicibus precibus in ordine ad ſalutem, niſi per fidem, juxta illud Apoſtoli: *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt?* idcirco fides, & preces ad ſalutem requiruntur, quatenus fides eſt, quæ credit; ſpes vero, & charitas, quæ orat, ut docet Auguſtinus in Enchir. cap. 7., ubi habet: *Ecce tibi Symbolum, & Dominica oratio; quid brevius auditur, aut legitur? Quia enim de peccato gravi miſeria premebatur genus humanum, & Divina indigebat miſericordia, gratiæ Dei tempus Propheta prævidens ait: Et omnis, quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit; propter hoc Dominica Oratio. Sed Apoſtolus cum ad ipſam gratiam commendandam hoc propheticum commendaſſet teſtimonium, continuo ſubjecit: Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Propter hoc Symbolum. In his duobus tria illa intuere: Fides credit, Spes, & Charitas orant; ſed ſine fide eſſe non poſſunt; ac per hoc & fides orat.* In his itaque Auguſtini verbis non rite intellectis videtur Queſnellus fabricam hujus theſis conſtruxiſſe, dicens, quod via ſalutis abbreviata ſit a Deo claudendo totum in fide, & precibus.

II. In hoc autem aſſerto tripliciter errat adverſus Catholicam veritatem, & Auguſtini mentem. Primo quidem, quod velit ita viam ſalutis in fide, & precibus claudi, ut velit omnia ſalutis media contineri in fide, quæ non eſt abſque amore, & fiducia, ut loquitur in theſi 52. unde excludit tanquam media neceſſaria ad ſalutem auxilia prævia ad actum fidei, quæ dantur Infideli, ut poſſit libere fidem amplecti actu piæ affectionis ſpectante ad voluntatem; ut oſtendimus in theſi commemorata. Secundo, quod velit fidem non eſſe actum intellectus, ſed eſſe ipſam fiduciam, & amorem, atque adeo fidem ipſam orare formaliter, non radicaliter; quod ſi verum eſſet, non poſſet fides eſſe ſine his affectibus fiduciæ, & amoris; quod tamen expreſſe D. Auguſtinus negat loco laudato, ſtatim ſubdens: *Porro & aliquid, quod non ſperatur, credi poteſt. Quis namque fidelium pœnas non credit impiorum, nec ſperat tamen?* Tertio, quod velit in hac fide, & precibus claudi totum, quod ad viam ſalutis ſpectat, ut proinde excludat actus aliarum virtutum, dilectionis proximi, miſericordiæ, religionis, pœnitentiæ, & ſimilium, docens omnia virtutum iſtarum officia a ſola charite prodire. Unde fit non poſſe hominem ad charitatem per exercitium iſtarum virtutum inſuſarum ſe diſponere. Et ratio hujus erroris eſt, quia putat Queſnellus omnes actiones noſtras condiſtinctas a charitate eſſe peccaminoſas, ut habetur in theſi 44. juxta doctrinam Lutheri lib. 1. de libero arbitrio, pag. 141., ubi habet: *Peccare juſtos etiam in operibus bonis, & bona opera eſſe ex ſe mortalia peccata.* Quod pariter docuerat Calvinus in Antidoto pag. 291. dicens: *In eo differt a Lege Evangelium, quod non ſub conditione operum, ſicut illa, ſed ex fide vitam promittit.* Adverſus hæc omnia fuſe diximus in expoſitione illius quinquageſimæ ſecundæ theſis, quæ cum iſta coincidit. Hic adverſus tertium hoc erroneum aſſertum aliquid addendum.

III. Oſtendo itaque fidem ſine operibus, hoc eſt ſine exercitio aliarum virtutum Theologalium ſimul, & Moralium, non eſſet ſatis ad ſalutem conſequendam: atque adeo viam ſalutis non claudi totam in fide & precibus

bus modo explicato. Et primo quidem requiritur obſervantia mandatorum; cum dicatur Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; requiritur præter fidem charitas; cum dicatur 1. Jo. 3. *Qui non diligit, manet in morte*. Requiruntur opera præter fidem; cum dicatur Jacobi 2. *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſalvare eum?* Et poſt multa ad hanc rem concludit Apoſtolus: *Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt*. Hinc paſſim in Scripturis dicitur, quod merces in cœlo retribuenda ſit operibus; ut oſtendatur, fidem eſſe initium duntaxat, & radicem bonorum operum, quibus coronam gloriæ nobis comparamus. Matth. 20. habetur: *Voca operarios, & redde illis mercedem*. Matth. 5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis*. 1. ad Corinth. 3. *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum proprium laborem*. Et ad Roman. 2. *Deus reddet unicuique ſecundum opera ſua*.

IV. Porro Tridentinum ſeſſ. 6. can. 29. anathematizat, qui dixerit, eum, qui poſt baptiſmum lapſus eſt, ſola fide amiſſa juſtitiam recuperare ſine ſacramento pœnitentiæ: & can. 19. anathematizat, qui dixerit, nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera: & can. 24. anathematizat, qui dixerit, bona opera fructus ſolummodo, & ſignæ eſſe juſtificationis adeptæ, non autem ipſius augendæ cauſam: ac demum can. 22. anathematizat, qui dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem; quamvis non ſit viva: Uſqueadeo verum eſt fidem non continere fiduciam, & charitatem, ſed poſſe ab iis actibus ſejungi, & ad illos ſolum diſponere; nec ſolam fidem ſine operibus ſufficere ad ſalutem aſſequendam.

Accedit Patrum auctoritas, qui paſſim docent, non ſoli fidei reddi mercedem æternam, ſed etiam operibus; Et præter fidem opera etiam ad ſalutem requiri. Auguſtinus lib. de fide, & operibus cap. 14. habet: *Jam illud videamus, quod excutiendum eſt a cordibus religioſis, ne mala ſecuritate ſalutem ſuam perdant, ſi ad eam obtinendam ſolam fidem ſufficere putaverint*. S. Cyrillus lib. 10. in Jo. cap. 18. *Quod autem fides ad ſalutem non ſufficiat, Chriſti etiam diſcipulus oſtendit ſcribens: Tu credis, quia unus eſt Deus*. S. Baſilius orat. in init. Proverb. *Omnes, qui viam evangelicam incedimus, mercatores ſumus, per opera mandatorum nobis poſſeſſionem cœleſtium comparantes*. Et Auguſtinus in Epiſt. 105. ad Sixtum: *Sicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors, ita merito juſtitiæ tanquam ſtipendium vita æterna*.

V. Ratio autem, cur præter fidem requiratur exercitium bonorum operum, eſt, tum ad peccata declinanda, quibus opprimeremur, niſi virtutibus ſedulam operam navaremus; tum etiam, ut poſſimus ad ſublimiorem gloriæ gradum in patria evehi, & in eo in æternum perdurare. Quod Tridentinum diſerte docuit ſeſſ. 6. cap. 11. dicens: *Nemo ſibi in ſola fide blandiri debet, putans fide ſola ſe hæredem eſſe conſtitutum, hæreditatemque conſecuturum, etiamſi Chriſto non compatiatur, ut & conglorificetur. Nam & Chriſtus ipſe, ut inquit Apoſtolus, cum eſſet Filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam, & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ*. Ac deinde Tridentinum monet nos exemplo Apoſtoli ſic currere, ut comprehendamus, ſic currere, non quaſi in incertum, neque tanquam aerem verberantes, ſed caſtigando corpus, ac in ſervitutem redigendo, ne reprobi efficiamur: Monetque pariter nos verbis Principis Apoſtolorum dicentis 2. Pet. 1. *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando*. Ex quibus ad rem noſtram concludit, Orthodoxæ Religionis doctrinæ adverſari eos, qui docent, *in omnibus operibus juſtos peccare, ſi in illis ſuam ipſorum ſocordiam excitando, & ſeſe ad currendum in ſtadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam*. Ad hæc addendum, per hanc theſim in medium iterum adduci errorem Maſſilienſium, qui totam Chriſtianæ vitæ perfectionem in ſola Oratione fidei annexa reponebant, ut ex Auguſtino, & Epiphanio notat de Caſtro, Verbo *Oratio*. Præterquamquod theſis hæc errorem etiam redolet Quietiſmi, perfectionem omnem reponentis in oratione puræ fidei; idque ex eo erroneo aſſerto, in quo utraque hæreſis nititur, videlicet, quod voluntas non proprie ſe determinet, ſed ſolum determinetur vel a Deo ad bonum, vel a diabolo, aut a concupiſcentia ad malum, & ſit velut corpus exanime, ut habet Molinos in ſecunda ex ſuis confixis theſibus ab Innocentio XI.

VI. Opponitur ad hæc primo ex Calvino lib. 3. Inſtit. cap. 17. quod D. Jacobus loco laudato non dixerit: Quid proderit, ſi fidem quis habeat, & non habeat opera? ſed dixerit: *Quid proderit, ſi fidem quis dicat ſe habere?* unde non docet, fidem ſine operibus

ribus non prodeſſe, ſed quod ſolum non profit dicere, quod quis fidem habeat.

Confirmatur, tum quia ibidem fides ſine operibus comparatur a D. Jacobo fidei dæmonum, quos conſtat fidem veram, ac ſupernaturalem non habere; tum etiam quia fides ſine operibus dicitur eſſe mortua; ergo bene poteſt dici, quod Deus viam ſalutis clauſerit in fide, & precibus; quæ tamen ſit fides viva, ac ſupernaturalis, non vero fides mortua, ac naturalis. Et eodem modo reſponderi poteſt aliis locis adductis juxta eandem diſtinctionem; ergo ſufficit ad ſalutem ſola fides cum precibus explicatis.

Reſpondeo univerſim verba dogmatica ſumi debere in ſenſu proprio, niſi quid obſtet; alioquin nihil certi haberemus ex Scripturis, Conciliis, & Patribus ſpectans ad fidem. Quare in locis adductis, ubi ſermo eſt de fide, quæ ſine operibus non ſufficit ad ſalutem, intelligendum eſt de fide ſupernaturali, quæ in proprio ſenſu ibi ſignificatur. De eadem loquitur D. Jacobus, qui quamvis dicat, nihil prodeſſe, quod quis jactet ſe habere fidem ſi deſint opera, diſerte tamen addit, *Numquid poterit fides ſalvare illum?* indicans non ſatis eſſe fidem ſine operibus, ut ſalutem conſequamur.

VII. Ad confirmationem: D. Jacobus comparat fidem impiorum cum fide dæmonum, quatenus neutra iſtorum fides eſt fructuoſa; quamvis utraque ſit objective vera, ac recta. Et in hoc ſenſu pariter Auguſtinus libro unico de Baptiſmo cap. 10. comparat fidem dæmonum etiam cum fide D. Petri, quam Dominus commendavit Matt. 16. Fides tamen fidelium impiorum eſt ſupernaturalis, & libera; fides vero dæmonum eſt naturalis, & coacta, ſeu extorta ab ipſa rerum evidentia. Hinc D. Jacobus dixit, *dæmones credunt, & contremiſcunt*; quatenus inviti, & coacti credunt; nos autem, qui ſponte, & libere credimus, non credimus contremiſcentes, ut advertit Bellarminus lib. 1. de Juſtificat. cap. 15. Ad id, quod additur, fides ſine operibus non eſt mortua, ut homo mortuus, qui poſt mortem non eſt homo, niſi cum addito diſtrahente, velut homo pictus; ſed eſt mortua fides informis, ſicut corpus ſine anima dicitur mortuum: quemadmodum enim accidit corpori, quod uniatur animæ, & ſit vivum; ita accidit fidei, quod uniatur gratiæ, & ſit viva; homo tamen eſſentialiter importat corpus, animam, & unionem; unde homo mortuus non eſt amplius homo; corpus vero adhuc mortuum eſt corpus; & ſic fides etiam informis, & mortua eſt vera fides.

VIII. Opponitur ſecundo, quod homo dicatur gratis juſtificari, & ſalvari per fidem; & non ex operibus; ergo in ſola fide, & precibus modo explicato continentur omnia ad ſalutem neceſſaria. Antecedens probatur; quia ad Epheſ. 2. dicitur: *Gratia enim eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Rom. 4. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius.* & Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum: ei autem, qui non operatur, credenti autem in eum, qui juſtificat impium, deputatur fides ejus ad juſtitiam.*

Confirmatur, quia Verbum Dei, quod ſola fide apprehenditur, in Scripturis dicitur ſalvare animas noſtras; ergo ſola fides ſufficit. Antecedens conſtat ex eo, quod dicitur Jacobi 1. *Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras*: & Pſal. 106. *Miſit verbum ſuum, & ſanavit eos*: & Rom. 1. *Evangelium virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti.*

Reſpondeo Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 8. explicare, quid ſit per fidem juſtificari gratis, dicens: *Per fidem ideo dicimur juſtificari, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis. Gratis autem juſtificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur; ſi enim gratia, jam non ex operibus eſt; alioquin, ut idem Apoſtolus inquit, gratia jam non eſt gratia.* Quare aliud eſt juſtificari gratis per fidem, aliud vero juſtificari ſola fide: etenim juſtificari gratis per fidem importat, quod ſine ullo prævio merito habeamus fidem, quæ eſt initium, & radix noſtræ juſtificationis: juſtificari vero ſola fide importat, nihil aliud ad juſtificationem requiri præter fidem; quod eſt falſum. Ubi adverte, operationes naturales neque eſſe meritum condignum, neque congruum, relate ad obtinendam fidem ſupernaturalem, quippe quæ eſt in ordine ſuperiori relate ad operationes naturales. At operationes ſupernaturales virtutum infuſarum, quæ præeunt juſtificationem, quamvis non poſſint illam mereri de condigno, poſſunt tamen illam mereri de congruo; quia merita quę habentur ex gratia pręvenientę, non pugnant cum gratia, alioquin ipſa gratia pugnaret cum gratia, quod eſt falſum. Hinc Auguſtinus epiſt. 105. habet: *Nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat.* Hujuſmodi autem meritum de congruo non fundatur in ulla proportione inter meritum, & præmium, ſed in ſola promiſſione Dei, qui credentibus, &

pœ-

pœnitentiam agentibus congruenter remiſſionem peccatorum promiſit.

IX. Ad confirmationem; Verbum Dei ſanat, & ſalvat, non ſola fide, qua apprehenditur, ſed etiam charitate, & aliis operibus, quibus adimpletur. Hinc a D. Jacobo non dicitur verbum Dei ſalvare, ſed quod poſſit ſalvare animas noſtras; ſi ſcilicet inſtar ſeminis retineatur in corde bono, & fructum afferat in patientia tempore tentationum.

X. Opponitur ultimo Auctoritas Sanctorum Patrum, qui paſſim videntur docere, quod ad ſalutem ſit ſatis fides. Primo Auguſtinus lib. 83. qq. q. 76. habet: *Si quis cum crediderit, mox de hac vita deceſſerit, juſtificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus; quia non merito ad illam, ſed gratia pervenit.* Secundo Chryſoſtomus Homil. 3. in Epiſt. ad Titum: *Si credis fidei, cur alia infers, quaſi fides juſtificare non ſufficiat ſola?* Tertio Ambroſ. ex Comment. in cap. 3. ad Rom. *Juſtificati ſunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes ſola fide juſtificati ſunt.* Et in cap. 9. beatos dicit, *de quibus hoc ſanxit Deus, ut ſine labore, & aliqua obſervatione ſola fide juſtificentur apud Deum.* Quarto Origenes in cap. 3. Epiſt. ad Rom. *Dicit* (Apoſtolus) *ſufficere ſolius fidei juſtificationem, etiamſi nihil ab eo operis fuerit expletum.* Et ſic non raro alii Patres loquuntur, qui diſerte videntur docere, quod viam ſalutis in fide, & precibus (ſeu in fide, quæ non ſit ſine fiducia, & amore) totum claudendo Divina bonitas abbreviaverit.

Reſpondeo, hæc, & alia id genus loca Sanctorum Patrum, quæ in expoſitione quinquageſimæ theſis adduximus, ſolum ſignificare, quod fides formata charitate ſufficiat ad ſalutem, quin conferant ad iſtam opera naturalia, aut requirantur opera cæremonialia legis, vel opera externa, ſi non poſſumus ea exequi.

Ad primum: Auguſtinus paſſim docet, fidem ſine charitate eſſe fundamentum duntaxat ædificii, ac initium juſtificationis: ita ut opera bona ante fidem nullatenus diſponant ad gratiam fidei; opera vero poſt fidem, utpote ſupernaturalia, ad juſtificationem conferant, & ad ſalutem. In lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 7. habet: *Ex fide ideo dicit Apoſtolus juſtificari hominem, non ex operibus, quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juſte vivitur.* Quare ad locum in argumento adductum dicendum, ibi Auguſtinum loqui de fide viva, & formata charitate, quæ non obtinetur per meritum operum naturalium.

Ad ſecundum, Chryſoſtomus etiam præter fidem opera, quibus juſte vivamus, requirit ad ſalutem; ideo Homil. 70. in Matth. habet; *Ne fideles ſola ſe fide ſalvari poſſe confidant, de pœna malorum diſſerit: ita infideles ad fidem, fideles vero ad recte vivendum cohortatur.* Hinc loco laudato, ubi dicit ſolam fidem poſſe juſtificare, excludit cæremonias veteris legis; ut conſtat ex contextu.

Ad tertium, pariter D. Ambroſius ibi excludit opera cæremonialia legis; cum expreſſe alibi doceat, ſolam fidem non ſufficere ad ſalutem: præſertim in Comment. ad 4. caput ad Hebr. ubi habet: *Magna res eſt fides, & ſalutaris, & ſine hac non eſt ſalvari poſſibile; ſed ſola fides non ſufficit: Operari fidem per dilectionem neceſſarium eſt, & converſari digne cum Deo.* Præterquamquod, ut notat Bellarminus, Commentaria iſta in Epiſt. D. Pauli non præſeferunt auctoritatem, quæ D. Ambroſio debetur, cum ea communiter cenſeantur non eſſe hujus Sancti Doctoris.

Ad ultimum: ibi Origenes excludit opus externum, utpote ad juſtificationem nullatenus requiſitum, dummodo non ſtet per voluntatem, quin ponatur, quando præcipitur. Nam idem Auctor in cap. 4. ejuſdem Epiſtolæ ad Romanos diſerte docet, fidem ſine operibus ad novum hominem ſpectantibus non eſſe ſatis, dicens: *Credentibus quidem Chriſto, nec tamen deponentibus veterem hominem cum actibus ſuis, fides reputari non poteſt ad juſtitiam.*

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LXVIII.

SExageſima octava docens, Deum ſalutis viam abbreviaſſe, totum concludendo in fide, & precibus, enormiter errat tam in ſenſu, quem facit, quam in ſenſu in quo fit a Queſnello: ſenſus quem facit eſt, quod ad ſalutem obtinendam ſatis ſint fides, & oratio. Cum autem oratio de ſe ſpectet ad virtutem moralem Religionis, non vero ad charitatem, ſenſus hujus theſis erit, quod ad ſalutem non ſolum non requiratur præceptorum obſervantia, & exercitium aliarum virtutum moralium, quod mox dicemus eſſe erroneum, ſed neque etiam exercitium virtutum ſupernaturalium ſpei, & charitatis: Cum tamen 1. ad Cor. 13. dicatur: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*; & perſpicuum ſit, homines ad exercitium omnium

mnium virtutum Theologalium a Deo obligari; ut proinde proſcripta fuerit ab Alex. VII. prima illa theſis, quæ habet: *Homo nullo unquam vitæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Quare evidenter eſt abſonus ſenſus germanus hujus theſis.

Senſus autem, in quo fit à Queſnello, eſt, quod ad incedendum per viam ſalutis ſufficiant fides, & preces, hoc eſt fides, quæ (ut dixit in theſi 52.) non eſt abſque amore, & fiducia, quibus actibus Deum invocamus, & exoramus, juxta illud Auguſtini in Enchirid. cap. 7. *Fides credit; ſpes, & charitas orant; ſed ſine fide eſſe non poſſunt: propter hoc & fides orat.* In hoc autem ſenſu errat primo Queſnellus, dum vult, fidem, ſpem, & charitatem orare formaliter, & non ſolum radicaliter, quatenus impellunt ad orandum; unde oratio non eſt actus elicitus ab iis virtutibus, ſed imperatus. Quare ſicut Apoſtolus dicit, fidem juſtificare; quod tamen non eſt intelligendum de juſtificatione formali, ſed ſolum quod diſponat ad juſtificationem, ut advertit Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 8.; & ſicut idem Apoſtolus dicit, fidem operari per charitatem; non quia fides eſt actus elicitus a charitate, ſed quia fides per charitatem impellit ad operationes ſalutares, & ad legis obſervantiam: ita Auguſtinus docet, fidem, ſpem, & charitatem orare, impellendo pariter ad orandum. Errat ſecundo, dum iterum aliis phraſibus docet, quod dixerat in theſi 52. videlicet omnia ſalutis media contineri in fide, & fidem non eſſe abſque amore, & fiducia; in hoc autem triplicem anguem latitare ibi oſtendimus. Errat tertio, dum docet, ad ſalutem obtinendam fidem, & preces in ſenſu explicato ſatis eſſe; cum certum ſit requiri etiam præceptorum obſervantiam, juxta illud Chriſti Domini Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, necnon ſuſceptionem Sacramentorum, & exercitium aliarum virtutum moralium; ut proinde Chriſtus Dominus in extremo die Reprobis dicturus ſit, propter omiſſionem operum Miſericordiæ detrudendos eſſe in ignem æternum; iis enim verbis finalis ſententia profertur Matth. 25. *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus: Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare*, &c. Hinc Petrus Apoſtolus ad univerſa pietatis opera adhortatur dicens cap. 1. ſuæ Epiſtolæ: *Fratres magis ſatagite, ut per bona opera certam vocationem veſtram, & electionem faciatis: Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Et Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. advertit, neminem in ſola fide blandiri ſibi debere, niſi etiam Chriſto compatiatur, ut & conglorificetur, addens ex Apoſtolo, quod *Chriſtus ipſe, cum eſſet Filius Dei, didicit ex iis quæ paſſus eſt obedientiam, & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Quare omnia ſalutis media non concluduntur in ſola fide, & precibus, quomodocunque id explicetur a Queſnello.

PROPOSITIO LXIX.

Fides, uſus, augmentum, & præmium Fidei, totum eſt donum puræ liberalitatis Dei. *Queſn. Marc. 9. 22. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Torpentes, ac deſides vult nos Queſnellus reddere, dum dicit, fidei uſum, & augmentum eſſe Dei donum.

II. Contendit, eam eſſe merum donum Dei, ita ut noſtram cooperationem excludat.

III. Actus voluntatis imperans aſſenſum fidei eſt ita donum Dei, ut ſit etiam meritum noſtrum.

IV. Hinc præmium pariter, quod pro eo actu confertur, neque eſt purum donum Dei, ita ſcilicet, ut excludat moralem ejus exigentiam.

V. Diſcrimen inter gratiam collatam in ſtatu innocentiæ, & eam, quæ confertur in ſtatu naturæ lapſæ, non eſt eſſentiale, ſed mere accidentale ex tribus capitibus; unde in utroque ſtatu actus ſupernaturales meritorii non ſunt purum Dei donum. VI. Janſeniani explicare nequeunt quonam pacto actus noſtri poſſint eſſe meritorii, ſi ſolam habeant libertatem a coactione.

VII. Vita æterna in ſtatu naturæ lapſæ, non ſecus ac in ſtatu innocentiæ, ita eſt Dei donum, ut ſit etiam merces: Unde fit, gratiam Adamicam, & Chriſtianam ſolum accidentaliter diſcriminari. VIII. Explicatur in quonam ſenſu dicat Apoſtolus, Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.

IX. Sicut etiam quomodo Deus operetur in nobis velle, & perficere. X. Et quare dicatur Deus Electos a Reprobis diſcernere. XI. Ad cum modum, quo voluntas noſtra eſt cauſa principalis culpæ, vi cujus diſcernitur tandem Reprobus ab Electo; ita Deus eſt cauſa principalis bonæ operationis, vi cujus tandem Electus diſcernitur a Reprobo. XII. Quare Deo principalius noſtra bona operatio aſcribatur.

I. Hor-

I. HOrrendum ingrati animi crimen ſubiremus, niſi immenſæ Divini erga nos amoris beneficentiæ acceptos referremus actus omnes noſtros ſalutares: ſunt quippe hujuſmodi operationes ex Trid. ſeſſ. 6. can. 32. Divinæ liberalitatis dona; quamvis non ſint ita dona Dei, ut non ſint etiam merita noſtra. Queſnellus in hac theſi videtur ſub ſpecie cujuſdam pietatis ad gratitudinem nos excitare, commemorando ingentia dona, quæ nobis a Deo miſericorditer conferuntur per fidem, per ejus uſum, & augmentum, nec non per præmium. At dicendo ſimul totum hoc eſſe donum puræ putæ divinæ liberalitatis, non ſolum torporem inducit, & ſocordiam, dum vult nullatenus a noſtra libera cooperatione illud dependere, verum etiam de medio tollit in tot ingentibus fidei donis dotem illam præſtantiſſimam, quod ſcilicet hæc ipſa dona ſint pariter noſtra merita: Quod maximopere divinam beneficentiam commendat: Siquidem hac de cauſa vult nos ſemper excitatos, ut Deo inſerviamus, majus ſemper ac majus augmentum gratiæ, & gloriæ promerendo, ac timentes ne a juſtitia decidamus, & circa fidem etiam naufragium patiamur, dum in manu voluntatis noſtræ poſitum eſt fidem amplecti, ac illam recuſare, necnon per ejus uſum, & exercitium in ea creſcere, & præmium inde miſericorditer promiſſum reportare. Hinc Cœleſtinus Papa in Epiſtola dixit: *Tanta erga omnes homines eſt bonitas Dei, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.* Errat proinde Queſnellus, & vehementer errat adverſus catholicas veritates, dum docet totum eſſe donum puræ liberalitatis Dei, fidem, ejus uſum, augmentum, ac præmium, excludendo noſtram liberam cooperationem tam in actu, quo fidem amplectimur, quam in actibus, quibus habitu infuſo fidei utimur, ſicut etiam in actibus, quibus fidei augmentum promeremur; nec non excludendo a præmio rationem debiti relate ad merita de condigno, ut mox explicabimus.

II. Quod autem in hoc ſenſu theſis iſthæc loquatur, ex eo conſtat, quia in theſi 34. dicitur, gratia Adami non produxiſſe niſi merita humana, juxta ſententiam Janſenianorum docentium, ſolum in ſtatu innocentiæ merita tribui humano arbitrio potius, quam gratiæ. Quod Bajus olim docuerat in prima ex ejus proſcriptis theſibus dicens: *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia*: in ſtatu vero naturæ lapſæ, in quo duos tantum Queſnellus agnoſcit amores, ut habet in theſi 44. aut ex charitate infuſa bonum, aut ex carnali cupiditate malum, vult actum charitati (qui ſimul ſit fidei ac fiduciæ, juxta theſin præcedentem, & 52.) in nobis cauſari a gratia ſuprema, forti, irreſiſtibili, omnipotenti, prout habet in theſi vigeſima prima; unde neceſſitet voluntatem, quæ ſolum eſt libera a coactione; & ideo talis actus non ſit meritum humanum, ſed gratia. Ex quo fieret, fidem, & ejus uſum, ac augmentum eſſe merum donum divinæ liberalitatis, nullatenus imbibens noſtram liberam cooperationem; nec non præmium, quod fidei hujus actibus correſpondet; cum ab operationibus, utpote non liberis, nullatenus exigatur.

III. Oſtenditur falſitas ex iis omnibus, quæ adverſus Janſenii theſes, & adverſus plurimas iſtarum, præſertim adverſus decimam, & decimamtertiam, diximus, enervando errores Janſenianorum contendentium gratiam in natura lapſa eſſe talem, cui voluntas reſiſtere non poſſit; quod ſi verum eſſet, procul dubio fides, uſus, augmentum, & præmium fidei totum eſſet donum puræ munificentiæ Divinæ. Cum autem pluribus oſtenderimus auxilium gratiæ eſſe indifferens, nec lædere libertatem indifferentiæ, aperte ſequitur, quod ſolum gratia auxiliaris requiſita ad fidem amplexandam ſit donum puræ liberalitatis Dei; fides tamen in quantum libera, & meritoria, ſeu actus ſupernaturalis, quo quis libere imperat intellectui aſſenſum fidei ſupernaturalem, non ſit ita donum liberalitatis divinæ, ut non ſit etiam meritum noſtrum. Quod etiam dicendum de uſu fidei, ſeu de actibus liberis, & meritoriis, quibus aſſenſus fidei imperatur, utendo relate ad illos habitu prævio fidei infuſæ; necnon de actibus liberis, ac meritoriis, quibus augmentum talis habitus promeremur. Ex quo etiam ſequitur, quod præmium collatum iſtis actibus fidei meritoriis a juſto elicitis, neque ſit donum puræ liberalitatis divinæ, ſed ita ſit donum Dei, ut ſit etiam a noſtris meritis exigitum de condigno, atque adeo debitum ex juſtitia.

IV. Totum hoc aperte colligitur ex verbis Trident. ſeſſ. 5. can. 32. ubi anathematizatur, *qui dixerit, hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita.* Unde ſit omnes actus noſtros ſupernaturales, qui ſunt liberi, & meritorii, non eſſe donum puræ liberalitatis divinæ, niſi tantum in radice, quatenus ex pura liberalitate confert nobis Deus auxilium ſupernaturale ad illos ponendos abſque ulla prævia exigentia ſive phyſica, ſive morali; at formaliter includunt etiam noſtram libe-

liberam cooperationem; quę pariter eſt donum Dei, cui principaliter debetur, & ſimul etiam eſt meritum noſtrum exigitivum præmii ſupernaturalis; unde præmium, quod confertur actibus fidei, non eſt purum donum excludens exigentiam moralem illius. Quod pariter colligitur ex verbis ejuſdem Trid. in eadem ſeſſ. 6. cap. 16. ubi habet: *Bene operantibus uſque in finem, ac in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum Jeſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda*; unde conſtat præmium bonorum operum ſupernaturalium, ſicut etiam ipſos actus noſtros meritorios eſſe ſolum in radice, non formaliter donum puræ liberalitatis Dei: eſſent tamen formaliter donum purę divinæ munificentiæ, ſi ſubſiſteret doctrina Janſeniana, quod nos relate ad actus fidei, ac ſalutares nullam exerceremus libertatem indifferentiæ eſſentialiter requiſitam, ut actus illi ſint meritorii, qui ſolum principalius Deo tribuantur, non vero adæquate, niſi dumtaxat in radice.

Hinc, ut idem Trid. advertit, præmium bonis operibus conferendum *eſt illa corona juſtitiæ, quam poſt ſuum certamen & curſum repoſitam ſibi eſſe ajebat Apoſtolus, a juſto Judice ſibi reddendam*; quod autem eſt debitum ex juſtitia, & a juſto Judice dandum, non poteſt dici donum puræ liberalitatis, eſto ex pura liberalitate nobis contulerit Deus facultatem ad hoc præmium promerendum, & ex pura liberalitate conferat gratiam efficacem ex intentione boni operis ſecuturi, qua de facto hujuſmodi præmium mereamur.

V. Confirmatur hæc omnia exjiis, quæ diximus in theſi ſexta oſtendendo nullum eſſe diſcrimen eſſentiale inter gratiam Adamo collatam in ſtatu innocentiæ, & illam, quæ nobis confertur in ſtatu naturæ lapſæ; ſed ſolum differre accidentaliter ex tribus illis capitibus, quod ſcilicet gratia iſta ſupponat poſitivam indignitatem ſubjecti; & quod ſupponat Verbi Incarnationem requiſitam ad exhibendam ſatisfactionem condignam pro mortali; & demum quod debeat eſſe uberrima ad frangendum impetum concupiſcentiæ rebellis, & aliorum plurimorum hoſtium removentium nos ab exercitio virtutum. Cæterum ſicut gratia Adamica erat talis, cui voluntas poſſet reſiſtere, vel obtemperare, & ideo obedientia erat meritoria, unde & ipſa, & ejus præmium non erant donum puræ liberalitatis Dei in ſententia Janſenianorum; ita prorſus dicendum de gratia in ſtatu naturæ lapſæ, quæ pariter cohæret cum libertate indifferentiæ; unde parit merita, nec non præmium meritis debitum, quę non ſint donum puræ liberalitatis Dei, excludens noſtram liberam cooperationem ab actibus meritoriis, & exigentiam moralem in iſtis relate ad præmium. Propterea Auguſtinus epiſt. 195. dixit: *Nulla ne ſunt merita juſtorum? Sunt plane, quia juſti ſunt, ſed ut juſti fierent, merita non fuerunt*. Et Concil. Arauſicanum can. 18. *Debetur merces bonis operibus, ſi fiant; ſed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant*.

VI. Adde adverſus hos Janſenianorum errores, quod uniformiter diſcurrant de operibus peccaminoſis, ac de operibus honeſtis, ſeu charitatis, ut ſicut illa ſunt demeritoria per ſolam libertatem a coactione, ita iſta ſint ratione ejuſdem libertatis meritoria: quando tamen urgentur, quomodo poſſit quis peccare, & punire ponendo operationem, quam declinare non poteſt? reſpondent, (quamvis inaniter, ut oſtendimus in expoſitione primæ theſis ab Alex. VIII. confixæ) ſufficere libertatem in cauſa, ſeu in peccato Adæ, ratione cujus contraximus neceſſitatem peccandi. At ſi rogentur, quomodo poſſit quis mereri, ac præmiari per operationem, quam non poteſt a ſe excutere, quamvis ſit libera libertate a coactione? ad hoc ne in ſpeciem quidem poſſunt quicquam reponere, cum non poſſit libertas in cauſa, ſeu Adamo peccante efficere, ut actus bonus non liber ſit meritorius; peccatum quippe Adæ quamvis potuiſſet efficere, ut contrahamus demeritum propter operationes malas non liberas, non poterat tamen peccatum illud efficere, ut nos per operationes honeſtas non liberas contrahamus meritum; unde ſicut Janſeniani in natura lapſa negant dari vera merita, ſed dicunt actus honeſtos liberos libertate a coactione eſſe donum puræ liberalitatis Dei, ita cohærenter negant, quod vita æterna detur in præmium rigoroſe dictum; & ideo docent præmium large dictum fidei eſſe donum puræ liberalitatis Divinæ. Quæ omnia omnino a veritate abhorrent. Etenim bene cohærent etiam in natura lapſa, & quod Dei donum ſit bona noſtra operatio, ac præmium, quod ex illa conſequitur; & quod hæc noſtra bona operatio ſit in noſtra poteſtate, unde voluntas illam eligens exigat præmium illi promiſſum. Quod facile intellectus bene diſpoſiti percipiunt; ſecus vero intellectus aut rudes, aut pervicaces, qui ſanis ſermonibus non acquieſcunt. Et ideo Auguſtin. lib. 2. contra Petilianum

Donatiſtam Epiſcopum cap. 84. habet : *Si tibi proponam quæſtionem , quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines , quos in libero dimiſit arbitrio ; fortaſſe eam difficile ſoluturus es . Quomodo enim attrahit , ſi dimittit , ut quis quod noluerit eligat ? & tamen utrumque verum eſt ; ſed intellectu hoc penetrare pauci valent.* Quare gratia ineluctabiliter noſtras operationes obtinet , & ſimul eſt in noſtra poteſtate illas non ponere ; & ideo bonæ operationes ſunt ſimul donum Dei , & merita noſtra ; atque adeo pariter præmium eſt donum Dei , & ſimul debitum meritis noſtris ; proſcripta proinde fuit theſis 3. Baji docentis : *Et bonis Angelis , & primo homini , ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ , felicitas eſſet merces , & non gratia ;* optime enim cohæret tam in ſtatu innocentię , quam in ſtatu naturę lapſę , quod vita æterna ſit Dei donum , & gratia , quamvis ſit merces noſtris meritis debita. Et ratio eſt , quia , ut diximus ex Concilio Arauſicano can. 18. *Debetur merces bonis operibus , ſi fiant ; ſed gratia , quæ non debetur , præcedit , ut fiant ;* unde merces ipſa eſt etiam gratia , & ideo non eſt donum puræ liberalitatis Dei.

VII. Opponitur primo a Bajo lib. 1. de meritis operum cap. 3. id , quod Auguſtinus dicit de corrept. & grat. c. 11. ubi ſic loquitur de vita æterna reſpondente meritis Angelorum , & Adami : *Quæ futura erat & homini , ſicut facta eſt Angelis , merces meriti ; nunc autem per peccatum , perdito bono merito in iis , qui liberantur , factum eſt donum gratiæ , quæ merces meriti futura erat .* Quare ex mente Auguſtini videtur eſſe quod in ſtatu naturæ innocentis dabantur merita , quibus tanquam merces , & non tanquam gratia reſpondebat vita æterna ; in ſtatu vero naturæ lapſę merita ſunt deperdita , & facta eſt donum Dei vita æterna , quæ fuiſſet merces , ſi bona merita non perdidiſſemus per peccatum ; unde fit , fidem , uſum , augmentum , & præmium fidei eſſe donum puræ munificentiæ divinę.

Reſpondeo Auguſtinum non negare quod vita æterna , quæ fuiſſet Adamo merces , (ſicut fuit merces Angelis bonis) fuiſſet etiam gratia , & donum Dei in radice meritorum , ſicut nunc eſt poſt peccatum ; etenim etiam poſt peccatum vita æterna dicitur eſſe merces ab eodem Auguſtino epiſt. 105. ad Sixtum , ubi habet : *Sicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors , ita merito juſtitiæ tanquam ſtipendium vita æterna ;* & tamen poſt peccatum , ipſis Janſenianis fatentibus , eſt Dei donum . Quare ex triplici illo capite , ex quo accidentaliter diſcriminatur gratia Adamica in ſtatu innocentiæ a gratia Chriſtiana in ſtatu naturæ lapſæ , beatitudo ab Auguſtino dicitur eſſe facta donum Dei , quæ fuiſſet Adamo merces , ſi perſeveraſſet . Primo quidem quia præſuppoſita poſitiva indignitate contracta ab Adamo per peccatum , gratia in natura lapſa eſt ſpeciali titulo gratia. Secundo quia in natura lapſa ad gloriam conſequendam prærequiritur redemptio a peccato per ſatisfactionem prævíam Hominis Dei : unde Auguſtinus loco laudato habet : *Nunc potentiori gratia indigent iſti : & quæ potentior , quam Dei Unigenitus Filius æqualis Patri , pro eis homo factus , & ſine ullo vel originali , vel proprio peccato a peccatoribus crucifixus ?* Tertio quia in natura lapſa ad gloriam conſequendam requiritur gratia uberior , quæ vincat concupiſcentiam repugnantem meritis , quæ ante peccatum non erat in Adamo Protoparente : unde idem Auguſtinus eodem loco habet : *Ille non opus habet eo adjutorio , quod implorant iſti , cum dicunt ; Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ ; ille vero nulla tali rixa a ſeipſo in ſeipſum tentatus , atque turbatus , in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruebatur.* His itaque de cauſis noſtra merita , ac præmium dici ſolent Dei donum , non quia ſunt purum Dei donum , ſed quia in tali dono divina liberalitas longe major eſt , quam in ſtatu naturæ innocentis.

VIII. Opponitur ſecundo illud Apoſtoli ad Rom. 9. *Non eſt volentis , neque currentis , ſed miſerentis Dei ;* quibus verbis videtur Apoſtolus docere , uni Deo deberi noſtras bonas operationes , ac vitam æternam , nullatenus vero nobis.

Confirmatur ex eo , quod dicitur Ezechiel. 11. *Faciam ut faciatis :* Et ad Philipp. 2. *Deus eſt , qui operatur in nobis velle , & perficere :* ergo noſtrum velle , & facere uni Deo tribuendum ; atque adeo eſt donum puræ liberalitatis divinæ.

Reſpondeo , Patres , qui hoc teſtimonio Apoſtoli utuntur ad oſtendendam neceſſitatem gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ , oſtendere ejuſdem gratiæ neceſſitatem etiam in ſtatu naturæ innocentis : quare ex hoc non infertur , quod bona operario , ejuſque præmium ſit donum puræ liberalitatis divinæ in uno , & non etiam in altero ſtatu , ut contendit Bajus , & ante illum Calvinus lib. 9. Inſtit. cap. 19. In tantum autem dicit Apoſtolus , non eſſe volentis , neque currentis , ſed miſerentis Dei , quia ex Divina Miſericordia fit , ut velimus , ratione gratiæ efficacis ,

quam

quam confert; unde Deo principalius noſtra operatio debetur, quin tamen deſit noſtra cooperatio; ut docet idem Apoſtolus 1. ad Cor. 15. dicens: *Non ego, ſed gratia Dei mecum:* quem locum Queſnellus in Gallica verſione corrupit ad eludendam ejus auctoritatem vertendo ſic: *Non ego, ſed gratia Dei, quæ eſt in me*, perinde quaſi ſola gratia bonas operationes cauſaret, & ad illas determinaret.

IX. Ad confirmationem, in duplici ſenſu poſſet intelligi, quod Deus ſua gratia faciat nos facere. Primo ſignificando cauſalitatem moralem, ut conſilium, exhortatio, preces faciunt aliquid facere; & in hoc ſenſu proculdubio gratia facit nos facere bonas operationes, illas ſuadendo; facitque nos pro ſua bona voluntate uſque in finem perſeverare. Secundo poteſt ſignificare cauſalitatem phyſicam; & hanc poteſt etiam bifariam denotare: poteſt enim ſignificari, quod Deus per auxilium gratiæ ita influat phyſice in operationem, ut determinet voluntatem ad illam; & falſum eſt, quod hoc pacto auxilium gratiæ faciat nos facere; cum voluntas non determinetur ab auxilio, ſed ipſa determinet auxilium indifferens ad coagendum. Hinc Eccleſ. 3. dicitur: *Facite ut ſalvi ſitis.* Et Hieronymus 2. in Matth. *Noſter animus ſuſcipiens granum prædicationis, & fovens ſementem humore fidei, facit in agro ſui pectoris pullulare.* Poteſt etiam ſignificari cauſalitas phyſica gratiæ, dum dicitur, quod faciat nos facere, & quod operetur in nobis velle, & perficere, non quia determinat ad operationem, ſed quia principalius ipſa agit, & minus principaliter coagit voluntas; & in hoc ſenſu procul dubio gratia facit nos facere, quin ex hoc inferatur, quod bona operatio ſit donum meræ liberalitatis divinæ, quamvis ſit donum divinæ liberalitatis collatio auxilii prævifi efficacis, cum quo Deus nobiſcum ponit operationem ſalutarem, ut fuſe in tertia theſi explicavimus.

X. Opponitur ultimo illud Apoſtoli 1. ad Cor. 4. *Quis eſt, qui te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti? quid gloriaris, quaſi non acceperis?* quod videtur ſignificare eſſe donum puræ liberalitatis Dei quicquid boni operamur in ordine ad ſalutem; aliter ſi voluntas gratiam determinaret ad operandum, non eſſet Deus, qui ſua gratia diſcerneret electos a reprobis; ſed ipſi ſe diſcernerent, poſſentque homines gloriari de hac ipſa determinatione ad bene operandum, tanquam propria, & non accepta a Deo.

Confirmatur primo, quia diſcernere operantem ſalutariter a non operante, & electum a reprobo fert bene operari tem fieri inæqualem non operanti. Hanc autem inæqualitatem non inducit auxilium gratiæ, ſi poſſet eſſe æquale in utroque; ergo induceretur a voluntate; unde voluntas diſcerneret, & non Deus, ſi noſtra operatio, ejuſque præmium non eſſet donum puræ munificentiæ Divinæ.

Confirmatur ſecundo, quia ſi gratia operatur ſolum partialiter, & voluntas ita cooperatur, ut determinet potius gratiam, quam determinetur a gratia, ſequeretur, quod diſcretio principalius fieret a voluntate, quam a gratia; cum tamen Apoſtolus videatur a voluntate excludere diſcretionem etiam partialem, nedum principalem.

Confirmatur tertio, quia quamvis voluntas eſſet cauſa minus principalis relate ad operationem ſalutarem, ſi tamen partialiter ad illam concurreret determinando ad illam, poſſet homo de hoc ipſo gloriari, quod fecerit, ut gratia ſortita ſit effectum ſuum, & ſic gloriari, quod ſe diſcreverit a non operante.

Reſpondeo, dictum laudatum Apoſtoli etiam de Angelis intelligendum eſſe, ut notat Anſelmus lib. de caſu Diaboli cap. 1. cujus titulus eſt: *Quod etiam ad Angelos dicatur: Quid habes, quod non accepiſti?* Et Auguſt. lib. de corrept., & grat. cap. 10. dicit, Adamum non aliter potuiſſe perſeverantiam habere, quam acceptam a Deo; atque adeo tam in ſtatu naturæ innocentis, quam in natura lapſa verum eſt, & explicandum ab omnibus, quod bona operatio, quamvis libera, Deo accepta referenda ſit: quare in utroque naturæ ſtatu agnoſcenda eſt gratia, cui voluntas reſiſtere, aut obtemperare poſſit. Ratio autem cur bona operatio tribuenda ſit Deo, ita ut Deus diſcernat bene operantem a non bene operante, & electum a reprobo, non vero voluntas, quæ determinat gratiam ad bonam operationem ponendam, eſt, quia licet in genere cauſæ formalis bona operatio diſcernat bene operantem a non bene operante; ſicut in genere cauſæ formalis albedo diſcernit album a non albo: nihilominus in genere cauſæ efficientis illi cauſæ principali, cui aſcribitur forma, aſcribitur etiam effectus formalis; atqui bona operatio aſcribitur Deo tanquam cauſæ principali; (quippe qui illam conſulit, ac ſæpe mandat, dat vires ſupernaturales ad illam, ac ſeligit auxilium prævifum efficax ex intentione, quod illa ponatur) ergo bene operans, ut diſcretus a non bene operante, tribuitur principaliter Deo, non ipſi arbitrio; ſicut

victoria aſcribitur magis Duci, quam militibus; & homicidium magis conſulenti, ac mandanti, quam exequenti. Quinimo potiori jure Deus eſt cauſa principalis bonę operationis, quam dux ſit cauſa victoriæ, aut ſicarius ſit cauſa homicidii; quia ſoli Deo competit prævisio auxilii efficacis, quod conferre poſſit ex animo inducendi ineluctabiliter victoriam tentationum, ac bonam operationem; quam prævisionem neque dux habet, neque mandans homicidium. Præterquamquod, cum Deus ſit auctor, & cauſa ipſius potentiæ naturalis, ac totius integræ libertatis creatæ, & per eandem indiviſibilem actionem, qua nos agimus, agat & ipſe eandem noſtram operationem, ex hoc etiam titulo magis tribuitur Deo noſtra bona operatio, quam intendit, & cujus eſt auctor, quam ipſi voluntati coagenti; ſicut etiam quia Deus ex ſpeciali ſua dilectione erga bene operantem feligit auxilium prævisum efficax, & opportunum, ſub quo bona operatio infallibiliter ſequatur citra læſionem libertatis; quod non poteſt præſtare dux erga militem triumphum reportantem.

XI. Quod confirmatur, & explicatur paritate malæ operationis, ſeu peccati; etenim quia voluntas eſt cauſa principalis efficiens relate ad peccatum, quod diſcernit formaliter peccantem a juſto, & reprobum ab electo, ideo voluntas eſt cauſa principalis efficiens talis diſcriminis: unde Judas Apoſtolus loquens de hæreticis dicit n. 19. *Hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes.* Quod D. Thomas exponit: *Qui ſeparant ſemetipſos per hæreſes, & ſchiſmata*: ergo ex oppoſito quia cauſa efficiens principalis bonæ operationis eſt Deus, ideo Deus eſt cauſa efficiens, cur electus a reprobo diſcriminetur.

Quia tamen voluntas etiam cooperatur gratiæ, & determinat illam ad actum bonum, ideo poteſt etiam aliquatenus de hoc gloriari non quidem præſumptuoſe, quaſi ipſum non acceperit, ſed humiliter, & in Domino juxta illud Apoſtoli: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Hinc Bernardus ſerm. de verbis Apoſtoli habet: *Non ait Apoſtolus, ſi autem accepiſti, quid gloriaris? Sed, quid gloriaris, inquit, quaſi non acceperis? ut non prohibeat, ſed doceat gloriari.* Et Auguſtinus epiſt. 106. exponens hoc Apoſtoli dictum habet: *Hoc itaque totum non ideo dicitur, ut homo non glorietur, ſed ut qui gloriatur, in Domino glorietur; quia opera ex gratia, non ex operibus gratia.* Immo Apoſtolus ipſe diſerte docet, gloriationem iſtam non eſſe indignam homine juſto, qui gratiam ad bonam operationem determinat, dicens 2. ad Corinth. 12. *Si voluero gloriari, non ero inſipiens; veritatem enim dicam*: Immo de facto de præclaris facinoribus gloriatur dicens 2. ad Timoth. 9, *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi.* Et 1. ad Corinth. 15. *Abundantius omnibus laboravi.* Cenſet enim dignum laude, honore, & gloria illum, qui bene operatur, dicens Rom. 2. *Gloria, & honor omni operanti bonum.* Et 1. ad Cor. 4. *Laus erit unicuique a Deo.*

Ad primam confirmationem, diximus cauſam formalem inæqualitatis inter bene operantem, & non bene operantem non eſſe gratiam, ſed bonam operationem; cauſam vero efficientem principalem bonæ operationis eſſe Deum; ita tamen, ut etiam voluntas coagat ad illam elective; & ideo Deo tribuitur diſcretio electi a reprobo, quin tamen bona operatio, ejuſque præmium ſit donum puræ liberalitatis Divinæ.

XII. Ad ſecundam, oſtendimus quomodo principalius Deo tribuatur bona operatio, & diſcretio electi a reprobo, quamvis voluntas cooperetur gratiæ, ita ut illam determinet, & non determinetur ab illa ad coagendum; ſicuti principalius tribuitur homicidium mandanti, quam exequenti; unde ad reſtitutionem tenetur mandans, non exequens, niſi in defectum mandantis; eſto homicidium ſequatur ex ultima determinatione exequentis illud. Apoſtolus autem non excludit partialem cooperationem, & aliquam diſcretionem a voluntate; ſicuti quando homicidium tribuitur mandanti, (ita ut ille prius ad reſtitutionem teneatur, & in hujus defectum teneatur exequens) non fit quominus homicidio cooperatus ſit exequens; immo ſolus exequens phyſice ad illud cooperatur; ſicut ſola voluntas cooperatur elective ad bonam operationem. Quæ omnia egregie Auguſtinus explicavit de ſpiritu, & litera cap. 33., ubi oſtendit ſolius Dei eſſe vocare, voluntatis vero eſſe conſentire, & per hoc voluntatem accipere a Deo bonam operationem, dicens: *Conſentire autem vocationi, vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt; quæ res non ſolum non infirmat, quod dictum eſt, Quid habes, quod non accepiſti? verum etiam confirmat: accipere quippe, & habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſi conſentiendo; ac per hoc accipere, & habere utique accipientis, & habentis eſt.* Ecce quomodo ex Auguſtino conſenſus a Deo accipitur; unde Deus diſcernit, quamvis voluntas conſentiat.

Ad ultimam confirmationem; ſatis diximus,

mus, in quo ſenſu poſſit homo gloriari de bonis operationibus, quæ Deo principalius, & quodammodo abſolute tribuuntur; adeo ut Apoſtolus tenuiſſimas illas partes, quas tribuit voluntati relate ad operationes ſalutares, veluti non agnoſcat, cum dicat: *Non ego, ſed gratia Dei mecum*. Quare fides, uſus, augmentum fidei, ac præmium non ſunt donum puræ Divinæ munificentiæ, eſto principaliſſime Deum cognoſcant auctorem.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LXIX.

SExageſimanona vult eſſe donum puræ liberalitatis divinæ tam fidem, quam fidei uſum, ac ejus augmentum, necnon ipſum præmium, quod fidei actibus confertur. Uſquequaque tamen errat, dum vult hæc omnia ita eſſe dona Dei, (quod citra ſummam impietatem negari non poteſt) ut tamen ſint pura dona, ſeu dona meræ divinæ munificentiæ, ex quo fieret deeſſe rationem meriti tum in actu, quo quis a Deo illuſtratus, & adjutus libere credit; tum etiam in actu, quo quis libere utitur fide infuſa; necnon in actibus fidei, quorum intuitu confertur fidei habitualis augmentum; ac demum deeſſe rationem mercedis in præmio, quod in patria datur credentibus. Hæc autem omnia doctrinæ Catholicæ mirum quantum adverſantur: ſiquidem opera ex gratia libere a nobis poſita, quamvis in radice ſint pura Dei dona; (cum Deus non conferat ulli primam gratiam intuitu operum naturalium, ſed omnino gratis; aliter gratia non eſſet gratia, ut habet Apoſtolus ad Rom. 11.) at dum libere a nobis ponuntur, habent etiam rationem meriti apud Deum, & ſunt exigitiva præmii; ut proinde Tridentinum ſeſſ. 6. can. 32. anathematizet, *Qui dixerit, hominis juſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita*. Quando autem quis libere credit, eſto nondum eſſet tunc juſtificatus, ut proinde non poſſet mereri condignum præmium ſupernaturale, meretur tamen illud de congruo; quatenus congruum eſt, quod Deus ſumme munificus captivanti libere intellectum in obſequium Chriſti conferat novum auxilium ſupernum, quo poſſit novos actus ſupernaturales ſpei, timoris, contritionis elicere, quouſque perveniat ad juſtificationem; quod meritum congruum in operibus liberis naturæ viribus poſitis, utut ſtudioſis, Catholici non admittunt, ex eo ſcilicet capite, quia ſi gratia conferretur ob meritum operum naturalium, gratia non eſſet gratia, ut ex Apoſtolo, & Conciliis conſtat adverſus Semipelagianos. Quare cum Trid. doceat ſeſſ. 6. cap. 6. fidem ad juſtificationem diſponere, per hoc, quod homo excitatus divina gratia, & adjutus fidem ex auditu concipiat, ac libere moveatur in Deum, credens vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt, ſequitur, actum fidei habere rationem meriti, & ſic non eſſe donum puræ liberalitatis divinæ. Quod a fortiori dicitur in juſtificato, qui utitur fide infuſa exercendo libere actus fidei, ac proinde merendo de condigno gratiæ, ac fidei etiam infuſæ augmentum; atque adeo uſus etiam, & augmentum fidei dici non poteſt merum Dei donum; cum in uſu fidei ſit etiam ratio meriti, & exigentia activa; & in augmento fidei infuſæ detur exigentia paſſiva, quatenus confertur intuitu actus fidei exigentis illud augmentum. Idemque pariter dicendum de præmio, quod credentibus in patria confertur. Etenim Trid. ſeſſ. 6. cap. 16. docet, *Bene operantibus uſque in finem, & in Deo ſperantibus proponendam eſſe vitam æternam, & tanquam gratiam filiis Dei per Chriſtum Dom. miſericorditer promiſſam, & tanquam mercedem ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddendam*. Quare præmium in patria propter fidei actus conferendum, quamvis in radice ſit merum Dei donum, quatenus Deus miſericorditer, & omnino liberaliter dignatus ſit tale præmium promittere, & gratiam ad ponendos tales actus ſupernaturales conferre; ſuppoſita tamen hac promiſſione onerosa, hujuſmodi donum induit rationem mercedis; atque adeo de facto non eſt donum puræ liberalitatis divinæ. Quod docuit Arauſicanum can. 18. ubi habet: *Debetur merces bonis operibus, ſi fiant; ſed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant*. Hinc in ea parabola Dominus vineæ dixit Matth. 20. *Voca operarios, & redde illis mercedem*; ex quo denotatur præmium juſtis laborantibus in hac vita conferri, etiam ut mercedem, & ut coronam, quam Apoſtolus 2. Tim. 4. dixit reddendam ſibi a juſto Judice; quatenus etiam ex juſtitia, & non ex ſola miſericordia debetur juſtis, ſuppoſito contractu oneroſo de illa conferenda poſt certamen. Ex hoc autem, quod Deus *operetur in nobis velle, & perficere*, ut habet Apoſtolus ad Philip. 2., non ſit, quod bona operatio ſit ita Dei donum, ut non ſit etiam noſtrum me-

meritum; quia Deus non operatur in nobis conſenſum, nec facit nos facere determinando voluntatem cum everſione propriæ libertatis a neceſſitate, ut delirant Janſeniani; ſed id præſtat, tum moraliter ſuadendo, ac præcipiendo bonam operationem; tum phyſice cauſando illam tanquam agens principale; unde poſſimus cum eodem Apoſtolo dicere 1. Cor. 15. *Non ego, ſed gratia Dei mecum.*

PROPOSITIO LXX.

Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem. *Queſnel. Jo. 9. 3. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Non ſemel iſthæc Theſis Bajana a Summis Pontificibus proſcripta fuit.

II. Deipara fuit Regina martyrum citra quamcumque præviam culpam. III. Ærumnæ hujus vitæ potuiſſent homines affligere etiam citra culpam originalem. IV. Quinimo infantibus innocentibus afflictiones humanæ infligi poſſunt a Deo, non ſolum ut Auctore naturæ, ſed etiam ut Proviſore in ordine ad plures honeſtos fructus, ac fines. V. Cum Deus permittat peccatum Tyrannorum ob bonum Martyrum, a fortiori poterit velle mala phyſica ob ſpiritualem profectum innocentium. VI. Etiam in hac vita melior eſt conditio Martyrum, quam Tyrannorum, & eorum, qui affliguntur, quam eorum, qui afflictionibus carent.

VII. Explicatur, in quonam ſenſu dicat Auguſtinus, quod citra injuſtitiam, ac tyrannidem non poſſit Deus innocentes affligere.

VIII. Certe injuſtus eſſet, ſi animas innocentes juxta placitum Manichæorum ad miſerias peccati deſtinaſſet, & ad pœnas æternas. IX. Non deformant pulchritudinem, ac ordinem Univerſi ærumnæ hujus ſæculi, dum vexant etiam innocentes. X. Neque obſtrepunt Providentiæ divinæ. XI. Miſeriæ hujus vitæ ſunt mala ſecundum quid, non mala ſimpliciter; haud aliter, quam ſectio venæ, quæ cauſat ſanitatem.

I. JAnſenianorum pervicacia adverſus Eccleſiæ definitiones in eo maxime elucet, quod theſes non ſemel a Pontificibus proſcriptas iterum iterumque perfricta fronte in medium reponant. Jam a Pio V., a Gregorio XIII., & ab Urbano VIII. confixa fuit theſis illa Baji 73. dicens: *Omnes omnino juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum: Unde Job, & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter ſua peccata paſſi ſunt.* In hac vero quamvis dicatur, quod afflictiones hujus vitæ vel deſerviant ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem, nihilominus idem omnino virus evomitur, quatenus negatur affligi unquam a Deo culparum expertes, aut ab iis abunde emundatos, ſed debere afflictionem omnem pediſſequam eſſe peccati; adeo ut oppoſita ſententia, quæ eſt omnium Scholaſticorum, ac Catholicorum, a Bajanis, & a Janſenianis inſimuletur Pelagianiſmi, Manichæiſmi, Atheiſmi, blaſphemiæ, & impietatis in Deum, perinde quaſi faciat illum injuſtum, ac crudelem. Qua in re pariter inſinuatur tum theſis 19. ab Alexandro Octavo confixa, quæ habet: *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali:* tum etiam 24. ab eodem Pontifice proſcripta, quæ Deiparæ eſt valde injurioſa; dicit enim: *Oblatio in Templo, quæ fiebat a B. V. Maria in die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, alterum pro peccatis ſufficienter teſtatur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet ſecundum verba Legis.*

II. Oſtenditur autem hujus theſis falſitas primo, quia Beatiſſima Virgo fuit Regina Martyrum, tum in Filii circumciſione, tum quando fugit in Ægyptum, ſciens quod Chriſtus D. ad necem ab impio Herode quæreretur; tum etiam quando dolens Filium amiſſum per triduum cum D. Joſepho quæſivit; tum quando vidit Redemptorem ſub cruce, & in cruce patientem, doloris gladio transfixa juxta Simeonis prophetiam; tum demum quando Chriſtum D. e cruce depoſitum in ſinu complectebatur; & tamen nullum unquam peccatum contraxerat, ob quod puniretur, aut a quo purificaretur, nec ullo debito luendi pœnas peccati alieni ſe aſtrinxerat, nec ſine dementia poteſt in ea quæcunque ſordes agnoſci, ut Auguſtinus habet l. 5. de hæreſib. cap. 5. dicens: *Stulte, unde ſordes ex Virgine Matre, ubi non eſt concubitus cum homine Patre? Unde ſordes in ea quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo eſt perpeſſa dolorem?* Et S. Eligius dixit: *Nequaquam immunda judicatur, quæ Sancto Spiritu obumbrante totius munditiæ, & Sanctitatis Auctorem genuiſſe probatur:* Quod ſi potuit Deipara maculæ etiam originalis expers citra ullam injuſtitiam, aut crudelitatem a Deo affligi, quidni & alii Juſti poterunt ſimiliter male pati, quamvis aut non male egerint,

aut

aut pœnarum reatum ſatis ſuperque exſolverint? Quod autem maculæ etiam originalis expers Deipara fuerit, præter ea, quæ paſſim ab Auctoribus congeruntur (juxta dicta in Curſu Theologico p. 8. q. 1. art. 2.) ad oſtendendum veritatem hanc eſſe proxime definibilem a Pontifice, ad vivum adumbratur ipſiſſimis literis nonnihil permutatis, quibus videtur oppoſitum evinci, videlicet, *Omnes peccaverunt in Adam*, ex quo Programmate pulcherrimum hoc, & puriſſimum enaſcitur Anagramma: *Peccamus, una Dei Mater non.*

III. Probatur ſecundo, quia proſcripta eſt theſis 55. Baji, quæ habet: *Deus non potuiſſet creare talem hominem, qualis nunc naſcitur*; ita ſcil. ut ſit obnoxius ærumnis corporeis, quibus nunc affligitur, & cum rebellione concupiſcentiæ. Damnata pariter eſt theſis 79. ejuſdem Baji, quæ habet; *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis ejus conditio:* Necnon 29. dicens: *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.* Quod ſi rebellio concupiſcentiæ, & ærumnæ hujus vitæ poſſunt hominem affligere, citra ullam præviam culpam originalem, a fortiori poterunt affligi innocentes miſeriis a Deo immiſſis ad exercitium virtutis, & incrementum meriti: Siquidem motus concupiſcentiæ rebellis, ſeu ſtimulum carnis, & angelum, qui nos colaphizet, non poſſumus appetere, eo quod virtutis bono contradicant; afflictiones vero appetere poſſumus, ut Chriſto patienti conformemur; ergo ſi poſſunt motus illi competere naturæ innocenti ex naturali ejus conditione; (cum naturaliter appetitus ſenſitivus feratur in objecta delectabilia diſconvenientia rationi, in quo conſiſtit concupiſcentiæ rebellio) a fortiori poterunt a Deo infligi innocentibus afflictiones, quibus Chriſto conformentur ad exercitium virtutis, atque adeo ex amore erga illos, & non ex odio: Non ſecus ac ex amore erga Filium poteſt Rex velle, ut militiæ incommoda, & pericula ſubeat ad triumphum reportandum. Quare ſicut Deus naturæ Auctor non eſſet dicendus crudelis, & injuſtus, quamvis concupiſcentia, & ignorantia eſſent hominis primordia naturalia, & non pœnæ peccati; quia ſcilicet ſimul confert poteſtatem ad ſuperandam concupiſcentiam, & ad eliciendos adverſus ſtimulum carnis plures actus virtutis; & ſimiliter non ſuiſſet injuſtus, ſi denegaſſet Adamo immunitatem a morte, & mortis veſtigiis antecedenter ad culpam, quia natura ſua homo eſt obnoxius impreſſionibus, & alterationibus externis, quę neceſſario inferunt ſenſibus moleſtiam; unde nunc nimio frigore alget, nunc æſtuat nimio calore; & ideo morbis, ac morti ſuiſſet obnoxius Adam, etiamſi non peccaſſet, ſi caruiſſet dono indebito integritatis naturæ, & juſtitiæ originalis: Ita non diſſonat Divinæ Providentiæ, quod innocentes ſæpe flagellis ſuis tangantur, ac dolore, morbo, fame, ſiti premantur, cum ea conferre poſſint ad patientiæ, humilitatis, dilectionis Divinæ, ſpei, aliarumque virtutum exercitationem, & ad meriti augmentum. Non enim conqueri poteſt innocens, quod ægritudinem ſubeat, aut momentaneam aliquam tribulationem, quæ pariet deinde æternum gloriæ pondus; ſicut nequit homo conqueri, quod ei obolus tollatur, ſi vice oboli detur ei nummus aureus, aut auri talentum; nec ægrotus conqueritur de Medico, ſi det ei pharmacum amarum, quod ſtatim reſtituat ſanitatem. Hinc Auguſt. qu. ſuper Gen. 146. advertit, Joſephum ſuos fratres magna cum eorum perturbatione detinuiſſe, antequam oſtenderet ſe eſſe fratrem ab iis venditum, ut ex dilatione manifeſtationis ingens deinde gaudium perciperent, dicens: *Quod non eos utique fecerit calamitoſos, quando tantæ etiam ipſorum futuræ lętitiæ exitum cogitabat; & totum hoc, quod agebat, uti eorum gaudium differretur, ob hoc agebat, ut eadem dilatione cumularetur.*

IV. Neque dicas cum Janſenianis, argumenta iſthæc probare, quod Deus ſolum adultis innocentibus poſſit conferre afflictiones hujus vitæ, non vero parvulis innocentibus; quia illis dumtaxat poſſunt afflictiones deſervire ad exercitium virtutis, & ad augmentum meriti.

Nam contra eſt primo, quia tranſmiſſo, quod ſolis adultis eæ poſſent infligi, adhuc falſa eſt theſis præſens, quod Deus nunquam innocentes affligat. Deinde adhuc parvulis omnino a culpa immunibus poſt baptiſmum infligi poſſunt afflictiones hujus vitæ, non ſolum a Deo ut Auctore naturæ, ſed etiam ut Proviſore in ordine ad plures honeſtos fructus, & fines, ad quos poteſt Deus ſine injuſtitia eas dirigere. Primo quidem, ut humanæ miſeriæ conſideratio, dum pueri in ipſa ætate infantili patiuntur hujus vitæ miſerias, prodeſſe poſſit adultis. Secundo, ut juxta providentiam connaturalem Deus naturam humanam gubernet; naturalis autem providentia poſtulat, ut iiſdem moleſtiis hujus vitæ ſubeſſe poſſit homo, tam in ætate infantili, quam in ætate adulta. Tertio, ut poſſent infantes, quando ad ætatem adultam pervenerint, virtutum actus exercere ratione moleſtiarum, quas infantes perpeſſi

ſunt, admirando in iis Dei providentiam, & Univerſi ab ipſo conditi pulchritudinem, quæ in his ipſis rerum viciſſitudinibus maxime elucet, ut fuſe oſtendit Auguſtinus in lib. contra Epiſtolam Fundam. cap. 40., ubi inquirit: *Cur quod naturæ Deus dedit, tollat corruptio.* Ad quod reſpondet: *Non tollit, niſi ubi permittit Deus: ibi autem permittit, ubi ordinatiſſimum, & juſtiſſimum judicat pro rerum gradibus, & pro meritis animarum.* Præterquamquod conſultius eſt, altiſſimos Dei fines in iis, quæ de facto permittit, ejus ſapientiæ, ac ſcientiæ relinquere, quam velle tenuitate noſtræ cogitationis indagare, dicendo cum Apoſtolo ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Etenim ad noſtræ humilitatis exercitationem ſæpe Deus altiſſimos fines ſuæ providentiæ nobis occultat; ut advertit Auguſtinus lib. 11. de Civit. cap. 22. dicens: *Nos admonet Divina Providentia, non res inſipienter vituperare, ſed utilitatem rerum diligenter inquirere; & ubi noſtrum ingenium, vel infirmitas deficit, ita credere occulta, ſicut erant quædam, quæ vix potuimus invenire, quia & ipſa utilitatis occultatio, aut humilitatis exercitatio eſt, aut elationis attritio.* Hinc Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 29. ſapienter ad Dei providentiam in omnibus commendandam hortatur, dicens: *Decet igitur nos omnia mirari, laudare, & abſque ſcrutatione acceptare, quæ ſunt providentiæ opera, tametſi appareant multis injuſta.* Cæterum expreſſe Chriſtus Dominus, dum a Diſcipulis interrogaretur Jo. 9. ob cujuſnam culpam homo ille cæcus natus fuerat, dicentibus: *Rabbi, quis peccavit? hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* reſpondit Jeſus: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Uſque adeo verum eſt, afflictiones juſtorum non deſervire unice aut ad puniendum peccatum, aut ad purificandum peccatorem.

V. Roborantur rationes adductæ ex eo, quod Deus permittat juſtos vexari ab impiis præciſe propter eorum profectum; ergo a fortiori poteſt diſponere cruciatus, & afflictiones juſtorum ob eundem finem. Etenim ſi tantum eſt bonum, quod ex tolerantia juſtorum provenit, ut Deus poſſit ſapienter ad illud obtinendum permittere peccatum; a fortiori poterit diſponere ejus Providentia, ut citra ullum cujuſcumque peccatum juſti in hac vita affligantur, ut inde tantum bonum proveniat. Antecedens autem docetur a Patribus, præſertim a Baſilio hom. 9. ubi habet: *Sapiens, & providentiſſimus rerum humanarum diſpenſator Deus utitur ad noſtram exercitationem malignitate aliorum, quemadmodum Medicus viperæ veneno ad ſalutarem medicamentorum præparationem.* Hinc Auguſtinus in Enchiridio cap. 11. habet: *Nec etiam Deus, cum ſumme beatus ſit, ullo modo ſineret aliquid mali eſſe in operibus ſuis, niſi uſque adeo eſſet omnipotens, & bonus, ut bene faceret etiam de malis.* Similiter cap. 100. habet: *Nec ſineret Bonus mala fieri, niſi Omnipotens etiam de malo poſſet facere bene.* Et cap. 27. idem luculentius docuit verbis illis: *Melius enim judicavit de malis bona facere, quam mala nulla eſſe permittere.* Quod pariter docuit lib. 11. de Civit. cap. 18. dicens: *Nec enim Deus ullum, non dico Angelorum, ſed nec hominum crearet, quem malum futurum eſſe præſciſſet, niſi pariter noſſet, quibus eos bonorum uſibus commodaret; atque ita ordinem ſeculorum tanquam pulcherrimum carmen ex quibuſdam quaſi antithetis honeſtaret.*

VI. Cæterum quod Auguſtinus nullatenus theſi huic Janſenianæ aſtipuletur, ex eo conſtat, quod paſſim doceat diſertiſſimis verbis, afflictiones juſtorum ad exercitationem, & profectum pertinere, non ad ultionem peccatorum. In ſent. 275. habet: *Labor piorum exercitatio eſt, non damnatio; nec etiam conturbari debemus, cum aliquis Sanctus gravia, & indigna perpetitur, ſi obliti non ſumus, quæ pertulerit Juſtus juſtorum, Sanctuſque ſanctorum.* Quare cum comparet piorum afflictiones cum paſſione Chriſti D. aperte inſinuat, quod ſicut Chriſtus D. ſine ulla propria culpa paſſus eſt, quantumvis voluerit pro noſtris culpis condignam Deo Patri ſatisfactionem exhibere; ita ſancti a Deo ſimiliter affligantur, & non propter peccata. Similiter ſent. 99. Sanctus Doctor habet: *Suſtineantur a Fidelibus infideles, & inter hortorum frumenta zizaniorum avulſio differatur; quantumlibet ſæviant impii, melior eſt, etiam in hoc tempore, cauſa juſtorum, quia quanto acrius impetuntur, tanto glorioſius coronantur.* Ubi notandum, quod etiam in hoc tempore melius ſe habeant juſti, qui affliguntur, quam tyranni, qui eos affligunt; quia ſpes futuræ coronæ reddit illos etiam in paſſionibus gaudentes; ſic Apoſtoli Act. 5. *Ibant gaudentes a conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati;* Sic Marcus, & Marcellianus ad ſtipitem alligati pedibus clavis confixis dixerunt: *Nunquam tam jucunde epulati ſumus.* Et in hoc ſenſu Pſal. 22. dicitur: *Calix meus inebrians quam præclarus eſt!* Inexplicabilis quippe dulcedo, quæ ex calice tribulationis propter Chriſtum perpeſſæ a juſtis hauritur, eos velut

lut in ebrietatem rapit, ut in cruciatibus ipſis mirum in modum exultent. Hinc Auguſt. lib. de Agone Chriſti cap. 7. diſerte docuit, Juſtorum lætitiam in tribulationibus efficere, ut nihil patiantur, ſed de ipſis afflictionibus glorientur, dicens: *Nec enim nos moveat, quod in hac vita ſecundum carnem, quam portant juſti, multa gravia, & aſpera tolerent; nihil enim mali patiuntur, quia jam poſſunt dicere, quod ille vir ſpiritualis exultat, & prædicat Apoſtolus Paulus dicens: Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero ſpem: ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Quod autem iſtos cruciatus Juſti nullatenus ſubeant propter peccata præterita, ſed unice propter eorum profectum, expreſſit lib. 3. de lib. arb. cap. 9. dicens: *Si enim bonum & magnum aliquem virum hortante honeſtatis officio videamus ignibus, quantum ad corpus attinet, concremari, non hoc vocamus pœnam peccati, ſed fortitudinis, & patientiæ documentum.*

VII. Opponitur primo, quia videtur divinæ juſtitiæ diſſonum, quod innocentes, aut a culpis præteritis plene emundati crucientur: ergo nunquam Deus illos affligit. Antecedens videtur diſertiſſime doceri ab Auguſtino; qui adverſus Julianum negantem originale peccatum paſſim objicit, quod injuſtus eſſet Deus affligendo infantes tot cruciatibus, ſi peccati originalis eſſent expertes. Lib. 2. cap. 10. habet: *Deus autem juſtus, ſi tanta parvulis mala, quanta nunc dicere non ſufficio, nihil peccati trahentibus irrogaret, magis appareret injuſtus.* Et lib. 6. cap. 5. *Quomodo autem non eſt injuſtum jugum grave, ſi nullum eſt in parvulis malum, propter quod juſte jugo premantur gravi?* Hinc lib. 2. Oper. imperf. fol. 220. docet, non poſſe citra injuſtitiam innocentibus ineſſe ingenii tarditatem. Et lib. 3. contra Julian. cap. 5. non poſſe hominem a dæmonio juſte vexari, ſi culpæ ſit immunis: Pariter cap. 6. non poſſe citra injuſtitiam innocentibus infligi corporis monſtroſitatem: Et cap. 4. nec poſſe iiſdem contingere fatuitatem naturalem; unde cap. 9. concludit: *Si nullum eſſet peccati contagium, profecto nulli malo parvuli obſtricti, nihil mali vel in corpore, vel in anima ſub tanta juſti Dei poteſtate paterentur.*

Reſpondetur, Auguſtinum loqui in præſenti providentia, in qua homo, ſi non peccaſſet Adam, in felicitate conſtitutus fuiſſet cum dono juſtitiæ originalis, quo redditus fuiſſet immunis a morte, & mortis veſtigiis; propterea docet, quod ſuppoſita hac lege, Deus injuſtus fuiſſet, ſi hominem peccati immunem miſeriis addixiſſet. Quod autem ea ſit mens Auguſtini, ex eo conſtat, quia his argumentis utitur ſolum adverſus eos, qui peccatum originale, ac leges præſentis providentiæ non negabant; non vero adverſus Manichæos, qui illas negabant, ut ipſemet Auguſtinus notavit lib. 1. Retract. cap. 9. His adde, quod ſi ex capite innocentiæ, & non ex capite præſentis providentiæ non poſſet Deus parvulis mala infligere citra injuſtitiam, ſequeretur, quod de facto non poſſet Deus ullum malum infligere parvulis innocentibus præciſe ob manifeſtandam ſuam gloriam; quod tamen eſt aperte falſum: cum Jo. 9. dicatur de illo cæco a nativitate, quod cæcitatem non contraxerit ob propriam, aut parentum culpam, ſed ut manifeſtarentur opera Dei in illo.

VIII. Opponitur ſecundo, quia ſi Deus innocentes affligeret, notam ſubiret crudelitatis; ergo nunquam affligit innocentes. Antecedens probatur ex Auguſtino, qui ſicut adverſus admittentes univerſim leges præſentis providentiæ contendebat, Deum ſubire notam injuſtitiæ, ſi pueros innocentes affligeret juxta doctrinam & explicationem modo traditam; ita adverſus Manichæos negantes Scripturas paſſim contendit, Deum ſubire notam crudelitatis, ſi pueros a culpa immunes cruciaret, & bonas animas ad vitæ hujus ærumnas tolerandas ſine ulla culpa deſtinaſſet. Hæc enim habet diſp. 1. contra Fortunat. *Si Deus nihil pati potuit, quia inviolabilis eſt, crudeliter huc nos miſit, ut iſta patiamur.* Et diſp. 2. habet: *Cui noceri nihil poterat, crudelis voluntas fuit mittendi animam ad tantas miſerias.*

Reſpondeo, idcirco Auguſtinum docuiſſe adverſus Manichæos, quod Deus fuiſſet crudelis, ſi animas innocentes miſeriis deſtinaſſet, quia Manichæi volebant, primo, quod animas innocentes deſtinaſſet etiam ad miſeriam peccati, cogendo illas, quod peccatis ſubjacerent. Secundo, quia fingebant illas deſtinatas ad miſerias etiam æternas. Tertio quia volebant Deum animas innocentes miſeriis deſtinaſſe, non ob utilitatem ipſarum, aut propter Dei gloriam, ſed ſolum ad impediendum malum imminens Deo ex gente tenebrarum; quæ tamen Deo nocere non poterat. Hinc recte infert, quod in hoc ſyſtemate Deus eſſet crudelis ad eas miſerias culpæ, & pœnæ æternæ adigendo animas innocentes. Quod in hoc ſenſu loquatur Auguſtinus aperte colligitur ex iis verbis lib. 22. contra Fauſtum cap. 22. *Multo melius eſſet homi-*

minum millia ob nullam vel levem culpam temporali morte interficere, quam membra ſua, id-eſt membra Dei, ſubſtantiam Dei, & plane Deum, & in peccati voraginem tradere, & pœnæ ſempiternæ colligatione damnare. Et diſp. 1. contra Fortunatum, anima peccatis a Deo addicta juxta ſententiam Manichæorum inducitur has querelas adverſus ſuum conditorem proferre: *Cur mihi imputas vulnera, quæ ſuſcepi? Quare me cogis ad pœnitentiam, cum ſis cauſa vulnerum meorum? Cum tu ſcias, quæ paſſa ſum, gentem tenebrarum in me feciſſe, te Authore, qui violari non poteras; & tamen volens cavere regnis tuis, quibus nihil nocere poſſit, me in miſerias præcipitaſti.*

IX. Opponitur tertio, quia videtur ordini univerſi obſtrepere, quod innocentes affligantur; ergo ut ſupra. Antecedens docetur ab Auguſtino lib. 3. de lib. arbit. cap. 9. ubi habet: *Si peccatis animarum detractis miſeria perſeverat, aut etiam peccata præcedit, recte deformari dicitur ordo, atque adminiſtratio Univerſitatis.* Cum autem ordo Univerſi ſit ex lege æterna Dei, ut notat idem Auguſtini loco laudato cap. 6. ſequitur, huic legi, ac divinæ voluntati diſſonare, quod miſeria culpis detractis perſeveret, aut quod culpam præcedat.

Confirmatur, quia pariter opponitur Divinæ providentiæ, quod mala patiatur, qui non male egit. Quod expreſſit Auguſtinus lib. 73. quæſt. 24. dicens: *Deus quovis homine optimo, & juſtiſſimo longe melior, & juſtior eſt; Juſtus autem regens, & gubernans nullam pœnam cuiquam ſinit immerito infligi, nullum præmium immerito dari: meritum autem pœnæ peccatum, & meritum præmii recte factum.* Similiter lib. 1. de lib. arb. cap. 1. habet: *Nemo injuſte pœnas luit, quod neceſſe eſt credamus; quandoquidem divina providentia hoc univerſum regi credimus.* Et lib. 9. de Civit. cap. 13. differens cum Platonicis de cauſa miſeriæ quorundam Angelorum, quos ipſi bonos quidem, ſed miſeros eſſe fatebantur, ait: *Porro quia providentia Summi Dei, ſicut etiam ipſi fatentur, non fortuita temeritate regitur Mundus, nunquam eſſet iſtorum æterna miſeria, niſi eſſet magna malitia.* Quare ſumma Numinis providentia poſtulat, ut non affligantur innocentes, nec male patiantur, qui non male egerunt. Et ſuſius contra Julianum lib. 1. Operis imperfect. fol. 50. oſtendit contra Pelagianos, non poſſe parvulos innocentes tot, ac tantis malis premi ſuppoſita divina juſtitia, omnipotentia, ac providentia, dicens: *Deus in tot, & tantis malis, quæ parvuli patiuntur, aut juſtitiam, aut omnipotentiam, aut ipſum curam rerum humanarum eſt perditurus. Quodlibet autem iſtorum dixeris, vide quid egeris.*

Reſpondeo diſtinguendam eſſe miſeriam naturalem, quæ ſcilicet ex concurſu cauſarum naturalium provenit, ut febris, mors, vulnus, fames, & ſimilia, a miſeria pœnali, quæ unice originem habet a culpa: Id, quod ordinem univerſi deturparet, eſſet ſolum quod miſeria pœnalis anteiret culpam, aut quod ſublatis culpis ea perſeveraret; non tamen miſeria naturalis hujus vitæ, qua poſſunt etiam innocentes premi propter exercitium virtutum, & gloriæ incrementum, dummodo ea ſit temporalis, non æterna. Hinc Ludovicus Vives in ſuis Commentariis dixit: *Deus injuſtiſſimus eſſet, ſi innocentem æterno mœrore ſineret affici; nam ad tempus affligi bonum hominem, etiam ex benignitate eſt, ut beatior tanto fiat, quanto plura eſt perpeſſus adverſa propter ſempiternam beatitudinem.* Quod autem Auguſtinus loco laudato ſolum doceat a miſeria pœnali deformari ordinem Univerſi, non vero a miſeria naturali, ſi culpam non præſupponat, conſtat ex contextu; nam comparans bonum, & magnum virum, qui hortante honeſtatis officio ignibus concremetur, cum ſceleſtiſſimo latrone, qui pariter flammis comburatur, dicit: *Ornant ambo illa tormenta, ſed ille merito virtutis, iſte peccati.*

X. Ad confirmationem recurrit eadem reſponſio; ſolum enim ad Divinam providentiam ſpectat, quod miſeria pœnalis culpam ſubſequatur, non vero miſeria naturalis, quæ temporalis duntaxat ſit, non vero æterna. Si miſeria pœnalis infligeretur innocenti ab homine, hic profecto injuſtus eſſet, & tyrannus; Cum autem Deus quovis homine optimo, & juſtiſſimo longe melior, & juſtior ſit, nequit ita regere Univerſum, ut pœnam infligat ſine prævio demerito: ſicut nec præmium confert ſine prævio merito: Nihilominus ſicut conferre poteſt donum aliquod abſque ullo prævio merito, ut eſt donum creationis, quod proinde nequit dici præmium; ita poteſt infligere alicui cruciatum temporalem ſine prævio demerito: ut proinde ille non dicatur pœna, nec ſupplicium, ſed corporalis afflictio. Etenim ex Auguſtino lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *Omnis pœna, ſi juſta eſt, peccati pœna eſt, & ſupplicium nominatur:* quando autem afflictiones corporales non ſunt ſupplicium, poſſunt in bonum innocentis conferre, & ſic poſſunt a Deo optimo, & juſtiſſimo infligi. Unde Auguſtin. lib. 83. quæſt. qu. 82. docet, aliquando juſtos torqueri in hac vita, non quia peccarunt, ſed quia hoc illis expedit, ne peccent,

cent, dicens: *Quia Deum & juſtum, atque omnipotentem eſſe pernicioſiſſimæ iniquitatis eſt dubitare, nulla cauſa probabilior occurrit, cur juſti homines laborent plerumque in hac vita, niſi quia hoc eis expedit.* Nunquam tamen expedit, quod cruciatus æternus infligatur innocenti; & ideo Auguſtinus adverſus Platonicos dicit, Angelos bonos non eſſe poſſe in æternum miſeros. Quando autem dicit adverſus Pelagianos, quod Deus juſtitiam, aut omnipotentiam, aut rerum humanarum curam eſſet perditurus, ſi parvulos innocentes cruciaret, loquitur in præſenti providentia, in qua contulit Adamo juſtitiam originalem, ſeu immunitatem a morte, ac mortis veſtigiis, eamque poſteris contuliſſet, ſi Adam non peccaſſet; Suppoſita enim hac promiſſione, non poſſent parvuli tot miſeriis naturalibus vexari, ſi peccatum non contraxiſſent. Ex quibus adverſus Julianum infert, quod cum parvuli de facto hujus vitæ anguſtiis premantur, & Deus non ſit injuſtus, negari non poſſit, quod parvuli originale contraxerint, & ideo juſtitia originali caruerint; ea quippe non caruiſſent, ſi Adam non peccaſſet.

XI. Opponitur ultimo, videri lumine naturæ notum, quod citra culpam nemo poſſit cruciari. Etenim Philoſophi Gentiles, ut ſalvarent, quod nemo ſine culpa torqueatur, in varios errores abierunt. Nam Manichæi in commixtionem naturæ bonæ, & malæ humanas miſerias retulerunt: Alii cum Cerdone, & Marcione apud Irenæum lib. 1. cap. 21. ſomniarunt, dari duos Deos, quorum alter eſſet bonus, a quo omnia bona, alter malus, & injuſtus, a quo homines innocentes affligerentur: Alii cum Pythagora apud Euſebium lib. 14. de Præparat. dixerunt, a dæmone miſerias has derivari: Alii cum Stoicis apud Tertullianum lib. contra Hermogenem docuerunt, malorum cauſam eſſe materiam, ex qua homo compactus eſt: Alii apud Auguſtin. lib. 4. contra Julianum cap. 12. cauſam malorum voluerunt eſſe delicta ab animabus commiſſa antequam corpori unirentur: Juxta quorum ſententiam videntur diſcipuli interrogaſſe Chriſtum Dominum Jo. 9. verbis illis: *Rabbi, quis peccavit? hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* Quomodo enim potuerat ille peccare antequam naſceretur, niſi potuiſſet delinquere antequam corpori uniretur? ergo afflictiones hujus vitæ unice tribui debent culpæ ex vi ipſius luminis naturalis. Hinc etiam Pelagiani, ne Deum facerent injuſtum affligendo parvulos miſeriis hujus vitæ, dixerunt, parvulos in iis miſeriis eſſe felices; ut proinde Auguſtinus lib. 2. oper. imperfect. exclamarit: *O dementiam ſingularem! Hoc diſputare eſt, an inſanire? Cum miſeria ſe natos eſſe parvuli teſtantur; & felices eos dices?*

Reſpondeo, Philoſophos Gentiles non vi luminis naturalis, ſed ex eorum cæcitate in eos errores abjiſſe: potuiſſent enim vi luminis naturalis circumſcripta notitia ordinis ſupernaturalis Divinam providentiam agnoſcere, in eo, quod viros innocentes affligat ad eorum virtutem, & conſtantiam exercendam; ſicut Catholici omnes, Patres, & Theologi deprehenderunt, quod Deus eos non raro cruciet ad virtutis exercitamentum, & incrementum meriti; lumine quippe naturali dignoſcitur animæ immortalitas, & quod poſt hanc vitam beatitudo naturalis intenſior debeatur iis, qui virtutem in hac vita arctius amplexi ſunt; unde non erat aliunde petenda cauſa harum miſeriarum, videlicet vel a commixtione naturæ bonæ, ac malæ, vel a Dei injuſtitia, vel a dæmone, ſeu malo genio, vel a materia, aut a peccatis vitæ ſuperioris ante unionem animæ cum corpore. Et jure merito Auguſtinus dementes docet eſſe Pelagianos, qui docent parvulos miſeriis vexatos eſſe felices.

Ubi iterum recolendum, miſerias corporales, quæ a Deo dantur, ut animæ proſint, non eſſe dicendas miſerias, ac mala ſimpliciter, ſed ſecundum quid; ſicut ſectio venæ, quæ cauſat ſanitatem, non eſt ſimpliciter mala, ſed ſecundum quid; quia a medico ordinatur ad bonum præſtantiſſimum ſanitatis. Hinc amicis ſuis Deus ſæpe mala iſta corporalia largitur, quibus tanquam malleo coronam ſibi cudant immortalem: unde Apoſtolus 2. ad Cor. 12. dixit: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti.* Et in Evangelio Matth. 5. beatos Dominus vocat, ac felices eos, qui perſecutiones patiuntur, qui lugent, quibus homines maledicunt, & qui ærumnis hujus vitæ vexantur; quia ſcilicet hæc ſunt mala ſecundum quid, & abſolute bona, quoties conferunt ad præſtantiſſimum bonum ſalutis æternæ. Propterea Damaſcenus Dialogo contra Manichæos habet: *Malum illud proprie eſt, & appellatur, quod adverſus Creatoris legem perpetratur, improprie autem, ac noſtro more, quod ad ſenſum noſtrum grave, ac moleſtum eſt, quod quidem licet in præſens dolores afferat, tamen poſtea ſalutis, ac ſempiternæ lætitiæ fructus edit.* Et D. Bernardus advertit ſerm. 17. in Cantica, quod Deus ipſius dæmonis, hoſtis humani generis, machinis, & fraudibus utatur, ut ſervis ſuis coronam

per-

perpetuam intexat, dicens : *Jucundum judicium, ut ſuperbus ille humilium malleator eiſdem ipſis neſciens fabricet coronas perpetuas, impugnando omnes, & omnibus ſuccumbendo.* Quod pariter notavit Origenes Homil. 13. in cap. 22. Numerorum dicens: *Ob hoc neque diabolum removit a Principatu ſeculi hujus, quia adhuc opus eſt opera ejus ad perfectionem eorum, qui coronandi ſunt, ad exercitia certaminum, ad victorias Beatorum.* Conſtat itaque non ſemper afflictiones deſervire aut ad puniendum peccatum, aut ad purificandum peccatorem : cum ſæpe Deus innocentes, ac ſui amicos affligat ad exercitium virtutis, & ad meriti incrementum, & ad altiſſimos ſuæ ſapientiæ, ac providentiæ fines ; ſicut de cæco illo a nativitate Chriſtus D. dicit Jo. 9. *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Et Tobiæ 12. diſerte pariter dicitur, idcirco Deum tot afflictionibus illum vexaſſe, quia acceptus erat Deo, ut proinde probandus eſſet tanquam aurum in fornace tribulationis ; hæc enim habentur : *Quia acceptus eras coram Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te* : Hoc ſiquidem pacto paternum ſuum amorem erga juſtos Deus exercet, ut dicitur Proverb. 3. *Quem enim diligit Deus, corripit, & quaſi Pater in filio complacet ſibi.*

Conſtat etiam, erroneam eſſe Janſenianorum doctrinam, putantium in renatis poſt Baptiſmum remanere reatum aliquem culpæ originalis, a quo per afflictiones a Deo immiſſas aliquatenus purificentur, ut proinde tota vita debeat homo pœnitentiam agere pro peccato originali, ut dicitur in ea theſi 19. ab Alex. VIII. profligata. Etenim Trident. ſeſſ. 5. can. 5. anathematizat qui dixerit, vi baptiſmatis non tolli id, quod veram, & propriam peccati rationem habet ; ac definit, in renatis nihil eſſe damnationis, ſed innocentes, immaculatos, puros, innoxios, ac Deo dilectos effici, ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu Cæli remoretur ; concupiſcentiam autem, vel fomitem relinqui ad agonem nec habere veram, ac propriam rationem peccati, quamvis ex peccato ſit, & ad peccarum inclinet : cui definitioni refragatur Bajus dicens in theſi 51. *Concupiſcentia, ſive lex membrorum, & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.* Necnon Janſenius lib. 2. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 14. col. 844. unde in Indice ejuſdem tomi expreſſe dicitur : *Concupiſcentiæ motus indeliberati ſunt peccata.* Præterea ſeſſ. 14. cap. 2. idem Concilium docet, Sacramentum Baptiſmi a Sacramento Pœnitentiæ differre, non ſolum quia Miniſter Baptiſmi non eſt Judex, cum Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipſam per Baptiſmi januam fuerit ingreſſus : ſed etiam quia *per Baptiſmum Chriſtum induentes, nova prorſus in illlo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes ; ad quam tamen novitatem, & integritatem per ſacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, Divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus ; ut merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptiſmus a Sanctis Patribus dictus fuerit.* Ratio autem hujus diſcriminis ab eodem Tridentino in eadem ſeſſ. 14. cap. 8. explicatur iis verbis : *Divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum ignoranter deliquerint ; aliter vero qui ſemel a peccatis, & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus S. dono, Templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint.*

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LXX.

SEptuageſima vehementer errat docendo, quod nunquam Deus innocentes affligat, ſed quod afflictiones ſemper deſerviant vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccarorem. Quod omnis pœna ſupponat culpam, nemo eſt, qui ambigat, ſed quod omnis cruciatus detur in pœnam, hoc adverſatur Catholicæ doctrinæ. Sicut enim omne præmium ſupponit meritum ; at non omne bonum, quod a Deo confertur, habet rationem præmii, (ut eſt prima gratia, quæ nullum meritum præſupponit) ita omnis pœna ſupponit culpam, ſed non omnis afflictio habet rationem pœnæ ; etenim neque cruciatus Chriſti D., neque afflictiones Beatiſſimæ Virginis, neque anxietates D. Joſephi, aut ſimiles inflictæ fuerunt a Deo in pœnam, ſed ſolum ut patienter toleratæ conferrent ad gloriam. Proptetea proſcripta jam fuerat theſis illa Baji, quæ hic a Queſnello recuditur, dicens : *Omnes omnino juſtorum afflictiones ſunt ultiones peccatorum ipſorum : Unde Job, & Martyres, quæ paſſi ſunt, ob ſua peccata paſſi ſunt.* Diſertiſſime Chriſtus D. id docuit, quando interrogatus quiſnam peccaverit, ut ille naſceretur cæcus ; reſpondit Jo. 9. *Neque hic peccavit, neque parentes ejus ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Ex his verbis adeo perſpicuis Chriſti D. legitime ſolum inferri poteſt, quod non omnes afflictiones culpam præſupponant, nec dicant habitudinem

nem ad illam. Queſnellus tamen obſervans hæc verba mirabili illatione infert oppoſitum; quod ſcilicet nunquam Deus innocentes affligat, & quod ſemper afflictiones tendant aut ad multam peccati, aut ad purgationem peccatoris. Quis ad hæc non obſtupeſcat? Stimulus carnis datus fuit Apoſtolo, non quidem ut purificaretur a ſuis culpis jam dimiſſis, ſed quia *Virtus in infirmitate perficitur*, ut dicitur 2. ad Corint. 12. Tobiæ immiſſæ ſunt afflictiones ad virtutis incrementum, *Quoniam acceptus erat coram Deo*, ut habetur Tobiæ 12. David Pſ. 16. habet: *Igne me examinaſti, & non eſt inventa in me iniquitas.* Et ſane quilibet innocens rationabiliter expetere poteſt pœnalitates hujus vitæ, quoties aut ad Dei gloriam conferunt, aut deſerviunt ad pœnitentiæ, ac humilitatis incrementum, quod æternum gloriæ pondus operatur in nobis; ut proinde Jacobi primo dicatur: *Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet Coronam vitæ.* Quare poſſunt etiam in hunc finem a Deo iſtæ pœnalitates immitti; ſic enim nec irrogat creaturæ injuriam, nec ſuæ contradicit ſanctitati. Et ratio a priori eſt, quia malum tenue, quod confert ad obtinendum ingens bonum, non habet rationem mali, & odibilis, ſed habet rationem boni, & appetibilis; unde quilibet poteſt rationabiliter illud appetere, & Deus poteſt miſericorditer illud conferre. Sicut enim libenter patitur ægrotus venæ inciſionem, & pharmaci amaritiem ad ſalutem recuperandam; & medicus hæc illi injungit, amore ductus, non odio; ita libenter innocens ſubit hujus vitæ amaritudines, & Deus paterno affectu ductus illas immittit, ut proſint illi in perpetuas æternitates; ſiquidem ſub hac ratione induunt rationem boni valde utilis, ſi minus delectabilis. Poteſt itaque Deus in hac vita innocentes affligere, quamvis illos punire non poſſit; cum Divinæ juſtitiæ deroget pœnam infligere non præſuppoſita culpa; habet quippe innocens jus, ne puniatur, ſeu habet jus, ne pœna unice infligatur ſolum ut cruciet, quin ordinetur ad bonum ingens ejuſdem innocentis. Propterea Auguſt. lib. 1. oper. imperf. n. 39. dixit: *Neque enim ſub Deo juſto miſer eſſe quiſquam, niſi mereatur, poteſt.*

PROPOSITIO LXXI.

Homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit in ſui utilitatem. *Queſnell. Marc. 2. 28. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Figmentum hujuſce Theſis ne ab Ethnicis quidem ipſis unquam confictum eſt.

II. Diſpenſatio in lege ab eo duntaxat fieri poteſt, qui legem condidit. III. Quinimo in multis Decalogi præceptis ne Deus quidem ipſe diſpenſare poteſt ut Legislator, quamvis ſæpe poſſit ut Dominus ſupremus materiam immutare, unde poſſit licere, quod erat vetitum.

IV. Non ſemper habetur cauſa ſufficiens, cur in lege diſpenſetur, quoties diſpenſatio confert in ſui conſervationem. V. Eſt autem latum diſcrimen inter Legem, & Votum, quod auctoritate propria poteſt probabiliter in melius commutari. VI. Lex de non occidendo innocentem in rigore non diſpenſatur in ſui conſervationem, quando occiditur innocens in defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ.

I. HUc gigas ille Rigoriſmi Janſeniani decrevit, ut aperiat omnibus immenſum oſtium laxitati. Quænam inter laxas, & erroneas opiniones ad Moralem ſpectans laxa magis, quænam magis erronea excogitari poteſt, quam theſis præſens, in qua unicuique datur obvius modus eximendi ſe univerſim ab onere cujuſcunque legis, diſpenſando ſe a lege ad propriam utilitatem condita, per hoc quod conferat ejus tranſgreſſio ad ſui conſervationem? Nulla ſiquidem lex regulariter reperiri poteſt, quæ non ſit lata ſive directe, ſive indirecte ad noſtram utilitatem; nulla pariter lex, quæ libertatem moralem ſuis vinculis non adimat, & quæ conſervationi noſtræ, aut vitæ, aut valetudinis non aliquatenus obſit: atque adeo in qualibet ferme lege poteſt unuſquiſque ſemet diſpenſare, ſi verum eſt, quod poſſit homo ob ſui conſervationem ab ea lege ſe diſpenſare, quæ in ſui utilitatem eſt condita. Ad hoc figmentum confingendum nemo ex Ethnicis ipſis Philoſophis aliquatenus de Divina Lege, ac providentia imbutis, nedum ex Theologis perveniſſe fertur. Non defuerunt, qui docerent, poſſe Pontificem diſpenſare in lege naturali quoad quæ-

dam

dam præcepta, quæ remote a primis principiis juris naturalis deducuntur; necnon in lege poſitiva Divina, quando id expedit ad bonum commune. Nec defuerunt, qui docerent poſſe Deum diſpenſare in omnibus præceptis Decalogi tam ſecundæ, quam etiam primæ tabulæ; quorum ſententia communiſſime rejectatur. At qui doceret poſſe homines ſemet diſpenſare ab omni lege, quoties id expedit ad ſui conſervationem, ita ut ipſemet arbiter ſit, & judex in propria cauſa, quis unquam audierit, aut cuinam in mentem venerit? Rigida tamen Moralis Janſenianorum diſertis verbis id docere non veretur. Et quod potiſſimum horrorem ingerit, illud eſt, quod Queſnellus virus hoc eructat in obſervationibus ſuper verbis ipſis Chriſti Domini, & Apoſtolorum, ad latius illud diſpergendum, ac propinandum apud homines, præſertim rudes, & incautos; perinde quaſi hoc impium dogma ab ipſis divinis oraculis evulgetur.

II. Oſtenditur nunc falſitas directe, quia diſpenſatio, cum ſit Juris relaxatio, ab eo tantum provenire poteſt, qui legem condidit, & ad illam ſervandam obligavit; quinimmo relate ad leges naturales, quæ ſunt natura ſua immutabiles, ſicut non eſt liberum Deo illas non ferre, ita nec eſt liberum in illis diſpenſare, cujuſmodi eſt ver. gr. lex de non odio habendo Deum, de non neganda fide, de non pejerando, de non mentiendo, in quibus ipſemet Deus diſpenſare non poteſt; cum ſit intrinſece malum ſimpliciter, & in quacunque circumſtantia odium Dei, infidelitas, perjurium, mendacium: ergo a fortiori non poteſt homo in his legibus (quæ cum ſint latæ in Dei obſequium, ſunt indirecte latæ in noſtram utilitatem) ſemet diſpenſare in ſui conſervationem; unde in omnium ſententia nequit homo ob metum mortis imminentis fidem negare, Deum odiſſe, pejerare, mentiri, diſpenſando ſecummet in his legibus ad vitam conſervandam.

III. Confirmatur, quia Deus in omnibus Decalogi præceptis non poteſt ullatenus diſpenſare cum hominibus; ergo a fortiori non poteſt homo in iiſdem ullatenus ſecummet diſpenſare. Antecedens oſtenditur advertendo prius, Deum dupliciter conſiderari poſſe, & ut ſupremum Dominum, qui poteſt ad libitum diſponere de creaturis omnibus, ita ut poſſit, ut dicitur 2. Machab. 8. *univerſum mundum uno nutu delere*; & ut Legislatorem, ad quem proprie pertinet in lege diſpenſare; ejuſdem quippe poteſtatis eſt legem condere, & diſpenſare: Si conſideretur Deus ut Legislator, non poteſt in præceptis Decalogi diſpenſare: quippe quæ evidentem habent, & immutabilem honeſtatem ad rectitudinem morum neceſſariam. Si vero conſideretur ut ſupremus Dominus, neque poteſt in rigore diſpenſare, ſed ſolum poteſt materiam variare, qua variata tollitur ea repugnantia ad rectam rationem, quæ prius habebatur, unde fit licitum, quod prius erat illicitum. Sic ex. gr. occidere innocentem, & non in propriam defenſionem, ſecundum ſe eſt contra legem naturalem, in qua Deus proprie, & formaliter diſpenſare non poteſt: quod ſi Deus ratione ſupremi dominii det mihi facultatem, aut præceptum imponat occidendi innocentem, ſicut impoſuit Abraham, tunc proprie loquendo non diſpenſat in ea lege, ſed ſolum immutat materiam, quatenus quod de ſe erat inhoneſtum, accedente imperio Dei ſupremi Domini vitæ cujuſcunque, evadit honeſtum, & juxta dictamen rationis; adeo ut non obedire Deo præcipienti occiſionem innocentis ſit malum, & inhoneſtum. Eſt quippe juxta dictamen rationis, quod Dominus poſſit de re ſua ad libitum diſponere; cum autem Deus ſit vitæ noſtræ ſupremus Dominus, poterit de illa diſponere ad libitum; & ideo ſicut poteſt ipſe immediate vitam innocenti adimere, ſic poteſt Abrahamo præcipere, ut Iſaac innocentem occidat, non diſpenſando in lege naturali, ſed mutando ejus materiam. Ad eum modum, quo eſt contra legem naturalem, quod ſervus occidat equum ſui Domini; ſi tamen Dominus præcipiat ſervo, quod equum ſuum occidat, Dominus non dicitur diſpenſare in lege naturali de non inferendo alteri damnum, ſed dicitur materiam talis legis immutare, ita ut occiſio illius equi, quæ erat injuſta, & illicita, & contra legem naturalem, ſi fieret invito Domino, accedente imperio Domini, quod occidatur, ſit occiſio licita, honeſta, & juxta dictamen rationis; quinimmo rationis dictamini repugnat, quod ſervus in hoc non obediat, & nolit equum illum occidere. Idem dicas in aliis præceptis Decalogi, cujus materia variari poteſt, ita ut de illicita evadat licita ob aliquam circumſtantiam ſupervenientem. Quare Deus quando conceſſit Hebræis ſpolia Ægyptiorum, non diſpenſavit in lege naturali de non furando, ſed materiam immutavit modo explicato, donando illis ea bona, tanquam ſupremus Dominus; vel ut ſupremus Judex reddidit Hebræis mercedem laborum ſuorum, ut dicitur Sapient. 10. Pariformiter quando dixit Oſeæ, ut aſſumeret ſibi mulierem fornicariam, non diſpenſavit

in

in lege naturali de non fornicando, ſed tanquam ſupremus Dominus dedit poteſtatem in corpus illius mulieris; non ſecus ac ab uxore per contractum matrimonialem traditur marito poteſtas in proprium corpus; & ſic immutatur materia, quæ de illicita evadit licita, & honeſta.

Quod ſi materia præceptorum naturalium immutari non poſſit, ut eſt lex de non odio habendo Deum, de non neganda fide, de non pejerando, nunquam hæc poſſunt evadere honeſta, neque per diſpenſationem a Deo factam in lege naturali, neque per materiæ variationem, quatenus non ſpectat ad ſupremum Dei dominium, quod poſſit actiones iſtas intrinſece turpes imperare; unde non poſſunt iſtæ exuere intrinſecam inhoneſtatem ratione imperii divini ſupervenientis; ſicut poteſt occiſio innocentis, aut occiſio equi alieni de ſe inhoneſta evadere honeſta ratione imperii divini ſupervenientis: quia ad ſupremum Dei dominium ſpectat poſſe diſponere de vita innocentis, & de rebus omnibus creatis.

Ex quibus dilucide conſtat, non poſſe hominem in lege condita ad ſui utilitatem diſpenſare in ſui conſervationem, quando nec Deus ipſe poteſt in lege naturali proprie diſpenſare; & quamvis poſſit ratione circumſtantiæ ſupervenientis aliquando immutari materia alicujus legis naturalis, ita ut actio aliqua de ſe inhoneſta poſſit ratione circumſtantiæ evadere honeſta; (ſicut occiſio equi facta a ſervo, quæ eſt inhoneſta, ſi fiat domino invito, poteſt evadere honeſta, ſi fiat domino illam præcipiente) nunquam tamen evadere poteſt honeſta legis tranſgreſſio facta auctoritate propria in iis circumſtantiis, in quibus lex indigeret diſpenſatione ſuperioris, quamvis tranſgreſſio conferret ad propriam conſervationem.

IV. Neque dicas, quod ſi tranſgreſſio legis conditæ in propriam utilitatem conferat ad ſui conſervationem, eo ipſo datur cauſa ſufficiens, ut in ea diſpenſetur, non ſolum a ſuperiore, ſed etiam auctoritate propria; ſicut enim in probabili ſententia votum auctoritate propria poteſt commutari in melius; v. gr. votum erogandi aliquam eleemoſynam commutari poteſt in ingreſſum Religionis; quia cum votum ſit promiſſio facta in obſequium Dei, cenſetur Deo promiſſario magis gratus ingreſſus in Religionem, quam eleemoſyna: ita videtur poſſe fieri auctoritate propria diſpenſatio in aliqua lege lata in propriam utilitatem, quando diſpenſatio confert in ſui conſervationem; quia legislator non cenſetur velle, quod lex lata in utilitatem ſubditi cedat in ejus detrimentum.

Nam contra eſt, quia quamvis aliquando poſſit eſſe cauſa ſufficiens, cur ſuperior diſpenſet in aliqua lege, quando ea eſt nimis oneroſa; ſicut periculum proximum gravis infirmitatis eſt cauſa ſufficiens cur Epiſcopus diſpenſet in lege jejunii: At primo falſiſſimum eſt, quod in quacunque lege fieri poſſit diſpenſatio a ſuperiore, eſto diſpenſatio conferat ad ſui conſervationem. Nam ver. gr. lex non negandi fidem, quamvis condita in propriam utilitatem mediate, & immediate in obſequium Dei loquentis, nequit a Deo ipſo, nedum a ſuperiore humano diſpenſari, licet ejus obſervantia ferat mortem, quam tyrannus comminatur. Nec datur cauſa ſufficiens cur diſpenſari quis poſſit ab humana poteſtate in lege de cuſtodiendo ſigillo ſacramentali, per hoc quod aliter mors immineat; & ſic in innumeris aliis legibus tam divinis, quam humanis, quæ obligant etiam cum vitæ diſcrimine, per hoc quod intendant aut Dei obſequium, aut bonum publicum, quod prævalere debet bono privato. Deinde quamvis nonnullæ leges tam divinæ, quam humanæ non obligent cum diſcrimine vitæ, ut lex de integritate materiali Confeſſionis, lex jejunii, & ſimiles; at falſum etiam eſt, quod quoties in his legibus datur cauſa ſufficiens, cur ſuperior diſpenſet, poſſit quilibet auctoritate propria ſecummet diſpenſare, ubi commode poſſit adiri ſuperior, qui diſpenſet. Quinimo quando cauſa diſpenſandi eſt dubia, ſolus ſuperior diſpenſare poteſt; eo quod in dubiis melior ſit conditio legis, quæ ſtat in poſſeſſione ſuæ obligationis.

V. Ad id quod additur de voto, in tantum ſuam habet probabilitatem ſententia docens poſſe voventem auctoritate propria commutare votum in evidenter melius, in quantum voti obligatio oritur a voluntate ipſius voventis, qui cenſetur promittere Deo aliquid ſub ea conditione, quod non offerat aliquid melius, & Deo gratius: & ideo non infringit promiſſum, qui illud commutat in melius. At lex obligat ex voluntate ſuperioris, qui non obligat conditionate, ſed abſolute; unde nequit v. g. auditio Miſſæ præcepta die feſto commutari in aliquid evidenter melius ſine facultate ſuperioris; & ideo quando datur cauſa, cur ſuperior diſpenſare poſſit, ab eo petenda eſt diſpenſatio, quin poſſit quilibet ſecummet diſpenſare.

His adde, quod ſi vera eſſet doctrina iſthæc Queſnelliana, potuiſſet Suſanna in lege

de

de non fornicando cum Senibus ſecummet diſpenſare, quia ea diſpenſatio contuliſſet ad ſui conſervationem: poſſet etiam Religioſus in lege de non nubendo ſemet diſpenſare, ſi matrimonium cenſeatur neceſſarium ad ſui conſervationem; poſſet Parochus tempore peſtis fugere, & oves ſuas indigentes Sacramentorum adminiſtratione deſerere, quia hoc expedit ad propriam conſervationem; poſſetque quilibet a lege jejunii eximi ob eamdem rationem, quia ſemper ad ſui conſervationem confert vitatio macerationis carnis; idemque dicas de aliis legibus. Neque obſtat quod hujuſmodi leges non cenſeantur directe latæ in propriam utilitatem, ſed in bonum commune. Nam contra eſt, quia de ratione legis cujuſcumque eſt, quod feratur in bonum commune, & hoc pacto reſpicit utilitatem cujuſcumque conſtituentis communitatem; ſic præcepta Decalogi, quæ ad primam tabulam ſpectant, quamvis directe videantur præcipere, & reſpicere Dei amorem, honorem, & cultum, reſpiciunt tamen etiam bonum commune, & ſic bonum etiam uniuſcujuſque; dicitur enim Deuter. 6. *Cuſtodi præcepta Domini Dei tui, ac teſtimonia, & cæremonias quas præcepit tibi: & fac, quod placitum eſt, & bonum in conſpectu Domini, ut bene ſit tibi.* unde ſi poteſt homo in aliqua lege reſpiciente directe bonum commune, & ſic etiam utilitatem cujuſcumque de tali communitate ſemet diſpenſare, quando id confert ad propriam conſervationem, poterit in qualibet lege hoc pacto diſpenſare.

VI. Opponitur, quod non alia de cauſa poſſit quilibet diſpenſare in lege, v. g. de non occidendo innocentem, quando occiſio eſt neceſſaria ad ſui defenſionem, & conſervationem, niſi quia lex iſta de non occidendo alium lata eſt in utilitatem hominum; ſic etiam lex a Deo lata, ne ullus ſibi amputet brachium, aut aliud membrum, quia reſpicit noſtram utilitatem, poteſt diſpenſari auctoritate propria, quando amputatio brachii neceſſaria eſt ad vitam conſervandam; ergo univerſim lex a Deo condita in hominum utilitatem poteſt a quolibet diſpenſari, quando id neceſſarium eſt ad propriam conſervationem.

Reſpondeo, in his caſibus non haberi diſpenſationem in lege de non occidendo innocentem, aut in lege de non amputandis ſibi membris, ſed haberi, ut diximus, variationem materiæ ratione illius circumſtantiæ, quod occidatur innocens cum moderatione inculpatæ tutelæ ad ſui defenſionem, & amputetur brachium ad vitam conſervandam. Etenim ratione harum circumſtantiarum, quod de ſe erat illicitum, & inhoneſtum, evadit licitum; & juxta dictamen rationis. Quamvis enim de ſe contra dictamen rationis ſit, quod occidatur innocens, & brachium abſcindatur; at non eſt contra dictamen rationis, atque adeo non eſt inhoneſtum nec illicitum, quod cum moderamine inculpatæ tutelæ occidatur nocens, qui propriam vitam invadit; quia ſcilicet in pari gradu præferenda eſt vita propria vitæ nocentis; & ſimiliter contra dictamen rationis eſt de ſe, quod brachium amputetur; at non eſt rationi diſſonum, quod amputetur ad vitam conſervandam, quia præferenda potius eſt conſervatio vitæ, quam conſervatio brachii. Hoc tamen non accidit in omnibus aliis legibus; etenim non ſolum eſt de ſe contra dictamen rationis; quod Parochus v. gr. dimittat oves ſuas indigentes Sacramentis, ſed etiam eſt contra dictamen rationis, quod illas dimittat tempore peſtis ad conſervandam vitam propriam; quia non eſt præferenda vita propria ſaluti æternæ animarum ſibi demandatarum. Et eodem modo tam de ſe, quam ad conſervandam vitam, eſt contra dictamen rationis negare fidem, mentiri, fornicari, & ſimilia; quia in his caſibus contemnenda eſt vita; atque adeo in his, & ſimilibus legibus neque poteſt homo ſe diſpenſare ad ſui conſervationem, neque dici poteſt ratione hujus circumſtantiæ, quod aliter non poſſit vita conſervari, variari materiam talium legum, ita ut evadat licitum, & honeſtum, quod de ſe erat illicitum, ac inhoneſtum. Quod ſi nec Deus ipſe poteſt diſpenſare in lege v. g. de non mentiendo, de non pejerando ad conſervandam vitam hominis, a fortiori non poterit homo ſemet diſpenſare; unde palmaris, ac intolerabilis error in hac theſi continetur, dicendo, quod univerſim poſſit homo ob ſui conſervationem ſeſe diſpenſare ab iis legibus, quas Deus condidit in ſui utilitatem.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LXXI.

SEptuageſima prima docet, poſſe hominem propria auctoritate ſe diſpenſare ob ſui conſervationem ab omnibus legibus a Deo latis in ejus utilitatem. Sed quam magnam id aperiat laxitati viam, nemo eſt, quin videat. Hinc enim fieret, poſſe quemlibet etiam in lege naturali ſecummet diſpenſare, in qua ne Deus quidem ipſe diſpenſare poteſt,

eſt, ſi ejus tranſgreſſio ſit abſolute, & ſimpliciter intrinſece mala, ut eſt v. g. lex de non mentiendo, de non pejerando, & ſimiles; etenim leges iſtæ etiam in utilitatem hominis latæ ſunt; (rueret quippe commercium humanum, ſi mendacia, & perjuria licerent) accidere autem poteſt caſus, quod quis mentiendo, vel pejerando poſſet mortem ſibi a tyranno intentatam declinare; unde licite poſſet ob vitæ conſervationem in his legibus ſecummet diſpenſare, in quibus nec Deus ipſe poteſt; (cum ex perfectione omnipotentiæ proveniat, quod non poſſit peccatum ponere, & quodcunque ſuæ obſtrepit Sanctitati) Potuiſſet ſimiliter Suſanna citra culpam ob ſui conſervationem in adulterium cum Senioribus illis conſentire. Poſſet quilibet libidini indulgere, quando id expediret ad vitam ſervandam. Præterea ut quis diſpenſetur in voto caſtitatis, non eſſet opus ad Pontificem recurrere, quoties ad vitæ conſervationem cenſeretur expediens matrimonium; Et ut in legibus Eccleſiaſticis habeatur diſpenſatio, non eſſet opus in ſimilibus caſibus ad Superiorem recurrere. Denique quia nonnullis videri poſſet maxime conducere ad hilaritatem, & ſic ad vitæ conſervationem ab onere cujuſcunque legis ſe ſubtrahere, idcirco poſſent iſti in quacumque lege ſecummet diſpenſare. O præclaram doctrinam, quæ profecto expanſis ulnis a plurimis exciperetur, niſi duceret in barathrum perditionis! Ratio autem, cur non liceat ſecummet diſpenſare, ne in iis quidem legibus, in quibus ſuperior diſpenſare valide, ac licite poteſt, eſt, tum quia nemo debet eſſe judex in propria cauſa, eo quod facile poſſet ab amore ſuimet homo decipi, & inclinari ad judicandum, quod detur ſufficiens cauſa ad diſpenſandum, quando re vera non eſt ſufficiens; tum etiam quia ſcandalum non vitaretur, ſi quilibet arbitratu ſuo ſecummet diſpenſaret, etiam in iis legibus, in quibus facile poteſt a ſuperiore diſpenſationem obtinere; tum demum quia ruptis hoc pacto legum repagulis iniquitas inundaret. Quare vehementer errat, qui putat poſſe hominem ſecummet diſpenſare ob ſui conſervationem in legibus, quas Deus condidit in hominum utilitatem.

PROPOSITIO LXXII.

Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quod ſit Catholica, comprehendens & omnes Angelos cœli, & omnes Electos, & Juſtos terræ, & omnium ſæculorum. *Queſn. Hebr.* 12. 22. 23. 24. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXXIII.

Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, vivencium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri ſæculi? *Queſn.* 2. *Theſ.* 1. 2. *edit.* 1693.

PROPOSITIO LXXIV.

Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes vero Sanctos ut membra. *Queſn.* 1. *Timoth.* 3. 16. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXXV.

Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt Caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona; unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt ſanctificator. *Queſn. Epheſ.* 2. 2. 14. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXXVI.

Nihil ſpatioſius Eccleſia Dei, quia omnes Electi, & Juſti omnium ſæculorum illam componunt. *Queſn. Epheſ.* 2. 22. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO LXXVII.

Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro Capite. *Queſnel.* 1. *Joann.* 2. 22. *edit.* 1693.

PROPOSITIO LXXVIII.

Separatur quis a Populo Electo, cujus figura fuit Populus Judaicus, & Caput eſt Jeſus Chriſtus, tam non vivendo ſecundum Evangelium, quam non credendo Evangelio. *Queſn. Act.* 3. 23. *edit.* 1693. & 1699.

SYNOPSIS.

I. Præcipuum harum theſium intentum eſt, enervare Eccleſiaſticam juriſdictionem, & dubias reddere dogmaticas Eccleſiæ definitiones. II. Si Pontifex, aut Epiſcopi in hæreſim incidant, unde careant juriſdictione, facili negotio dignoſci poterit; Secus vero ſi incidant in peccatum. Et ideo incommoda non levia ſequerentur, ſi per quodvis peccatum ad Eccleſiam non pertinerent.

III. Eccleſia eſt cœtus Vocatorum. IV. Multifariam Heterodoxi circa Eccleſiæ definitionem errarunt. V. Quomodo Catholici illam definiant. VI. Quænam ſint Eccleſiæ notæ. VII. Quodnam dicatur Eccleſiæ caput, & quænam membra.

VIII. Etiam Reprobi, & Peccatores ſpectant ad Eccleſiam conſtituendam. IX. Non tamen Hæretici, Schiſmatici, Apoſtatæ, & Excommunicati. X. Non datur duplex Eccleſia, altera militans, quæ bonos, & malos complectatur in terris; altera triumphans, quæ ſolum ex Electis conſtetur in cœlis; ſed utraque eſt eadem Eccleſia, diverſis tamen temporibus. XI. Fruſtra daretur Pœnitentiæ Sacramentum, ſi peccatores Chriſtiani ad Eccleſiam non pertinerent.

XII. Pluribus objectis fit ſatis. XIII. Cur Eccleſia dicatur ſancta, & non potius impia, cum plures in ea ſint qui impietatem ſequantur, quam qui fulgeant ſanctitate. XIV. Homines in Scripturis dicuntur eſſe Dei filii vel ratione creationis, aut regenerationis, vel ratione imitationis, vel demum ratione doctrinæ. XV. Angeli non ſpectant ad Eccleſiam viſibilem. XVI Quomodo populus Judaicus fuerit figura populi Electi, & Synagoga fuerit figura Eccleſiæ. XVII. Inſulſe nimis nonnulli Queſnello patrocinantur.

I. DUm Queſnellus in his theſibus in ſpeciem præciſivis, ſed reapſe excluſivis (ut diximus in theſi 32., & infra luculentius oſtendemus) implicite docet, Reprobos ac pecatores, juxta errores Pelagianorum, & Calvini apud Bellarmin. eſſe extra Eccleſiam, quam Chriſtus ædificavit ſanguine ſuo, excidendo in ea ſeptem columnas ſeptem Sacramentorum, ac promittendo illi præſidium fidei adverſus portas inferi, illud videtur clanculum, ac vafre omnibus ſuadere, quod ſcilicet noſtra fides nutet, & Paſtorum Eccleſiæ juriſdictio ſit prorſus dubia, atque incerta; cum enim ignotum ſit, num ſint in ſtatu gratiæ Pontifices, & Epiſcopi, qui Eccleſiam in Conciliis repreſentant, quando aliquid tanquam fide credendum proponunt, ignotum pariter eſt, num hic, & nunc ab hoc Pontifice, & ab his Epiſcopis vera Eccleſia (quæ non conflari dicitur niſi a ſolis Juſtis) repræſentetur; unde pariter incertum eſt, an ſubſit falſo, quod illi proponunt tanquam fide credendum: Idemque dicendum, quando Pontifex extra Concilium loquitur ex Cathedra, hoc eſt, ut docet Suarius lib. 1. contra Regem Angliæ cap. 3. quando Pontifex tanquam Magiſter, & Doctor a Criſto Domino conſtitutus alloquitur Eccleſiam ſibi demandatam, proponendo, quæ ab omnibus fidelibus infallibiliter credenda, aut obſervanda ſunt. Præterea ex hoc quod ignotum ſit, num Pontifices, & Paſtores Eccleſiarum ſint in ſtatu gratiæ, quando aliquid præcipiunt, incertum pariter eſſet, num polleant juriſdictione Eccleſiaſtica, & auctoritate aliquid præcipiendi, ſiquidem nulla juriſdictio Eccleſiaſtica competit iis, qui ſunt extra Eccleſiam. Ex quibus deſcendit, quod a Queſnello callide videtur inſinuari, videlicet Janſenianos non debere eſſe ſolicitos, quod Janſenii theſes a Pontificibus ex cathedra loquentibus damnatas, & rejectas ipſi nec damnent, nec rejiciant; neque etiam quod excommunicationes a Pontificibus, aut ab Epiſcopis latas adverſus inobedientes incurrant; cum enim ignotum ſit, an hujuſmodi Pontifices, aut Epiſcopi inter electos, & juſtos recenſeantur, incertum eſt, quod Eccleſiam conſtituant, & quod eccleſiaſtica polleant juriſdictione. Quinimo juxta Queſnelli delirium ad Eccleſiam non pertinebant, atque

adeo

adeo eccleſiaſtica juriſdictione carebant Pontifices, quando Janſenianas theſes proſcripſerunt, eo quod citra culpam proſcribere eas non potuerint; cum audacter eas eſſe juxta Auguſtini mentem, & catholicas Janſeniani omnes doceant.

II. Neque dicas, quod ſicuti non ſequuntur hæc incommoda per hoc quod Pontifex, ſi ſit hæreticus, & Epiſcopi, ſi ſint excommunicati, nullam habeant juriſdictionem eccleſiaſticam, ita neque ſequuntur hæc inconvenientia, ſi careant juriſdictione, per hoc quod ſint in ſtatu peccati mortalis, & ideo ſint extra Eccleſiam, ex electis, & juſtis dumtaxat compoſitam.

Nam longe diſpar eſt ratio. Pontifex enim hæreticus tunc ſolum amittit dignitatem, & juriſdictionem Pontificiam, quando aut ipſe ab Eccleſia ſe publice ſeparat, aut convictus hæreſeos publice invitus a conſortio fidelium ſeparatur, ut notat Bellarmin. lib. 3. de Eccleſ. cap. 10. idque ad bonum Eccleſiæ regimen, ne ſequantur incommoda adducta: Idemque dicas de Epiſcopis, ſi in hæreſim incidant, aut in excommunicationem; ut conſtat ex Canone *Audivimus* 24. qu. 1. At ſi Pontifex, & Epiſcopi extra Eccleſiam eſſent, & juriſdictione carerent per hoc præciſe, quod patrarent peccatum aliquod mere internum, id non poſſet aliis innoteſcere; unde incerta eſſet illorum juriſdictio; & facile poſſet quilibet excutere jugum debitæ ſubjectionis.

III. Ad oſtendendam tamen harum theſium falſitatem, operæ pretium eſt explicare prius, quid veniat nomine Eccleſiæ in Sacris literis; Deinde quænam ſint notæ, quæ veræ Eccleſiæ competunt; ac demum quid importet Chriſtum eſſe Eccleſiæ caput.

Primo itaque Eccleſiæ nomen idem ſonat, ac evocatio, ſeu cœtus vocatorum, quia ſcilicet populo Dei, ſeu cœtui vocatorum nemo adjungitur, quem non prævenerit Deus ſua ſuperna vocatione, quæ eſt primum omnium beneficium, quod Sanctis confertur; unde dicitur ad Rom. 8. *Quos vocavit, hos & juſtificavit; quos juſtificavit, illos & glorificavit*. Quamvis autem quoad eſſentiam eadem fuerit Eccleſia veteris teſtamenti, ac ea, quæ eſt teſtamenti novi, quia tamen quoad ſtatum hæc eſt excellentior, ideo illa appellabatur Synagoga, ſeu Congregatio; congregari enim poſſunt tam homines, quam beſtiæ. At in novo teſtamento appellatur Eccleſia, ſeu Evocatio, quia ſolum homines vocari poſſunt. Cæterum ſicut nomen hoc, Civitas, aliquando ſignificat cœtum civium, aliquando locum, in quo cives habitant; ita hoc nomen, Eccleſia, aliquando ſignificat cœtum fidelium, ut cum dicitur ad Rom. 16. *Salutant vos omnes Eccleſiæ Aſiæ;* aliquando locum ipſum, in quo fideles congregantur, ut cum dicitur Judith 6. *Omnis populus per totam noctem intra Eccleſiam oraverunt*.

IV. Porro quinque hæreticales ſententias circa Eccleſiæ definitionem enumerat Bellarm. lib. 3. de Eccleſ. militante cap. 2. Prima, quod importet congregationem prædeſtinatorum duntaxat, ut habetur in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 15. ar. 5. adverſus Jo: VViglephum, & Jo. Hus, ubi habetur: *Præſcitus, etſi aliquando ſit in gratia ſecundum præſentem juſtitiam, tamen nunquam eſt pars ſanctæ Eccleſiæ, & Prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, ſed non a gratia prædeſtinationis*. Secunda Pelagianorum, quod importet cœtum omnium juſtorum a qualibet culpa immunium, ſeu perfectorum, ut refert Auguſt. lib. de hæreſibus cap. 88. ubi habet: *In id etiam progrediuntur, ut dicant, vitam juſtorum in hoc ſeculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Eccleſiam Chriſti in hoc mortalitate perfici*: quam ſententiam Calvinus tribuit etiam Anabaptiſtis. Tertia, quod ſit congregatio juſtorum, qui nunquam circa fidem lapſi ſunt, etiamſi alia peccata commiſerint: Ita Novatiani, Donatiſtæ. Quarta, quod ſit congregatio fidelium, quibus peccata non imputantur, ſi veram habent fidem: Ita Confeſſioniſtæ in Confeſſione Auguſtana; quamvis Brentius dicat duas dari Eccleſias, alteram Sanctorum, qui vere credunt, & Deo obediunt, quæ non eſt viſibilis, niſi oculis fidei, alteram externam hominum communicantium in doctrina fidei, & uſu Sacramentorum, in qua boni, & mali inveniuntur; quamvis mali nunquam ad veram Eccleſiam pertineant. Quinta demum ex Calvino, quod conſtet ex ſolis juſtis prædeſtinatis.

V. Catholici tamen docent, Eccleſiam catholicam eſſe unam, & viſibilem, & importare cœtum hominum veram fidem profitentium, ac utentium Sacramentis a Chriſto Domino inſtitutis, ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præſertim Romani Pontificis Chriſti in terra Vicarii. Unde ratione primæ partis extra Eccleſiam Catholicam ſunt omnes infideles, & hæretici, ac apoſtatæ: Ratione ſecundæ partis ad Eccleſiam non pertinent Catechumeni, utpote nondum admiſſi ad Sa-

cramentorum participationem, (idemque dicas de pueris ante baptiſmum) & excommunicati, quia adhuc a participatione Sacramentorum excluduntur. Ratione tertiæ partis ſunt extra ovile Eccleſiæ Schiſmatici, quippe qui licet fidem profiteantur, & ſacramenta participent, detrectant tamen ſubjectionem debitam legitimo paſtori. Reprobi autem, ac peccatores ab Eccleſia non excluduntur: unde fit, Eccleſiam eſſe viſibilem, quia quamvis ad conſtituendam veram Eccleſiam pertineant etiam virtutes internæ fidei, ſpei, charitatis, & aliæ, quæ in plurimis reperiuntur; nihilominus ut aliquis ſit pars Eccleſiæ, de qua Scripturæ loquuntur, ſufficit, (ut multi cum Bellarmino docent) quod fidem exterius profiteatur, ac ſacramentis a Chriſto Domino inſtitutis utatur cum ſubjectione debita Paſtoribus Eccleſiæ, ac præſertim Romano Pontifici. Sunt autem membra viva Eccleſiæ, qui fidem hanc ita profitentur exterius, ut ſint etiam prædíti virtutibus internis fidei, ſpei, & charitatis; ſunt vero membra mortua, ſi iiſdem careant. Quod ſi velimus loqui cum Auguſtino in Breviculo Collationis, Collatione tertia, ita Eccleſia eſt corpus vivum, ut quidam ſint de anima, & corpore Eccleſiæ, per hoc quod ſint uniti Chriſto per virtutes internas, & profeſſionem fidei, & communicationem Sacramentorum externam; quidam vero initium vitæ habeant, & quaſi ſenſum, non tamen motum, ſi ſcilicet habeant fidem, non vero charitatem; alii ſint de anima, non de corpore Eccleſiæ, ut Catechumeni, & excommunicati, qui fidem habent, & charitatem: Alii demum ſint ſolum de corpore Eccleſiæ, & non de anima, ſi careant virtutibus internis, & ſolum ſpe, aut timore aliquo temporali fidem profiteantur, & ſacramenta participent ſub regimine paſtorum; & hujuſmodi ſunt inſtar capillorum, unguium, aut malorum humorum in corpore humano.

VI. Deinde quod attinet ad notas Eccleſiæ, ſciendum Eccleſiam Catholicam inſtar Solis radios luciditſimos uſquequaque diffundere, ut facillime per illos dignoſci poſſit; propterea habet plurimas notas, ſeu teſtimonia, ac ſigna, quibus poſſit vera Eccleſia a falſis diſcerni; ita tamen, ut non reddant illam evidenter veram, ſed evidenter credibilem, & credendam, juxta illud Pſal. 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*. Præcipuæ hujuſmodi notæ ſunt, quod Eccleſia ſit Una, ſit Sancta, ſit Catholica, ſit Apoſtolica, ut habetur in Symbolo fidei. Dicitur eſſe *Una*, videlicet unitate Fidei, unitate Baptiſmi, ac reliquorum Sacramentorum, unitate Capitis tum inviſibilis, qui eſt Chriſtus Dominus, tum viſibilis, qui eſt Pontifex, & unitate membrorum inter ſe unitorum; unde ex Apoſtolo ad Epheſ. 4. dicitur: *Unum corpus, & unus ſpiritus*. Deinde eſt *Sancta* tum ſanctitate doctrinæ, ac Sacramentorum, tum ſanctitate præcipuorum ejus membrorum: unde Cant. 6. Eccleſia dicitur *Pulchra ut Luna*. Appellatur etiam *Catholica*, ſeu univerſalis quoad locum, & tempus; etenim ſemper fuit, poſtquam ſuper fundamentum Apoſtolorum a Criſto Domino fuit ædificata, & ſemper erit; (dicitur enim Daniel. 9. *Regnum, quod in æternum non diſſipabitur*,) & ubique gentium reperitur, juxta illud Pſal. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Et Pſal. 71. *Dominabitur a mari uſque ad mare*; unde Chriſtus Dominus Apoſtolis injunxit Lucæ ult., & Act. 1., ut Evangelium in omnes gentes prædicaretur; & ideo *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Pariter Eccleſia dicitur *Apoſtolica*, tum ratione ſuæ originis; unde dicitur ad Epheſ. 2. *Superædificata ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*; tum ratione legitimæ, & continuæ ſucceſſionis ejus Paſtorum, qui ab Apoſtolis ad nos uſque deſcenderunt.

VII. Denique Caput Eccleſiæ dicitur Chriſtus Dominus, quatenus in reliqua membra influit gratiam, & auxilia, necnon in quantum habet poteſtatem imperandi, ac gubernandi fideles. Hinc ad Epheſ. 1. dicitur: *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam*. Et Trident. ſeſſ. 6. cap. 16. habet: *Cum enim ille ipſe Chriſtus Jeſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos virtutem jugiter influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſunt*, &c. Eſt autem Chriſtus Dominus caput Eccleſiæ non ſolum in quantum Deus, ſed etiam in quantum homo; Chriſtus enim nos redemit in quantum Homo Deus, & in quantum talis eſt judicaturus orbem. Hinc non ſolum influit auxilia ſupernaturalia in juſtificatos, qui ſunt viva membra Eccleſiæ, ſed etiam in peccatores fideles, qui ſunt membra Eccleſiæ, mortua quidem per defectum charitatis, quæ eſt animæ vita, ſed non ſeparata ab Eccleſia; immo etiam auxilia, & gratias influit in Infideles, qui ſunt extra Eccleſiam, & in excommunicatos, ac in hæreticos, qui ſunt membra abſciſſa, ad

hoc

hoc ut per auxilia iſta gratiæ uniantur Eccleſiæ per fidem, & vivificentur per charitatem. Proſcripta ſiquidem eſt ab Alexandro VIII. theſis illa quinta, quæ habet: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jeſu Chriſto influxum; adeoque hinc recte inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem ſine omni gratia ſufficienti.* Quare relate ad Infideles, & Hæreticos eſt caput ſolum quatenus eſt eorum Redemptor, non quia pertinent, ſed ut pertineant ad Eccleſiam militantem; relate vero ad Angelos eſt etiam caput; cum dicatur ad Coloſſ. 2. *Eſtis illo repleti, qui eſt caput omnis Principatus, & Poteſtatis*; at non eſt caput, tanquam eorum Redemptor, ſed eſt caput, vel quia ob merita Chriſti ſubſequentia Deus contulit eis gratiam, ut multi docent, vel ſaltem quatenus habet illis præcipiendi auctoritatem, & ſuper illos excellit. Non dicitur tamen dæmonum caput, quamvis poſſit etiam dæmonibus imperare, quia dæmones non ſunt membra per charitatem conjuncta cum Chriſto, ſicut ſunt Angeli, nec ſimilitudinem cum Chriſto habent in donis gratiæ. Poteſt etiam dici Chriſtus in quantum homo caput Angelorum, ut notat Cajetan. ex D. Thom. 3. p. qu. 8. art. 4. quatenus in eos influit quoad ea, quæ ſpectant ad actus Hierarchicos, videlicet ſecundum quod unus Angelus illuminat, ac perficit alium.

VIII. Oſtendo nunc adverſus haſce theſes Queſnellianas, quod ad Eccleſiam pertineant non ſolum electi, & juſti, ſed etiam reprobi, & peccatores; ut proinde non poſſit nutare firmitas credendorum, nec Paſtorum Eccleſiæ juriſdictio, ex eo ſcilicet, quod ignoretur, num ſint reprobi, aut peccatores, qui proponunt articulos fidei credendos, & qui auctoritate Eccleſiaſtica aliquid præcipiunt. Primo quidem, quod attinet ad reprobos, conſtat, quod ad Eccleſiam pertinent, ex parabolis luculentiſſimis Evangelii; comparatur enim Eccleſia Matth. 22. convivio nuptiarum, ad quod intravit etiam non veſtitus veſte nuptiali, qui projectus eſt in tenebras exteriores; unde concluſit Chriſtus Dominus: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Comparatur Matthæi 25. decem virginibus, quarum quinque prudentes ornatis lampadibus intrabunt cum Sponſo ad nuptias in die judicii; quinque vero fatuæ ignoratæ a Sponſo excludentur. Comparatur Matthæi 13. ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti, quorum mali foras miſſi ſunt: Ubi additur, quod ſic Angeli ſeparabunt malos de medio juſtorum, illoſque mittent in caminum ignis. Matthæi 25. comparatur ovili, in quo habentur oves, & hædi, nempe, ut idem Chriſtus Dominus explicavit, electi, & reprobi. Idem ſignificant verba illa Apoſt. 2. ad Tim. 2. *In magna autem domo ſunt vaſa aurea, & argentea, & lignea, & fictilia, quædam in gloriam, & quædam in contumeliam.* Nomine autem magnæ domus venit Eccleſia, in qua ſunt vaſa aurea ad honorem, nempe electi: & vaſa aurea ad contumeliam, nempe reprobi. Quod pariter Patres communiter docent. Pro omnibus in re tam dilucida ſatis ſit Auguſtinus, qui libro de unitate Eccleſiæ cap. 13. dicit, Judam proditorem fuiſſe in Eccleſia, ſicut erant & reliqui Apoſtoli, & tamen erat reprobus. Sic viceverſa Paulus fuit extra Eccleſiam, dum illam perſequebatur, & tamen erat prædeſtinatus, ut advertit idem Auguſtinus ſerm. 1. de converſ. Pauli dicens, prius illum fuiſſe lupum, deinde ovem.

IX. Ratio tamen, cur etiam reprobi ſint de Eccleſia, & non ſoli electi, eſt, quia omnes baptizati (quamvis ex iis multi ſint reprobi) ſunt membra Chriſti; Cum dicatur ad Galat. 3. *Omnes enim filii Dei eſtis per fidem in Chriſto Jeſu; quicumque enim baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Et 1. ad Cor. 12. *Omnes nos uno ſpiritu in unum corpus baptizati ſumus.* Hæretici tamen, Apoſtatæ, Schiſmatici, & excommunicati deſinunt eſſe membra Chriſti, & Eccleſiæ; dicitur enim ad Tit. 3. *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correptionem devita, ſciens, quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio judicio condemnatus*: unde Auguſtinus lib. de unit. Eccl. cap. 4. habet: *Qui non credunt Chriſtum in carne veniſſe de Virgine Maria ex ſemine David, aut in corpore ipſo reſurrexiſſe, in quo crucifixus, & ſepultus eſt, non utique ſunt de Eccleſia*: ergo hæretici non ſunt membra Chriſti. Quod pariter docet Concil. Nicæn. c. 8. & 19. De Apoſtatis etiam dicitur 1. Jo. 2. *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis.* Erant quippe de Eccleſia, ſed non erant ex nobis ſecundum Divinam electionem, ut exponit Auguſtinus lib. de bono perſeverantiæ cap. 8. Schiſmatici etiam ſunt extra Eccleſiam, quippe quæ vocatur Jo. 10. *Unum ovile;* Rom. 12. *Unum corpus;* & Cant. 6. *Una amica, una ſponſa, una columba:* unde Auguſtinus lib. de fide, & ſymbolo cap. 10. ait: *Nec hæreticus pertinet ad Eccleſiam Catholicam, quæ diligit Deum, nec ſchiſmaticus, quoniam diligit proximum.* Et Fulgentius de fide ad

Petrum c. 38. *Firmiſſime tene, & nullatenus dubites, non ſolum Paganos, ſed etiam Judæos, hæreticos, & ſchiſmaticos, qui extra Eccleſiam Catholicam præſentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros.* Et Hieron. in cap. 3. ad Titum: *Inter hæreſim, & ſchiſma hoc intereſſe arbitramur, quod hæreſis perverſum dogma habeat, ſchiſma propter Epiſcopalem diſſenſionem ab Eccleſia pariter ſeparet.* Conſtat itaque, Hæreticos, Apoſtatas, & Schiſmaticos, quamvis Chriſtianos, ad Eccleſiam non pertinere: Sicuti neque ſpectant ad Eccleſiam excommunicati, de quibus, ut docent communiter Expoſitores, Chriſtus D. Matthæi 18. dixit: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*; Ethnicus autem procul dubio de Eccleſia non eſt. Hinc Auguſt. lib. de unit. Eccleſiæ cap. ult. dicit, Excommunicatos viſibiliter præcidi a corpore Eccleſiæ. Quod etiam habetur in jure Canonico 11. qu. 3. cap. *Canonica*; ubi dicitur: *Canonica inſtituta, & Sanctorum Patrum exempla ſequentes, Eccleſiarum Dei violatores auctoritate Dei, & judicio ſancti Spiritus a gremio Sanctæ Matris Eccleſiæ, & a conſortio totius Chriſtianitatis eliminamus.* His adde, quod ſicut multi ex Reprobis ſunt de Eccleſia, ita ex oppoſito multi ex Prædeſtinatis ſunt extra Eccleſiam; etenim multi ex Gentilibus, Judæis, & Hæreticis decurſu temporis ad Eccleſiam confugiunt, & ſalvantur, unde ſunt prædeſtinati, & tamen antecedenter ſunt extra Eccleſiam; ſicut Paulus licet prædeſtinatus extra Eccleſiam erat, ut diximus, quando Eccleſiam Dei perſequebatur.

Et ratio ulterior eſt, quia ſi ſolum electi eſſent de Eccleſia, ſequerentur incommoda, quæ diximus, videlicet quod omnia incerta eſſent; nemo enim agnoſceret Paſtorem ſuum, nec Paſtor oves ſuas, cum nemo ſciat quiſnam ſit ex numero Electorum. Præterea nemo ſciret, quænam ſint veræ ſcripturæ, vera Sacramenta, vera fides; hæc enim omnia pendent ex Eccleſiæ veræ teſtimoniis.

X. Secundo, quod attinet ad peccatores fideles, eos pariter eſſe de Eccleſia, ſive occulti ſint, ſive manifeſti, contra errorem Donatiſtarum & Novatianorum conſtat, tum ex parabolis laudatis de area, de reti, de decem Virginibus, de convivio nuptiali, ut notat Auguſtinus in Breviculo Collationis coll. 3. tum etiam quia Matt. 18. dicitur; *Si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum* &c. *ſi eos non audierit, dic Eccleſiæ*; quibus verbis ſignificatur dari in Eccleſia peccatores, qui neque per correctionem fraternam, neque adhibitis duobus teſtibus ad bonam frugem ſe recipiunt, donec ab Eccleſia per ſententiam juſtam expellantur. Et 1. ad Cor. 5. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.* Apocalypſis 2. & 3. ſcribens Joannes ſeptem Eccleſiis Aſiæ, illarum defectus acriter reprehendit, & ut advertit Auguſtinus cap. 10. contra Parmenianum, reprehendit Angelum, hoc eſt præpoſitum Eccleſiæ Sardenſis, dicendo: *Non habes, quod vivas, ſed mortuus es; eſto vigilans.* Idem Auguſtin. tract. 6. in Jo: habet: *Nos fatemur in Eccleſia Catholica & bonos, & malos eſſe, ſed tanquam grana, & paleas.* Et in Breviculo Collation. refert Collationem illam Carthagine habitam inter trecentos, & ſex Epiſcopos Catholicos, (quorum unus erat ipſe,) ac ducentos nonaginta ſex Epiſcopos Donatiſtas, in qua coacti ſunt iſti fateri, in Eccleſia Dei bonos ſimul, & malos reperiri, juxta parabolam retis, in quo boni ſimul, & mali piſces congregantur. Quoniam autem Donatiſtæ contendebant malos in Eccleſia eſſe occultos, ad eum modum, quo in reti piſces mali non cognoſcuntur, niſi quando in litore boni a malis ſeparantur; Catholici reſponderunt Eccleſiam comparatam etiam eſſe areæ, in qua frumenta, & paleæ diſcernuntur, immo magis apparent paleæ, quam frumenta; ut proinde etiam peccatores manifeſti Eccleſiam conſtituant. Et quia Donatiſtæ calumniabantur Catholicos, quod duas Eccleſias conſtituerent, alteram in terris, quæ bonos ſimul, & malos complecteretur, alteram in Cœlis, quæ ſolum contineret Electos; Catholici propugnarunt non eſſe duas Eccleſias, ſed unam tantum, diverſis tamen temporibus, ita ut nunc dum Eccleſia eſt Militans, bonos ſimul, & malos contineat; in Cœlis vero, ubi eſt Triumphans, ſolum contineat Electos; non ſecus ac unus eſt Chriſtus diverſis temporibus; in terris quidem mortalis, in Cœlo autem immortalis. Hæc ſunt Auguſtini verba: *Eandem ipſam unam, & Sanctam Eccleſiam dixerunt nunc eſſe aliter, nunc aliter futuram; nunc habere malos mixtos, tunc non habituram: Sicut non ideo duo Chriſti ſunt, quia aliquando mortalis, aliquando immortalis fuerit Chriſtus.*

XI. Ratio autem cur Eccleſia Dei non a ſolis juſtis, ſed etiam a peccatoribus conſtituatur, eſt, non ſolum quia aliter fruſtra Chriſtus D. Sacramentum Pœnitentiæ inſtituiſſet, quod dumtaxat peccatoribus, qui in Eccleſia ſunt, poteſt adminiſtrari; ſed etiam quia cum paſſim incertum ſit, quinam

nam ſint boni, quinam vero mali, incertum pariter eſſet, quinam ſint veri Eccleſiæ Paſtores, & quibuſnam obediendum ſit: incertum etiam eſſet, quænam eſſent oves, quarum Paſtores deberent curam agere: incertum denique quid credendum infallibiliter ſit, quid omnino obſervandum; cum incertum eſſet, num Eccleſiam conſtituerent Pontifices, qui ex Cathedra loquuntur, & Epiſcopi, qui Concilium repræſentarent. Hinc in Concilio Conſtantienſi damnatur Seſſione quinta tum error 22. Joannis Huſs aſſerentis Paſtorem malum eſſe æquivoce Paſtorem; tum error 30. quo aſſerebatur Prælatum malum non eſſe vere Prælatum.

XII. Opponitur nunc ad probandum, quod Reprobi non ſpectent ad Eccleſiam; primo quia Arca Noe fuit figura Eccleſiæ, ut docet Auguſtinus lib. 5. de Baptiſmo cap. ult.; in Arca autem ſolum fuerunt, qui ſalvandi erant ex aquis: ergo in Eccleſia ſolum ſunt, qui ſalutem conſequentur. Secundo quia Eccleſia eſt unum ovile; oves autem ut diſtinctæ ab hædis ſunt Electi, ex Auguſtino tr. 35. in Jo. 9. ergo ab electis dumtaxat Eccleſia conſtituitur. Tertio quia Corpus myſticum Chriſti, quod eſt Eccleſia, eſt ſimile Corpori Chriſti reali; hoc autem totum fuit glorioſum; ergo pariter Corpus myſticum; atque adeo ſolum electos complectitur. Quarto, Chriſtus eſt Caput illius Eccleſiæ, quam ſalvabit: ſed ſolos Electos ſalvabit: ergo eſt Caput Eccleſiæ conſtitutæ ex ſolis Electis. Quinto quia 1. Jo. 2. dicitur: *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis; nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum.* Ubi Auguſt. lib. de Corrept. & Gratia cap. 9. ſic ait: *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, hoc eſt quando videbantur ex nobis, non erant ex nobis; item non erant filii etiam quando videbantur in profeſſione, & nomine filiorum.*

Reſpondeo ad primum, ſimilitudines, quæ paſſim in Evangelio adhibentur, non debere in omnibus convenire; aliter deberent omnes baptizati tam boni, quam mali ſalvari, per hoc quod Arca Noe fuerit ſymbolum Eccleſiæ, & in illa arca omnia animalia evaſerint naufragium, tam munda, quam immunda. Quare in hoc ſolum Eccleſia comparatur Arcæ, ut notat Auguſtinus loco laudato, quod ſicut nemo extra Arcam ſalvus fuit, ita nemo extra Eccleſiam ſalvus erit.

Ad ſecundum: non ſemper in Scripturis oves ſignificant Electos; ſed paſſim ſignificant tam bonos, quam malos, qui Paſtorum curæ commiſſi ſunt; ut cum dicitur Joan. ult. *Paſce oves meas;* debet enim Vicarius Chriſti paſcere etiam malos fideles, ut boni fiant; ſic in Pſ. 73. *Iratus eſt furor tuus ſuper oves paſcuæ tuæ.* Aliquando tamen ſumitur nomen Ovis pro ſolis Electis, ut quando Matth. 25. dicuntur oves ſeparandæ ab hædis; & quando Jo. 10. habetur: *Oves meæ vocem meam audiunt.* In loco autem laudato ſumitur hoc nomen juxta priorem ſignificationem.

Ad tertium, Vel dicas, quod ſimilitudines non debeant in omnibus convenire; Vel dicas, quod ſicut in Corpore vero Chriſti D. omnes partes ſecundum ſpeciem ſuam, ſeu formales fuerunt glorioſæ, vid. caput, pectus, brachia &c. non tamen omnes in individuo, ſeu materiales, quia multæ partes Corporis Chriſti fluebant, & mutabantur, ut in nobis, ita in Corpore myſtico Eccleſiæ omnes partes ſecundum ſpeciem ſuam erunt glorioſæ, videlicet Apoſtoli, Prophetæ, Doctores, Martyres, Virgines, Confeſſores; non tamen omnes partes veluti materiales, videlicet ſinguli homines.

Ad quartum: Chriſtus eſt Caput ejus Eccleſiæ, quam ſalvabit, quatenus non eſt Caput aliarum Sectarum, quæ ſalutem non conſequentur; quamvis enim aliqua Eccleſiæ membra non ſint ſalvanda, non per hoc Chriſtus non dicitur ſalvare Eccleſiam ſuam, cujus eſt Caput; eſt enim Caput totius ſui Corporis, quamvis nonnulla membra in particulari ſint peritura.

Ad ultimum. Qui exierunt ex Eccleſia dicuntur non fuiſſe ex nobis, videlicet ſecundum prædeſtinationem, non vero ſecundum Sacramentorum Communionem. Et in eodem ſenſu dicuntur ab Auguſtino non fuiſſe filii, quamvis viderentur in profeſſione, & nomine filiorum. Quod aperte idem Auguſtinus docuit tract. 45. in Jo. dicens: *Quid eſt, quod dixi, Quam multæ oves foris! quam multi luxuriantur, caſti futuri! quam multi blaſphemant Chriſtum, crediturі in Chriſtum! & hi oves ſunt? Veruntamen modo alienam vocem audiunt, alienum ſequuntur. Item quam multi intus laudant blaſphematuri! Caſti ſunt, fornicaturi! ſtant, caſuri! & non ſunt oves, de prædeſtinatis enim loquitur.* Ecce quomodo Auguſtinus diſerte doceat multos eſſe intus, atque adeo de Eccleſia, & ex nobis ſecundum participationem Sacramentorum, & ſub profeſſione, ac nomine filiorum Dei; quamvis ſecundum prædeſtinationem non ſint oves, nec unquam in hoc ſenſu fuerint ex nobis.

XIII. Opponitur deinde ad probandum,

quod fideles peccatores ad Eccleſiam non pertineant; Primo quia Eccleſia in Symbolo fidei dicitur Sancta; ergo non conſtat niſi ex ſanctis. Quod ſi ſufficeret, quod minor Eccleſiæ pars ſit Sancta, ut poſſit abſolute dici Sancta, a fortiori deberet ſufficere quod major ejus pars dicatur impia, ut abſolute poſſet Eccleſia dici impia. Secundo quia ſicut habens Deum pro Patre habet Eccleſiam pro Matre, ita viceverſa habens Eccleſiam pro Matre habet Deum pro Patre; ſed peccator non habet Deum pro Patre; (dicitur enim ad Rom. 8. *Nam qui Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei:* Et de peccatoribus dicitur Jo. 8. *Vos ex Patre diabolo eſtis*) ergo nec Eccleſiam habet pro Matre. Tertio quia ſi Eccleſia eſt Chriſti Corpus myſticum, nequit habere membra mortua, in quibus nihil Chriſtus operatur, cujuſmodi ſunt peccatores. Quarto quia qui pertinent ad Regnum diaboli, omnes ſunt impii: ergo qui pertinent ad Regnum Chriſti, omnes ſunt probi, & juſti. Quod videtur docere Auguſt. lib. 2. contra Creſconium cap. 21. dicens: *Ac per hoc etiam neſciente Eccleſia propter malam, pollutamque conſcientiam damnati a Chriſto jam in Corpore Chriſti non ſunt, quod eſt Eccleſia, quoniam non poteſt Chriſtus habere membra damnata.* Et ſimiliter Hieronymus in Comment. ad Epheſ. 5. ubi habet: *Eccleſia Chriſti glorioſa eſt, non habens maculam, neque rugam, neque aliquid hujuſmodi;* qui ergo peccator eſt, aut aliqua ſorde maculatus, de Eccleſia Chriſti non poteſt appellari, nec Chriſto ſubjectus dici.

Reſpondeo ad primum, Eccleſia dicitur Sancta triplici ex Capite; primo quidem, quia ſancta ſunt, quæ ad ipſam conſtituendam ſpectant; videlicet Baptiſma, profeſſio Chriſtiana, nempe fidei, & morum, & unio membrorum inter ſe, & cum ſuo capite. Secundo dicitur Sancta, quia Deo eſt dicata, ejuſque Caput eſt Chriſtus, qui eſt Sanctus Sanctorum. Tertio eſt Sancta propter Sanctos, quos habet; & quamvis habeat etiam impios, non eatenus dici poteſt impia: tum quia denominatio ſumitur a parte præſtantiori; ſicut homo dicitur rationalis, quamvis ejus Corpus non ſit rationale: tum etiam quia proprium eſt Eccleſiæ Catholicæ habere Sanctos, quin ſit proprium Eccleſiæ Catholicæ habere impios.

XIV. Ad ſecundum, tripliciter etiam homines in Scripturis dicuntur eſſe filii Dei, ut notat Auguſtinus lib. contra Adimantum cap. 5. Primo ratione generationis, creationis, aut regenerationis; nam Chriſtus eſt Dei filius, quia a Patre generatus: homines ſunt Dei filii, quia ab eo creati; unde dicitur Deuteron. 32. *Numquid non ipſe eſt Pater tuus, qui fecit, & creavit te?* Et juſti dicuntur Dei filii, quia ab eo regenerati; in quo ſenſu ioco laudato dicitur ab Apoſtolo: *Qui ſpiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei.* Secundo dicuntur homines Dei filii ratione imitationis: quo ſenſu dicitur Matthæi 5. *Diligite inimicos veſtros, & benefacite his, qui oderunt vos, ut ſitis filii Patris veſtri.* Et in hoc eodem ſenſu peccatores dicuntur eſſe a Patre diabolo, quatenus illum imitantur. Tertio ratione doctrinæ. Sicut enim Apoſtolus vocat ſuos filios, quos imbuerat doctrina Chriſti, dicens Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus:* ita dicuntur filii Dei, & Eccleſiæ, qui Dei, & Eccleſiæ doctrinam tenent, ac docent, etiamſi mali ſint; unde Iſaiæ 1. dicitur: *Filios enutrivi, & exaltavi, ipſi autem ſpreverunt me.* His explicatis, dico: qui eſt filius Dei Patris ratione doctrinæ, & imitationis, eſt ſimiliter filius Matris Eccleſiæ, & viceverſa: at qui eſt filius Dei per regenerationem, poteſt non pertinere ad Eccleſiam, ut Catechumenus, qui eſt in gratia: & viceverſa poteſt aliquis non eſſe Dei filius in hoc ſenſu, ſed filius diaboli per imitationem, & ſimul ad Eccleſiam pertinere, ut oſtendimus.

Ad tertium, ſicut poſſunt aliqua membra eſſe arida, & mortua, & tamen ad Corpus vivum pertinere, illique eſſe conjuncta; ita Corpori Myſtico Chriſti D. nempe Eccleſiæ, poſſunt eſſe conjuncta quædam membra mortua, in quibus Chriſtus non operatur operationes vitales, ſeu ſalutares. Hinc Pontifices, & Epiſcopi ſunt vera capita hujus Myſtici Corporis, Doctores vero ſunt oculi, & linguæ, eſto carerent vita gratiæ; poſſunt quippe eſſe inſtrumenta operativa per poteſtatem ſive ordinis, ſive juriſdictionis, quæ poteſt eſſe ſine gratia. Quamvis autem in corpore naturali membrum mortuum non poſſit eſſe inſtrumentum ullius operationis; poteſt tamen in Corpore myſtico. Et ratio diſparitatis eſt, quia in Corpore naturali operatio pendet a bonitate inſtrumenti; cum non poſſit anima operationes vitales exercere, niſi per apta, viva, ac bona inſtrumenta: at in Corpore Myſtico operatio non pendet a probitate, aut vita inſtrumenti, eo quod anima hujus myſtici Corporis ſit Spiritus Sanctus, qui tam poteſt operari per inſtrumenta viva, & idonea, quam per mala inſtrumenta, & mortua.

Ad quartum, non poſſunt ad Regnum diaboli pertinere filii Dei: per hoc enim ipſum, quod

quod ſint filii Dei, eruit illos Deus a poteſtate, & captivitate diaboli. At qui per imitationem ſunt filii diaboli, poſſunt pertinere ad Regnum Dei in hoc mundo, ſeu ad Eccleſiam militantem; quia Chriſtus noluit eos ab Eccleſia expulſos per peccatum, ſed ſolum illos expellit per infidelitatem, per apoſtaſiam, per ſchiſma, per excommunicationem, vi quorum non poſſunt in Sacramentis cum aliis fidelibus communicare ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præſertim Vicarii Chriſti Dom.

Ad auctoritatem Auguſtini dicendum, non ſignificari illis verbis, quod in Corpore Chriſti Myſtico, ſeu in Eccleſia non dentur mali, ſed ſolum quod non dentur mali, qui ſint inſtar bonorum membra viva Chriſti D. ſint autem in hoc Corpore Myſtico eo prorſus modo, quo in corpore naturali ſunt humores corrupti, qui revera ſunt in corpore, ſunt tamen etiam ſeparati a membris corporis, ut idem Auguſtinus habet tract. 3. in ep. Joan.

Ad auctoritatem Hieronymi dicendum, Eccleſiam non adæquate ſumptam, ſed ſecundum quod eſt ſancta, & continet perfectos, nullam habere maculam, neque rugam. Etenim idem Hieronymus in cap. 1. ad Gal. quærens, quomodo cohæreant inter ſe verba Apoſtoli, quæ nunc Eccleſias Galatiæ commendant, nunc reprehendunt, dicit, non dari duas Eccleſias, alteram juſtorum, alteram ſceleſtorum; ſed unam eſſe, de qua diverſimode loquuntur Scripturæ. Aliquando enim tribuunt Eccleſiæ, quod eſt proprium perfectorum, qui ſunt in Eccleſia, ut eſt carere macula, ac ruga; aliquando tribuunt, quod eſt proprium imperfectorum, ac malorum, ut eſt peccare, ac indigere correptione. Quare quoties Eccleſia laudatur, reſpiciendum eſt ad Eccleſiam, prout continet Sanctos, & perfectos; quoties reprehenditur, reſpiciendum eſt ad eandem, prout continet imperfectos.

XV. Ex hactenus dictis infertur primo, quod licet Angeli, ac Sancti ad illam Eccleſiæ Catholicæ partem pertineant, quæ in Cœlis beata cum Rege ſuo Chriſto ævo fruitur ſempiterno, ac triumphum ſemper agit ob victorias de ſuis hoſtibus reportatas; nihilominus ad Eccleſiæ partem, quam dicimus Militantem, & viſibilem, non ſpectant Angeli, nec Electi in quantum tales, ſed juſti ſimul, ac peccatores, quantumvis ſint Reprobi; de quibus nulla fit mentio in theſi 72. & ſequentibus; ut proinde implicite Queſnellus velit eos ad Eccleſiam non pertinere, ut mox oſtendemus.

Infertur ſecundo, Eccleſiam non eſſe cœtum filiorum Dei duntaxat, ſed eſſe cœtum omnium illorum, qui veram fidem profitentur, & in iiſdem Sacramentis communicant ſub regimine Vicarii Chriſti D. Quod autem dicitur in theſi 73. videlicet adoptatos in Chriſto ſubſiſtere in ejus perſona, ſi fiat ſenſus, quod adoptati in Chriſto ſanctificentur per gratiam receptam in perſona JESU Chriſti reſuſcitati, cui ipſi ſunt uniti, (prout loquitur Queſnellus in theſi 36.) eſt omnino falſum, juſtos in perſona Chriſti ita ſubſiſtere, ut ibi oſtendimus.

Infertur tertio, Eccleſiam non debere dici Chriſtum, ut habetur in theſi 74., ſed eſſe Corpus Chriſti myſticum, habens quidem ut caput Verbum Incarnatum, non tamen habens ſub ſe ſolum omnes Sanctos ut membra, complectitur quippe bonos ſimul, & malos, quamvis reprobos. Ratio autem, cur Eccleſia non debeat dici eſſe ipſe Chriſtus, eſt, quia cum Eccleſia juxta definitionem explicatam ſit cœtus fidelium in Sacramentis communicantium ſub regimine Vicarii Chriſti, & in hoc cœtu Chriſtus comprehendi non poſſit, ſiquidem Chriſtus non ſuſcipit Sacramenta, ſed ea inſtituit, nec ſubeſt regimini ſui Vicarii, ſed illi præeſt, ſequitur, quod Chriſtus ſit ſolum Eccleſiæ caput, quatenus influit in reliqua membra gratias, & auxilia, prout præmiſimus, & quatenus habet poteſtatem gubernandi fideles, ac illis imperandi, quin debeat dici membrum Eccleſiæ, ut docent communiter contra nonnullos apud Suarez t. 1. in 3. p. diſp. 23. ſect. 1., Vaſquez diſput. 98., Lugo diſp. 17. nu. 9. Etenim membrum dicit dependentiam ab aliis membris; Chriſtus vero nullam dicit dependentiam ab Eccleſia. Quamvis autem Apoſtolus 1. ad Corinth. 12. dicat; *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro;* non eſt ſenſus, quod fideles ſint membra de Chriſto, quod pariter ſit membrum; ſed eſt ſenſus, quod illi fideles erant membra de Paulo, quod erat membrum Chriſti; ſicut manus poteſt dici membrum de membro, hoc eſt de brachio, quod pariter eſt membrum; Vel eſt ſenſus, quod illi fideles erant pars Eccleſiæ, ſeu membrum relate ad Eccleſiam, quæ pariter eſt membrum Chriſti; vel ſenſus demum eſt, ut alii volunt, quod fideles ſint membra ad invicem.

Infertur quarto, nec apte dici in theſi 75. quod Eccleſia ſit unus ſolus homo compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona, unus ſolus Chriſtus compoſitus ex pluribus

ribus Sanctis. Etenim neque eſt verum, quod Eccleſia ſit Chriſtus, neque eſt verum, quod Chriſtus ſit vita, ſubſiſtentia, & perſona relate ad Sanctos, ut diximus in illatione ſecunda; neque eſt verum, quod Eccleſia ex ſolis juſtis, & non etiam ex peccatoribus componatur.

Infertur quinto, neque eſſe verum, quod habetur in theſi 76. Eccleſiam eſſe ſpatioſiſſimam, quatenus complectatur electos, & juſtos omnium ſæculorum; tum quia debet etiam reprobos, & malos continere: tum etiam quia quamvis juſti, qui fuerunt, & nunc non ſunt, poſſint ad Eccleſiam conferre inquantum viſibilem ſecundum id, quod nobis reliquerunt ad doctrinam Catholicam ſpectans, ſuis exemplis, & inſtitutionibus, juſti tamen, qui erunt, conferent quidem ad Eccleſiam, & illius erunt tunc temporis membra, nunc autem ad illam non ſpectant.

Infertur ſexto, falſum eſſe, quod dicitur in theſi 77., quod ceſſet eſſe de Eccleſia, & habere Deum pro Patre relate ad doctrinam, & Chriſtum pro Capite relate ad influxum peccator, qui non docuit vitam dignam filio Dei, & membro Chriſti.

XVI. Infertur ultimo, falſiſſimum eſſe, quod habetur in theſi 78. videlicet quod tam ſepararentur ab Eccleſia Infideles, qui non credunt Evangelio, quam peccatores, qui non vivunt ſecundum Evangelium. Imo ex hoc ipſo, quod populus Judaicus fuerit figura populi Electi, evincitur falſitas hujus theſis: nam, ut arguit Auguſtinus in breviculo, collatione tertia, in populo Judaico a Deo electo in veteri teſtamento non deerant graviſſima ſcelera; & tamen nuſquam legitur, quod Moyſes, Samuel, vel alii Prophetæ, aut Beatiſſima Virgo, D. Anna, Eliſabeth, Simeon, Zacharias, Joannes Baptiſta, & alii juſti ſeparaverint ſe ab aliis hominibus iniquiſſimis in iis, quæ ſpectabant ad Templum, Altare, Sacrificia, & alia, quæ cultum religioſum continebant. Quare ſicut in populo electo veteris teſtamenti boni, & mali ſimul commorabantur in iis, quæ religionis erant; ita prorſus dicendum in novo teſtamento, videlicet Eccleſiam Dei juſtos ſimul, & peccatores complecti.

XVII. Inſulſe nimis Queſnello patrocinantur, qui dicunt, in hiſce theſibus, in quibus Eccleſiæ dignitas exprimitur, mentionem non fieri de peccatoribus, ac reprobis, ſed ſolum de juſtis, & electis, non quia ab utriſque non conſtituitur, ſed quia juſti ſunt potior ac dignior Eccleſiæ pars: unde ſicut in Symbolo fidei dicitur ea eſſe Sancta, ſumpta denominatione a præſtantiore ejus parte, quamvis non pauci ad Eccleſiam pertinentes ſint ſceleſti; ita dici poterit, quod Eccleſia ſit cœtus juſtorum, quamvis etiam peccatores in ea reperiantur.

Sed valde puerilis eſt hæc evaſio, in qua confunditur denominatio cum definitione. Cui autem ignotum eſt, quod poſſit res a potiori ejus parte denominari, non poſſit tamen per eam duntaxat definiri? Sic homo denominatur rationalis denominatione deſumpta ab anima rationali, quæ eſt pars hominis præſtantior. At ſi quis interroget, quid ſit homo? non poteſt definiri per unum tantum ejus phyſicum conſtitutivum, dicendo, quod ſit Anima rationalis, ſed dici debet, quod ſit compoſitum ex anima rationali, & corpore. In caſu noſtro, poteſt quidem Eccleſia denominari Sancta, non ſolum a ſanctitate doctrinæ, ac Sacramentorum, ſed etiam denominatione deſumpta a præcipuis ejus membris. At dum Queſnellus in theſi ſeptuageſimatertia interrogat, *Quid eſt Eccleſia?* non poteſt illam per unam duntaxat partem definire, dicendo, quod ſit Cœtus juſtorum; ſed reſpondere debet, quod ſit Cœtus fidelium, qui a juſtis ſimul, & a peccatoribus, ab electis, & reprobis conflatur. Præterquamquod in theſi ſeptuageſimaoctava expreſſe Queſnellus negat, peccatores fideles ad Eccleſiam pertinere, ut mox planius exponetur, rejectando excuſationem illam, quod in his theſibus a peccatoribus ſolum præſcindatur, & præſcindentium nullum ſit mendacium. Vult enim ibi Queſnellus, quod a populo electo, ſeu ab Eccleſia ſeparentur, atque adeo ad illam non pertineant tam peccatores, qui non vivunt ſecundum Evangelium, quam Infideles, qui Evangelio non credunt.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LXXII. uſque ad LXXVIII.

SEptuageſima ſecunda, & ſequentes uſque ad ſeptuageſimam octavam multifariam errant loquentes de Eccleſia Catholica, & de Chriſto D. qui eſt Eccleſiæ Caput: Primo quidem dum dicitur abſolute Eccleſia comprehendere omnes Angelos cœli. Quamvis enim ad Eccleſiam triumphantem ſpectent Angeli, & non ſit duplex Eccleſia, altera militans in hac vita, & altera triumphans

in

in altera, ſed una tantum ſit Eccleſia, conſiderata tamen pro diverſo ſtatu, & pro diverſis temporibus; ad eum modum, quo idem eſt Chriſtus Dominus, qui conſideratus prout erat in hac vita, dicebatur Paſſibilis, & Mortalis, conſideratus prout eſt in Cœlo, dicitur Impaſſibilis, & Immortalis: Nihilominus ſicut Chriſtus antonomaſtice in Scripturis venit ut Chriſtus paſſibilis; (ſiquidem in veteri teſtamento præfiguratus fuit ut paſſibilis, & mortalis, & in novo teſtamento dicitur ſemetipſum exinaniſſe) ita Eccleſia Catholica antonomaſtice ſumitur pro hac ſolum parte Eccleſiæ, quæ eſt viſibilis, & militans. Et ad hanc proculdubio non pertinent Angeli. Secundo falſum eſt, quod Eccleſia comprehendat omnes Electos. Cum enim Eccleſia Catholica, & viſibilis definiatur communiter apud Bellarm. lib. 3. de Concil. cap. 1. quod ſit *cœtus hominum, ejuſdem Chriſtianæ fidei profeſſione, & eorundem Sacramentorum communione colligatus, ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præcipue unius Chriſti in terra Vicarii Romani Pontificis;* (unde ad Eccleſiam non pertinent Infideles, nempe Pagani, Turcæ, Judæi, ſicut nec Apoſtatæ, Hæretici, Schiſmatici, Excommunicati, & Catechumeni) poſſint autem inter Infideles, & alios ad Eccleſiam non pertinentes nonnulli eſſe electi, quatenus peracturi ſint pœnitentiam debitam, & ſint ſalvandi; aperte ſequitur, quod non omnes electi Eccleſiam conſtituant; aliter etiam conſtitueretur ab iis electis, qui nunc ſunt infideles, & de facto ſunt extra ovile Chriſti. Falſum eſt tertio, quod Eccleſia conſtituatur ab omnibus Juſtis terræ, & omnium ſæculorum; cum enim multi, qui nunc ſunt infideles, & ad Eccleſiam non pertinent, futuri ſint aliquando juſti, deberent etiam iſti Eccleſiam conſtituere, quod tamen nemo dixerit; quippe qui non pertinent ad Eccleſiam nunc, dum ſunt infideles, ſed pertinebunt tunc, quando erunt juſti. Falſum eſt quarto, quod adoptati in Chriſto ſubſiſtant in ejus perſona, ſeu quod Chriſtus ſit ſubſiſtentia, & perſona juſtorum (præſertim ſi fiat ſenſus, quod ſanctificentur per gratiam receptam in perſona Chriſti, ut dicitur in theſi 36.) Falſum eſt quinto, quod Eccleſia ſit integer Chriſtus, ſiquidem Chriſtus eſt ſolum Eccleſiæ caput, inquantum influit gratias in ſua membra, ſed abſque ulla dependentia a reliquis membris, nec ſubeſt regimini ſui Vicarii, nec Sacramentorum eſt ſuſceptor, ut alii, qui Eccleſiam conſtituunt, ſed Inſtitutor. Hinc falſum eſt ſexto, quod Eccleſia ſit unus ſolus homo, nempe Chriſtus compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt Sanctificator. Falſum eſt ſeptimo, quod peccator non ducens vitam dignam filio Dei, & membro Chriſti deſinat habere Deum pro Patre, (vere enim Patrem habet Deum, non inquantum retinet gratiam, ſeu filiationem adoptivam, cum illam ob mortale amiſerit, ſed in quantum retinet ejus doctrinam, ac fidem) deſinatque habere Chriſtum pro capite quoad influxum auxiliorum, ut per gratiam vivificetur.

Illud vero, in quo enormiter Queſnellus errat in his omnibus theſibus, eſt, quod ſolum velit Juſtos, & Electos ad Eccleſiam pertinere, non vero peccatores, & reprobos. Qua in re exſuſcitatur hæreſis Calvini, & aliorum apud Bellarm. loco laudato, qui eatenus negabant Eccleſiam eſſe viſibilem, cum non poſſimus diſcernere electos, & juſtos a reprobis, & peccatoribus; unde rueret firmitas fidei, & credendorum, nec non Eccleſiæ juriſdictio: cum enim dignoſci nequeat, num iſti Paſtores Eccleſiæ ſint ex numero juſtorum, & electorum, an ſecus, incerta eſt eorum juriſdictio, & incertum pariter, quod in Conciliis Oecumenicis definiunt tanquam de fide credendum. Id autem eo conſilio a Queſnello in his theſibus inculcatur, ut Janſeniani parvipendant proſcriptiones a Pontificibus non ſemel factas theſium Janſenii, necnon excommunicationes latas adverſus contumaces: cum enim incertum ſit, an ad veram Eccleſiam ſpectent Paſtores, qui theſes illas proſcripſerunt, & excommunicationes comminati ſunt, idcirco non debent inde homines retrahi a ſequenda ea doctrina, quam dicunt eſſe Auguſtini. At ex Evangelio luculenter conſtat, in Eccleſia bonos ſimul, & malos, electos, & reprobos contineri. Ea quippe Matth. 25. comparatur Ovili, quod oves ſimul, & hœdos continet, nempe electos, & reprobos: Matth. 13. comparatur Sagenæ miſſæ in mare, quæ bonos ſimul, & malos piſces congregat, nempe juſtos, & peccatores: Matth. 3. comparatur Areæ, quæ triticum ſimul continet, & paleas. Unde Auguſt. tr. 6. in Jo. habet: *Fatemur in Eccleſia Catholica & bonos, & malos eſſe, ſed tanquam grana, & paleas.* Quod ſi peccatores ad Eccleſiam non pertinerent, Sacramentum Pœnitentiæ non eſſet Sacramentum mortuorum, quippe quod non poſſet peccatoribus fidelibus conferri, ſicut non poteſt conferri Infidelibus, nec excommunicatis, & aliis, qui ab Eccleſia ſunt ejecti, dicente Apoſtolo 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* Et hac de cauſa qui poſt correptionem fra-

fraternam non emendantur, non deberent accuſari Eccleſiæ, quæ non judicat de iis, qui foris ſunt; & tamen Matth. 18. Chriſtus D. dicit: *Si non audierit eos, dic Eccleſiæ.*

Ex quibus fit primo, erroneum eſſe, quod dicitur in theſi 77. quod ſcilicet peccator non ducens vitam dignam membro Chriſti ſit membrum abſciſſum, ut proinde non habeat Chriſtum pro capite; quamvis enim ſit membrum mortuum, non eſt tamen abſciſſum, ut eſt excommunicatus. Fit ſecundo, erroneum ſimiliter eſſe, quod dicitur in theſi 78. quod eodem modo ſeparetur a populo electo (nempe ab Eccleſia) peccator, qui non vivit ſecundum Evangelium, & infidelis, qui Evangelio non credit; Infideles enim ad Eccleſiam non pertinent, quippe quæ eſt cœtus Vocatorum ad fidem, ſeu cœtus fidelium: unde Auguſt. lib. de unitate Eccleſiæ cap. 4. habet: *Qui non credunt Chriſtum in carne veniſſe de Virgine Maria ex ſemine David, aut in corpore ipſo reſurrexiſſe, in quo crucifixus, & ſepultus eſt, non utique ſunt de Eccleſia.* At peccatores pertinent ad Eccleſiam, ut oſtendimus; & ex hoc ipſo ſit perſpicuum, quod populus Judaicus a Deo electus in veteri teſtamento, qui erat figura Eccleſiæ, malos ſimul, & bonos complectebatur, eoſque indiſcriminatim admittebat in iis, quæ ad cultum religioſum pertinebant.

Nonnulli, vel quia decipiuntur, vel potius ut decipiant, in hiſce theſibus Queſnellum excuſant dicendo, quod ſolum aſſerat juſtos, & electos ad Eccleſiam ſpectare, quin excludat peccatores, & reprobos, ſed ab iis præſcindat: Præſertim quia alibi expreſſe docuit, in Eccleſia bonos ſimul, & malos contineri; videlicet in c. 13. Matth. v. 47. ubi habet: *Sagena, & navis Eccleſiæ præſentis indiſcriminatim accipiunt piſces bonos, & malos, veros chriſtianos, & hypocritas, electos, & reprobos.*

Verum in Sole cæcutit, qui non advertit, Queſnellus in hiſce theſibus velle, quod peccatores nullatenus ad Eccleſiam ſpectent, non ſecus ac excommunicati, & infideles; etenim id verbis non obſcuris aſſeritur in theſi 77. expreſſe autem habetur in theſi 78. ubi dicitur, eodem modo ab Eccleſia ſeparari peccatorem, qui non vivit ſecundum Evangelium, ac Infidelem; qui Evangelio non credit. Verum quidem eſt, quod in aliis theſibus præſcindat a peccatoribus, & reprobis. Sed quis non videat, in materia dogmatica propoſitionem præciſivam, & multo magis rei definitivam de ſe æquivalere excluſivæ, (ut advertimus in theſi 32.) præſertim poſtquam diſſenſio aliqua in ea re fuit inter Catholicos, & Hæreticos? Sicut enim ſi quis diceret, Eccleſiam conſtitui a baptizatis adultis, quamvis præſcindat a baptizatis infantibus, cenſetur tamen illos excludere, juxta hæreſim damnatam a Tridentino ſeſſ. 7. can. 13. ita qui aſſerit, ac multoties repetit, Eccleſiam conſtitui a juſtis, & electis, cenſetur excludere malos, ac reprobos, juxta hæreſim Vviclephi, Lutheri, Calvini, & aliorum apud Bellarminum.

Neque obſtat, quod alibi Queſnellus dixerit, ſagenam, & navim Eccleſiæ accipere piſces bonos, & malos. Nam aliquando hic Auctor callide utitur verbis ambiguis ad fallendum, ut advertimus in theſi 10., ubi diximus, quod cum non ſemel docuerit diſertis verbis nullam voluntatem reſiſtere gratiæ interiori, juxta hæreſim Janſenii, uſus eſt aliquando verbis ambiguis, dicendo hominem gratiæ reſiſtere; cum tamen nuſquam diſerte docuerit, quod reſiſtat gratiæ interiori; propterea ubi dixit, quod gratiæ reſiſtat, ſolum voluit, quod reſiſtat gratiæ exteriori, prout loquitur in theſi quinta. Ita in caſu noſtro; aperte Queſnellus in his theſibus negat peccatores in Eccleſia contineri, cum dicat, eodem modo ab illa ſeparari peccatorem, ac Infidelem; propterea ubi verbis ambiguis ad fallendum dixit, Eccleſiam accipere bonos, & malos, cum nuſquam docuerit, malos, & bonos Eccleſiam conſtituere, intelligendus eſt, quod ibi voluerit, vel bonos, & malos accipi ab Eccleſia in ſenſu Melanchthonis, qui dicebat, bonos, & malos admiſceri in Eccleſia, quin tamen veram Eccleſiam conflent; Vel juxta mentem Brentii dicentis bonos, & malos eſſe ſolum in Eccleſia externa, quatenus tam mali, quam boni conveniunt in doctrina fidei, & uſu Sacramentorum, quamvis ſoli juſti ſpectent ad veram Eccleſiam præditam privilegiis, quæ narrantur in Scripturis, quæ non eſt viſibilis, niſi oculis fidei. Præterquamquod ſicut excommunicati, (qui proculdubio ad Eccleſiam non pertinent, utpote ab ea dimiſſi) nec non hæretici, qui a congregatione Fidelium egreſſi ſunt, dici poſſunt eſſe in Eccleſia ſecundum quid, non ſimpliciter, ut advertit Bellarm. lib. 3. de Eccl. cap. 4. videlicet quia etiam ipſi quædam Sacramenta valide adminiſtrant; ita peccatores. Denique dici poſſunt eſſe in Eccleſia largo & vulgari modo ſumpta, prout complectitur omnes Chriſtianos, (ut notat D. Ambroſius apud eundem Bellarm.) & in hoc ſenſu dicere potuit Queſnellus, quod ſagena Eccleſiæ piſces

ſces bonos, & malos accipiat, cum diſerte non ſemel docuerit, peccatores ad veram Eccleſiam preſſe ſumptam ſimpliciter non pertinere.

Dicunt Queſnelli Aſſeclæ, quod theſis 77. aſſerens, peccatorem non habere Deum pro Patre, nec Chriſtum pro capite, poſſit rite intelligi, & explicari, quod non habeat Deum pro Patre per gratiam, qua clamamus, Abba, Pater, ut dicitur Rom. 8. nec habeat Chriſtum pro capite, qui influat in membra viva, ſicut vitis in palmites: ſed inaniter adlaborant. Nam primo in germano & obvio verborum ſenſu theſis eſt erronea; excludit quippe omnem rationem Patris in Deo, & capitis in Chriſto relate ad peccatores; cum negatio ſit malignantis naturæ. Deinde theſis, quæ poteſt tam in vero, quam in erroneo ſenſu uſurpari, ex adjunctis ad hunc potius ſenſum, quam ad illum determinatur, ut explicavimus in theſi 51. Cum autem theſis hæc abſolute doceatur, poſtquam Heterodoxi contenderint, peccatores ad Eccleſiam non ſpectare, & doceatur in Codice, in quo aliis in locis (præſertim in theſi 78.) hoc diſerte exprimitur, ex his adjunctis fit, quod in ſenſu erroneo accipienda ſit; & ideo tum in proprio verborum ſenſu, tum in ſenſu ab Auctore intento proſcribenda fuit.

PROPOSITIO LXXIX.

Utile, ac neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, pietatem, & myſteria Sacræ Scripturæ. *Queſnel. 1. Cor. 14. 15. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXXX.

Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus. *Queſn. Act. 8. 28. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXXXI.

Obſcuritas ſancta verbi Dei non eſt laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione. *Queſnel. Act. 8. 31. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXXXII.

Dies Dominicus a Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia ſanctarum Scripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere. *Queſn. Act. 15. 21. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXXXIII.

Eſt illuſio ſibi perſuadere, quod notitia myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione ſacrorum librorum. Non ex fœminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba virorum ſcientia ortus eſt Scripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes. *Queſnel. Joan. 4. 26. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXXXIV.

Abripere e Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare. *Queſnel. Matth. 5. 2. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXXXV.

Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere, ut patiantur ſpeciem quandam excommunicationis. *Queſn. Luc. 11. 33. edit. 1693.*

PRO-

PROPOSITIO LXXXVI.

Eripere ſimplici populo hoc ſolatium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei. *Queſn. 1. Corinth. 14. 16. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Erraret profecto Eccleſia, ſi theſes iſtæ verum haberent, & maxima fidelium pars eſſet in ſtatu damnationis.

II. Antiquæ hæreſes hic exſuſcitantur.

III. Sacrorum Bibliorum lectionem linguâ materna non eſſe promiſcue permittendam, nec adhibendam eſſe in uſu publico, oſtenditur ex uſu Apoſtolorum, tum etiam veteris legis, ac Eccleſiæ univerſalis. IV. Ad Eccleſiæ unitatem ſpectat, quod publicus uſus Scripturarum ſit lingua communiſſima.

V. Indocti facile arriperent anſam errandi, ſi vernacula lingua Scripturas legerent.

VI. Primarius finis Divinorum Officiorum eſt Dei cultus, non conſolatio, & inſtructio populi, quæ per conciones frequenter haberi debet. VII. Non fruſtra eſt publica Eccleſiæ oratio, quamvis ejus ſenſus non intelligatur a populo. VIII. Prædicatio debet eſſe vernacula lingua, quia ea continet explicationem; ſecus vero Biblia Sacra. IX. Apoſtolus, & Patres huic doctrinæ non refragantur. X. In quonam ſenſu Scripturæ dicuntur eſſe perſpicuæ, cum tamen pluribus de cauſis ſint obſcuræ, & profundiſſimæ.

I. AD enormitatem erroris harum theſium primo intuitu conſpiciendam ſatis erit advertere, quod bene magna, immo maxima fidelium pars eſſet in ſtatu damnationis, ſi illæ ſubſiſterent; ſiquidem pauci admodum ſacrorum eloquiorum, ac myſteriorum ſtudio vacant omni tempore, ac omni loco; quod in prima harum theſium dicitur omni perſonarum generi neceſſarium eſſe ad ſalutem. Erraret præterea Eccleſia, dum non permittit paſſim vernaculam ſacrorum Bibliorum editionem, ut poſſent omnes, etiam rudes, ac fœminæ, ea continenter legere, dum dicitur in his theſibus lectio ſacræ Scripturæ eſſe pro omnibus, quin obſcuritas ſancta Verbi Dei ſit ratio ſufficiens, ut laici ſeipſos ab hac lectione diſpenſent. Erraret etiam Eccleſia univerſa, dum vetat, ne indiſcriminatim omnibus lectio ſacrarum Scripturarum vulgari lingua concedatur, ſi verum eſſet, quod dies Dominicus a Chriſtianis hac lectione debeat ſanctificari; & quod damnoſum ſit Chriſtifideles ab ea retrahere, perinde quaſi pleriſque obeſſet potius, quam prodeſſet; unde ſolum adhortandi ſint, ut explicationi Sacrarum Scripturarum, quæ per Parochos, Concionatores, & alios Profeſſores in Eccleſiis fieri debet ſingulis feſtis, intereſſe non prætermittant. Videtur autem hæc omnia Queſnellus deglutire, dum addit, illuſionem, ac deceptionem pati Eccleſiam, dum ſibi perſuadet, myſteria noſtræ Religionis non eſſe communicanda fœminis, ac idiotis lectione, ſed ſolum explicatione ſacrarum Scripturarum; perinde quaſi etiam ex fœminarum ſimplicitate, & non ex ſola ſuperbia virorum ſcientiæ Scripturarum abuſus, atque hæreſes ortæ ſint.

Poſt has contumelias adverſus Eccleſiam per ſummam injuriam intortas, deſcendit ad commendandam lectionem Novi Teſtamenti, quod ipſe tot obſervationibus Janſeniana lue infectis explicavit, & tot editionibus in vulgus diſperſit, ut ſub ſpecie docendi incautos doctrinam ſacram, ſuos errores ſubdole edoceret. Hinc dicit, verba Chriſti Domini ſola lectione novi Teſtamenti a nobis audiri, ita ut alius non ſuppetat modus ea intelligendi; unde interdicere hanc lectionem fidelibus idem ſit, ac uſum luminis interdicere filiis lucis, & velle illos cuidam excommunicationi eſſe obnoxios. Et concludit, quod eripere populo hoc ſolatium conjungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, vernacula lingua audiendo Divina officia, ita ut poſſit eorum ſenſus percipere, & cum Eccleſia orare, adverſetur praxi Apoſtolicæ, ac intentioni Divinæ.

II. Theſes iſtæ captioſæ, quæ videntur pietatem redolere, dum lectionem ſacræ Scripturæ omnibus commendant, ficata fraude non ſolum Eccleſiæ conſuetudini, & præceptis, præſertim Tridentini, impie detrahunt, ſed etiam antiquas hæreſes exſuſcitant, & ad ebibendum Janſenianum virus ex lectione Novi Teſtamenti a Queſnello ſuis erroribus paſſim vafre inſperſi, incitant, ſuadent, ac alliciunt. Sciendum itaque Calvinum lib. 3. Inſtit. cap. 20. §. 33. Kemnitium, Brentium, alioſque Hæreticos apud Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei cap. 15. docuiſſe, quod in hiſce theſibus iterum Queſnellus reponit; videlicet ſacram Scripturam omnibus vernacula uniuſcujuſque lingua tradendam, eaque publice utendum in Divinis Officiis, ut populus

lus vocem ſuam voci totius Eccleſiæ conjungat; cum Chriſtus Dominus lingua vernacula veritates Evangelicas edocuerit, & Apoſtoli die Pentecoſtes variis linguis loquuti ſint magnalia Dei, ita ut unuſquiſque lingua ſua illos audiret, ut habetur Act. 2. Catholici tamen ex oppoſito docent, non eſſe paſſim ſine diſcrimine concedendam ſingulis lectionem ſacrorum Bibliorum lingua materna, nec eadem legenda, aut canenda eſſe in publico, & communi uſu Eccleſiæ, quamvis non prohibeantur univerſim vulgares translationes, ut ſomniat Kemnitius. Siquidem in Regula quarta Indicis librorum prohibitorum confecti per Patres a Tridentina Synodo delectos, & Pii IV. Pontificis Maximi auctoritate comprobati, hæc habentur: *Cum experimento manifeſtum ſit, ſi ſacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Epiſcopi, aut Inquiſitoris ſtetur, ut cum conſilio Parochi, vel Confeſſoris, Bibliorum a Catholicis Auctoribus verſorum lectionem vulgari lingua eis concedere poſſint, quos intellexerint ex hujuſmodi lectione non damnum, ſed fidei, atque pietatis augmentum capere poſſe.* Et quamvis Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 8. & can. 9. anathematizet, qui dixerit Miſſam vulgari lingua debere celebrari; præcipit tamen omnibus curam habentibus animarum, ne parvuli petant panem, & non ſit, qui frangat eis, ut frequenter, præſertim diebus Dominicis, & feſtis, ex iis, quæ in Miſſa leguntur, vel per ſe, vel per alios aliquid exponant. Et ſeſſ. 5. cap. 2. iiſdem curam animarum gerentibus diſtricte pariter mandat, ut ſaltem diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem. Solum permittuntur omnibus, & in uſu publico Divinorum officiorum adhibentur Biblia ſacra tribus illis linguis, utpote univerſalioribus, Hebræa, Græca, & Latina, quas Chriſtus Dominus titulo ſuæ Crucis honoravit; præſertim quia iis linguis ſacræ literæ ab Auctoribus ſuis conſcriptæ fuere, vel certe per has ſolas Chriſti Evangelium in præcipuis Orbis terræ partibus promulgatum fuit. De iis enim hæc habet Hilarius in Præfatione ad Pſalmos: *His maxime tribus linguis ſacramentum voluntatis Dei, & beati regni expectatio prædicatur: ex quo illud Pilati fuit, ut his tribus linguis Regem Judæorum Dominum Jeſum Chriſtum eſſe perſcriberet.*

III. Oſtenditur autem, cur non debeat omnibus indiſcriminatim permitti lectio ſacræ Scripturæ lingua materna, nec debeant iſtæ translationes deſervire in uſu publico Divinorum Officiorum. Primo quidem ex uſu Apoſtolorum, qui quamvis ubique Gentium Evangelium prædicarint lingua uniuſcujuſque regionis, cum prædicti fuiſſent dono linguarum; & quamvis ubique Gentium Eccleſias fundarint, ex Irenæo lib. 1. cap. 3. nihilominus Evangelia, & Epiſtolas non ſcripſerunt lingua earum Gentium, quibus prædicabant, ſed ſolum Hebraice, aut Græce, & juxta nonnullorum ſententiam etiam Latine; creditur enim Marci Evangelium fuiſſe prius Romæ Latine ſcriptum, ac deinde ab eodem in Græcam linguam fuiſſe tranſlatum, ut videre eſt apud Damaſum in vita B. Petri. Quod autem aliis linguis non ſcripſerint, conſtat, tum quia nullum de iis veſtigium extat; tum etiam quia Petrus, & Jacobus nonniſi Græce ſcripſerunt Judæis per totum orbem diſperſis, quamvis iis nec lingua Græca, nec Hebræa eſſet materna, ſed ſolum lingua ejus regionis, in qua degebant; ut patet ex verbis illis Act. 2. *Nonne iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt? & ecce nos audivimus illos loquentes noſtris linguis.* Similiter Joannes Apoſtolus Græce ſcripſit primam ſuam Epiſtolam Parthis, quibus tamen Græca lingua non erat materna, ut notat Auguſtinus lib. 2. quæſt. Evangel. qu. 39. Apoſtolus etiam Græce ſcripſit Romanis, quibus non Græca, ſed Latina lingua erat vulgaris.

Conſtat ſecundo ex uſu veteris legis, & ex uſu Eccleſiæ univerſalis. Etenim in veteri lege poſt ſeptuaginta illos annos Babylonicæ captivitatis Hæbrei linguam propriam obliti, Chaldaicam, ſeu Syriacam habuerunt maternam; & tamen ſolum Hebraice ſacra Biblia in templo legebantur, aut canebantur, ut conſtat ex lib. 2. Eſdræ cap. 8. ubi dicitur, quod cum legeretur univerſo populo Liber Legis Domini, Nehemias, & Eſdras, necnon Levitæ illum interpretabantur, eo quod aliter illum non perciperent, propterea facta eſt lætitia magna nimis a Populo, quia intellexerant verba Legis, adhibita Eſdræ Sacerdotis, & Scribæ interpretatione.

Quod vero attinet ad uſum Eccleſiæ univerſalis, Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 11. habet, neceſſariam eſſe ad intelligentiam Scripturarum peritiam trium duntaxat linguarum, Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ, quia iis duntaxat linguis Sacra Biblia legebantur; nec ullus ex antiquis Auctoribus alterius translationis meminit. Unde

de ſequitur ex Apoſtolica traditione deſcendere hoc, quod in univerſa Eccleſia ab immemorabili factitatum eſt; ex regula Auguſt. lib. 4. contra Donatiſtas cap. 24., & Leonis ſerm. 2. de jejunio Pentecoſtes dicentium, *Quod univerſa tenet Eccleſia, ſi non poſſit initium aſſignari, de Apoſtolica traditione deſcendere credendum eſt.* Quod autem hac in re uſque ad Auguſtini tempora ubique conſueverat Eccleſia facere, id hactenus ubique Gentium fecit, ut fuſe oſtendit Bellarm. loco laudato, ut proinde temere quis inquireret, recte ne, an ſecus id fiat; cum Auguſtinus epiſt. 118. doceat, inſolentiſſimæ inſaniæ eſſe contra id, quod univerſalis Eccleſia facit, diſputare.

IV. Ratio autem cur in divinis Officiis non ſint permittendæ translationes vulgares Sacrorum Bibliorum, eſt, quia ad Eccleſiæ unitatem ſpectat, ut publicus uſus Scripturarum ſit in lingua communiſſima; aliter tolleretur Eccleſiarum communicatio, neque poſſent Concilia Œcumenica celebrari, cum non habeant Patres omnes donum linguarum. Hac de cauſa Apoſtoli fere omnia Græce ſcripſerunt, quia tunc temporis Græca lingua erat communiſſima; teſte M. Tullio in orat. pro Archia poeta, ubi habet: *Græca leguntur in omnibus fere gentibus; latina ſuis finibus exiguis ſane continentur.* Quia vero poſt amplitudinem Imperii Romani tempore Cæſarum, & Imperatorum Romanorum latina lingua cœpit eſſe communiſſima, ideo Scripturæ in latinam linguam converſæ ſunt, & hujuſmodi translatione Eccleſia nunc utitur, præſertim in toto Occidente. Et ratio ulterior eſt, quia ſi vulgari lingua apud omnes in divinis Officiis Scripturæ legerentur, earum translationes deberent fere ſingulis ætatibus variari, cum paſſim magna ex parte ſingulis ſæculis linguæ vulgares varientur. In tanta autem varietate translationum non pauci facili negotio errores committerentur, qui non poſſent facile corrigi, cum nequeant Pontifices, aut Concilia de tot linguis dijudicare.

Neque obſtat, quod ſi materna lingua Scripturæ legerentur in Divinis Officiis, populus voci totius Eccleſiæ conjungeret ſuam, quod eſſet ſolatio, & utilitati. Nam populus Prophetias, Pſalmos, & alia, quæ in Divinis Officiis habentur, non intelligeret, etiamſi vernacula lingua legerentur; ſicut ea non intelligunt de facto plurimi, qui linguam latinam callent, niſi Interpretibus ſtudeant. Hinc jure merito Tridentinum damnat eos, qui cum Queſnello contendunt, elata voce recitandum eſſe Canonem Miſſæ; ſicut etiam alta voce proferenda eſſe verba Conſecrationis, ac Miſſam vernacula tantum lingua eſſe celebrandam, ut poſſit populus voci totius Eccleſiæ ſuam vocem conjungere; perinde quaſi Eccleſiæ ritus hac in re intentioni, & inſtitutioni Chriſti adverſentur. Hæc ſunt verba Concilii ſeſſ. 22. can. 9. *Si quis dixerit, Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſubmiſſa voce pars Canonis, & verba Conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe, aut lingua tantum vulgari Miſſam celebrari debere, aut aquam non miſcendam eſſe vino in calice offerendo, eo quod ſit contra Chriſti inſtitutionem, anathema ſit.*

Qua de cauſa cum delatum eſſet Alexandro VII. anno 1661. in Gallia Miſſale Romanum in Gallicam vernaculam linguam translatum eſſe, & evulgatum, in dejectionem dignitatis ſacrorum myſteriorum, decretum hoc edidit memoratu digniſſimum, quod legitur pag. 102. in Codice Cauſæ Queſnellianæ.

Ad aures noſtras ingenti cum animi mœrore pervenit, quod in Regno Galliæ quidam perditionis filii in perniciem animarum novitatibus ſtudentes, & Eccleſiaſticas ſanctiones, ac praxim contemnentes, ad eam nuper veſaniam pervenerint, ut Miſſale Romanum latino idiomate longo tot ſæculorum uſu in Eccleſia probato conſcriptum, ad Gallicam vulgarem linguam convertere, ſicque converſum typis evulgare, & ad cujuſvis ordinis, & ſexus perſonas tranſmittere auſi fuerint, & ita ſacroſancti ritus majeſtatem latinis vocibus comprehenſam dejicere, & proterere, ac ſacrorum myſteriorum dignitatem vulgo exponere, temerario conatu tentaverint. Nos, quibus, licet immeritis, vineæ Domini Sabaoth a Chriſto Salvatore noſtro plantatæ, ejuſque pretioſo Sanguine irrigatæ cura demandata eſt, ut ſpinarum ejuſmodi, quibus illa obrueretur, obviemus incremento, earumque quantum in Deo poſſumus radices ſuccidamus; quemadmodum novitatem iſtam perpetui Eccleſiæ decoris deformatricem, inobedientiæ, temeritatis, audaciæ, ſeditionis, ſchiſmatis, aliorumque plurium malorum facile productricem abhorremus, & deteſtamur; Ita Miſſale præfatum Gallico idiomate a quocumque conſcriptum, vel in poſterum alias quomodolibet conſcribendum, & evulgandum, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione perpetuo damnamus, reprobamus, & interdicimus, ac pro damnato, reprobato, & interdicto haberi volumus, ejuſque impreſſionem, lectionem, & retentionem univerſis, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, cujuſcunque gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, honoris, & præeminentiæ, licet de illis ſpecialis, & individua mentio habenda foret, exiſtant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo jure in-

incurrendæ perpetuo prohibemus ; mandantes, quod ſtatim quicunque illud habuerint, vel in futurum quomodocunque habebunt realiter, & cum effectu exhibeant, & tradant locorum Ordinariis, vel Inquiſitoribus, qui nulla interpoſita mora exemplaria igne comburant, & comburi faciant ; in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 12. Januarii 1661. Pontificatus Noſtri anno ſexto.

V. Ratio demum cur non omnibus permitti debeat lectio Scripturarum lingua vernacula, eſt, quia indocti facile anſam inde arriperent errandi in materia fidei, & morum. Etenim, ut Hilarius advertit libro ultimo de Synodis, hæreſes omnes ex non intelligentia Scripturarum ortæ ſunt ; & D. Petrus epiſt. 2. c. 3. loquens de Epiſtolis Apoſtoli, dicit: *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Facilius autem Scripturas depravant indocti, quippe qui ex imperitia ipſa facilius evadunt inſtabiles ; & ideo præſtat iis explicationem Scripturarum a doctis audire, quam illas legere lingua populari. Certe ſi rudes audirent proprio idiomate illud Oſeæ, *Vade, & fac tibi filios fornicationum* ; aut illud ex Canticis: *Oſculetur me oſculo oris ſui ; læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me* ; inceſtum Thamar, vel Davidis adulterium, aut mendacia Judith ; & quod Sara, Lia, Rachel dederint ancillas ſuas in concubinas, & alia hujuſmodi, quæ ex inſtinctu Spiritus Sancti in ſacris Literis ſumma cum laude narrantur, facile aut Sanctos illos Patriarchas contemnerent, aut ad eadem perpetranda incitarentur. Præterquamquod legendo nonnulla, quæ videntur inter ſe pugnare, quin poſſint de facili ea conciliare, in diſcrimine eſſent, ut nihil omnino crederent. Propterea Baſilius, & Hieronymus ægre ferebant, quod populus de Scripturis diſceptaret, quamvis id temporis non facile ab iis quæſtionibus audiendis, ac tractandis poſſent homines univerſim averti, cum græca, & latina lingua, quibus Scripturæ legebantur, nonnullis populis eſſet vulgaris. Quibus adde, quod ſi paſſim ſine facultate, ac delectu permitteretur omnibus lectio Bibliorum ſacrorum lingua vernacula, illud præſertim incommodum ſequeretur, quod Queſnellus contendit, dum Scripturam in Gallicam linguam tranſtulit ; videlicet quod pluribus in locis fraudulenter adulteraretur, ut facile poſſet rudibus, & indoctis virus propinari ; non ſecus ac ex paulo ante edita verſione Montenſi immenſa malorum ſeges per totam Galliam pullulavit ; dum promiſcue ea legeretur. Nec alio potiſſimum medio Proteſtantium Miniſtri utuntur, ut populi pertinaciſſime ſuis erroribus adhæreſcant.

VI. Opponitur ad hæc primo ex Brentio, quod finis divinorum Officiorum, ac lectionis ſacræ Scripturæ eſt populi inſtructio, ſolatium, & ædificatio ; ex lingua autem peregrina, & ignota hæc haberi non poſſunt ; ergo divina Officia, ac lectiones ſacræ materna lingua haberi debent. Major patet ex Apoſtolo ad Rom. 15. *Ut per patientiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Et 1. ad Cor. 14. *Volo quinque verba in ſenſu meo loqui, & ut alios inſtruam, quam decem millia verborum in lingua.* Et infra: *Cum convenitis, unuſquiſque veſtrum Pſalmum habet, doctrinam habet, Apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.*

Confirmatur primo ex Calvino, quia ſi non percipiatur ſenſus verborum, dum publice, aut privatim oratur, oratio eſt prorſus inutilis : ideo Matth. 15. ex Iſ. 29. dicitur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me.* Et 1. ad Cor. 14. *Si orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem ſine fructu eſt* ; ergo vulgaris lingua ad divina Officia canenda, & ad privatas orationes adhibenda eſt.

Confirmatur ſecundo ex Kemnitio, quia Chriſtus D. ſermones ſuos habebat lingua vernacula ; & Apoſtoli non ſolum die Penteceſtes locuti ſunt variis linguis magnalia Dei, ita ut unuſquiſque audiret lingua ſua illos loquentes, ſed etiam quando per totum orbem diſperſi Evangelium prædicabant, utebantur lingua propria uniuſcujuſque regionis ; nec eſt credibile, quod iis populis Scripturas ſacras relinquerent, niſi tranſlatas eorum lingua, ut poſſent eas legere ad alios inſtruendos. Præterquamquod ſi verbum divinum audiri poteſt lingua vulgari, quidni pariter & legi ?

Confirmatur tertio ex Brentio, quia in cap. *Quoniam in pleriſque*, tit. de officio Judicis ordinarii Innocentius III. mandat, ut ubi reperiuntur non pauci homines diverſarum linguarum, Epiſcopus habeat miniſtros idoneos, qui diverſis linguis divina Officia celebrent, ac Sacramenta adminiſtrent. Quare contra praxim Apoſtolicam, & contra intentionem divinam populo denegatur conſolatio, quæ ubertim ex divinis Officiis, & ex lectione Scripturarum percipitur, conjungendo vocem propriam voci totius Eccleſiæ.

Reſpondeo, finem præcipuum divinorum

Officiorum eſſe Dei cultum, conſolationem vero populi, inſtructionem, & ædificationem eſſe finem ſecundarium. Inſtructio autem, & conſolatio ab iis, qui latinam linguam callent, habetur aliqualiter a ſenſu verborum; at imperiti non ſunt idonei, qui a ſenſu verborum inſtruantur, quamvis vulgari lingua divina officia peragerentur; unde pro iis conciones frequentiſſime haberi debent in Eccleſiis. Porro in textu laudato Apoſtoli 1. ad Cor. 14. ſenſus eſt, utiliorem eſſe cohortationem, quæ quinque verbis habetur ad captum populi, quam longiſſimum ſermonem, qui ab auditoribus non intelligatur. Ad id, quod additur, nomine Pſalmi ſignificatur donum gratis datum pſallendi, ſeu, ut exponit Chryſoſtomus, donum componendi cantica ſpiritualia, ac ea in Eccleſia modeſte canendi; nomine Doctrinæ venit donum docendi alios, quæ ad fidem, & mores ſpectant; nomine Apocalypſis intelligitur donum revelationis, quatenus non raro Deus orantibus in Eccleſia revelat ſua myſteria; nomine Linguæ ſignificatur donum linguarum; ac demum nomine Interpretationis venit donum exponendi Scripturas. Et ſenſus laudati textus eſt, quod omnia hæc exerceantur in utilitatem, & ædificationem, non vero in oſtentationem, & inanem gloriam.

VII. Ad primam confirmationem falſum eſt, quod ex publica Eccleſiæ oratione nullus fructus percipiatur a populo, qui orationem illam non intelligit; cum percipiatur fructus, etiamſi illa ne audiatur quidem; cum oratio Eccleſiæ non fiat populo, ſed Deo; unde ſatis eſt, quod Deus illam intelligat; Sicuti ſiquis latine oret Regem pro populo, qui nec intelligat, nec audiat eam deprecationem, poterit populus fructum ex illa recipere. Deinde ipſa oratio, quę auditur, etiamſi non intelligatur, adhuc eſt fructuoſa, ut docet Origenes homil. 20. in Joſue dicens: *Si quando vides legi Scripturam in auribus tuis, quam non intelligis, interim hanc primum ſcias te ſuſcepiſſe utilitatem, quod auditu, velut precatione quadam, noxiarum virtutum, quæ te poſſident, virus depelletur.* Et Chryſoſtomus homil. 3. de Lazaro habet: *Quid ſi non intelligamus, quæ continentur in ſacris Literis? maxime quidem, etiamſi non intelligas illic recondita, tamen ex ipſa lectione multa naſcitur ſanctimonia.* Sic, ut notat Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana, multi ex Judæis non fruſtra Deum colebant figuris, & cæremoniis, quarum ſignificationem non percipiebant; cum ſatis ſit, quod eo animo actio illa externa ponatur, ut cultus Deo præſtetur. Si autem neceſſe eſſet intelligere, quæ in divinis Officiis canuntur, pauci admodum fructum ex iis perciperent; cum pauci Pſalmos, Prophetias, & Apoſtolorum ſententias intelligant. Hinc D. Antonius illam orationem commendabat, in qua ita mens de Deo cogitat, & animus in Deum ita rapitur, ut non intelligat verba ſua.

Neque obſtant adducti textus Scripturarum. Nam ubi dicitur, quod populus labiis dumtaxat Deum honoret, ſenſus eſt, ut exponit Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 55. quod dum populus ille labiis Deum honorabat illum laudando, factis Deum inhonorabat peccando; vel ſenſus eſt, quod dum Deus honoratur verbali oratione, animus vagatur ad terrena negotia. Ubi vero Apoſtolus ait, quod dum lingua oratur, mens eſt ſine fructu, ſenſus eſt, quod ſi non percipiatur oratio, quæ profertur, mens non eruditur ſenſu illorum verborum, quamvis animus ex ea fructum reportet; ut accidit quando ruſtici Pſalmos cum affectu, ac devote recitant, quin illos intelligant. Hinc Apoſtolus ibidem addit: *Nam tu bene gratias agis*, indicans fructuoſam eſſe gratiarum actionem, quamvis fiat verbis, quorum ſignificatio ignoratur.

VIII. Ad ſecundam, poteſt quidem, ac debet lingua vernacula prædicari Evangelium, quia prædicatio ipſa explicationem continet; ex hoc autem non ſequitur, quod poſſint vernacula lingua ab omnibus Scripturæ legi, cum ex tali lectione interpretationis vacua poſſint indocti in errorem, ac in hæreſes induci. Sic e. g. poteſt pueris a matre dari panis in fruſta diſſectus ad comedendum, quin tamen dari poſſit integer, ac ſolidus. Quod autem Apoſtoli nullibi reliquerint Scripturas nativo uniuſcujuſque regionis idiomate translatas, jam ſupra oſtendimus: ſatis enim erat relinquere Catechiſmum vulgari lingua compoſitum, ut nunc fit ex lege Trident. ſeſſ. 24. cap. 7. qua Epiſcopis injungitur, ut Catecheſin in vulgarem linguam fideliter verti, atque a Parochis omnibus populo exponi curent.

Ad ultimam, Innocentius III. ſolum ibi loquitur de lingua Græca, & Latina; cum enim tunc temporis captum fuiſſet a Latinis Byzantium, & ibi cum Latino Imperatore, ac Patriarcha Conſtantinopolitano Græci cum Latinis eſſent permixti; ſancivit Pontifex cum Patribus Concilii Lateranenſis decreto 9. non expedire, quod in eadem Urbe duo eſſent Epiſcopi, alter pro Græcis, alter pro Latinis, ſed idem Epiſcopus deberet providere de idoneis Miniſtris,

qui

qui Græcis græce, Latinis latine Sacramenta adminiſtrarent.

IX. Opponitur ſecundo id quod habet Apoſtolus 1. ad Cor. 14. *Si incertam vocem det tuba, quibus parabit ſe ad bellum? ita & vos per linguam niſi manifeſtum ſermonem dederitis, quomodo ſcietur id, quod dicitur? eritis enim in æra loquentes:* Et paulo poſt addit: *Si benedixeris ſpiritu, quis ſupplet locum idiotæ? quomodo dicet, Amen, ſuper benedictionem tuam? quoniam quid dicas neſcit: nam tu quidem bene gratias agis, ſed alter non ædificatur.* Quibus verbis videtur Apoſtolus velle quod populus intelligere debeat, quæ in divinis Officiis leguntur, ut ædificetur, & conſoletur uniendo vocem ſuam voci Eccleſiæ.

Confirmatur primo, quia Scripturæ verſæ fuerunt olim in linguam Chaldaicam, tunc temporis vulgarem; poſtmodum in Græcam, quæ pariter tunc erat vulgaris; & Apoſtoli ea translatione uſi ſunt; ac demum in Latinam, quando hæc etiam facta erat vulgaris. Et S. Hieronymus teſtatur, ſi Kemnitium audiamus, ſe Biblia ſacra in linguam Sclavonicam vertiſſe; ergo poſſunt Scripturæ abſque piaculo in vulgarem linguam verti, & ſic legi publice, ac privatim in ædificationem & ſolatium populi.

Confirmatur ſecundo ex eodem Kemnitio, quia Chryſoſtomus ſæpiſſime laicos hortatur ad legendas Scripturas: Homilia 9. in Epiſt. ad Coloſſ. habet; *Audite, obſecro ſæculares omnes: comparate vobis Biblia, animæ pharmaca, ſi nihil aliud vultis, vel novum Teſtamentum acquirite, Apoſtolorum acta, Evangelia,* &c. Et ad Euſtochium loquens hæc habet: *Tenenti Codicem ſomnus obrepat, & cadentem faciem pagina ſancta ſuſcipiat.* Apoſtolus etiam 1. ad Timoth. 4. habet: *Attende lectioni.* Et Chriſtus D. Judæis Jo. 5. dixit: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me.* Et Deuter. 27. præcipitur, ut verba legis dilucide ſcribantur, ut poſſint ab omnibus legi, & cuſtodiri; dicitur enim: *Et ſcribes ſuper lapides omnia verba legis hujus plane, lucide.* Quomodo enim poterit populus ſcire myſteria, & Spiritum Scripturarum, ac præcepta Domini, quæ in iis continentur, ſi nequeat iterata lectione iis ſtudere? ergo utile ſimul, ac neceſſarium eſt huic ſtudio vacare, ac vulgari lingua Scripturas legere.

Confirmatur demum, quia anno circiter nongenteſimo a Sede Apoſtolica Moravis conceſſum fuit, ut divina Officia celebrarent lingua Sclavonica; & de facto Armeni, Ægyptii, & alii populi vulgari eorum lingua Sacra faciunt; ergo non eſt ratio, cur omnibus Eccleſiis id non permittatur.

Reſpondeo, Apoſtolum ibi non loqui de lectione ſacræ Scripturæ, ſed de exhortationibus, quæ lingua populari habendæ ſunt, ut omnes inſtruantur: Ita B. Juſtinus in fine Apologiæ controv. 2., necnon Baſilius, & Theodoretus. Ubi autem vult, quod idiota poſſit reſpondere, *Amen*, loquitur de canticis ſpiritualibus, quæ in Eccleſia canebantur tempore collationum ſpiritualium, ut docet Euſebius lib. 2. hiſt. cap. 17. ex Philone, & Dionyſius de div. nomin. cap. 3. Vult itaque Apoſtolus, ut non ſolum exhortationes, ſed etiam cantica ſpiritualia fiant ad captum populi, ut poſſit idiota ea confirmare dicendo, Amen. Nec eſt eadem ratio de canticis ſpiritualibus, ac de divinis Officiis; hæc enim ob rationes adductas debent peragi lingua, quæ ſit communis Eccleſiæ univerſali; quia tamen quæ in Pſalmis canuntur, & in aliis lectionibus ſacris publice leguntur, etiamſi transferrentur in linguam popularem, non per hoc a populo intelligerentur, ideo ſatis eſt populo, ut mente in Cœlum elevata iis aſſiſtat, & animo ad Deum abſorpto.

Ad primam confirmationem, verſio Chaldaica eſt paraphraſis potius Scripturarum, quam verſio; unde non magnam habet auctoritatem. Verſio in Græcam linguam ideo fuit conveniens, non quia ea lingua eſſet popularis, ſed quia tunc temporis erat communiſſima: (etenim Ptolemæo Regi Ægypti, qui Græcam verſionem fieri curavit, lingua Græca non erat vulgaris) ſimiliter convenienter facta poſtmodum fuit verſio in linguam Latinam, quando hæc erat communiſſima, præſertim toti occidenti. Quod a Kemnitio dicitur de D. Hieronymo, (quod ſcilicet in linguam Sclavonicam Scripturas verterit) apud veteres ſcriptores non facile invenies; nihilominus eo dato, non inde ſequitur, quod eas verterit, ut publico Eccleſiæ uſui inſervirent, vel ut ab omnibus indiſcriminatim legerentur, ſed ut ab iis legerentur, quibus ea lectio ædificationi, conſolationi, ac ſolatio eſſe poſſet, quæ nunc etiam iiſdem a Pio IV. permittitur, ut diximus.

Ad ſecundam, Chryſoſtomus in ea Concione, ut homines Theatricis repræſentationibus, aliiſque diverticulis magis deditos ad bonam frugem reduceret, eos ad lectionem Scripturarum hortatur; non quod vellet, ut omnes etiam indocti tali lectioni operam darent, ſed ſaltem docti, quibus ea lectio eſſe poſſet utilitati, & ædificationi. Idemque di-

cendum de verbis laudatis Apoſtoli, & Chriſti D. In Deuteronomio autem ſolum dicitur, quod verba legis, ſeu præcepta debeant dilucide ſcribi, ut poſſint ea ab omnibus ſciri, & ſervari: Myſteria tamen Scripturarum, cum ſint altiſſima, & exigant profundum, & gravem ſermonem, non poſſunt facile ab omnibus percipi; & ideo ſatis eſt, quod populo ea explicentur.

Ad ultimam. Quamvis aliquando Eccleſia juſtis de cauſis diſpenſarit, ut vernaculo idiomate Divina officia peragerentur; non propterea omnibus indiſcriminatim id permitti debet ob rationes adductas. In caſu propoſito fuit ratio ſufficiens, cur cum Moravis diſpenſaretur, ut vulgari ſermone Scripturas haberent, quia ſcilicet tunc temporis totum regnum ſimul convertebatur, ut narrat Æneas Sylvius de origine Boemorum cap. 13. & non ſatis erant miniſtri latini ad divina officia celebranda, & ad Sacramentorum adminiſtrationem: at decurſu temporis, ubi crevit eruditio, multiplicatis miniſtris, qui latine poſſent divina peragere juxta conſuetudinem totius Eccleſiæ, deſiit pro iis uſus linguæ vulgaris Sclavonicæ; unde nunc Moravi Catholici latine tantum divina peragunt. Ægyptii vero, Æthiopes, Armeni, & alii, utpote Hæretici, aut Schiſmatici, linguis maternis utuntur in divinis officiis, non ſecus ac Lutherani, & Calviniani; & ideo vel Germanice, vel Gallice, vel Anglice, vel Polonice, vel aliis linguis Scripturas publice legunt.

X. Opponitur demum, quia in tantum interdicitur fidelibus indiſcriminatim lectio Sacræ Scripturæ, & laici poſſunt ſeipſos ab hac lectione diſpenſare, in quantum non eſt obvius ſenſus ſacrorum eloquiorum; unde indoctis obeſſe potius ea lectio poterit, quam prodeſſe: ſed hoc eſt falſum: ergo omnes, etiam laici, ac fœminæ, ad hanc lectionem tenentur. Probatur minor, quia Scripturæ paſſim docent divina eloquia eſſe apertiſſima, ac lucida, quippe quæ ad omnes inſtituendos Spiritu Sancto dictante conſcripta ſunt. Pſal. 18. dicitur: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*: Et Pſal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*; Sicut etiam Proverb. 6. *Mandatum lucerna eſt, & lux*; Et Matth. 6. dicitur: *Vos eſtis lux mundi*: Quod ſi Apoſtoli orbem illuminant, quomodo eorum prædicatio, ac Scripturæ poterunt eſſe obnoxiæ obſcuritati? Pariter 2. Petri 1. dicitur: *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco*. Et 2. Cor. 4. *Quod ſi opertum eſt Evangelium noſtrum, in iis, qui pereunt, eſt opertum, in quibus Deus hujus ſæculi excæcavit oculos infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio gloriæ Chriſti*. Quare fidelibus Evangelium eſt apertiſſimum, ac nullius negotii; non ſecus ac lex antiqua, de qua dicitur Deuter. 30. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, neque trans mare*; quibus ſignificatur obſcuritate carere, & non eſſe opus, ut loquitur Brentius, montes ſuperare, & ire Romam pro interpretatione Scripturarum.

Confirmatur primo ex Auguſtino, qui lib. 2. doctr. Chriſt. cap. 6. habet: *Magnifice, & ſalubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret; obſcurioribus autem faſtidia detergeret: nihil enim fere de illis obſcuritatibus eruit, quod non pleniſſime dictum alibi reperiatur*.

Confirmatur ſecundo ex Chryſoſtomo homil. 3. de Lazaro, ubi docet Philoſophorum quidem Codices eſſe obſcuros, addens: *Apoſtoli vero, & Prophetæ omnia contra fecerunt manifeſta, claraque perdiderunt; expoſuerunt nobis veluti communes Orbis Doctores, ut per ſe quiſque diſcere poſſit, ea, quæ dicuntur, e ſola lectione*. Et ibidem apertiſſime etiam videtur docere, quod dicitur in hac ſeptuageſimanona theſi Queſnelliana, dicens: *Non poteſt fieri, ut quiſquam ſalutem aſſequatur, niſi perpetuo verſetur in lectione ſpirituali*.

Confirmatur demum, quia ſaltem novum teſtamentum eſt ad omnium captum; unde illud abripere e manibus Chriſtianorum eſt Chriſti os illis obturare. Etenim vetus Teſtamentum ob ejus obſcuritatem erat liber ſignatus, ut dicitur Iſaiæ 29. At Teſtamentum novum Apocalypſis 1. dicitur eſſe liber apertus; Aperuit enim Agnus librum: Quod ſignificatum fuit ex eo, quod in morte Chriſti Domini velum Templi ſciſſum eſt, ut habetur Matth. 27. ergo ſaltem lectio novi Teſtamenti eſt pro omnibus, & omnibus neceſſaria.

Reſpondeo, Lutherum in Præfatione aſſertionis articulorum a Leone X. proſcriptorum docere, quod Scriptura *ſit ipſa per ſe certiſſima, facillima, apertiſſima ſui ipſius interpres*. Ejus tamen obſcuritatem, ac difficultatem ille ignorat, qui in ea eſt peregrinus, & hoſpes. Quinimo ipſe idem Lutherus infra hæc habet: *Scio eſſe impudentiſſimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri unum Scripturæ librum a ſe in omnibus partibus intellectum*. Ejus namque obſcuritas plane conſtat ex eo quod Pſalmo 18. dicitur: *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam. Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum, & doce me juſti-*

juſtificationes tuas; cum tamen David in phraſibus Hebraicis eſſet apprime verſatus, nec a ſuperbia, aut infidelitate tenebræ illi offunderentur. Unde Hieronymus in epiſtola ad Paulinum habet: *Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ habet, quæ nos putas parvulos, & pene lactentes inſcitiæ nocte circumdari?* Ipſe Chriſtus Dominus ſuis diſcipulis Scripturas, utpote obſcuras, interpretatus eſt, ut habetur Lucæ ult. Et Eunuchus Reginæ Æthiopum, quamvis in Scripturis verſatus, pius, ac humilis, ut teſtatur Hieronymus loco laudato, interrogatus tamen a Philippo Act. 8. verbis illis: *Putaſne intelligis, quæ legis?* reſpondit: *Et quomodo poſſum, niſi aliquis oſtenderit mihi?* Et D. Petrus loco ſupra laudato loquens de epiſtolis Pauli diſerte dicit, in iis eſſe quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant. Auguſtinus ipſe epiſt. 119. cap. 21. habet: *In ipſis ſanctis Scripturis multo neſcio plura, quam ſcio.* Et lib. 12. Confeſſ. cap. 14. *Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos ſuperficies blandiens parvulis, ſed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas; horror eſt intendere in eam; horror honoris, & tremor amoris.* Et lib. 2. doctr. Chriſt. cap. 6. docet, obſcuritatem ſacræ Scripturæ eo fine a Deo volitam eſſe, ut hominum ſuperbia labore edometur, & intellectus a faſtidio revocetur, cui facile inveſtigata plerumque viluerunt: quod pariter docet Gregorius hom. 6. in Ezechielem.

Ratio tamen obſcuritatis, & profunditatis oritur non ſolum ex myſteriis altiſſimis, quæ in ſcripturis traduntur, puta de Trinitate, de Incarnatione, de Prædeſtinatione, ac Reprobatione, de divina operatione in noſtris mentibus, ac de aliis arcanis rebus, ac ſupernaturalibus, quæ acrem etiam Angelorum aciem effugiunt; verum etiam ex eo quod plerumque ſcripturæ contineant vaticinia de futuris, quæ Deus noluit eſſe omnibus perſpicua. Oritur demum ex modo; quo Deus voluit ea conſcribi, ut in effodiendo theſauro veritatis abſconditæ pie, ac ſancte operam ſedulam impendamus, ut advertit etiam Baſilius in proœmio expoſit. in Iſaiam dicens, divinitus eſſe proviſum, ut non ſine labore ac ſtudio in ſcripturis verſemur; tum ut mens humana ſic occupata a deterioribus avocetur; tum ut conſtantius ea menti inſideant; tum ut avidius iis fruamur; tum demum ut puritatem animi proſequamur, quæ ad intelligenda divina myſteria eſt perneceſſaria. Hinc etiam interrogatus Chriſtus D. Matth. 13. cur in parabolis loqueretur, *Vobis*, inquit, *datum eſt noſſe regnum Dei, cæteris autem in parabolis; ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Etenim cum Scripturæ lectio ſit omnibus communis, ita divinitus temperata eſt, ut & ſit clauſa indignis, ne margaritæ canibus, & ſuibus projiciantur, & ab iis intelligatur, qui animi puritate ad cognoſcenda divina myſteria diſponuntur.

Ad argumentum itaque reſpondeo, negando minorem. Ad probationem, Spiritus Sanctus ob altiſſimos ſuos fines, ut diximus, noluit omnibus eſſe perſpicuum ſenſum Scripturarum. Ubi David dicit Præceptum Domini eſſe lucidum, non loquitur de Scripturis, ſed de mandatis divinis, quæ ſunt lucida, lucerna, & lux, per hoc quod facile percipiantur, & dirigant in viam ſalutis. Sunt etiam Scripturæ lucidæ, non quia facile intelliguntur, ſed quia intellectæ mentem illuſtrant. Sic Apoſtoli dicuntur eſſe lux Mundi, per hoc quod luce exemplorum, ac probitatis nos pariter dirigant ad eorum veſtigia ſectanda. Ab Apoſtolo dicitur Evangelium infidelibus eſſe opertum, eo quod illi infidelitate, & pravis affectibus ſint obcœcati; fidelibus tamen facile innoteſcunt myſteria, quæ in Evangelio continentur, ſublatis umbris figurarum veteris Teſtamenti; quis enim eſt, qui myſterium Incarnationis, ac Redemptionis ignoret? At non inde fit quominus multa in Evangelio ſint difficilia, quæ indigeant Oedipode Sacro. Illud quod ex Deuteronomio dicitur, Abulenſis, & alii interpretantur pariter de præceptis divinis, quod obſcuritate careant, non de Scripturis; cui enim non innoteſcat præceptum diligendi Deum ſuper omnia, & alia Decalogi præcepta? Auguſtinus vero lib. de perfectione juſtitiæ reſp. penult. interpretatur textum illum de facilitate implendi divina præcepta cum auxilio gratiæ; quod eſt contra Hæreticos docentes impoſſibilia eſſe Dei mandata.

Ad primam Confirmationem, quamvis fere quæ ſunt in uno loco Scripturæ obſcura, in alio explicentur, at non omnibus facile innoteſcit, ubinam explicentur quæ ſub velamine obſcuritatis conteguntur; & ideo Auguſtinus ipſe loco laudato dixit, multo plura eſſe in ſacris literis, quæ neſciat, quam quæ ſciat.

Ad ſecundam, Chryſ. invehitur ibi adverſus illos, qui libris Philoſophorum potius ſtudent, quam Scripturarum, ac aſſerit obſcuriora eſſe, quæ Philoſophi docent de arcanis naturæ, quam quæ docent Apoſtoli de arcanis gratiæ; & ſub illuſtratione Spiritus Sancti hæc reddi perſpicua. Non negat autem in

Scripturis eſſe plurima difficilia, quæ indigeant expoſitore. Etenim in illa eadem Homilia de Lazaro addit: *Sume librum in manus, lege hiſtoriam omnem, & quæ nota ſunt, memoria tene, & quæ obſcura ſunt parumque manifeſta, frequenter percurre. Quod ſi non poteris aſſiduitate lectionis invenire, quod dicitur, accede ad ſapientiorem, vade ad doctorem.*

Quando autem addit S. Doctor, neminem ſalvari, niſi perpetuo in lectione ſpirituali verſetur, conſtat exaggerationibus uti, quæ concionatoribus permittuntur, ad excutiendum torporem auditorum; in rigore tamen Theologico, ſi ad trutinam revocetur, certe non ſubſiſtit. Sic idem Chryſoſtomus Homil. 5. in Geneſim amplificando, & exaggerando dixit: *Neque in re juſta, neque in injuſta jurare licet.* Cum tamen certum ſit apud Theologos eſſe actum Religionis jurare in re juſta, ac neceſſaria. Quod ſi abſque amplificatione verum eſſet, neminem ſine lectione perpetua Scripturarum poſſe ſalvari, ſub mortali omnes tenerentur Magiſtrum adire, a quo legere diſcant, quod nemo dixerit. Præterquamquod iis verbis ſolum ſignificatur, quod viam ſalutis impediat neglectus lectionis ſacræ relate ad eos, qui facile, & utiliter eam adhibere poſſunt, non vero relate ad omnes.

Ad ultimam, diſcrimen inter vetus, & novum teſtamentum eſt ſolum in ordine ad myſteria, quæ tunc non facile intelligebantur, quia tecta erant figuris, & umbris; nunc vero facile intelliguntur, quia ſunt impleta; at non eſt diſcrimen inter ſententias Scripturarum; unde Origenes Homil. 10. in Exodum dicit, etiam nunc nos indigere Agno, qui librum ſignatum aperiat. Et Hieronymus in epiſt. ad Paulinum dicit, adhuc nunc manere velamen, tam in facie Moyſis, quam in facie Evangeliſtarum, & Apoſtolorum, ſi obſcuritatem, & difficultatem Scripturarum ſpectemus; ideoque oportet uſurpare illam Prophetæ deprecationem: *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Ex quibus omnibus dilucide conſtat falſitas omnium iſtarum theſium ad Sacræ Scripturæ ac præſertim Novi Teſtamenti lectionem ſpectantium. Quod ſi Novi Teſtamenti a Spiritu Sancto dictati lectio non omnibus indiſcriminatim permittenda eſt, quoties illud in vernaculam linguam fuerit translatum, quid, oro, dicendum erit de lectione Novi Teſtamenti a Queſnello Gallica lingua editi cum ſuis moralibus obſervationibus, de quo Pontifex in hac Conſtitutione dicit, a ſe alias damnatum, utpote Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiſcens, & ubique diſſeminatum, ac etiam latine redditum, ut verſutis ſeductionibus, atque fallaciis dominicum gregem in viam perditionis abducat? Illi profecto aqua, & igni interdicendum eſt.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LXXIX. uſque ad LXXXVI.

SEptuageſima nona, & ſequentes uſque ad octogeſimam ſextam, dum ſacræ Scripturæ lectionem mirum in modum exaltant, eamque omnibus neceſſariam deprædicant, in medium adducunt hæreſes Calvini, Kemnitii, Brentii, & aliorum apud Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 15. contendentium, Scripturas omnibus indiſcriminatim permittendas, & tradendas lingua vernacula; Necnon in propria cujuſcunque Regionis lingua publice canendas eſſe in Divinis Officiis; Cum tamen Eccleſia in regula quarta Indicis prohibeat, ne paſſim ſine delectu omnibus ejuſmodi lectio concedatur; ſicut etiam ne in publico, & communi uſu Scripturæ vulgaribus linguis legantur, vel canantur, prout a Tridentino ſeſſ. 22. cap. 8., & can. 9. ſancitur, anathematizando eos, qui dixerint lingua tantum vulgari Miſſam celebrari debere; ſed ſolum legi poſſint tribus illis linguis, quibus titulus Crucis inſcriptus fuit, nempe Hebræa, Græca, & Latina; tum quia iſtæ omnium calculo reliquis præſtant antiquitate, amplitudine, & gravitate; tum etiam quia his ſolum linguis ſacra Biblia initio conſcripta fuere ab Auctoribus ſuis.

Et ſane hic fuit uſus antiquiſſimus, & univerſalis Eccleſiæ, ut ſolum his linguis in Divinis officiis omnes uterentur, teſte Bellar. lib. 2. de Verbo Dei cap. 15. unde proinde dici debeat ex Apoſtolorum traditione id promanaſſe, juxta regulam D. Auguſtini lib. 4. contra Donatiſtas cap. 4. dicentis: *Quod univerſa ſervat Eccleſia, ſi non poſſit ejus initium aſſignari, ex Apoſtolica traditione deſcendere credendum eſt.* Et ratio eſt, quia ad unitatem Eccleſiæ perneceſſarium eſt, ut Scripturarum uſus fiat linguis univerſalioribus, quæ facile a doctis ediſcantur; ſic enim Conciliis Oecumenicis definiri poteſt, quod ad rectam Scripturarum intelligentiam ſpectat; Aliter ſi unaquæque regio diverſa Scripturarum editione uteretur, cum nemo poſſit omnium nationum linguas callere,

non

non poſſet in Conciliis judicium certum ferri de ſenſu Scripturarum . Quamvis autem hujuſmodi incommodum non ſequeretur , ſi ſolum privatim quilibet utatur Scripturis Divinis lingua vernacula ; nihilominus falſo, ac temere dicitur, quod ejuſmodi lectio ſit omnibus ad ſalutem neceſſaria; aliter innumeri ex ruſticis, & fœminis, qui legere neſciunt , eſſent in ſtatu damnationis : falſo etiam, ac temere dicitur, quod ejuſmodi lectio ſit omnibus indiſcriminatim permittenda ; cum Eccleſia cenſeat id non expedire , eo quod plurimis ea lectio detrimento potius eſſet , quam utilitati , ut Baſilius , Hieronymus , & alii Patres apud Bellarminum teſtantur , & ipſa experientia comprobat . Hinc 2. Petr. 3. de Epiſtolis Pauli dicitur : *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu , quæ indocti , & inſtabiles depravant , ſicut & cæteras Scripturas , ad ſuam ipſorum perditionem .*

Scopus harum theſium eſt , ut etiam indocti , ac fœminæ inducantur ad pervolutandum novum Teſtamentum in Gallicam linguam translatum , ac etiam latine redditum , toties recuſum , ac ubique diſſeminatum , cum captioſis obſervationibus, quibus Queſnellus luem Janſenianam propinare conatur improvidis, & in reprobum ſenſum ſub ſpecie pietatis perducere.

Errat itaque primo theſis 79. contendens utile , & neceſſarium eſſe omni perſonarum generi , omni tempore , ac loco ſtudium Scripturæ ſacræ. Si enim ad id homines tenerentur , quotuſquiſque ſalutem conſequeretur? non ſolum autem non eſt neceſſarium cuilibet huic ſtudio vacare , ſed nec etiam omnibus utile; cum facile poſſint indocti in laqueos incidere , ubi deſit ſacer Interpres , qui profundiſſima noſtræ Religionis myſteria in ſacris Bibliis contenta ediſſerat , ac explanet.

Errat ſecundo theſis 80. quæ pariter vult lectionem ſacræ Scripturæ eſſe pro omnibus. Aliter erraret Eccleſia , dum prohibet vernaculas editiones ſacrorum Bibliorum , ac jubet, ne indiſcriminatim facultas concedatur ea legendi lingua materna . Hinc lectio iſta neque eſt pro omnibus ſimpliciter, neque pro omnibus moraliter , ſeu fere pro omnibus ; cum enim potiſſima Chriſtifidelium pars ex imperitis , ex ruſticis , ac fœminis conſletur , quibus ea lectio non eſſet utilitati ; propterea neque eſt pro omnibus omnino , neque fere pro omnibus.

Errat tertio theſis 81. aſſerens , ſanctam verbi Dei obſcuritatem non eſſe ſatis , ut poſſint laici ſeipſos ab ea lectione diſpenſare . Etenim cum in iis tenebris facile poſſint imperiti in plurimorum errorum foveas incidere, quærendi ſunt ab iis Prælectores , aut Inſtructores , ſeu Concionatores , qui facem præferant explicatione ſacrorum myſteriorum .

Errat quarto theſis 82. præſcribens Chriſtifidelibus, ut dies Dominicos lectione ſanctarum Scripturarum ſanctificent ; ac damnoſum reputans , quod ab ea lectione Chriſtiani retrahantur ; dies quippe feſti aliis pietatis operibus ab indoctis ſanctificandi ſunt, ac præſertim audiendo Conciones , & Scripturarum explicationes , necnon lectione eorum librorum , qui ad legentium captum ſint accommodati , ac eorundem pietatem foveant . Quare non eſt damnoſum , ſed utile velle Chriſtifideles a lectione Scripturarum retrahere , quoties ob ingenii tarditatem errores potius poſſunt ex iis, quam catholicas veritates haurire.

Errat etiam quinto theſis 83. contendens, fœminis lectione ſacrorum librorum communicandam eſſe notitiam myſteriorum Religionis . Quamvis enim ex ſuperba virorum ſcientia non raro orti ſint Scripturarum abuſus, & natæ ſint hæreſes; at etiam ex fœminarum ſimplicitate innumeri errores paſſim ſuboriuntur : & facilius fœminæ deceptioni eſſent obnoxiæ, ſi vernacula lingua Scripturas pervolutarent . Immo Hieronymus in Epiſtola ad Cteſiphontem advertit, Hæreſiarchas paſſim ſimplicium mulierculorum miniſterio uſos eſſe ad ſuos errores diſſeminandos; ut Simon Magus, Nicolaus Antiochenus, Marcion, Apelles, Montanus, Arius, Donatus, Helpidius, Priſcillianus, & alii.

Errat quoque ſexto theſis 84. dicens , quod ſit veluti os Chriſto D. obturare , vitando, ne paſſim omnibus permittatur novi Teſtamenti lectio lingua vernacula ; eo quod ſic auferatur modus , quo poſſit illud intelligi . Etenim Chriſtus D. non omnibus immediate loquitur lectione novi Teſtamenti ; indoctis quippe potius loquitur explicatione facta per Eccleſiæ Miniſtros Myſteriorum , quæ in novo Teſtamento continentur.

Errat propterea ſeptimo theſis 85. concedens, quod interdicere lectionem Scripturarum Chriſtifidelibus ſit interdicere uſum luminis filiis lucis. Etenim qui propter ingenii hebetudinem a lectione Scripturarum non illuſtrantur , ſed potius obtenebrantur, aliunde debent illuminari , videlicet a ſanctis , & piis Concionibus , & a Scripturarum explanationibus .

Errat denique theſis 86. docens, quod e-

ripere ſimplici populo ſolatium conjungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, (hoc eſt vetare ne vernacula lingua publice divina Officia legantur, & canantur) ſit uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, ac intentioni Dei. Certum quippe eſt, Apoſtolos linguis earum gentium, quibus prædicabant, Evangelium annunciaſſe, at nonniſi Hebraice, & Græce ſcripſiſſe, (quidquid ſit, an D. Marcus latine ſcripſerit ſuum Evangelium) uſumque univerſalis Eccleſiæ fuiſſe, ut divina officia non quidem lingua vernacula, ſed lingua communiſſima peragerentur. Nec id intentioni Dei refragatur, quippe qui noluit omnes eodem modo ſacris myſteriis erudiri: ſicut enim panis Euchariſticus nonniſi a Presbyteris regulariter tradendus eſt laicis, juxta illud Eccleſiæ: *Cujus officium committi voluit ſolis Presbyteris, quibus ſic congruit, ut ſumant, & dent cæteris:* Ita panis divini verbi, quamvis omnibus communicandus ſit, ut ab eo paſcantur, congruum tamen fuit, ut a doctis, ac piis populo ſimplici communicetur propter rationes adductas. Hinc Apoſtolus docet, ſermonum, ſeu Scripturarum interpretationem non ab omnibus faciendam eſſe, ſed ab iis, quibus datum eſt a Deo, qui gratias ſuas dividit ſingulis prout vult, dicens 1. ad Cor. 12. *Alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum; alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum: Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult.* Quare theſes iſtæ ſua dignæ cenſura omnes jure merito proſcribuntur.

PROPOSITIO LXXXVII.

Modus plenus ſapientia, lumine, & charitate eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur. *Queſnell. Act. 9. 9. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXXXVIII.

Ignoramus quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem. *Queſn. Luc. 17. 11. & 12. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Quid ſit peccatum, potius ignoratur ab eo, qui non vult ſtatim a ſe illud repellere, quam ab eo, qui vult peccati ſtatum ſentire. II. Errores ab Alexandro Octavo hac in re proſcriptos iterum hic in medium reponit perfricta fronte Queſnellus.

III. Peccator per novas culpas ſe diſponeret ad juſtificationem, ſi voluntarie perſeveraret in culpis præteritis ſub prætextu incipiendi ſatisfacere Divinæ juſtitiæ, antequam reconcilietur. IV. Non pauci docent eſſe etiam præceptum, quod omnes Catholici docent eſſe ſaltem ſanum conſilium, deponere ſtatim ſarcinam peccatorum.

V. Ex antiqua Eccleſiæ praxi ſolum habetur, quod abſolutio canonica a cenſuris, & pœnis pro foro externo non dabatur ſtatim; ſecus vero abſolutio Sacramentalis a peccatis. VI. Pavitas deſumpta ex humanis probaret nimis. VII. Sanum conſilium eſt, quod Sacramentalis abſolutio differatur, quando Confeſſarius, utpote Judex ſimul, ac Medicus, cenſet dilationem eſſe profuturam; at non eſt ſanum conſilium, quod pœnitens differat reconciliationem cum Deo, ut ſentiat ſtatum peccati, & incipiat in eo ſtatu ſatisfacere Divinæ juſtitiæ.

I. Differre reconciliationem cum Deo data opera, juxta Queſnellum, eſt modus plenus ſapientia, lumine, & charitate. At cum D. Jacobo cap. 3. merito dici poteſt: *Non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica,* quæ illuſtrationi Spiritus Sancti invitantis ad pœnitentiam, & charitati ipſi ex diametro adverſatur. Ignoramus ſane, quid ſit peccatum, ſi nolumus ſtatim, quoad ejus fieri poteſt, ejus jugum excutere, & damna illata reparare, redeundo in poſſeſſionem bonorum illorum, quibus nos peccatum expoliavit: tantum abeſt, ut ignoremus, quænam mala per peccatum contraxerimus, quando volumus ſtatim reſtitui in poſſeſſionem

nem bonorum, quæ per peccatum amiſimus.

Iterum itaque Queſnellus Janſenianorum theſes olim proſcriptas captioſo, ac ſpecioſo quodam verborum apparatu in medium reponit. Confixerat Alexander VIII. theſim illam decimam ſextam, quæ habet: *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, nec inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, natura rei idpſum quodammodo dictante:* Necnon decimam ſeptimam quæ pariter habet; *Per illam praxim mox abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt inverſus:* Et ſimiliter decimam octavam, in qua dicitur: *Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem ſacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed pro abuſu.* In quibus facile eſt advertere Janſenianorum audaciam eo perveniſſe, ut velint Eccleſiam errare potuiſſe in adminiſtratione Sacramentorum, dum dicitur diuturniſſima praxis Eccleſiæ univerſalis abſolvendi pœnitentes ante pœnitentiam expletam eſſe abuſus, ordoque pœnitentiæ eſſe inverſus per hanc praxim abſolvendi pœnitentes ſtatim ac cenſentur diſpoſiti; eo quod ex Chriſti lege, ac præſcriptione conſentanea naturis rerum præmitti deberet abſolutioni ſatisfactio, prout olim docuerat Petrus de Oſma apud Lugo diſp. 12. de Pœnit. num. 42., damnatus in ſua Bulla a Sixto IV. Conſtat quippe, ſatisfactionem ſacramentalem eſſe partem ſacramenti Pœnitentiæ integralem dumtaxat, non eſſentialem; atque adeo poſſe ex Chriſti D. inſtitutione, & Divina clementia peccatores a culpa per abſolutionem ſacramentalem liberari, etiamſi ſatisfactionem non præmiſerint; nec conſueviſſe Eccleſiam aliam ſatisfactionem a publicis peccatoribus, & excommunicatis ante abſolutionem a Cenſuris prærequirere, quam Canonicam, ſeu juxta Canones Pœnitentiales, in qua pariter paſſim diſpenſabatur.

II. Nunc autem in eoſdem impingit ſcopulos Queſn.; Immo ſi harum theſium verba juxta germanum eorum ſenſum ſumantur, non ſolum docet peccatorem non debere ante ſatisfactionem ſacramentaliter abſolvi, prout in theſibus ab Alex. VIII. proſcriptis effutiebatur; ſed nec debere conteri, & divinam gratiam recuperare; (quam Deus pœnitentibus ultro miſericorditer offert) antequam incipiat ad minus ſatisfacere Divinæ juſtitiæ, portando cum humilitate, ac ſentiendo ipſius peccati ſtatum, (perinde quaſi ex Dei voluntate, & non ex impia creatæ voluntatis obſtinatione ſtatus ille omnium miſerrimus perſeveraret) ac petendo ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, atque adeo differendo hos actus, quamvis Deus ad illos hortetur, ac ſæpe etiam præcipiat, ne differantur. Dicitur enim Eccleſ. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Additque demum, ex ignorantia peccati, ac veræ pœnitentiæ provenire, quod peccator velit illico ad Crucifixi pedes provolutus Deum offenſum placare, retractando offenſas, ac de iis ex toto corde, & in amaritudine animæ dolendo, ut Deus odium, & iram in amorem, ac benevolentiam (quæ ſumma ejus clementia eſt) confeſtim convertat, atque ita dignetur ingentia bona per peccatum deperdita in integrum reſtituere; quippe qui benigniſſime promiſit Ezech. 10. non ſolum omnium iniquitatum noſtrarum oblivi ſci, ſi per pœnitentiam deleantur, dicens: *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor:* ſed etiam bona omnia per peccatum amiſſa confeſtim reddere, dicens Joel. 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & æruca.* Quod innuit Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 16. verbis illis: *Juſtificatis, ſive acceptam gratiam perpetuo conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint*, &c. Hæc autem Queſnelliana placita quantum rationi diſſonent, cæcus omnino eſt, qui non videat primo intuitu.

Verum antequam theſis utriuſque errores inſecter, illud præmittendum cenſeo, Non interdici hic a Pontifice univerſim abſolutionis dilationem, quando ſcilicet ea expediens a Confeſſario ſive ut Judice, ſive ut Medico reputetur, videlicet vel ut pœnitens v. gr. reſtitutionem præmittat; vel ut ſeſe prius exhibeat mandatis Eccleſiæ obtemperaturum, vel ut peccandi occaſiones adimat, vel ut conſtantiæ præbeat ſufficiens experimentum, vel ut in propoſito magis firmetur, vel aliis de cauſis, quibus prudenter ſolet, & ſæpe debet abſolutio differri. Solum itaque in his theſibus proſcribitur, univerſim expedire, ut antequam abſolvantur pœnitentes, & cum Deo reconcilientur, detur eis tempus portandi ſtatum peccati, & quod debeat aliqua ſaltem ſatisfactio abſolutionem præire, prout a Janſenianis docebatur in decima ſeptima ex theſibus ab Alexandro VIII. profligatis, in qua dicebatur: *Per illam praxim mox abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt inverſus.*

III. Oſtenditur nunc harum theſium falſitas, & primo ad hominem; quia veræ ſapientiæ, lumini ſupernaturali ſimul, ac naturali, necnon charitati erga Deum, ac erga ſeipſum opponitur, quod ad reconciliationem cum Deo peccator diſponatur novis culpis, & cum voluntaria perſeverantia in culpis præteritis; atqui ſi peccator nollet, ſtatim ac poſſet, cum Deo per contritionem, aut per abſolutionem ſacramentalem reconciliari, juxta ſententiam Queſnelli, ad reconciliationem ſe diſponeret novis culpis, & cum voluntaria perſeverantia in culpis præteritis; ergo veræ ſapientiæ, lumini, ac charitati non ſolum non eſt conſonum, ſed etiam eſt valde repugnans, quod velit peccator voluntarie differre reconciliationem cum Deo, incipiendo prius ſatisfacere divinæ juſtitiæ, ac tolerando ſeparationem a ſuo ultimo fine. Major eſt perſpicua; quis enim dixerit, quod reus læſæ Majeſtatis humanæ ad veniam a Rege obtinendam ſe diſponat iterando novas offenſas; & differendo voluntarie petitionem veniæ? Minor conſtat ex doctrina Queſnelli, qui in theſi 44. docuit, noſtras volitiones omnes, & actiones ex duobus amoribus naſci; videlicet aut ex amore Dei, quia omnia propter Deum agit, quem Deus remuneratur; aut ex amore, quo nos ipſos, ac mundum diligimus, qui cum non referat ad Deum, quod referendum eſt, hoc ipſo eſt malus; unde ex Queſnello peccator differens amorem Dei, & reconciliationem cum Deo, alias actiones interim ponere non poteſt, niſi peccaminoſas; atque adeo per novas culpas ſe diſponeret ad obtinendam remiſſionem, necnon per voluntariam perſeverantiam in culpis præteritis.

Neque dicas, quod antequam cum Deo reconcilietur, poſſit ponere actus charitatis minus perfectos diſponentes ad actus perfectos, vi quorum habeatur ultima diſpoſitio ad reconciliationem cum Deo. Nam Queſnellus nullam aliam agnoſcens virtutem a charitate diſtinctam, juxta theſim quinquageſimam tertiam, ſicut negat poſſe peccatorem per exercitium aliarum virtutum remote ſe diſponere ad obtinendam reconciliationem cum Deo; ita cohærenter negare debet, quod poſſit ad eandem reconciliationem remote ſe diſponere per actus charitatis minus perfectos. Præterquamquod, cum in theſi quadrageſimaquarta duos tantum amores in nobis agnoſcat, videlicet amorem Dei, qui omnia agat propter Deum, & quem Deus remuneretur, ac amorem, quo nos ipſos, & mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum eſt malus, ſequitur juxta hanc doctrinam, quemcunque actum noſtræ voluntatis, eſſe peccaminoſum, niſi ſit amor Dei, qui omnia agat propter Deum, atque adeo ultimo ad reconciliationem cum Deo diſponat; ex quo fit, quod diximus, peccatorem differendo hanc reconciliationem, quoſcunque alios actus interim eliciat, iterum peccare, ac proinde nonniſi per novas culpas ſe diſponere ad reconciliationem cum Deo.

Quibus adde, quod juxta theſim 28. Queſnelli, *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio*; & juxta theſim 38. *Peccator non eſt liber, niſi ad malum ſine gratia Liberatoris*; ſicuti etiam juxta theſim 40. *Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem*. Nunc ſic: Quando peccator vult differre reconciliationem cum Deo, ut ſentiat cum humilitate ſtatum peccati, & incipiat ſatisfacere juſtitiæ divinæ, vel hujuſmodi voluntas eſt ex gratia Liberatoris, & deberet trahere peccati remiſſionem, ac reconciliationem cum Deo, poſito quod prima gratia, quam Deus peccatori confert, ſit remiſſio; unde non ſentiret peccator ſtatum peccati: Vel non eſſet ex gratia Liberatoris ea libera voluntas; & eo ipſo eſt peccaminoſa, poſito quod ſine gratia peccator non ſit liber, niſi ad peccandum, nec poſſimus ſine gratia quicquam amare, niſi ad noſtram condemnationem; Unde fieret, quod hoc ipſum velle dilationem reconciliationis cum Deo ad ſentiendum cum humilitate ſtatum peccati, & ad dandam aliquam ſatisfactionem divinæ juſtitiæ, eſſet novum peccatum; & ſic peccator per novas culpas ſe diſponeret ad remiſſionem culpæ obtinendam, quo quid abſurdius dici, aut fingi poterit?

Oſtenditur deinde earundem theſium falſitas, quia dilatio pœnitentiæ, ac reconciliationis cum Deo de ſe fert proclivitatem ad novas culpas perpetrandas, tum ex defectu auxiliorum Dei ſpecialium, quæ peccator demeretur; tum ex habitu, qui acquiritur per actus malos prævios non retractatos, tum ex dæmonis inſtigationibus, in cujus captivitate peccator reperitur. Unde Gregor. hom. 11. in Ezechielem dixit: *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere trahit ad aliud*; ergo recurrit, quod per novas culpas peccator ad reconciliationem ſe diſponeret, ſi voluntarie illam differret. Expedit quidem aliquando, quod Confeſſarius abſolutionem differat, ut certior fiat de pœnitentis diſpoſitione, ac emendatione; nunquam tamen expedit, quod pœnitens

nitens contritionem differat, & reconciliationem cum Deo.

IV. Adde, plurimos Doctores cum Soto, Argentina, Alenſi, Paludano, Antonino, & aliis apud Lugo diſp. 7. de Pœnit. ſect. 11. contendere, non ſolum eſſe ſanum conſilium, (quod omnes Catholici affirmant) ſed etiam dari præceptum, quod peccator ſtatim poſt commiſſum mortale, aut cum memoriæ occurrit, de eo conteratur. Quod ſuadere conantur, Primo ex lege juſtitiæ; etenim qui rem alienam furatus eſt, puta pecuniam, famam, aut quid ſimile, tenetur ſtatim damnum reſarcire; ergo qui per peccatum læſit jus divinum, tenetur ſtatim per contritionem illud reparare. Secundo ex præcepto charitatis erga Deum; tum quia videtur legibus charitatis, ac amicitiæ ſemel cum Deo initæ graviter diſſonare, quod diſſoluta amicitia velit homo in eo inimicitiæ ſtatu perſeverare, & non ſtatim reconciliari cum Deo paratiſſimo ad amplexandum offenſorem; tum etiam quia videtur contra reverentiam Patri, aut Domino debitam, ſi filius, aut ſervus ſciens ſe graviter Patrem, aut Dominum offendiſſe, negligat ſibi illius gratiam, & reconciliationem quamprimum promereri; tum pariter quia ſicut præceptum negativum non amittendi fidem obligat ad recuperandam ſtatim fidem amiſſam, ut docent communiter Theologi apud Suarez diſp. 13. de fide ſect. 5. & Sanch. l. 2. cap. 1. ita præceptum negativum non amittendi charitatem videtur obligare ad recuperandam illico charitatem per peccatum amiſſam; tum demum quia præcepto charitatis videtur opponi non ſolum velle permanere in eo affectu malo, quo quis voluit ſtatum inimiciæ cum Deo, de quo non dubitatur, ſed etiam voluntarie negligere reconciliationem cum Deo; præſertim quia ſtatus inimicitiæ cum Deo reponit hominem in periculo patrandi novas culpas, quod periculum tenetur quilibet ex præcepto charitatis declinare. Tertio videtur peccator ad ſtatim pœnitendum teneri etiam ex præcepto charitatis erga ſeipſum; tum quia ſi quilibet tenetur ex hac virtute ad liberandum ſe ſtatim ac poteſt a quolibet malo gravi corporis, puta a morte, vel membri jactura, a fortiori obligabitur ſe liberare, quamprimum poterit, a malo graviſſimo animæ, quod eſt inimicitia cum Deo optimo maximo; tum etiam quia quilibet tenetur ex ordine charitatis ſeipſum magis diligere, quam proximum; ſed ad proximum corrigendum, quamprimum commode fieri poteſt, quilibet obligatur: ergo etiam ad corrigendum ſeipſum. His, aliiſque non levibus rationum momentis videtur evinci obligatio ſtatim pœnitendi poſt peccatum commiſſum. Quamvis autem communius Doctores negent dari hujuſmodi obligationem, & his rationibus faciant ſatis apud Perez de Pœnit. diſp. 13. ſect. 5., nemo tamen in dubium revocat conſultum eſſe, quod peccator ſtatim e fovea culpæ emergat, eo quod facile nimia dilatio in novam culpam inducat; & multo minus poterit quis ſomniare, quod iſta dilatio ſit conſulenda, adeo ut dici poſſit modus ſapientia plenus, lumine, & charitate dare tempus portandi, ac ſentiendi ſtatum peccati, ita ut ex ignorantia peccati, & pœnitentiæ proveniat, quod quis velit ſtatim de injuriis Deo illatis dolere, detrectando ferre confuſionem ſeparationis a divina amicitia, & ab aliis bonis per culpam deperditis.

Neque dicas, nolle Queſnellum, quod differatur reconciliatio cum Deo per contritionem, ſed ſolum quod differatur per Abſolutionem ſacramentalem. Nam cum in prima ex his duabus theſibus dicatur, modum plenum ſapientia, lumine, & charitate eſſe, dare animabus tempus portandi ſtatum peccati; & in altera dicatur, ex ignorantia peccati, ac veræ pœnitentiæ provenire, quod velimus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, perſpicuum eſt, velle Queſnellum, quod peccator differat etiam contritionem, qua a ſtatu peccati exſolvatur, & poſſeſſioni bonorum, quibus per peccatum denudatus fuit, reſtituatur.

V. Opponitur primo praxis antiqua Eccleſiæ in abſolvendis peccatoribus, quibus nonniſi in articulo mortis ante peractam pœnitentiam abſolutio conferebatur, ut videre eſt apud Morinum cap. 1. lib. 9. ergo ſaltem debet peccator incipere Deo ſatisfacere, antequam cum Deo reconcilietur. Et ratio eſt, quia in humanis non datur offenſori venia, niſi poſt exhibitam ſatisfactionem; ergo a fortiori peccator non debet reconciliationem expectare, antequam ad minus incipiat Deo ſatisfacere.

Reſpondeo, duplicem diſtinguendam eſſe abſolutionem, alteram ſacramentalem, & a peccatis, alteram Canonicam, & a cenſuris, ſeu aliis pœnis; per illam primam peccator reconciliabatur Deo, per hanc ſecundam reconciliabatur Eccleſiæ, & Altari; abſolutio ſacramentalis conferebatur ſtatim ac peccator reperiebatur rite diſpoſitus; quod conſtat, quia in Clementina *Dudum de ſepulturis* Sacerdoti imponitur, quod *Confeſſiones audiat, pœnitentias imponat, & abſolvat*; quod vi-

videtur exprimere abſolutionem eſſe illico conferendam, prout luculentius dicitur in decreto Bonifacii Epiſcopi Moguntini circa ſæculum octavum apud Morinum n. 12. ubi habetur: *Curet unuſquiſque Presbyter ſtatim poſt acceptam Confeſſionem pœnitentia ſingulos data Oratione reconciliare.* Quod pariter docet Sozomenus cap. 16. lib. 7. unde videtur colligi, hanc fuiſſe Chriſti inſtitutionem. Etenim ex Auguſtino lib. 4. de Bapt. parvulorum cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Apoſtolica auctoritate traditum rectiſſime creditur.* Abſolutio tamen Canonica, quæ conferebatur, juxta ſacros Canones, pœnitentibus, (qua poſita immunes erant a reliquis pœnis Canonicis, & publicis, & ab impedimento accedendi ad Euchariſtiam, unde dicebantur reconciliari Eccleſiæ, & Altari) poſt executionem omnium, aut ſaltem aliquarum Canonicarum pœnarum conferri ſolebat. De hac enim ita loquitur Concil. Tolet. III. *Ut ſecundum formam antiquorum Canonum detur pœnitentia, qua expleta, ſicut Sacerdotalis contemplatio probaverit, pœnitens communioni reſtituatur.* Quod attinet ad abſolutionem ſacramentalem, congruum fuit, ut per ſe loquendo ſtatim conferri poſſet poſt propoſitum exequendi pœnam injunctam a Confeſſario; quia aliter lex gratiæ non fuiſſet benignior lege naturæ, & lege ſcripta, in quibus poſt contritionem gratia conferebatur, non expectata prius ulla alia ſatisfactione. Ex quo fit, quod ſicut abſolutio ſacramentalis ſecundum ſe ſtatim conferri debet poſt confeſſionem doloroſam, non expectata prius executione pœnitentiæ impoſitæ; ita pariter haberi ſtatim poſſit per contritionem reconciliatio cum Deo, quin expectari debeat, quod peccator incipiat ſatisfacere divinæ juſtitiæ antequam cum Deo reconcilietur; aliter durior eſſet lex gratiæ lege naturæ, & ſcripta, in quibus id non exigebatur. Ipſe enim Deus offenſus ad contritionem ſtatim ponendam hortabatur, præſertim verbis laudatis Eccleſ. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.*

VI. Ad id quod additur, paritas in humanis nimis probat, atque adeo nihil. In humanis enim paſſim non remittitur offenſa, niſi poſt exhibitam plenam, & condignam ſatisfactionem, & ſæpe etiam poſt hanc ſatisfactionem amicitia priſtina non reſtituitur; at ad obtinendam reconciliationem cum Deo ſicut ab adverſariis non requiritur condigna ſatisfactio prævia, ita in ſententia Catholicorum ſufficit ex divina benignitate, quod præcedat ſolum propoſitum ſatisfaciendi.

VII. Opponitur ſecundo auctoritas S. Caroli Borromæi, D. Xaverii, & quorundam Conciliorum apud Montaltium epiſt. 10., a quibus dilatio aliqua abſolutionis ſacramentalis ſuadebatur Confeſſariis, præſertim relate ad recidivos; idque non aliunde videtur ſuaderi poſſe, niſi ut peccator incipiat prius ſatisfacere Deo offenſo; ergo univerſim ad obtinendam peccatorum remiſſionem requiritur, ut peccator aliqualem prius exhibeat ſatisfactionem divinæ juſtitiæ.

Confirmatur primo, Princeps militi ſæpius proditionem molienti, aut maritus uxori adulteræ non ſtatim ignoſcit, neque hi audent veniam petere ante ſatisfactionem non levem præſtitam: ergo neque peccator relate ad Deum offenſum.

Confirmatur ſecundo, ut poſſit reconciliari peccator cum Deo, debet prius pravos habitus tollere, quibus fit pronus ad relabendum; habitus autem pravi non tolluntur, niſi actibus contrariis: ergo peccator antequam reconcilietur cum Deo, debet alios virtutis actus exercere actibus peccaminoſis perpetratis contrarios, & interim petere ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & dare initium aliquod ſatisfactionis debitæ Divinæ juſtitiæ.

Reſpondeo conſilium D. Caroli Borromæi, & D. Franciſci Xaverii, quod differatur abſolutio illi, de quo dubitatur, an ſine hoc fræno ſit relapſurus, eſſe ſaniſſimum; at hinc non infertur, quod univerſim pœnitentibus differenda ſit abſolutio, & multo minus, quod debeat pœnitens differre contritionem, qua Deo reconcilietur; quinimo is, cui abſolutio ſacramentalis differtur, excitari debet ad contritionem, ne, ſi interim decedat, damnetur.

Ad primam confirmationem, diximus paritatem ex humanis deſumptam probare nimis; præſertim quia nec maritus uxori prima vice adulteranti, nec Princeps militi prima vice proditionem molienti ſtatim ignoſcunt, etiam poſt exhibitam condignam ſatisfactionem, & multo minus in priſtinam neceſſitudinem eos remittunt, cum tamen in ſententia Adverſariorum abſolutio non ſit differenda ei, qui ſemel tantum peccavit; nec requiritur ex Queſnello adæquata, ſed ſolum initialis ſatisfactio prævia, antequam peccator Deo reconcilietur.

Ad ſecundam, Ut peccator cum Deo reconcilietur, non debet prius pravos habitus tollere; aliter moribundus non poſſet cum Deo reconciliari neque per contritionem, neque per abſolutionem ſacramentalem; Po-

teſt

teſt ſiquidem cum pravis habitibus cohærere ſincera deteſtatio culparum, necnon etiam ſtatus gratiæ; unde ſatis eſt, quod abſolutionem, & peccati remiſſionem præcedat propoſitum ponendi ſatisfactionem ſacramentalem, propoſitum tollendi habitus vitioſos, necnon propoſitum emendationis; idque ex immenſa divini Numinis benignitate, & clementia.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LXXXVII. & LXXXVIII.

OCtogeſimaſeptima, & octogeſimaoctava eodem collineant, ut ſcilicet ad reconciliationem peccatoris cum Deo præeat tempus, quo ſentiatur peccati pondus, necnon confuſio conſentanea. Utraque eſt erronea: Prior tamen reſpicit directe Confeſſarium, docetque, ad ejus charitatem, ſapientiam, ac lumen ſpectare, quod peccatori detur tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum contritionis, & aliquatenus ſatisfaciendi divinæ juſtitiæ, antequam contritionem concipiat, aut ſacramentaliter abſolvatur, & ita reconcilietur cum Deo. Poſterior reſpicit directe pœnitentem, docetque, ex ignorantia peccati, ac veræ pœnitentiæ provenire, quod velit ſtatim ſtolam primam per peccatum amiſſam recuperare, quin prius velit ſuæ nuditatis ferre confuſionem.

Quod ſpectat ad primam, recuduntur in ea theſes illæ Janſenianæ ab Alex. VIII. proſcriptæ, quæ contendebant, præmittendam eſſe Abſolutioni ſacramentali ſatisfactionem ex Chriſti inſtitutione, & per praxim Eccleſiæ abſolvendi ſtatim peccatorem eſſe inverſum ordinem pœnitentiæ; iſtamque conſuetudinem non haberi pro uſu, ſed pro abuſu. Quam temere id aſſeratur clarius eſt luce ipſa meridiana; conſtat quippe univerſam Eccleſiam errare non poſſe. Chriſtus autem parens amantiſſimus, qui paratus eſt accurrere ſtatim ad collum pœnitentis dicentis ex corde, Peccavi, illumque oſculari, ac cito induere ſtola prima, dignatus eſt Pœnitentiæ Sacramentum inſtituere ad modum Judicii, in quo mulcta non antecedit ſententiam judicialem, ſed ſubſequitur. Propterea abſolutio ſacramentalis ſtatim conferenda eſt pœnitenti rite diſpoſito: Imponitur quippe in Clement. *Dudum*, *de ſepulturis* Sacerdoti, quod *Confeſſiones audiat*, *pœnitentias imponat*, & *abſolvat*. Niſi forte aliquando per accidens ad experiendam, & confirmandam in pœnitente firmitatem propoſiti a Confeſſario, utpote judice ſimul, & medico, differri debeat abſolutio: Tunc tamen excitandus eſt pœnitens ad contritionem perfectam, ut per illam ſtatim cum Deo reconcilietur; unde poſſit validioribus auxiliis muniri ad perſeverandum, & ad exequenda monita Confeſſarii. Ex quo etiam fit, ut ſi interim ex improviſo decedat, ſalvari poſſit. At Queſnellus non ſolum enormes iſtos Janſenianorum errores reducit, docendo, quod non ſtatim conferatur pœnitenti diſpoſito abſolutio ſacramentalis; ſed ulterius vult, quod non ſtatim ille cum Deo quomodocunque reconcilietur, atque adeo neque per abſolutionem ſacramentalem, neque per contritionem; cum dicat dandum illi tempus ad petendum ſpiritum contritionis; & deinde ſubdat, quod ſi ille vellet ſtatim reſtitui poſſeſſioni gratiæ per peccatum amiſſæ, (atque adeo ſtatim reconciliari cum Deo per contritionem, detrectando denudationis ſuæ ferre confuſionem) ignoraret, quid ſit peccatum, & quid ſit vera pœnitentia. Quid abſurdius dici, aut fingi poteſt?

Hinc patet etiam alterius theſis error; tum quia & adverſatur Dei monitis dicentis Eccleſ. 5. *Non tardes converti ad Dominum*, & *ne differas de die in diem*; tum quia exponitur peccator periculo damnationis, ſi ex improviſo decedat, antequam reconcilietur cum Deo; tum demum quia exponitur periculo relabendi, ſi perſeverat ſpoliatus bonis per peccatum amiſſis, cum deſint ei auxilia illa uberiora, quæ conferuntur a Deo ex exigentia gratiæ ſanctificantis: ut propterea Gregor. hom. 11. in Ezechiel. dixerit: *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere trahit ad aliud*. Quare ex profunda peccati, ac veræ pœnitentiæ cognitione provenit, ut velit peccator ſtatim ad Deum reverti, & in poſſeſſionem bonorum amiſſorum ex ſumma ejus clementia reſtitui, quin detrectet confuſionem tum præſentem, tum futuram, ex jugi cogitatione, quod tam bonum Dominum offenderit. Ad charitatem vero, ſapientiam, ac lumen Confeſſarii ſpectat, ut pœnitentem rite diſpoſitum quantocyus cum Deo reconciliet, impertiendo ſtatim (niſi aliud hic, & nunc expedire videatur) abſolutionem ſacramentalem; ut ſi forte deſit illi vera contritio, ſaltem per attritionem cum Sacramento poſſit amiſſam gratiam recuperare. Etenim ſi olim in lege naturæ, ac in lege ſcripta ſtatim poſt contritionem (etiam nulla alia ſatisfactione præ-

præmiſſa) conferebatur a Deo ſua amicitia peccatori; nunc in lege gratiæ, quæ eſt longe benignior, ſtatim poſt attritionem pœnitenti confertur abſolutio ſacramentalis, & gratia, dummodo detur propoſitum ponendi poſtmodum ſatisfactionem a Confeſſario injunctam; qui fuit mos Eccleſiæ antiquiſſimus, ac proinde ex traditione Apoſtolica derivatus. Quamvis enim pœnitentiæ in ſacris Canonibus injunctæ præmitterentur olim Abſolutioni Canonicæ, qua pœnitens reſtituebatur Eccleſiæ, & Altari; ſatisfactio tamen, quæ eſt pars integralis Sacramenti, non erat præmittenda pro foro interno Abſolutioni Sacramentali, qua homo reconciliatur cum Deo offenſo.

PROPOSITIO LXXXIX.

Quartuſdecimus gradus converſionis peccatoris eſt, quod cum ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ. *Queſnell. Luc.* 15. 23. *edit.* 1693.

SYNOPSIS.

I. Duplex hujus theſis ſenſus uterque eſt erroneus; præſertim quod per peccatum homo ſit extra Eccleſiam, & amittat jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ.

II. Peccator eſt Eccleſiæ membrum, quamvis mortuum, unde non amittit jus aſſiſtendi Sacro.

III. Excommunicatis dumtaxat, qui ſunt membra reciſa ab Eccleſia, vetatur audire Sacrum, & intereſſe Divinis officiis. IV. Si quilibet peccator teneretur ab audiendo ſacro abſtinere, pauci admodum Sacro intereſſent. V. Sicut peccator jus habet ſuſcipiendi ſacramentum Pœnitentiæ, ita pariter jus habet aſſiſtendi Sacrificio altaris. VI. Quamvis magis indignus ſit qui Sacrificio aſſiſtat, peccator nondum reconciliatus cum Deo, quam excommunicatus, qui per contritionem eſt Deo conjunctus; at huic tantum jure merito ab Eccleſia prohibetur auditio ſacri, non illi. VII. Ad eum modum, quo peccator non amittit habitus infuſos fidei, & ſpei, quamvis iis ſit indignus, nec privatur charactere baptiſmali, nec auxiliis ſupernaturalibus, ita nec amittit jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ.

I. DUplex videri poſſet eſſe ſenſus hujus theſis, uterque cohærenter ad alias Queſnelli theſes, uterque pariter erroneus. Primus poſſet eſſe, quod peccator eo ipſo ac eſt reconciliatus, habeat jus aſſiſtendi Sacro, quantumvis per excommunicationem præviam ab eo audiendo, & a divinorum officiorum uſu impediretur. Cum enim in ſequentibus theſibus ſermo ſit de excommunicatione, & in nonageſima prima dicatur; quod ab Eccleſia non exeat peccator, quando ab ea videtur per excommunicationem expulſus, ſi Deo, Jeſu Chriſto, & ipſi Eccleſiæ per charitatem ſit affixus, dubitari poſſet, num hic etiam Auctor velit innuere, quod nulla ſit habenda ratio excommunicationis, ubi peccator ſit Deo reconciliatus, unde poſſit ſtatim aſſiſtere ſacrificio Eccleſiæ. Quod pariter videtur cohærere cum nonageſima tertia, ubi dicitur, quod a Chriſto Domino ſanentur vulnera, quæ a præcipiti Paſtorum zelo infliguntur; perinde quaſi ſufficiat, quod vulnus animæ per contritionem ſanetur, ut poſſit ſtatim ante abſolutionem a cenſuris reſtitui Eccleſiæ peccator, poſſitque illico Miſſæ, ac Divinis Officiis intereſſe. Equidem non arbitror, quod juxta hunc ſenſum hæc theſis accipienda ſit. Certum quippe eſſe debet, quod ſicut Cenſura per actum judicialem infligitur, ita ſine actu judiciali non tollatur, ne in foro quidem conſcientiæ: propterea proſcripta fuit ab Alexandro Septimo theſis illa 44. quæ habet: *Quoad forum conſcientiæ, Reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.* Quamvis enim Cenſura ſit pœna medicinalis, juxta illud 1. ad Cor. 5. *Judicavi tradere hujuſmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit:* non per hoc ſtatim ceſſat ceſſante contumacia, ex cap. *Qua fronte*, de Appellat. & cap. *Cum deſideres*, de ſent. excommunicat. Verum quidem eſt, quod Cenſura, quatenus habet rationem medicinæ, ceſſare debeat ægro jam curato, nihilominus quatenus habet etiam rationem pœnæ, indiget actu Eccleſiaſticæ Juriſdictionis, ut tolli poſſit: Hinc enim fit quod ſicut Reus fuit ſenſibiliter contumax Eccleſiæ, ita viſibiliter etiam eidem ſubjiciatur, & ab ea abſolvatur. Jus quippe, quod ab Eccleſia acquiritur adverſus contumaces, per ſolam reſipiſcentiam non extinguitur: Ad eum prorſus modum, quo jus, quod acquirit Judex ad puniendum furem ratione furti, non extinguitur per ſolam reſtitutionem rei alienæ.

Alter tamen hujus theſis ſenſus, qui videtur a Queſnello intentus eſt, quod eatenus peccator poſt reconciliationem acquirat illico jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ, quia ante reconciliationem per peccatum extra Eccleſiam reperiebatur, non ſecus ac hæreticus, aut excommunicatus; ut proinde tanquam

quam membrum ab Eccleſia reciſum, non ſolum nullum jus habeat aſſiſtendi ſacro, ſed nec etiam poſſit illud audire, aut divinis officiis intereſſe. Cum enim in ſeptuageſima ſecunda, & aliis ſubſequentibus theſibus dicatur Eccleſia electos, & juſtos complecti, & in ſeptuageſima octava diſerte aſſeratur, ſeparari a populo electo tam eum, qui non credit Evangelio, quam eum, qui non vivit ſecundum Evangelium: conſectarium eſt, quod in ſententia Queſnelli eodem modo amittat jus aſſiſtendi ſacro hæreticus, ac peccator; & ideo in hac theſi dicitur, quod peccator per reconciliationem jus habeat aſſiſtendi ſacrificio Eccleſiæ; non ſecus ac hæreticus, & excommunicatus poſt abſolutionem jus habent ad ſacrum audiendum, quòd prius propter hæreſim, aut excommunicationem audire licite non poterant.

II. Oſtenditur autem hujus doctrinæ falſitas. Primo ex iis, quæ adverſus prædictas theſes diximus oſtendendo Eccleſiam Dei etiam a peccatoribus, & reprobis conflari, ut proinde per culpam non reponatur extra Eccleſiam peccator, nec jus amittat audiendi ſacrum; cum potius ratione præcepti Eccleſiaſtici ad illud audiendum diebus feſtis teneatur. Et ſane quod peccator ſit Eccleſiæ membrum, mortuum quidem, ſed non reciſum ab Eccleſia, quod proinde vivificari poſſit a gratia ſanctificante per charitatem, ad quam diſponant actus ſupernaturales fidei, & ſpei, (quorum actuum habitus per quodcunque peccatum non amittuntur) fit perſpicuum verbis illis Chriſti Dom. Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum; ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum ſtet omne verbum: quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ.* Profecto Eccleſia non judicat de iis, qui extra illam ſunt; dicente Apoſtolo 1. ad Cor. 5. *Quid mihi de his, qui foris ſunt, judicare?* cum autem Chriſtus præcipiat, ut peccator poſt fraternam correptionem, ſi non emendetur, Eccleſiæ denuncietur, quæ de illo judicet, & a ſe per excommunicationem illum ſeparet, ſi in vitiis ſuis inſordeſcat, juxta id, quod ibidem additur: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus;* manifeſte ſequitur, quod peccator non ſit extra Eccleſiam, præciſe ratione culpæ, atque adeo non amittat jus aſſiſtendi ſacrificio Eccleſiæ, ut ex meritis Chriſti Domini poſſit uberiora auxilia obtinere ad reſipiſcendum.

III. Oſtenditur ſecundo, quia Eccleſia ſolum excommunicatis prohibet, ne ſacro, ac divinis officiis interſint, non vero peccatoribus, imo his præcipit Sacri auditionem diebus feſtis; quod ſi per peccatum jus amiſiſſet peccator aſſiſtendi Sacrificio Miſſæ, non ſecus ac irretitus excommunicatione, ſequeretur, quod Eccleſia præcipiendo ſacri auditionem obligaret illum ad novum peccatum patrandum: non ſecus ac ad novum peccatum patrandum obligaret Eccleſia peccatorem, ſi illi præciperet, quod communicet, dum eſt in ſtatu peccati mortalis, vi cujus amiſit jus ad communicandum. Ratio autem quare peccator amittat jus ad ſacram ſynaxim recipiendam, dum eſt in ſtatu peccati mortalis, non tamen amittat jus aſſiſtendi ſacro, eſt, quia ſi peccator indigne Euchariſtiam ſumeret, Sanctum daretur canibus, & margaritæ ante porcos projicerentur; quod rationis dictamini, ac divino præcepto repugnat. Contra vero peccator, dum Sacrificio aſſiſtit, cultum exhibet Chriſto exteriorem, & piis actibus, ac ſupplicibus precibus fructum poſtulat Sacrificii, ut poſſit ſuperno lumine illuſtratus in priſtinum divinæ amicitiæ ſtatum per pœnitentiam redire; unde non amittit jus per peccatum aſſiſtendi ſacro, quod per characterem baptiſmalem obtinuit. Potuiſſet quidem Chriſtus D. ex Eccleſia ejicere, immo ſtatim in infernum detrudere Reos omnes læſæ Majeſtatis Divinæ, ſed immenſa ejus Clementia, & Longanimitas vult ſuis auxiliis (quæ ubertim ex ſuis vulneribus, dum ſacrificium incruentum offertur, erga omnes, ſed præſertim erga circumſtantes effluunt) peccatores e dæmonis captivitate eripere, & miſericordiam ſuam in illos exercere; cupit enim eſſe, & nuncupari Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, non vero Pater Juſtitiarum, & Deus totius amaritudinis, multus ad ignoſcendum, non vero multus ad puniendum. Propterea non ſolum non ejicit e ſuo ovili oves aberrantes, quin potius illas perquirit, & ubi repererit, imponit in humeros ſuos gaudens, perinde quaſi theſaurum reperiiſſet; tantumque abeſt, ut velit a præſentia Sacrificii Eccleſiæ illos abigere, ut potius velit illos etiam præcepto Eccleſiaſtico ad illi aſſiſtendum, ſaltem diebus feſtis, adigere, ut facilius poſſint reſipiſcere, & in filios iterum adoptari.

IV. Confirmatur, quia ſi deberet peccator ab audiendo ſacro abſtinere, ſequeretur, quod rari admodum ſacro aſſiſterent: quatenus, ut habetur Eccleſ. 9. *Neſcit homo, utrum amore, an odio dignus ſit;* præſertim quia ex D. Bernardo; *Bonæ mentis eſt, ibi culpam agnoſcere, ubi culpa non eſt.* Cultus autem

autem Deo debitus valde minueretur, ſi pauci admodum eatenus aſſiſterent Sacrificio, quod pro omnibus quidem, ſed præſertim pro peccatoribus offertur; cum ſit Sacrificium propitiatorium. Quinimo cum dixerit Chriſtus D. Marci 2. *Non neceſſe habent ſani Medico, ſed qui male habent; non enim veni vocare Juſtos, ſed peccatores*; videtur magis in negotio Redemptionis, atque adeo in Sacrificii Euchariſtici inſtitutione intendiſſe, quod peccatores revocarentur ad vitam gratiæ, quam quod juſti vitam gratiæ, qua prædiți ſunt, abundantius haberent; atque adeo magis intendiſſe, quod prima gratia obtineretur peccatoribus, quam quod juſtis obtineretur ſecunda gratia, ſeu gratiæ augmentum. Adde, quod licet lis ſit inter Scholaſticos, utrum Adamo non peccante Verbum fuiſſet incarnatum, nihilominus qui tuentur Chriſtum deficientibus culpis fuiſſe venturum ad exaltandam naturam innocentem, unanimiter docent, quod in tali hypotheſi Chriſtus non veniſſet paſſibilis, ſed veniſſet in carne impaſſibili, & glorioſa; quare ea tantum de cauſa venit in carne paſſibili, & obtulit Sacrificium cruentum in Cruce, (quod idem omnino eſt ex Tridentino ſeſſ. 22. cap. 2. ac ſacrificium altaris incruentum, ſola offerendi ratione diverſum) ut nos redimeret ab omnibus iniquitatibus noſtris. Quod ſi clementiam ſuam uſque adeo erga peccatores oſtendit, ut pro illis voluerit ſacrificium cruentum offerre, ac deinde incruentum uſque ad Mundi conſummationem, quomodo fieri potuiſſet, ut vellet peccatores a Sacrificio abeſſe? *Hujus quippe*, (ut habet Tridentinum laudatum) *oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit*. Quare homo vi baptiſmalis characteris eſt intra ſepta ovilis Chriſti, & jus habet percipiendi ritu debito alia Sacramenta, & aſſiſtendi Sacro, juxta Chriſti inſtitutionem.

V. Confirmatur ſecundo, quia Chriſtifidelis, quantumvis innumeris culpis gravatus, adhuc jus habet ſuſcipiendi ſacramentum Pœnitentiæ, quippe quod ex primario fine pro peccatoribus inſtitutum eſt, ideoque vocatur Sacramentum mortuorum; quamvis etiam profit juſtificatis per contritionem, necnon iis, qui ſolum venialiter deliquerunt: Ergo pariter peccator ante reconciliationem jus habet aſſiſtendi Sacrificio; quippe quod licet Latreuticum ſit, Propitiatorium, Euchariſticum, & Impetratorium, hoc eſt inſtitutum ad Dei cultum, (prout olim fiebat in lege veteri per Holocauſtum) inſtitutum etiam ad avertenda peccata, & pœnas peccatis debitas, (quod fiebat per Sacrificium, ſeu per Hoſtiam pro peccato,) & inſtitutum ſimul in gratiarum actionem, & ad nova beneficia impetranda, (quod utrumque olim fiebat per Hoſtiam pacificam) nihilominus quatenus repræſentant Sacrificium cruentum in ara Crucis oblatum pro peccatoribus, potius offertur ad peccata delenda, quam pro Juſtis in gratiarum actionem, aut ad nova beneficia impetranda; atque adeo jus habet Chriſtifidelis peccator etiam ante reconciliationem aſſiſtendi huic ſacrificio, non ſecus ac jus habet ſuſcipiendi ſacramentum Pœnitentiæ.

VI. Opponitur ex Queſnello parabola illa Lucæ 15. Prodigi illius Adoleſcentis, qui diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſe, nec jus habuit ad recumbendum in menſa Patris, antequam cum illo reconciliatus fuiſſet poſt verba illa, *Pater peccavi in cœlum, & coram te:* quibus prolatis Pater induit illum ſtola prima, juſſitque occidi vitulum ſaginatum, ut cum illo manducaret; ergo pariter poſt reconciliationem peccator jus habet aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ. Et ratio videtur eſſe, quia novum temeritatis crimen incurreret, qui ad conſpectum Chriſti pro ſe mactati perfricta fronte accederet, cum per peccatum reus ſit velut Chriſticidii.

Confirmatur primo, quia multo magis indignus eſt, ut huic Sacrificio interſit, qui nondum eſt Deo reconciliatus poſt peccatum, quam qui excommunicatione innodatus nondum eſt ab illa abſolutus, licet per contritionem Deo ſit conjunctus; atqui hic jus non habet aſſiſtendi ſacrificio Eccleſiæ; ergo multo minus ille.

Confirmatur ſecundo, quia indignus eſt, qui in convivio Euchariſtico aſſideat non indutus veſte nuptiali; & ideo jus non habet communicandi, qui nondum eſt reconciliatus, non ſolum per contritionem, ſed etiam per confeſſionem ſacramentalem; atqui pariter indignus eſt, qui Sacrificio incruento aſſiſtat reus mortalis culpæ; ergo neque hic habet jus aſſiſtendi huic Sacrificio ante reconciliationem.

Reſpondeo, ex illa parabola potius oppoſitum evinci; ſicut enim adoleſcens ex titulo filiationis naturalis jus quoddam habebat redeundi ad Patrem ad veniam obtinendam; ita baptizatus, qui gratiam amiſit per peccatum, quia ratione characteris baptiſmalis eſt Dei domeſticus, ideo ſicut debitum retinet præſtandi Deo obſequium per Sacrificium Eccleſiæ, ita jus habet eidem aſſiſtendi ad impetranda auxilia, ut poſſit reſipiſcere,

re. Ad id, quod additur, non dicitur temeritatis notam incurrere peccator, qui aſſiſtit ſacrificio ad Deum colendum, & ad obtinenda auxilia, quæ vi illius ubertim conferuntur.

Ad primam confirmationem; in tantum excommunicatus, qui Deo reconciliatus eſt per contritionem, non poteſt ſacrificio intereſſe, quia per excommunicationem eſt extra Eccleſiam, & prohibentur illi jure poſitivo divina officia, quouſque a cenſura abſolvatur; unde peccaret, ſi Sacro intereſſet. At peccatori non ſolum non prohibetur Sacro adeſſe, ſed etiam præcipitur, ut diebus feſtis illi interſit; unde peccaret, ſi præceptum hoc violaret. Congruum propterea eſt, ut excommunicato prohibeatur auditio Sacri, donec abſolvatur, & quod peccatori ea præcipiatur, etiam antequam Deo reconciliatus ſit per contritionem.

VII. Ad ſecundam: quamvis indignus ſit quolibet cæleſti beneficio, qui reus eſt læſæ Majeſtatis divinæ, nihilominus ſicuti ex divina clementia non amittit habitus infuſos fidei, ac ſpei, quibus pariter eſt indignus, nec amittit characterem, quo Dei domeſticus conſtituitur, nec privatur auxiliis ſupernis, quibus excitatur ad pœnitentiam; ita nec expellitur ab Eccleſia, nec jus amittit aſſiſtendi Sacrificio, juxta antiquiſſimam Eccleſiæ praxim, quam reſpuere nonniſi audaciſſimus, & iniquiſſimus poterit, non ſine magna injuria erga benigniſſimum Redemptorem, qui peccatores non ſolum non expellit a ſe, ſed peramanter advocat, & allicit, ut ad priſtinam ſecum reducat amicitiam.

Opponunt deinde Queſnelli Aſſeclæ, quod hic non docuerit, peccatorem per reconciliationem acquirere jus aſſiſtendi Sacro, ſed ſolum docuerit, quod peccator reconciliatus aſſiſtat Sacrificio Eccleſiæ, (ut habetur in Codice e Gallico latine verſo Pariſiis in lucem edito anno 1694) indicans dumtaxat, quod poſt reconciliationem non ſit amplius indignus, qui Sacro interſit, non vero quod ante reconciliationem peccet aſſiſtendo Sacrificio Eccleſiæ.

Sed contra eſt, quia ex adjunctis conſtat, verbis illis in Codice Queſnelliano expreſſis illud ipſum ſignificari, quod in hac theſi diſertius exponitur, & in aliis Editionibus reperitur, videlicet peccatorem vi reconciliationis cum Deo habere jus aſſiſtendi Sacro, atque adeo ante reconciliationem carere tali jure; unde ſi aſſiſteret Sacrificio Miſſæ, ſine jure, hoc eſt ſine legitima facultate illi aſſiſteret, & ideo audiendo Miſſam peccaret. Ratio eſt multiplex; Primo, quia dum Queſnellus docet, decimumquartum converſionis peccatoris gradum eſſe, quod reconciliatus aſſiſtat Sacrificio Eccleſiæ, quid aliud his verbis denotat, niſi quod per reconciliationem peccator gradum faciat a non legitima aſſiſtentia Sacro ad legitimam aſſiſtentiam, atque adeo vi reconciliationis habeat jus audiendi Sacrum, quo antecedenter carebat? Deinde, quia pariformiter ibidem Queſnellus ſubdit, decimumquintum converſionis peccatoris gradum eſſe, quod reconciliatus, & Sacro aſſiſtens paſcatur carne Jeſu Chriſti; manifeſtum autem eſt, quod poſt debitam reconciliationem peccator ita accedat ad Sacram Synaxim, ut habeat jus, ſeu legitimam facultatem accedendi, qua procul dubio ante reconciliationem carebat, adeo ut peccaret, ſi accederet: ergo pariter ita poſt reconciliationem ex Queſnello aſſiſtit Sacro, ut vi reconciliationis habeat jus aſſiſtendi, quo tamen jure ante reconciliationem carebat, adeo ut peccaret, ſi aſſiſteret.

Confirmatur, quia Queſnellus in theſi quinquageſima nona docet, orationem peccatoris eſſe novum peccatum. Ad quem errorem tuendum Queſnelliani abutuntur verbis illis Prov. 15. *Victimæ impiorum abominabiles*, ut diximus in expoſitione illius theſis; ergo a fortiori eſſet peccatum auditio Miſſæ, quæ eſt actus Religionis præſtantior, ipſam imbibens orationem. Et in ſeptuageſima octava vult, peccatorem, non ſecus ac hæreticum, & excommunicatum, eſſe extra Eccleſiam, a conſortio fidelium ſegregatum; quare ſicut hæreticus, & quilibet excommunicatus etiam toleratus ita dicitur poſt reconciliationem, & abſolutionem a cenſuris aſſiſtere Sacro, ut tunc ſolum habeat jus aſſiſtendi, & ſi antecedenter aſſiſtat, peccet: ita in ſententia hujus Auctoris peccator reconciliatus aſſiſtit Sacro, quatenus per reconciliationem obtinet jus aſſiſtendi, quo antecedenter carebat; ut proinde non ſine culpa aſſiſteret. Quod tamen quam ſit abſonum, ac erroneum, ſatis ſuperque demonſtratum eſt.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LXXXIX.

OCtogeſima nona inter gradus converſionis peccatoris reponit, quod per reconciliationem cum Deo jus habet aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ; perinde quaſi peccatori, tanquam hæretico, aut excommunicato, & ab Eccleſia ſejuncto, interdiceretur,

quod Miſſæ, aliiſque divinis Officiis interſit, antequam abſolvatur, & ſic ad Eccleſiam regrediatur. Mirum non eſt, quod ita ſentiat Queſnellus, qui vult peccatores ad Eccleſiam non pertinere, præſertim quia in theſi 78. diſerte docet, tam ſeparari ab Eccleſia peccatorem non vivendo ſecundum Evangelium, quam hæreticum, non credendo Evangelio. Erroneum tamen eſt dicere, quod peccatores ad Eccleſiam non pertineant, ut ibi oſtendimus. Erroneum pariter dicere, quod ſi ad Eccleſiam pertineant, vetetur illis, quod Sacrificio interſint, antequam reconcilientur cum Deo; quinimo præcipitur illis ſub mortali, ut diebus feſtis Miſſam audiant, illamque licite, ac laudabiliter audiunt profeſtis diebus, quando ea non præcipitur, ut impetrent a Deo auxilium ad reſurgendum. Etenim, ut habet Tridentin. ſeſſ. 22. cap. 2. *Hujus oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & ingentia etiam peccata dimittit.* Additurque, unum idemque eſſe Sacrificium incruentum, quod nunc in altari offertur, ac Sacrificium cruentum olim oblatum in ara crucis, ſola ratione offerendi diverſum; propterea ſicut tunc illud multis aſtantibus auxilia contulit ad pœnitendum; unde Luc. 23. dicitur: *Omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur;* ita pariter Sacrificium incruentum peccatoribus prodeſt ad obtinendum donum pœnitentiæ, ſi illi religioſe aſſiſtant. Quare per peccatum ſolum amittitur jus ſuſcipiendi Sacramenta vivorum ante reconciliationem cum Deo, quæ fiat vel per contritionem, vel per attritionem cum Sacramento pœnitentiæ: (imo ad Euchariſtiam ſumendam, quæ eſt Sacramentorum omnium maximum, in quo ipſe Author ſanctitatis exiſtit, neceſſario prærequiritur ſacramentalis Confeſſio) & ratio eſt, quia iſthæc Sacramenta unice pro vivis inſtituta ſunt; & idcirco vitam gratiæ debent præſupponere. At ſicut per peccatum non amittitur jus ad ſuſcipienda Sacramenta mortuorum, quia pro peccatoribus inſtituta ſunt, ut per illa cum Deo reconcilientur; ita nec amittitur jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ ante hanc reconciliationem, quia pariter hoc Sacrificium a Chriſto D. benigniſſime etiam pro peccatoribus inſtitutum eſt, ut poſſint inde gratias obtinere ad reſurgendum. Quare ſicut ex ſumma Dei miſericordia fidelibus, qui per peccatum gratiam amittunt, relinquuntur habitus ſuperni fidei, & ſpei, quando peccatum his virtutibus non adverſatur, ut per auxilia ab iis exigita connaturalius poſſint diſponi ad reſipiſcendum; ita ex eadem ſumma miſericordia provenit, ut pro peccatoribus poſſit Sacrificium applicari, & ut poſſint eidem peccatores aſſiſtere, ut iis proſit ad reſurgendum.

Quibus adde, falſum etiam eſſe, quod hic eſſet quartuſdecimus gradus converſionis peccatoris; ſiquidem erronee a Queſnello ibidem reponitur ſecundus gradus in eo, quod *Ubi Dei amor regnare deſiit, neceſſum ſit, ut regnet carnalis cupiditas, quæ ejus actiones corrumpat*, ut oſtendimus in theſi 45. Quare theſis iſthæc (ut aliæ omnes) uſquequaque erroribus ſcatet doctrinæ Catholicæ repugnantibus.

PROPOSITIO XC.

Eccleſia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu ſaltem præſumpto totius corporis. *Queſn. Matth.* 18. 17. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO XCI.

Excommunicationis injuſtæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro: Nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus. *Queſnellus Joan. 9. 22. & 23. edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO XCII.

Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quam prodere veritatem, eſt imitari S. Paulum: tantum abeſt, ut ſit erigere ſe contra authoritatem, aut ſcindere unitatem. *Queſn. Roman. 9. 3. edit.* 1693. & 1699.

PRO-

PROPOSITIO XCIII.

JESUS quandoque ſanat vulnera, quæ præceps Primorum Paſtorum feſtinatio infligit ſine ipſius mandato: JESUS reſtituit, quod ipſi inconſiderato zelo reſcindunt. *Queſnel. Joann.* 18. 11. *edit.* 1693. *&* 1699.

SYNOPSIS.

I. Si hæc ita ſe haberent, uti aſſeritur in hiſce Theſibus, inutilis eſſet uſus Eccleſiæ antiquiſſimus ferendi cenſuras.

II. Eo collineat Queſnellus, ut abſque metu excommunicationis omnes Janſeniani ſubſcribant formulæ præſcriptæ, qua hæreſes Janſenii damnantur, quamvis non jurent ad mentem Pontificis exigentis tale juramentum. III. Multifariam poteſt cenſura eſſe aut invalida, aut injuſta. IV. Poteſt etiam ſententia excommunicationis eſſe vel evidenter, vel ſolum probabiliter injuſta, aut nulla. V. In quonam ſenſu verum eſt, quod cenſura etiam injuſta timenda ſit. VI. Exponitur Regula Summuliſtica ad dignoſcendam vim harum, ac ſimilium theſium confixarum, quando ſunt indefinitæ.

VII. Enormiter errat theſis, quæ docet ad validitatem cenſuræ requiri conſenſum præſumptum Eccleſiæ, atque adeo etiam Laicorum. VIII. Si hoc eſſet, Eccleſiæ caput ſubderetur corpori. IX. Et quilibet facile putaret cenſuram ſuam nō fuiſſe latam de conſenſu Eccleſiæ præſumpto. X. Sicut uni Paſtori denunciari debet, qui non emendatur, ita ab uno Paſtore, independenter a conſenſu Eccleſiæ, ille eſt excommunicandus.

XI. Timenda eſt Excommunicatio, quæ nobis videtur injuſta, Paſtori tamen videtur juſtiſſima. XII. Obtemperandum in iis omnibus, in quibus non eſt evidens, quod ſubſit culpa. XIII. Pontifex errare non poteſt in quæſtionibus facti connexis cum quæſtionibus juris ad fidem, vel ad mores pertinentibus: Et quamvis in aliis quæſtionibus facti errare poſſit, ſemper tamen ei obtemperandum, quoties non eſt evidens, quod cenſura ſit injuſta, vel nulla, aut quod peccatum contineat id quod præcipitur.

XIV. Pati potius excommunicationem, quam prodere veritatem tunc ſolum poſſumus, quando evidens omnino eſt, anathema eſſe injuſtum. XV. Vulnera a Paſtoribus inflicta per excommunicationem Chriſtus non ſanat per hoc præciſe, quod quis credat, ea inconſiderato zelo fuiſſe inflicta.

XVI. Inane eſt Queſnellianorum effugium.

I. SI theſes iſtæ verum haberent inutilis omnino eſſet uſus Eccleſiæ jam inde a tempore Apoſtolorum antiquiſſimus ferendi Cenſuras; ecquis enim non ſtatim crederet, Cenſuram contra ſe latam eſſe nullam, aut eſſe injuſtam, ut proinde ea non ligetur? Etenim juxta theſes iſtas ſatis eſt primo ad excommunicationis nullitatem, ſi non præſumatur conſenſus totius Eccleſiæ relate ad illam ferendam; cuilibet autem ſtatim occurrere poſſunt rationes in ſpeciem non leves, quibus ſibi perſuadeat conſenſum totius Eccleſiæ non præſumi, ut hæc vel illa cenſura feratur; atque adeo quilibet facile ſe immunem crederet a vinculo excommunicationis. Sufficit ſecundo, ut nemo credat ſe ab Eccleſia vi excommunicationis exiiſſe, ſi excommunicatio cenſeatur injuſta; quilibet autem facile perſuadebit ſibi, injuſtitiam aliquam in Cenſura contineri, ſive injuſtitia oriatur ex defectu cauſæ ſufficientis, ſive ex defectu ordinis cauſæ, ſive aliunde; & ideo ex hoc etiam capite nemo ſe crederet ab ulla excommunicatione irretitum: Nemo pariter legibus ſub interminatione excommunicationis aliquid præcipientibus obtemperaret, ex hoc motivo, quod excommunicationis injuſtæ metus non debeat nos a noſtris operationibus aut debitis, aut licitis retardare. Neque enim ab Eccleſia eximus ex Queſnello, quando ex hominum nequitia videmur per excommunicationem expulſi, ſi per charitatem Deo, Chriſto Domino, & Eccleſiæ affixi ſumus. Sufficit tertio, quod quis anathema credat eſſe injuſtum, ut in pace illud meritorie patiatur, dum non retrahit ſe ab iis operationibus, quas cenſet ſibi injuſte vetari. Quinimo Apoſtoli veſtigiis (qui cupiebat anathema eſſe pro fratribus ſuis) dicitur inhærere, qui errores, quos cenſet eſſe Catholicas veritates, aliis inſinuat, ac inculcat, quantumvis id ſibi ſub pœna excommunicationis inhibeatur. Neque in hoc ullatenus ſeſe adverſus Eccleſiæ auctoritatem erigere cenſendus eſt, quamvis Eccleſiæ judicio præferat, quod ſibi verius videtur; neque unitatem ſpiritus, ac corporis Eccleſiæ ſcindere, quamvis Eccleſiæ Capiti in rebus etiam ad fidem, & mores pertinentibus non ſe ſubmittat. Sufficit demum, ut quis putet præcipiti feſtinatione a primis Paſtoribus, & ab ipſomet Pontifice vulnera latis cenſuris inflicta eſſe abſque Chriſti Domini mandato, ut poſſit quis ſe ſanum omnino reputare, credens reſtitui ſibi a Chriſto Domino, quod ſibi ab ejus

Vicario reſciſſum eſt; prout Chriſtus Dominus Lucæ 22. dicitur ſanaſſe ſuo contactu Malchum, cujus auriculam præcipiti zelo D. Petrus amputaverat.

II. Porro dum hæc omnia non ſine ſtomacho Queſnellus obtrudit in ſuo Codice paſſim Janſenizante, diſerte videtur velle, ut Janſeniani Cenſuras non reformident, unde poſſint tuto ſubſcribere formulæ præſcriptæ, & non ad mentem Pontificis, abſque metu incurrendi in excommunicationem, quam docet eſſe injuſtam, & ſine conſenſu ſaltem præſumpto corporis Eccleſiæ: necnon ut tuto poſſit ſuos errores diſſeminare, ac in praxim reducere, quamvis Paſtores Eccleſiæ, & ipſemet Pontifex ſub interminatione excommunicationis id non ſemel vetuerint. Quo etiam collineant ſequentes theſes, Poteſtatibus non ſolum Eccleſiaſticis, ſed etiam ſæcularibus valde injurioſæ; in quibus docet Eccleſiam fovere ſchiſmata, ac diviſiones, damnando hæreſes Janſenianas, ac lingua peregrina loqui; unde quodammodo ſenuerit. Docet etiam Poteſtates ſæculares adverſari Janſenianis, ut eorum victoria Deo tribuatur; Janſenianos cenſeri impios, hæreticos, flagitioſos, eorumque libros pernicioſos; cum tamen pietatem redoleant: Ac demum juramenta, quę Janſeniani coguntur præſtare, dum ſubſcribunt formulæ ab Alexand. VII. præſcriptæ, eſſe ſpiritui Dei, ac doctrinæ Chriſti contraria. Sic enim putant in re tam gravi, tamque hæreticorum propria, ſibi, & aliis imponere: Quod deinceps ſuſius oſtendetur.

III. Nunc autem antequam iſtarum de excommunicatione theſium virus patefaciam, adverto pluribus de cauſis cenſuram poſſe aut omnino eſſe nullam, aut injuſtitiam continere, etiamſi ſit valida.

Eſt quidem nulla primo ex defectu Juriſdictionis, ut ſi lata ſit ab excommunicato, vel ſuſpenſo, aut ab intruſo, vel non rite electo, aut aliter uſurpante juriſdictionem, quam non habet; vel ſi appellatio ante ſententiam ſit interpoſita, vel ſi ſententia contineat intolerabilem errorem; puta ſi quis excommunicetur explicando in ipſa ſententia cauſam vel prorſus iniquam, vel irrationabilem, vel inſufficientem; v. gr. quia non contrahit matrimonium, ad quod non tenetur, quia non audit Miſſam quotidie, quia non audit Concionem ſingulis feſtis; aut ſi quis ſuſpendatur abſque ulla cauſa, ſolum quia non eſt gratus Epiſcopo; ſi enim publice, & juridice ex ipſa ſententia conſtet iſthæc injuſtitia, proculdubio ſententia erit nulla etiam ex defectu jurisdictionis. Secundo eſt nulla ex defectu ordinis juridice ſubſtantialis, ut ſi aperte feratur contra leges, vel Canones; puta ſi excommunicatio feratur contra participantes abſque trina monitione, ex cap. *Statuimus* de ſent. excom., & cap. *Conſtitutionem* eodem titulo in 6. Tertio ex defectu cauſæ legitimæ, ut dictum eſt; tunc enim pariter nulla eſt ex defectu jurisdictionis, quæ non ſe extendit ad cenſuram ſine cauſa ferendam.

Injuſta vero dicitur eſſe cenſura, primo ſi injuſtam cauſam contineat: (in quo caſu eſt etiam nulla) Secundo ſi feratur a Judice ex iniqua intentione, vel odio, aut ſimili cauſa; verum ſi ex hac intentione nulla alia injuria ſequatur, ſententia non erit proprie injuſta, ſed lato modo, prout juſtitia dicitur generaliter de omni virtute, & injuſta dicitur quæcumque actio, quæ non eſt moraliter bona. Tertio ſi non ſervetur ordo juris accidentalis; in quo caſu dicitur injuſta, quatenus opponitur juſtitiæ legali, non vero juſtitiæ commutativæ. Quia tamen non pervertitur ſubſtantialis ordo juris, ideo injuſta ſimul eſt, & valida, tum jure naturæ, tum jure poſitivo, in quo non petitur talis conditio ut ſubſtantialis. Quarto ſolet dici injuſta, ſi re vera contineat inæqualitatem, & injuriam, quamvis ſecundum allegata, & probata ſit juſta; unde non eſt ſimpliciter valida, ſed ſolum ſecundum quid; ſicut non eſt ſimpliciter juſta, ſed ſolum ſecundum quid, cum ſolum ſit juſta ex parte actionis, injuſta vero ex parte rei.

IV. Adverto ſecundo, ſententiam excommunicationis, aut alterius Cenſuræ aliquando eſſe evidenter, ſeu certo moraliter nullam, aut injuſtam; ut ſi aperte contineat errorem intolerabilem, aut ſi legitime ejus nullitas declarata ſit; aliquando vero eſſe ſolum nullam, aut injuſtam probabiliter, vel apparenter. Præterea aliquando eſt nulla, aut injuſta in re ſimul, & in publica ſcientia, & exiſtimatione communi; aliquando vero eſt nulla ſolum in re, ſed non in publica ſcientia, & exiſtimatione aliorum. Non videtur tamen, ut notat Suarius, dari poſſe viceverſa ſententia cenſuræ, quæ ſit in re valida, & non ſimul ſit valida in exiſtimatione, ſeu ſcientia publica: quamvis enim evenire facile poſſit, quod talis ſententia apud multos male affectos, aut ignaros non cenſeatur valida; quia tamen juridice lata eſt, debet per ſe loquendo ex ſe ferre ſufficientem notitiam publicam ſuæ validitatis.

V. Adverto tertio, diſtinctione pariter opus eſſe ad percipiendum ſenſum illius ſententiæ celeberrimæ D. Gregorii Homil. 26. in

in Evang. relatæ a Gratiano 11. quæſt. 3. cap. 1. *Sententia Paſtoris, ſive juſta, ſive injuſta timenda eſt;* non enim ſenſus eſt, quod ſit timenda ſententia, quæ evidenter eſt injuſta, ac nulla; ſed timenda eſt quæ ita eſt injuſta, ut ſit valida. Conſtat quippe ex multis juribus, præſertim ex cap. *Cum contingat* de offic. deleg. & ratione naturali evidens eſt, poſſe ſententiam aliquam eſſe injuſtam ſimul, & invalidam evidenter, quæ certe nullatenus eſt pertimeſcenda; V. G. ſi feratur ſententia injuſta ab excommunicato, vel ſuſpenſo, ita ut evidenter conſtet de defectu juriſdictionis ob has Cenſuras. Quare, ut advertit Suarez de Cenſuris diſp. 4. ſect. 7. in triplici ſenſu verum eſt, quod ſententia Paſtoris injuſta timenda ſit: Primo ſi ſententia ſolum ſit injuſta lato modo, per hoc ſcilicet, quod a ſuperiore ex prava intentione, vel ex odio feratur; cum tamen nullam aliam injuriam contineat: & hæc certe timenda eſt. Et de hac etiam intelligendum eſt quod habet Urbanus Papa in ſua Epiſtola decretali cap. 5. dicens: *Valde timenda eſt ſententia Epiſcopi, licet injuſte liget aliquem.* Quod ſi ſententia iſta aliunde ſit evidenter nulla, non debet timorem incutere, quia, ut habet D. Th. judicium ſic injuſtum non eſt judicium. Secundo timenda eſt ſententia injuſta, quando ita in re eſt nulla, ut tamen non conſtet evidenter de ejus nullitate; quia in dubiis obtemperandum eſt ſuperiori; aliter nemo eſſet, qui legibus obtemperaret, cum non deſint paſſim ratiunculæ umbratiles, quibus ſibi quilibet perſuadeat dubium eſſe valorem legis, aut ſententiæ Judicis. Tertio ſi ſententia ſit injuſta ſimul, & nulla, ita tamen, ut hoc evidenter conſtet ſoli ſubdito, non tamen publice omnibus, adhuc timenda eſt; cum non debeat pro foro exteriori contemni, ſi forte in tali foro ſit valida; nec poſſit non ſervari cum aliorum ſcandalo, qui eam nullitatem ignorant: Quod ſi omnibus ejus nullitas, & injuſtitia ſit perſpicua, non debet ita negligi, ut videatur ipſe etiam Superior, vel Judex, ejuſque poteſtas deſpici; ſed ſolum poterit excommunicatus cum debito moderamine, ac reverentia quadam uti jure ſuo. Quare univerſim Paſtoris ſententia timenda eſt, non tamen ſemper eodem modo, ſed accommodate ad materiam, & circumſtantias jam explicatas.

VI. Adverto demum, ad dignoſcendam vim harum theſium confixarum, quæ ſunt indefinitæ, recolendam eſſe regulam Summuliſticam; quam explicavimus in Trutina exponendo theſim 29. necnon 53. ab Innoc. XI. confixas: ubi diximus, quod theſis confixa indefinita poteſt facere tum ſenſum univerſalem, ita ut ejus contradictoria, quæ debet eſſe vera, ſit particularis; tum ſenſum particularem, ut proinde ejus contradictoria vera ſit univerſalis: Ex. Gr. illa propoſitio, *Urgens metus gravis eſt cauſa juſta ſimulandi Sacramentorum adminiſtrationem*, ſi faceret ſenſum univerſalem, quod omnis metus gravis ſit cauſa juſta, deberet eſſe vera contradictoria particularis, quod aliquis metus gravis, puta mortis, non ſit juſta cauſa; cum quo bene ſtaret, quod metus gravis infamiæ poſſet eſſe cauſa juſta hujus ſimulationis. Quod ſi ea faceret ſenſum particularem, videlicet quod aliquis metus gravis ſit juſta cauſa, deberet eſſe vera ejus contradictoria univerſalis, videlicet quod nullus metus gravis, ſive ſit mortis, ſive infamiæ, ſit cauſa juſta ſimulandi Sacramentorum adminiſtrationem. Num autem theſes confixæ indefinitæ ſumendæ ſint in ſenſu univerſali, an vero in particulari, colligi debet ex ipſa materia, quæ proſcribitur, ex communi ſenſu, & ex mente eorum, qui theſim illam docuerunt. Ad rem noſtram; Theſis iſta Queſnelliana indefinita, Excommunicatio injuſta non debet nos impedire a noſtris debitis operationibus, ſi faceret ſenſum univerſalem, quod ſcilicet Nulla excommunicatio injuſta debeat nos impedire, deberet ſolum eſſe vera contradictoria particularis, quod ſcilicet Aliqua excommunicatio injuſta debeat impedire. Quod ſi theſis confixa faceret ſenſum particularem, ſignificando quod Aliqua excommunicatio injuſta debeat impedire, eſſet vera ejus contradictoria univerſalis, quod ſcilicet Nulla debeat impedire. Dicendum nunc aperte colligi ex iis principiis, quod tam theſis 91. quam 92. habeant ſenſum univerſalem explicatum; & ideo debet eſſe verum contra mentem Queſnelli, quod Aliqua excommunicatio injuſta (puta quæ a ſubdito per rationes probabiles, aut apparentes cenſetur injuſta, a ſuperiore vero cenſetur juſta) debeat nos impedire ab operationibus, quas poteſt nobis ſuperior prohibere; Cum quo bene ſtat quod Aliqua alia excommunicatio injuſta, puta quæ eſt evidenter injuſta, vel quia continet errorem intolerabilem, vel quia eſt a ſuperiore, de quo apud omnes evidenter conſtat, quod nullam habeat juriſdictionem, non debeat nos retardare a noſtris operationibus, quamvis illas poſſet verus ſuperior prohibere. Ex quo patet etiam quomodo poſſit aliquando verum eſſe, quod pati potius in pace excommunicationem in-

juſtam, quam prodere veritatem, ſit imitari Apoſtolum cupientem anathema eſſe pro fratribus ſuis. Fingamus enim, quod impius Paſtor ſub pœna excommunicationis præcipiat Confeſſori, ut revelet homicidium factum a Petro, quod tamen illi ſolum innoteſcit ex notitia ſacramentali; debet potius pati in pace excommunicationem iſtam injuſtam, quam violare ſigillum ſacramentale. At non eſt verum, quod a Queſnello in hac theſi non obſcure docetur, videlicet excommunicationem injuſtam ſecundum rationes apparentes ſubditi, juſtam vero ex mente ſuperioris pati potius in pace, quam obtemperare ſuperiori præcipienti, ne doceantur errores, quos Janſeniani dicunt eſſe veritates, ſit imitari Apoſtolum, nec ſit erigere ſe contra authoritatem ſuperioris, nec ſcindere unitatem ſpiritus, ac corporis Eccleſiæ, cujus unus eſt Dominus, una fides, unum baptiſma, ut habetur ad Epheſios 4.

VII. Oſtenditur nunc iſtarum quatuor theſium falſitas ſeorſim. Et quod attinet ad nonageſimam, enormiter errat, dum docet Eccleſiam exercere per primos Paſtores authoritatem excommunicandi de conſenſu ſaltem præſumpto totius corporis, ſeu omnium Chriſtifidelium; ita ſcilicet ut nec Epiſcopi, nec Pontifex poſſint valide aliquem excommunicare, niſi præſumatur conſenſus etiam laicorum. Ex quo fieret, quod excommunicationis ſententia eſſet nulla, ſi explicite, aut implicite illam laici recuſarent. Cum autem Janſeniani putent, non præſumi conſenſum Chriſtifidelium relate ad excommunicationes latas adverſus eos, qui formulæ ab Alex. VII. præſcriptæ non ſubſcribunt ad mentem Pontificis, & qui ſuos errores docent, quos putant eſſe germanam doctrinam Auguſtini; ideo in hac theſi ſubdole inſinuatur, nullas eſſe Pontificias iſtas excommunicationes. In quo non ſolum errant, erigendo ſe contra auctoritatem Pontificis loquentis ex Cathedra, ſed etiam errant ex hoc etiam capite, quod velint Paſtores Eccleſiæ in exercitio ſpiritualis auctoritatis immediate ſibi a Chriſto collatæ dependere a judicio, & conſenſu fidelium. Quod ſi verum eſſet, ſequeretur, quod poſſent etiam Laici fideles ferre excommunicationem; ſi enim Laicorum conſenſus reddit validam excommunicationem latam ab Epiſcopo, poſſent ipſi etiam immediate hanc juriſdictionem exercere. Sicuti enim ſi vera eſſet nonnullorum ſententia, quod lex a Principe lata quoad validitatem pendeat ab acceptatione populi, (eſto peccet populus, ſi abſque ulla cauſa legem a Pricipe promulgatam non recipiat, ex theſi 28. proſcripta ab Alex. VII.) poterit populus immediate, antequam Regem ſibi conſtituat, in quem transferat poteſtatem legislativam, ipſe leges ferre in bonum communitatis: ita pariter ſi valor excommunicationis penderet a conſenſu Laicorum, poſſent Laici immediate ferre cenſuras, & ſpiritualem juriſdictionem exercere; cum tamen certum ſit, hanc juriſdictionem non eſſe temporalem, ac terrenam, nec ab hominibus in Eccleſiam derivari, ſed omnino ſpiritualem, ac unice a Chriſto D. promanare.

VIII. Confirmatur, quia Eccleſiæ caput ſubderetur corpori, ſi ab hujus conſenſu penderet validitas excommunicationis a ſe latæ, & ſic omnis lex eccleſiaſtica deberet etiam dici, quod pendet a conſenſu fidelium. Propterea ſi Pontifex vellet ſtatuere feſtum aliquod de præcepto, prout nuper ſtatuit feſtum Immaculatæ Conceptionis B. Virginis, aut ſi vellet in pervigilio alicujus feſti jejunium præcipere, deberet id fieri dependenter a conſenſu fidelium; unde fieret, quod relate ad quodcumque exercitium ſuæ juriſdictionis ſpiritualis a conſenſu corporis Eccleſiæ deberet pariter dependere; quod tamen eſt contra praxim Eccleſiæ. Præterquamquod ſi Epiſcopus in ferenda ſententia excommunicationis non requirit prius Pontificis conſenſum, a quo poſſet inhiberi ne hic & nunc ſua auctoritate utatur; a fortiori non debet Epiſcopus, nedum Pontifex, requirere conſenſum fidelium, a quibus nullatenus pendet.

IX. Confirmatur ſecundo; quia oſtium immenſum libertati aperiretur, ſi ſubſiſteret theſis iſta: quandoquidem quilibet poſſet facile (præſertim paſſionis œſtro percitus, ac hallucinatus) ſibi perſuadere, quod excommunicationi adverſus ſe latæ populus non conſentiat; & ideo quilibet ſe immunem crederet a tali cenſura. Adde quod ſi auctoritas ferendi excommunicationis ſententiam penderet a conſenſu fidelium, pariter deberet auctoritas ferendi interdictum a conſenſu fidelium, ſaltem præſumpto, dependere; nunquam autem præſumitur, quod plebs fidelium velit in interdictum locale conſentire; cum hujuſmodi interdictum ſit afflictivum plurimorum innocentium, qui certe nollent ſic cruciari, ac tot bonis ſpiritualibus, ac ſacramentis per interdictum privari; unde nunquam interdictum locale eſſet validum. Quibus adde, quod in hac theſi non ſolum requiritur Laicorum conſenſus ad validitatem excommunicationis, ſed etiam Laicis ipſis dicitur ineſſe auctoritas

tas excommunicandi, quæ per primos Paſtores exerceatur illis annuentibus; unde auctoritas ferendi cenſuras juxta Queſnellum non reſidet in primis Paſtoribus, ſed reſidet in Eccleſia, atque adeo etiam in Laicis, qui Eccleſiam conflant, ita ut ea per primos Paſtores exerceatur; quo quid abſurdius?

X. Opponitur ex Queſnello illud Matthæi 18. ubi dicitur: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe illum inter te, & ipſum ſolum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum; quod ſi eos non audierit, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, vel Publicanus.* Quibus verbis Chriſtus Dominus videtur indicare, quod ab Eccleſia debeat condemnari ut contumax, ac excommunicari, qui non emendatur, & ab Eccleſia ſeparari tanquam Ethnicus, vel Publicanus; unde de conſenſu Eccleſiæ ſaltem præſumpto debet auctoritas excommunicandi per ſuos Paſtores exerceri.

Reſpondeo, quod ſi interpretatio Queſnelli ſubſiſteret, deberet toti Eccleſiæ, & non ſoli Paſtori accuſari, qui coram teſtibus admonitus non eſt emendatus. Quare ſicut accuſari debet uni Paſtori, qui ſignificatur nomine Eccleſiæ, ita ab uno Paſtore debet excommunicari independenter a conſenſu corporis. Quod patet, tum ex praxi Eccleſiæ; tum quia Chriſtus Dominus ſolis Paſtoribus facultatem contulit excommunicandi, dicens Apoſtolis Matth. 18. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo*; unde Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. loquens de excommunicationibus, quæ ab Epiſcopo feruntur, habet: *Totum hoc in ejus arbitrio, & conſcientia ſit poſitum, quando ipſe pro re, loco, perſona, aut tempore eas decernendas eſſe judicaverit.*

Adde demum adverſus Queſnellum, quod in ejus ſententia ex theſi 78. peccator eſt extra Eccleſiam, unde independenter ab excommunicatione eſt ſeparatus a populo electo; & ideo relate ad peccatores excommunicatio eſt ſupervacanea; & a fortiori eſt ſupervacanea excommunicatio relate ad juſtos, cum relate ad iſtos ſit nulla, nec poſſit præſumi, quod fideles conſentiant in excommunicationem, quæ feratur in juſtos: unde in ſententia Queſnelli, aut conſenſus fidelium præſumptus non requiritur, aut excommunicatio eſt prorſus inutilis tam relate ad peccatores, quam relate ad juſtos.

XI. Oſtenditur nunc falſitas theſis nonageſimæ primæ; quia quamvis veriſſimum ſit, quod metus excommunicationis evidenter injuſtæ, ac nullæ neminem impedire debeat ab operationibus debitis, prout præmiſimus; hinc tamen non fit, quod excommunicatio, quæ nobis dumtaxat videtur injuſta, Pontifici tamen, aut Epiſcopis videtur juſtiſſima, non ſit timenda, ejuſque metus non debeat nos impedire ab operationibus, quas nos dicimus eſſe debitas, a ſuperioribus tamen merito nobis inhibentur tanquam improbæ; ut proinde non poſſint Janſeniani aut formulæ ab Alex. VII. præſcriptæ non ſyncere ſubſcribere, aut errores Janſenianos non rejicere, prout illis ſub excommunicatione præcipitur, ſub hoc prætextu, quod excommunicatio ipſis videtur injuſta, & quod teneantur propugnare, ac diſſeminare theſes Janſenianas, quas Pontifex damnat ut hæreticas, & alienas a mente Auguſtini, ipſi vero putant eſſe Catholicas, & juxta mentem S. Doctoris. Ratio eſt, quia, ut diximus ex D. Gregorio homil. 2. *Utrum juſte, vel injuſte obliget Paſtor, Paſtoris tamen ſententia timenda eſt.* Aliter eſſent immunes a culpa Judæi, qui contendebant Chriſtum Dominum eſſe crucifigendum, dicentes Jo. 19. *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Eſſent immunes a culpa interfectores Apoſtolorum, de quibus dicitur Jo. 16. *Qui interficit vos, arbitratur obſequium ſe præſtare Deo*; Immunis a culpa fuiſſet Saul, qui 1. Reg. 13. dixit: *Neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum*; cui tamen Samuel dixit: *Stulte egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi.* Immunis a culpa fuiſſet Oza, qui putabat extendendam eſſe manum ad tenendam arcam, ne corrueret; & tamen 2. Regum 6. habetur: *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, & declinaverunt eam: iratuſque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate; qui mortuus eſt juxta arcam Dei.* Denique omnes Heterodoxi a culpa eſſent immunes, quia putant errores ſuos ſacrarum Scripturarum auctoritate fulciri, in quo culpabiliter hallucinantur.

XII. Ratio autem, cur obtemperandum ſuperiori ſit, & excommunicatio timenda, quamvis forte nobis videatur injuſta, eſt, quia niſi teneremur parere, quoties non eſt evidenter malum id, quod præcipitur, quilibet ad arbitrium operaretur; cum non deſint cuilibet apparentes ratiunculæ, quibus ſibi perſuadeat ſe non teneri ad id, quod ſibi vetatur. Hinc D. Bernardus de præce-

pto, & diſpenſat. cap. 9. habet: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, haud ſecus omnino accipiendum eſt, quam ſi præcipiat Deus*: Ubi notandum diligenter, quod obedientia præſtanda ſit non ſolum relate ad id, quod certum eſt non diſplicere Deo, ſed etiam relate ad id, quod non eſt certum diſplicere Deo. Quare quamvis Janſeniani putarent diſplicere Deo, quod a Pontifice præcipitur, adhuc obtemperare tenentur, & niſi obtemperent excommunicationem incurrunt, quam ipſi dicunt eſſe injuſtam, cum non ſit iis certum id, quod ipſi putant, videlicet diſplicere Deo, quod a Pontifice ſub pœna excommunicationis præcipitur. Idem prorſus docet Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 74. & habetur in cap. *Quid culpatur* 23. qu. 1. ubi dicitur: *Vir juſtus, ſi forte etiam ſub Rege homine ſacrilego militet, recte poteſt illo jubente bellare, ſi civicæ pacis ordinem ſervans, quod ſibi jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt; ita ut fortaſſe reum faciat Regem iniquitas imperandi; innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi.* Quod ſi ex Auguſtino ſatis eſt ad obtemperandum, quod certum non ſit, bellum, quod a Rege ſacrilego præcipitur, non eſſe injuſtum; quanto magis a Janſenianis obtemperandum eſt Pontifici ſub pœna excommunicationis præcipienti, cum non ſit iis certum, eſſe contra Dei voluntatem id, quod præcipitur? quin potius, ſi hallucinationem, & obſtinationem vellent deponere, pro certo iidem haberent, eſſe juxta Dei voluntatem, quod poſt tot diligentias per tot annos præmiſſas tandem aliquando Pontifex imperavit. Propterea falſiſſimum eſt, quod excommunicationem contra inobedientes non incurrant, & quod non exeant ab Eccleſia, putantes, ſe Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ eſſe per charitatem affixos. Quomodo enim charitas Dei poteſt eſſe in illo, qui Pontifici ipſi non obedit in iis, quæ Deo diſplicere certum non eſt? cum Deus voluerit, quod in his obtemperemus etiam Regi ſacrilego, nedum Paſtoribus ſanctiſſimis, ac ſapientiſſimis, perinde ac ipſemet præciperet, juxta illud Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Propterea Dominus Samueli dixit 1. Reg. 8. *Non te abjecerunt, ſed me.* Solum in iis, quæ certo, ac evidenter contra Dei voluntatem ſunt, ſuperioribus obtemperare non poſſumus, in aliis vero tenemur. Quod innuit Auguſtinus in Pſal. 124. ubi loquitur de Chriſtianis, qui ſub Juliano militabant, dicens: *Julianus exititit Imperator, extitit Apoſtata, iniquus Idololatra: milites Chriſti ſerviebant Imperatori infideli; ubi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant, niſi illum, qui in Cœlo erat; ſi quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum; quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant.* Hinc Bernardus loco laudato cap. 12. habet: *Sive Deus, ſive homo Vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obſequendum eſt cura; pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Et noſter Patriarcha Ignatius injungit nobis parte 6. cap. 1., ut ad vocem ſuperioris, perinde ac ſi a Chriſto Domino egrederetur, quam promptiſſimi ſimus, obtemperando in omnibus, *in quibus nullum manifeſtum eſt peccatum.*

XIII. Opponitur a Janſenianis, quod Pontifex relate ad factum falli poteſt; unde ſi præcipiat ſub excommunicatione, quod formulæ præſcriptæ animo ſyncero ſubſcribatur, excommunicatio erit injuſta, & non timenda, ſi nitatur in ſuppoſito quoad factum falſo, quod ſcilicet Janſenius errores docuerit.

Sed quod Pontifex non poſſit errare in quæſtionibus facti connexis cum quæſtionibus juris ad fidem, vel mores pertinentibus, ut in caſu noſtro, ſatis ſuperque oſtendimus in quæſtione prodroma Theologicæ Trutinæ, & dicemus etiam in theſi ſequenti. Deinde ſi non conſtet evidenter, quod cenſura ſit nulla, ac injuſta, aut quod manifeſte peccatum ſit id, quod præcipitur, tenemur obtemperare, ut jam oſtendimus. Quod diſertis verbis docuit Bernardus de præcepto, & diſpenſ. cap. 12. ubi habet: *Sed homines, inquis, facile falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, & in præcipiendo fallere poſſunt. Sed enim quid hoc refert tua, qui conſcius non es? præſertim cum teneas de Scripturis* (Malachiæ 2.) *quod labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem ex ore ejus requirent, quia Angelus Domini exercituum eſt: Requirunt dixerim legem, non quam vel nulla authentica ſcriptura tradiderit, vel ratio manifeſta probaverit, (de hujuſmodi quippe nec præceptor expectandus, nec prohibitor auſcultandus eſt) ſed quod ita latere, aut obſcurum eſſe cognoſcitur, ut dubium venire poſſit, utrumnam Deus ſic, an aliter forte velit..... Ipſum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ aperte non ſunt contra Deum audire debemus.* Quod ſi Deus in veteri lege juſſit, quod in rebus dubiis, & ambiguis Sacerdotes explicare debe-

debeant veritatem, & juxta illorum decreta unuſquiſque operetur; quanto magis in lege gratiæ ſtandum eſt in rebus dubiis deciſioni Pontificiæ, & ejus mandatis obtemperandum, quoties non eſt evidens, quod culpa præcipiatur? Hæc ſunt verba Deuteronomii c. 17. *Venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem; & facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco; quem elegerit Dominus, & docuerint te;* ac deinde mortem Deus comminatur ei, qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio.

XIV. Oſtenditur pariter falſitas theſis nonageſimæ ſecundæ ex iiſdem principiis, quia ſcilicet quamvis ſit imitari Paulum patiendo potius in pace anathema injuſtum, quam prodendo veritatem, quando evidens eſt apud omnes, quod anathema ſit injuſtum, ac nullum; non tamen quando ſolum ſubditus putat anathema nullum eſſe, & injuſtum; tunc enim obtemperandum eſt, & quæ putantur a ſubdito veritates, ſi a Pontifice damnentur, ac prohibeantur, ejus deciſioni ſtandum eſt. Nec dicitur eſſe proditor veritatis, qui damnat ut erroneas theſes a Pontifice damnatas, quamvis ipſe putet eſſe veras; ſed potius dicitur captivare intellectum in obſequium fidei, & obedientiæ, dignus proinde qui ſuperna luce illuſtretur ad deprehendendam falſitatem, quæ prius ſub ſpecie veritatis apparebat. Hinc adverſus Janſenianos, qui dicunt velle ſe hujuſmodi anathema injuſtum pati in pace ad Paulum imitandum, merito exclamaret Bernardus verbis illis Epiſt. 7. *O patientia omni digna impatientia! non poſſum, fateor, non irafci huic contentioſiſſimæ patientiæ. Vera patientia eſt, pati, vel agere contra quod libet, ſed non præter quod liceat.* Ubi adverto, communius Expoſitores docere, Paulum dicentem ad Rom. 9. *Optabam enim ego ipſe anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem*, non optaſſe excommunicationem, ne proderet veritates fidei, ſed deploraſſe, quod ante converſionem optaſſet ad obſequendum fratribus ſuis Eccleſiam exagitare, & Chriſti ſe eſſe inſectatorem, & hoſtem potius, quam ſectatorem & aſſeclam. Verum quicquid ſit de verborum iſtorum expoſitione, illud certum eſt, quod non Paulum, ſed Saulum imitentur, qui excommunicationem, quam ipſi dicunt eſſe injuſtam, Pontifex vero, & Eccleſia cenſet juſtiſſimam, in pace patiuntur, ut validius Eccleſiam exagitent, dum proditorum inſtar amicos ſe ſimulant, exterius obediendo mandatis Pontificis, intus tamen Catholicis veritatibus adverſantur.

XV. Oſtenditur denique falſitas nonageſimætertiæ pariter ex iiſdem principiis; non enim Chriſtus Dominus ſanat vulnera a Paſtoribus inflicta, quando iſti per excommunicationem ſeparant ab Eccleſia refractarios, & contumaces, per hoc præciſe, quod vulnus excommunicationis dicatur infligi injuſte, ex zelo inconſiderato, ac ſine Chriſti mandato: præſertim quia in caſu noſtro vulnera, quæ inflicta ſunt Janſenianis, non præcipiti feſtinatione, ſed matura conſideratione, ac præmiſſis per plures annos tot examinibus inflicta ſunt, Spiritu S. inſpirante, qui Eccleſiam ſuam adverſus tartareos hoſtes ſemper tuetur. Exemplum Malchi allatum a Queſnello, de quo Lucæ 22. dicitur, quod fuerit præcipiti feſtinatione, ac zelo inconſiderato ſine Chriſti mandato percuſſus a Petro, ac ſanatus a Chriſto Domino; qui reſtituit illi auriculam abſciſſam, non eſt ad rem. Nam primo Malchus fuit vere percuſſus a Petro, ac mox ſanatus; Queſnellus tamen non vult, quod excommunicatio Pontificia, quæ putatur injuſta, quenquam feriat; aliter ſi revera feriret, ſepararet ab Eccleſia excommunicatos; nec aliter deinde a Chriſto ſanarentur, quam per contritionem; quod eſt error, de quo dicimus in theſi 89., videlicet quod cenſuræ ceſſent ceſſante contumacia, ac correcto reo, citra abſolutionem judicialem. Deinde Malchus curatus fuit a Chriſto Domino, quia Petrus eo renuente Malchum percuſſit; Paſtores tamen juſſu Spiritus Sancti telo excommunicationis feriunt contumaces, quando ipſi duntaxat credunt cenſuram eſſe injuſte, ac præcipiti feſtinatione latam. Conſtat itaque ex hactenus dictis, ſententiam Paſtoris etiam injuſtam eſſe timendam, juxta explicationem datam, ac vere ſeparare ab Eccleſia contumaces, qui perfricta fronte jactitant extra ictum ſe poſitos eſſe ab innocentia ſua; cum tamen ex hoc ipſo novum reatum contrahant, & ex hoc magis a conſortio fidelium removendi ſint, quod ſimultantem diſſimulent. Concludam itaque cum D. Gregorio loco laudato: *Utrum juſte, an injuſte obliget Paſtor, Paſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt. Is, qui ſub manu Paſtoris eſt, ligari timeat vel injuſte.* Timenda enim eſt non ſolum excommunicatio, quæ ipſi excommunicato apparet injuſta, a Paſtore vero cenſetur eſſe juſta; cum hæc omnino ſervanda ſit, eo quod judicium ſuperioris judicio ſubditi prævalere debeat, ut oſtendimus; ſed etiam timenda excommunicatio, de cujus nullitate, & injuſtitia

ſitia habet ſubditus evidentiam ; (dummodo id non ſit omnibus evidens, & extra omnem dubietatem) etenim hæc pariter excommunicatio pro foro externo ſervanda eſt ad ſcandalum vitandum ; ac datur onus procurandi, ut ea nullitas declaretur auctoritative.

Ex quibus patet, in quonam ſenſu intelligenda ſint, quæ pro his theſibus propugnandis objectant Queſnelliani. Dicunt enim ex communi omnium ſenſu apud Suarium diſp. 4. de Cenſur. cap. 7. Sententiam excommunicationis injuſtam contemnendam eſſe. Etenim S. Nicon in Epiſt. ad Encliſtium, cujus fragmentum reperitur in primo tomo Bibliothecæ Sanctorum Patrum, hæc habet: *Scias, Pater, quod Divinæ Scripturæ cum Divinis Canonibus definiunt quod injuſtæ quæ imponuntur punitiones apud Deum non ligant, etiamſi Pontifex eas impoſuerit, quanto magis inferior, ut dicit S. Dionyſius? Qui itaque inconſiderata ſententia, & intemperante animo aliquem a fidelibus ſeparavit, non ſolum eum non attingit, ſed in ejus etiam caput recurrit, ſicut Sanctæ quoque Synodi pronunciant.* Ac deinde refert S. Nicolaum dicentem : *Si Antiſtes præter Dei ſcopum punierit, Deus eum non ſequitur ; & ecce invenitur pœna, quæ ab eo infligitur, injuſta, & propterea invalida.* Idque etiam habetur in cap. *Illud plane*, cauſa 11. quæſt. 3., ubi dicitur: *Si quis fidelium fuerit anathematizatus injuſte, potius ei oberit, qui facit, quam qui hanc patitur injuriam. Spiritus enim Sanctus habitans in Juſtis, per quem quiſque ligatur, aut ſolvitur, immeritam nulli ingerit pœnam.* Et in cap. *Cui eſt illata*, ex Gelaſio Papa ead. cauſa, & quæſt. diſertiſſime dicitur: *Si injuſta eſt ſententia, tanto curare eam non debet, quanto apud Deum & ejus Eccleſiam nemicem poteſt gravare iniqua ſententia. Ita ergo ea ſe non abſolvi deſideret, qua ſe nullatenus perſpicit obligatum.*

Sed hæc omnia, ſi rite intelligantur, confirmant doctrinam hactenus traditam, quin ullatenus faveant hiſce confixis theſibus. Veriſſimum enim eſt, quod ſententia injuſta non liget apud Deum ; quandoquidem, ut dicitur in cap. *A Nobis* de ſent. excommunic. *Judicium Dei veritati, quæ non fallit, neque fallitur, ſemper innititur*: neque pariter ligat apud Eccleſiam, ſeu apud homines, dummodo tamen ſit notorie injuſta, non vero quando reus cenſet illam injuſtam. Quando enim eſt notorie apud omnes injuſta, ceſſat ſcandalum, & contemptus clavium, ſi ea non ſervetur ; ſecus vero ſi non ſit evidenter injuſta, quamvis reus putet illam eſſe injuſtam, ut oſtendimus.

Dices, a multis Doctoribus, ut a Soto, Lopezio, Medina, & aliis apud Sanchez lib. 6. cap. 3. n. 23. doceri, quod ſubditus non teneatur obedire quando dubitat, an res præcepta ſit ſupra poteſtatem præcipientis, ſi ex obedientia magnum damnum ſibi proveniat in vita, aut in honore, aut in pecunia: ergo falſum eſt, quod teneatur ſubditus obedire, ſi probabile ſit, quod res præcepta ſit ſupra poteſtatem præcipientis, & quod excommunicatio indicta ſit injuſta ; atque adeo metus excommunicationis injuſtæ, ſi probabiliter tantum ſit injuſta, non debet nos retrahere ab implendo debito noſtro.

Reſpondeo primo, antecedens communius negari, & ſolum excuſari ſubditum, quando res præcepta eſt nimis ardua, ſi rationibus valde urgentibus injuſtitia præcepti ſuadeatur, ut notat Suar. lib. 5. de Legibus cap. 18. n. 20. ; non vero ſi quomodocumque probabile ſit, & multo minus, ſi ſolum dubitetur, quod præceptum ſit injuſtum. Sicut enim non poteſt Cajus ſpoliare Titium re, quam poſſidet, ſi ſolum probabile ſit, quod ea res ſit ſua ; ita non poteſt ſubditus ſpoliare Superiorem poteſtate præcipiendi, ſi ſolum probabile ſit, quod hic, & nunc res præcepta ſuperet ejus poteſtatem. Reſpondeo ſecundo : ex hoc quod verum eſſet, non teneri ſubditum obtemperare, ſi probabile ſit rem præceptam excedere poteſtatem præcipientis, quando ex obedientia imminet ipſi ſubito grave damnum ſive in pecunia, ſive in honore, aut in vita ; non per hoc ſequitur, quod univerſim id liceat, etiamſi tale grave damnum non ſequatur. Ratio diſparitatis eſt, ut advertit Bardi de Conſcientia diſput. 4. cap. 26. n. 16., quia Superior non habet directum, & immediatum dominium de bonis, quæ a ſubditis poſſidentur, niſi quatenus hic, & nunc poſtulat publica neceſſitas ; unde non debet ſpoliari ſubditus ſua pecunia, & aliis bonis præſtantioribus per ſolas rationes probabiles, quæ favent Superiori ; & ideo niſi conſtet, quod res præcepta non ſit ſupra poteſtatem præcipientis, non tenetur ſubditus obedire, quoties ſibi grave damnum imminet. At ſi hoc grave damnum non immineat, non ſatis eſt, quod ſolum probabiliter res præcepta ſit injuſta : quia non debet Superior ſpoliari poteſtate præcipiendi, quam poſſidet, niſi conſtet, quod ea poteſtas non ſe extendat ad hoc, vel illud præcipiendum.

Neque replices, quod ſicut eſt in poſſeſſione ſuæ pecuniæ ſubditus, ita pariter eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis ; ergo ſi nequit ſpoliari ſua pecunia per ſolas rationes probabi-

les,

les, quæ favent Superiori præcipienti; ita nec debet ſpoliari libertate; atque adeo ſicut non tenetur obedire ſubditus, quando ſolum probabile eſt, quod res præcepta excedat poteſtatem præcipientis, ſi ex obedientia immineat ſibi grave damnum in pecunia, aut ſimilibus bonis; ita nec tenetur, ſi ſolum ex obedientia ſequatur coarctatio libertatis, quæ pretioſior eſt pecunia, juxta illud Poetæ: *Non bene pro toto libertas venditur auro*. Quare poteſt univerſim ſubditus non obtemperare, & excommunicationis metum excutere, ſi rationes dumtaxat probabiles ſuadeant præcepti, & excommunicationis injuſtitiam, quamvis de tali injuſtitia non conſtet.

Sed contra eſt, quia, ut advertunt laudati Doctores, ſubditus per hoc præciſe, quod ſit ſubditus, ſpoliatur ſua libertate, & Superior eſt in poſſeſſione præcipiendi; atque adeo niſi conſtet, quod Superior non poſſit hic, & nunc ferre præceptum, & excommunicare, non eſt ſpoliandus ſua poteſtate; & ideo ſubditus non eſt liber ad non obtemperandum per hoc, quod habeat rationes probabiles de injuſtitia præcepti, & excommunicationis. Contra vero ſubditus per hoc præciſe, quod ſit ſubditus, non ſpoliatur ſua pecunia, & aliis fortunæ bonis, quæ poſſidet; & ideo niſi conſtet de juſtitia præcepti, non tenetur obedire, quando imminet ſibi grave damnum, ob quod ſpoliandus eſſet ſua pecunia. Quare paritas retorquetur. Ideo enim non tenetur ſubditus juxta hanc ſententiam obedire, quando opinatur præceptum eſſe injuſtum, ſi ex obedientia imminet grave damnum in pecunia, aut aliis fortunæ bonis, quia non debet ſpoliari ſua pecunia, cujus eſt in poſſeſſione, per ſolas rationes probabiles de juſtitia præcepti favente Superiori, ſi pariter ſit probabile, quod præceptum ſit injuſtum; ergo ex oppoſito ideo tenetur ſubditus obedire, licet opinetur præceptum eſſe injuſtum, quod grave illud damnum non imminet, quia non debet Superior ſpoliari ſua poteſtate præcipiendi, & excommunicandi, quam poſſideat, niſi conſtet de injuſtitia præcepti, & cenſuræ. Cæterum etiam dato, quod vera eſſet nonnullorum opinio communius rejecta, videlicet licitum eſſe non obtemperare, quoties probabilius eſt, quod res præcepta excedat poteſtatem præcipientis, quamvis id non conſtet, ex hoc ſolum ſequeretur, quod ſicut non eſt metuenda excommunicatio, quæ evidenter apud omnes eſt injuſta, ita non eſſet pro foro interno metuenda excommunicatio, quæ probabilius eſt injuſta; Ex quo non fieret, quod non eſſet metuenda excommunicatio, quæ ob aliquas rationes ſive futiles, ſive etiam probabiles a ſubdito reputatur injuſta. Quare jure merito theſes iſtæ de Excommunicatione in ſua latitudine acceptæ proſcribendæ fuerunt: Præſertim quia eo ſemper collineat Queſnellus in his, & ſequentibus theſibus, ut animum ſuis Aſſeclis addat ad contemnenda Eccleſiæ præcepta, ac excommunicationes, quæ jure merito feruntur adverſus illos, qui formulæ ab Alexandro VII. præſcriptæ, qua Janſenianæ thæſes ejurantur, renuuunt ſubſcribere; (ut ex ſententia juridica ab Archiepiſcopo Mechlinienſi adverſus Queſnellum lata, & a nobis in ſecunda ex his theſibus ad verbum relata facile eſt dignoſcere.) Cum tamen conſuetum ſemper in Eccleſia fuerit his formulis occurrere hæreſibus, atque hæreticis clanculum eructantibus virus ſuum, præſertim in Concilio Nicæno, Chalcedonenſi, & aliis, ut videre eſt apud Livinum de Meyer noſtræ Societatis in parallelo antiquæ, & præſentis Eccleſiæ, in calce egregii ſui Operis inſcripti, Hiſtoria de Auxiliis, in lucem editi anno 1715. Ex quibus omnibus perſpicuum fit, Queſnellum in ſua Apologia ſolum in ſpeciem theſes Janſenianas rejectaſſe; proteſtatio ſiquidem contraria eſt factis; cum eaſdem in ſuis hiſce theſibus ſæpe recudat; & nunquam formulæ Alexandrinæ ſubſcribere voluerit; quin potius ſuos Aſſeclas a tali ſubſcriptione averterit cum contemptu cenſurarum.

XVI. Opponunt Queſnelliani, quod ad impugnandam theſim nonageſimam fingamus hoſtem, quem feriamus, dum dicimus, quod etiam laicis competeret auctoritas excommunicandi, ſi verum eſſet, quod ad validitatem excommunicationis per Primos Paſtores latæ requiratur conſenſus, ſaltem præſumptus, totius corporis Eccleſiæ. Ratio eſt, quia Queſnellus requirendo conſenſum totius corporis, non requirit conſenſum etiam Laicorum, ſed ſolum conſenſum Paſtorum. Etenim, ut notat Bellarm. lib. 1. de Romano Pontifice cap. 6. nomine Eccleſiæ, ubi ſermo eſt de ejus Juriſdictione, non veniunt Laici, ſed veniunt ſoli Paſtores, ut conſtat ex verbis illis Chriſti D. Matth. 18. *Quod ſi eos non audierit, dic Eccleſiæ*, videlicet ejus Paſtoribus: Unde non ſequitur inconveniens adductum, quod Laicis competeret auctoritas excommunicandi, & quod caput ſubderetur ſuis membris.

Sed contra eſt primo, quia in ea theſi 90. ſi attente advertatur ad legitimum verborum ſenſum, nomine totius corporis Eccleſiæ non veniunt ſoli Paſtores, ſed veniunt

omnes

omnes Fideles, atque adeo etiam laici, conflantes Eccleſiam. Ratio eſt, quia cum ibi dicatur, quod Primi Paſtores exercendo auctoritatem excommunicandi, quæ reſidet in Eccleſia, indigeant conſenſu totius corporis, ſaltem præſumpto, non poteſt intelligi, quod indigeant conſenſu præſumpto ipſorum Paſtorum, ut eſt in confeſſo; ergo denotatur, quod indigeant conſenſu præſumpto reliquorum fidelium. Neque dicas, quod ſinguli Paſtores indigeant conſenſu præſumpto reliquorum Paſtorum. Nam quando hic Epiſcopus valide excommunicat ſuum ſubditum in ſua diœceſi, impertinenter ſe habet conſenſus præſumptus Epiſcoporum, qui ſunt in India, ad quos nullatenus pertinet tale judicium; quare ſenſus eſt, quod requiratur conſenſus illorum fidelium, qui conflant corpus hujus Eccleſiæ particularis, atque adeo conſenſus Laicorum, qui in ordine ad hanc cauſam eodem modo ſe habent, ac Clerici ejuſdem diœceſis.

Contra ſecundo, quia quamvis nomine corporis Eccleſiæ ſecundum ſe venire poſſit corpus dumtaxat Paſtorum, at ſpectatis circumſtantiis temporis, & loci, in ea theſi ſignificatur potius corpus omnium fidelium, etiam laicorum. Siquidem in Comitiis generalibus Cleri Gallicani nuper ſolemniter proſcriptus fuit liber Anonymi, cui titulus, De Teſtimoniis Fidei, in quo auctoritas judicandi de heterodoxia, vel orthodoxia theſium in toto Eccleſiæ corpore dicitur collocari, ita ut ad hoc judicium etiam conſenſus ſaltem præſumptus laicorum requiratur; propterea apparet, quod etiam impræſentiarum vigeat error illorum, qui apud Turrecrematam in ſum. de Eccleſia lib. 2. cap. 7. dicebant, ipſi univerſali Eccleſiæ, quæ dicitur Collectio Fidelium, in omnibus membris ſuis datam eſſe poteſtatem clavium, & quidem principalius, quam Papæ. Propterea ſi voluiſſet Queſnellus ab hoc errore recedere, explicare debuiſſet, quod nomine Corporis Eccleſiæ non includantur Laici.

Contra tertio, quia etiam dato, quod in hac theſi nomine Corporis Eccleſiæ venirent ſoli Paſtores, adhuc eſſet proſcribenda ex hoc, quod evertat Monarchicum Eccleſiæ regimen dicendo, quod auctoritas excommunicandi ſolum reſideat in tota Eccleſia, & non in ſingulis Paſtoribus, ſeu Epiſcopis, cum tamen Chriſtus D. uni Petro dixerit Matth. 16. *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum*. Et Apoſtolus 1. ad Cor. 5. inceſtuoſum illum excommunicavit ſolum In nomine Domini, coram aliis quidem, ſed non auctoritate ab iis accepta. Unde Tridentinum loco laudato dixit, in unius Epiſcopi arbitrio, & conſcientia poſitum eſſe, ut ſpectatis circumſtantiis temporis, loci, ac perſonæ, excommunicatio feratur, quando ille judicaverit.

In calce adverto, exſuſcitari in hiſce Theſibus de Excommunicatione errores illos Canonice damnatos Jo. Huſs, & Pauperum de Lugduno, (ut videre eſt in Elucidationibus D. Thomæ 2. 2. qu. 185. ar. 1. Fr. Seraphini Capponi) qui ſub prætextu cujuſdam charitatis, & conſcientiæ effutiebant, Primo, Sacerdotem Chriſti ſecundum legem ejus viventem, ac præditum Scripturæ notitia, & affectu ad ædificandum populum, prædicare debere, non obſtante prætenſa excommunicatione: Secundo, quemlibet Prædicantis munus de mandato accipere, quando ad Sacerdotium accedit; & illud mandatum debere exequi, Superioris excommunicatione nequicquam obſiſtente: Tertio, eos, qui ob hujus excommunicationis metum concionari deſiſtunt, eſſe reipſa excommunicationis vinculo innodatos: Quarto, prædicationem Verbi Dei eſſe unicuique Chriſtifideli liberam, adeo ut ea liceat, quamvis a Superioribus diſtricte inhibeatur: Et alia hujus furfuris, quæ erroribus harum Theſium Queſnellianarum ſunt valde affinia. Porro Theſes iſtæ ex ipſa auctoris intentione fiunt longe deteriores, quia ille non vult excommunicationem eſſe contemnendam ad prædicandum iterum Chriſti Evangelium contra præceptum Superioris; ſed vult eſſe contemnendam ad edocendas hæreſes Janſenianas, quæ dicuntur eſſe juxta doctrinam Auguſtinianam, & Evangelicam. Hujuſmodi autem erant hac in re articuli iſtorum Heterodoxorum in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8., & ſeſſ. 15. damnati, ac deinde iterum per Bullam Martini V. ſeſſ. 24., & ult. proſcripti; videlicet Art. XI. *Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat eum excommunicatum a Deo; & qui ſic excommunicat, fit per hoc hæreticus, vel excommunicatus*. Art. XIII. *Illi, qui dimittunt prædicare, ſeu audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in die judicii traditores Chriſti habebuntur*: Et Art. XVI. *Sacerdotes Chriſti viventes ſecundum legem, & habentes Scripturæ notitiam, & affectum ad ædificandum populum, debent prædicare, non obſtante prætenſa excommunicatione*. Ecce tibi quibus veſtigiis inhæreat Queſnellus in hiſce poſtremis theſibus, non amplius pietatem ſimulantibus, prout in primis ſimulabatur, ſed ſimultatem affectantibus adverſus Eccleſiam, dum ejus Excommunicationes

con-

contemptui habentur, eaque notatur tanquam ſenio confecta, ac enormibus erroribus obnoxia, præſertim in exigendis communiter juramentis juxta materiæ gravitatem; idque ut Janſeniani audacter, ac pervicaciter in cœno ſuorum errorum volutentur, nullatenus abſterriti a Cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis; quod ex luculentiſſimis documentis, quæ habentur in Codice Cauſæ Queſnellianæ, fit perſpicuum.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XC. uſque ad XCIII.

NOnageſima, & ſeqq. uſque ad nonageſimam tertiam eo videntur tendere, ut contemptui exponant Excommunicationes latas adverſus Janſenianos, ne iſti a ſequenda Janſenii doctrina a Summis Pontificibus toties proſcripta metu excommunicationis retrahantur. Dicitur enim primo, quod excommunicatio ſit nulla, ſi Eccleſia authoritatem, quam habet excommunicandi, non exerceat per primos Paſtores de conſenſu ſaltem præſumpto totius corporis, atque adeo etiam laicorum. Secundo, quod metus excommunicationis injuſtæ non debeat homines retrahere ab implendo proprio debito; unde ſi qui v. g. exiſtiment docendam ſibi eſſe doctrinam Janſenianam, & injuſtas eſſe excommunicationes latas adverſus Janſenii diſcipulos, qui eam profitentur, non debeant eatenus retrahi ab ea edocenda. Tertio, quod Excommunicatio neminem ab Eccleſia ejiciat, quamvis videatur ex aliorum nequitia vi excommunicationis ejectus, ſi Deo, & Eccleſiæ ſit conjunctus per charitatem. Quarto, quod potius humiliter toleranda ſit excommunicatio, quæ cenſetur eſſe injuſta, quam ſit prodendum, quod a ſuperiore ſub interminatione excommunicationis præcipitur, ut reveletur. Quinto, quod ita ſe gerens non efferatur ſupra Eccleſiæ auctoritatem, nec ejus unitatem ſcindat, ſed potius imitetur Apoſtolum cupientem anathema eſſe pro fratribus ſuis. Sexto, quod vulnus excommunicationis, ſi præcipitanter, & inconſiderato zelo a Paſtoribus Eccleſiæ infligatur abſque Chriſti D. mandato, nihil afferat nocumenti; ab eodem quippe Chriſto D. curatur illico. Quæ omnia ſi verum haberent, quotuſquiſque cenſeret ſe ullam excommunicationem incurriſſe? Quam facile eſſet unicuique ſibi ſuadere, cenſuram non eſſe latam de conſenſu præſumpto totius Eccleſiæ? vel cenſuram eſſe injuſtam, ut proinde non ſeparet ab Eccleſia hominem illi affixum per charitatem? Quinimo qui mandatis Eccleſiæ non obtemperaret, & ob id excommunicaretur, cum facile ſit ratiunculas adinvenire ad dicendum, quod injuſta ſit excommunicatio, jactare poſſet ſe eſſe Apoſtoli imitatorem, non Eccleſiæ contumacem; & a Chriſto Domino ſibi reſtitui, quod ſublatum eſt per vulnus cenſuræ abſque ejus voluntate inflictum.

Et ſane citra delirium dici nequit, quod ad ferendam cenſuram Pontifex requirat conſenſum ſaltem præſumptum totius Eccleſiæ, & Epiſcopus conſenſum ſuæ Diœceſis. Cum enim Eccleſia etiam a Laicis componatur, quomodo poterit laicorum conſenſus requiri ad ferendam cenſuram, quæ unice ſpectat ad poteſtatem clavium, & ad juriſdictionem ſpiritualem? Trident. ſeſſ. 25. cap. 3. diſerte docet, in unius Epiſcopi arbitrio, & conſcientia poſitum eſſe, quod excommunicationes, quando expediens fuerit, decernantur. Quod ſi cenſura nulla eſſet, quando populus diſſentit, aut præſumitur diſſentire, nunquam valide Interdictum locale ferretur, quia univerſim nunquam populus cenſetur in illud conſentire. Itaque ſicut poteſtas ferendi leges Eccleſiaſticas in Prælatis eſt unice a Chriſto Domino, & nullatenus ab ipſa communitate; ita poteſtas ferendi cenſuras; atque adeo ſicut non requiritur populi conſenſus ad leges ferendas, quæ ad animarum ſalutem expedire videntur, ita nec ad ferendas cenſuras: Aliter nunquam valide ferrentur leges, & cenſuræ, quia cum iis populus gravetur, non præſumitur, quod in eas conſentiat, ſed ſolum, quod eas toleret, ac pie obtemperet. Sic etiam quando Titius excommunicatur, præſertim ſi in civitate munus publicum exerceat, eo ipſo gravatur tota civitas, cui vetatur, ne cum illo communicet tam in ſpiritualibus, quam in civilibus; propterea non præſumitur, quod civitas in talem excommunicationem conſentiat, utpote ſibi oneroſam. Et quamvis aliquando conſentiret ob atrocitatem delicti; nihilominus Titius excommunicatus non facile ſibi perſuaderet quod præſumatur civitatis conſenſus; unde excommunicatio univerſim eſſet nulla, aut ſaltem pro nulla haberetur.

Adde, quod Queſnellus auctoritatem excommunicandi non agnoſcit in Paſtoribus ſub conditione, quod populus conſentiat, ſed illam agnoſcit in populo ſub conditione,

ne, quod exerceatur per primos Paſtores; quod fert conferre Juriſdictionem ſpiritualem populo, & non Paſtoribus, & ſubjicere caput Eccleſiæ membris ſuis; atque adeo Hierarchiam Eccleſiaſticam a Chriſto Domino ædificatam ſuper firmam petram ſui Vicarii, a fundamentis evertere.

Deinde quamvis veriſſimum ſit, quod excommunicatio, quæ apud omnes evidenter eſt injuſta, & nulla, contemnenda ſit; falſiſſimum tamen eſt, quod univerſim excommunicatio injuſta ſit contemnenda. Etenim quæ eſt evidenter injuſta ſolum relate ad ipſum ſubditum, ſi non ſit pariter evidenter injuſta apud omnes, ſervanda eſt pro foro externo ad ſcandalum vitandum, & procuranda eſt omnibus modis abſolutio. Quod ſi apud ſubditum eſt ſolum probabiliter, non vero evidenter injuſta, ea ſimpliciter, & abſolute eſt ſervanda; quia ſtandum ſemper pro validitate actus, quoties non conſtat evidenter de oppoſito: Aliter ſi unuſquiſque poſſet eſſe Judex in propria cauſa, rueret omnis Politia. Hinc tam Urbanus Papa in Epiſtola Decretali cap. 5., quam D. Gregorius homil. 26. in Evang. docent, valde timendam eſſe Epiſcopi ſententiam, quamvis injuſtam; hoc eſt (ut notat Suar. diſp. 4. de Cenſuris ſect. 7.) ſive ſit injuſta lato modo, quatenus ex odio Epiſcopi provenit, ſed juris ordine ſervato, & juxta meritum cauſæ; ſive ſit injuſta per hoc, quod probabiliter tantum ſit injuſta; ſive demum ſit injuſta per hoc, quod uni ſubdito ſit evidenter injuſta, aut nulla, quin tamen omnibus conſtet evidenter. Quando vero omnibus perſpecta eſt evidenter ſententiæ nullitas, (ut ſi præcipiatur ſub excommunicatione id, quod conſtat eſſe intrinſece malum, vel ſi conſtet, quod præcipiens careat jurisdictione debita) tunc, ut notat Angelicus, judicium hoc pacto injuſtum non eſt habendum pro judicio, & ideo contemnendum. Quod ſi Epiſcopus ſub excommunicatione præcipiat Titio v. g., quod accipiat Bertam in uxorem poſt præmiſſa ſponſalia, & Titio innoteſcat interponi aliquod impedimentum dirimens matrimonium, quod manifeſtare non poteſt, tunc ſolum eſt verum, quod pati potius debeat anathema hoc pacto injuſtum, quam accedere ad non ſuam, quod eſt intrinſece malum, ut habetur in cap. *Inquiſitioni* de ſent. excommunicationis; & in cap. *Litera*, de Reſtitut. Spoliatorum. At ſi non eſt certum, quod ſit intrinſece malum id, quod præcipitur, obtemperandum eſt, juxta doctrinam Auguſtini lib. 2. contra Fauſtum cap. 74. relatam in cap. *Quid culpatur* 23. q. 1. cum non excuſet ab obtemperando ſola probabilitas de præcepti injuſtitia; Et multo minus excuſari poſſunt Janſeniani, ſi præceptis Pontificiis non obtemperent, & excommunicationes contemnant; cum perſpectiſſimum ſit, juſtum, & rationabile eſſe id, quod iis injungitur; unde ſolum ex pertinacia, & obſtinatione dicunt Cenſuras eſſe injuſtas. Hinc non ex hominum nequitia dicendi ſunt ab Eccleſia per excommunicationem expulſi, dum non obtemperant; ſed jure, ac merito ab Eccleſia ejiciuntur: Nec ullatenus ſunt Deo, & Eccleſiæ per charitatem affixi, cum culpabiliter renuant mandatis Eccleſiæ ſe ſubjicere. Quod ſi vere cenſura hominem ligat, quoties ſervato juris ordine fertur, etiamſi ex prava intentione, vel odio Judicis erga ſubditum ea feratur, a fortiori cenſura ligat, quando ſanctiſſime lata eſt adverſus contumaces, quamvis iſti ad excuſandas excuſationes in peccatis dicant, ſe injuſte ligari.

Ex quibus ſequitur primo, quod Excommunicationis metus debeat nos impedire etiam ab operationibus cæteroqui de ſe debitis, quamvis probabiliter illa reputetur injuſta; & a fortiori ſi evidenter ſit juſta, & ex pertinacia dicatur injuſta, ut eſt excommunicatio lata in Janſenianos, qui pervicaciter dicunt ad ſe ſpectare, quod Janſenii doctrina propugnetur, perinde ac eſſet D. Auguſtini. Sequitur ſecundo, quod contra Pontificis auctoritatem ſe erigat, & Eccleſiæ unitatem ſcindat, non vero Apoſtolum imitetur, qui vult potius pati anathema, quod ipſe aut putat, aut ſolum fatetur eſſe injuſtum, quam præceptis Eccleſiæ obtemperare. Sequitur tertio, Chriſtum Dominum non ſanare vulnus excommunicationis, quod hominem ſeparat ab Eccleſia, etiam quando ex odio, nedum ex inconſiderato zelo fertur, dummodo fiat Juris ordine ſervato. At perfricta fronte, audacter, ac temere videtur in his theſibus indicari, quod excommunicationes adverſus Janſenianos ex præcipiti zelo Paſtorum Eccleſiæ latæ ſint. Fixum itaque ſit, quod Gregorius habet apud Gratianum 11. q. 3. cap. 1. *Sententia Paſtoris, ſive juſta, ſive injuſta, timenda eſt.*

PRO-

PROPOSITIO XCIV.

Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores. *Queſnel. Rom.* 14. *16. edit.* 1693. *&* 1699.

SYNOPSIS.

I. Blaſphemias in hac, & ſequentibus theſibus congerit adverſus Eccleſiam Queſnellus. II. Pontifex in materia fidei, ac morum errare non poteſt, quando ex cathedra loquitur, etiam in quæſtionibus facti. III. Præſertim quia communius Theologi cenſent, eſſe objectum materiale fidei Concluſionem Theologicam erutam ex una præmiſſa de fide, & altera moraliter certa, ut in caſu noſtro. IV. Multa ad factum hoc facto ſpectantia definita de fide ſunt a Pontificibus, & a Conciliis. V. Codices non pauci pariter damnati ſunt, quamvis id ad factum pertineret. VI. Hæc autem non eſſe parvi, ſed maximi momenti, nemo eſt, quin videat.

I. QUis non horreat audiendo blaſphemias, quas in hac theſi congerit Queſnellus, videlicet Eccleſiam ipſam, non vero nonnullos ex fidelibus, malam de ſe opinionem ingerere inimicis ſuis, atque adeo illos ſcandalizare; Eccleſiam dominatum exercere ſupra fidem fidelium, ac ſchiſmata fovere propter res nullius momenti, quæ neque ad fidem ſpectant, neque ad mores? Ratio autem cur peſſime de Eccleſia ſentiat hac in re Queſnellus, videtur proculdubio eſſe, quia theſes Janſenianæ in ſenſu ab Auctore intento proſcribuntur; quod innovavit zelantiſſimus Pontifex in ſua Bulla edita anno 1705. incipiente, *Vineam Domini Sabaoth*, damnando præter theſes toties damnatas Janſenii, etiam obſequioſum illud Janſenianorum ſilentium, decernens, *damnatum in quinque propoſitionibus Janſeniani libri ſenſum, quem illarum verba præſeferunt, ab omnibus Chriſtifidelibus ut hæreticum non ore ſolum, ſed & corde rejici, ac damnari debere; nec alia mente, animo, aut credulitate Formulæ ſubſcribi licite poſſe.* Cum enim Janſeniani virus in corde retinerent, & clanculum illud in perniciem fidelium late diffunderent, opus fuit ea Bulla iterum ferro, ac flamma Janſenianam hanc Hydram confodere. Hac de cauſa Queſnellus veluti inſaniens in medicum, tot blaſphemias in Eccleſiam ipſam eructat in hac theſi, aliaſque plurimas in ſequentibus, dicendo, quod jam ſenuerit, dum lingua quodammodo peregrina veritates Catholicas prædicat, quod Prædicatoribus veritatis ſit adverſa; quod membra illa, quæ arctiſſime conjuncta ſunt Eccleſiæ, reſpiciat, ac tractet perinde ac ſi eſſent ſejuncta; quod homines magis Chriſto conformes, tanquam hæreticos, inſectetur; quod pervicaciter agnoſcere nolit errores ſuos; quod eo devenerit, ut veritatem, ejuſque ſectatores perſequatur. Ecquis audiat ſine ſtomacho hæc; quæ de terreſtri Hieroſolyma Queſnellus effutit, quæ Babylonis ſunt propria?

Eccleſia, quæ Sponſa Chriſti eſt, ejuſque ſanguine purificata, in qua neque maculam eſt reperire, neque rugam, poterit ſcandala diſſeminare, ſchiſmata fovere, ac ſupra fidem fidelium dominari, præcipiendo tam rigide, quæ nullius momenti ſunt, nec ad fidem ſpectantia, neque ad mores? Pudet me Theologicis rationibus hæc omnia confutare. Quis enim non videat, niſi in ipſo Sole caliget, maxime ad fidem, & ad mores ſpectare, quod ſilentium Janſenianorum, quod jactitant obſequium, tanquam inſidioſum, ac maxime fidei, ac moribus capitale, aqua, & igni iis interdiceretur? Si ſcandalum inde promanat, Phariſaicum eſt, & paſſivum, cum nequeat ab Eccleſiæ ſanctitate activum ſcandalum oriri. Non aliæ diviſiones his proſcriptionibus cauſantur ab Eccleſia, niſi illæ, quæ Hæreticos a Catholicis ſeparant; nec alius dominatus exercetur ſupra fidem fidelium, niſi qui ad fidem tuendam maxime confert.

II. In eo toti ſunt Janſeniani, quod ad factum pertineat, num Janſenius theſes proſcriptas in ſenſu hæretico docuerit, an in ſenſu non proſcribendo. Quare cum in forma juramenti ab Alexandro VII. præſcripta dicantur damnari, ac rejici theſes ex libro Janſenii excerptæ in ſenſu ab eodem Authore intento, & in iis, quæ ad factum pertinent, poſſit Pontifex errare; (qui ſolum in iis, quæ ad fidem, & mores ſpectant, ex aſſiſtentia Spiritus Sancti nec falli, nec fallere poteſt) ſequitur, quod ea, quæ præcipiuntur ſpectantia ad ſenſum a Janſenio intentum in iis theſibus, & in ordine ad formulam juramenti ſincero animo præſtandam, videantur malam ingerere opinionem de Eccleſia ejus inimicis, per hoc quod dominatum exerceat ſupra fidem fidelium, ac diviſio-

viſiones foveat in iis, quæ nec fidem lędunt, nec mores.

Verum, licet poſſit errare Pontifex tanquam Doctor privatus, immo etiam tanquam habens Pontificiam dignitatem, in quæſtionibus facti particularis, puta num hic, vel ille fit dignus Epiſcopatu, vel Purpura, num ſit reus alicujus criminis, num excommunicatus, num deponendus; at in quæſtionibus facti, quæ ita ſunt permixtæ quæſtionibus juris, ut a negatione facti rite inferatur negatio juris, Pontifex loquens ex Cathedra errare non poteſt; quia hæc etiam infallibilitas eſt neceſſaria ad commune bonum Eccleſiæ, ejuſque rectum regimen; quo ſpectant promiſſiones Divinæ de aſſiſtentia Spiritus Sancti: E. gr. ſpectat ad factum, Num hæc Sacra Scriptura vulgata contineat doctrinam fidei; Num libri Lutheri, & Calvini contineant doctrinam fidei contrariam; Num D. Ignatius pie vixerit, adeo ut poſſit in album Sanctorum aſcribi; & alia id genus; quia tamen facta iſthæc connectuntur cum quæſtionibus juris ad fidem, vel mores pertinentibus, ideo ad bonum Eccleſiæ regimen, & ad bonum fidei ſpectat, ut in iis Pontifex errare non poſſit; ſi enim erraret, quod hæc Scriptura vulgata contineat doctrinam fidei, errare poſſet in iis omnibus, quæ in ea Scriptura dicuntur eſſe a Deo revelata. Similiter ſi erraret in eo facto, quod hic liber Calvini contineat hæreſim, erraret in eo, quod dicantur eſſe contra fidem nonnulla, quæ in eo libro continentur; & ſi erraret in hoc quod D. Ignatius obierit in oſculo Domini, erraret in hac quæſtione ad mores ſpectante, quod ſit ſacer, & ſalutaris cultus Duliæ, qui D. Ignatio tanquam Dei ſervo exhibetur. Et ideo fere communiſſime docent, quod in canonizatione Sanctorum errare non poſſit. In caſu autem noſtro, ſi Pontifex erraret in hoc, quod theſes illæ in libro Janſenii contentæ in ſenſu, quem illarum verba præferunt, & ab Auctore intento, ſint hæreticæ, erraret in iis quæſtionibus juris ad fidem ſpectantibus, quæ in eo libro continentur, videlicet quod interiori gratiæ nunquam reſiſtatur, quod ad meritum, & demeritum ſufficiat libertas a coactione, &c. Idemque dicas de aliis hæreticorum libris, qui ratione doctrinę erroneæ proſcribuntur. Illud tamen intercedit diſcrimen inter libros hæreticorum, puta Calvini, Lutheri, & libros Janſenii, quod ex iis ſatis conſtet, eos fuiſſe hæreticos, imo & Hæreſiarchas, quin conſtet, quod ab hæreſi receſſerint; at ex libris Janſenii ſolum conſtat, quod hæreſes illas docuerit, non tamen omnino conſtat, quod contumaciter adverſus Eccleſiam uſque ad mortem eas docuerit; etenim in ſuo ultimo teſtamento diſerte dixit, omnia ſe ſubmittere judicio S. Matris Eccleſiæ. Et in Proœmio ad tom. 2. cap. 29. habet: *Quicquid ab iſta Petri Cathedra, ab iſto Eccleſiæ univerſæ capite, Moderatore, Pontifice præſcriptum fuerit, hoc teneo: quicquid improbatum, improbo, damnatum, damno, anathematizatum, anathematizo*: Quicquid ſit an in ſpeciem tantum ea dixerit, & ad effugiendas Cenſuras Eccleſiaſticas; quod multi non temere arbitrantur. Cum enim paſſim aperte docuerit Bajanas theſes, non ſemel a Pontificibus proſcriptas, proteſtatio illa videtur fuiſſe contraria factis.

III. Ubi adverte, quod communius Theologi doceant, eſſe objectum materiale fidei Concluſionem theologicam erutam ex una præmiſſa de fide, & altera moraliter certa: Ex. gr. ex hac præmiſſa de fide, Quod Conciliis Œcumenicis definitur, eſt de fide: & ex hac alia moraliter tantum certa, quod Tridentinum fuerit Concilium Œcumenicum, infertur tanquam objectum materiale fidei, de fide eſſe quæcunque a Tridentino definita ſunt. Similiter ex hac præmiſſa de fide, Quæcumque Tridentinum definit, ſunt de fide; & ex hac alia, quæ eſt tantum moraliter certa, videlicet, Hæc, quæ habentur in hoc Codice, (qui apud omnes dicitur continere quæ Tridentinum docuit) ſunt definita a Tridentino, infertur hæc conſequentia, quæ eſt objectum materiale fidei, videlicet quod de fide ſint, quæ in hoc Codice dicuntur definita a Tridentino. Quamvis autem nonnulli putent, Concluſionem, quæ deſcendit ex una præmiſſa revelata, & altera moraliter certa, non eſſe objectum materiale fidei, antequam ea definiatur ab Eccleſia; docent tamen omnes, quod ea Concluſio ſaltem ſit proxime definibilis, & quod ſit de fide poſt Eccleſiæ definitionem.

In caſu itaque noſtro, ex hac præmiſſa moraliter certa, quod Janſenius uſurparit verba, quæ in ſuo Codice habentur in ſenſu proprio, quem verba præſeferunt; & ex hac alia de fide, quod quinque illæ theſes, quæ in Codice Janſenii habentur, ſint hæreticæ, infertur conſequentia hæc, quæ cenſetur eſſe vel objectum materiale fidei, vel ſaltem proxime definibilis, Quod ſcilicet Janſenius docuerit theſes hæreticales; atque adeo, quod theſes illæ damnandæ ſint in ſenſu ab Auctore intento. Et ratio eſt, quia, ſi quis hanc Concluſionem neget, non cenſetur negare præmiſſam illam moraliter certam,

tam, & evidentem, quod ſcilicet Janſenius uſurparit theſes illas in ſenſu, quem verba præſeferunt; ſed cenſetur negare alteram præmiſſam, quæ eſt de fide, & obſcura, quod ſcilicet quinque illæ theſes in Janſenii Codice contentæ ſint hæreticales; & ideo jure merito cenſeretur eſſe hæreticus, qui diceret Janſenium non docuiſſe theſes hæreticales. Quamvis enim id videatur pertinere ad quæſtionem facti, at quæſtio iſta facti connectitur cum quæſtione juris ad fidem ſpectante; unde poteſt ea eſſe objectum materiale fidei, & in ea decidenda Pontifex ex Cathedra loquens debet eſſe infallibilis. Hinc communiter dicimus eſſe objectum materiale fidei, quod Clemens XI. ſit Vicarius Chriſti; quia de fide eſt, omnem Pontificem rite electum eſſe Chriſti Vicarium: eſt autem moraliter certum, quod Clemens XI. ſit rite electus; propterea qui negaret Clementem XI. eſſe Chriſti Vicarium, non cenſeretur negare præmiſſam illam moraliter certam, & evidentem, quod ſcilicet ſit legitime electus, ſed cenſeretur negare præmiſſam illam, quæ eſt de fide, & obſcura, quod ſcilicet omnis Pontifex legitime electus ſit Chriſti Vicarius; & ideo qui negaret Clementem XI. eſſe Chriſti Vicarium, cenſeretur hæreticus; quia ſcilicet, quamvis hæc quæſtio, Num hic ſit verus Pontifex, ſpectet ad factum, connectitur tamen cum illa quæſtione juris, Num omnis Pontifex rite electus ſit Chriſti Vicarius; & ideo in hac quæſtione facti reperitur infallibilitas; dummodo tamen ita moraliter conſtet de legitima Clementis XI. electione, ut nonniſi fatue, ac omnino temere a fidelibus negari poſſit. Quare cum nonniſi temere negari poſſit, quod Janſenius uſurparit verba in ſenſu proprio, quem præſeferunt, ideo qui negaret Janſenium docuiſſe theſes hæreticales, cenſeretur negare quod quinque illæ theſes proſcriptæ, quæ in ejus Codice continentur, ſint hærericales. Quamobrem jure merito potuit Pontifex definire, quod theſes Janſenii in ejus libro contentæ hæreſim contineant ſecundum ſenſum, quem verba præſeferunt; & jure merito requirit id, quod præſcribitur in formula juramenti mox referenda, quod ſcilicet theſes illæ ex libro Janſenii excerptæ in ſenſu ab Auctore intento damnentur. Etenim quamvis videatur id ſpectare ad quæſtionem facti, quia tamen quæſtio iſta facti connectitur cum quæſtionibus juris ad fidem, vel mores ſpectantibus, idcirco ea in re nequit Pontifex errare. Unde merito etiam requirit Pontifex, quod Janſeniani non ſolum exterius formulæ illi ſubſcribant, ſed etiam corde credant, theſes Janſenianas juxta ſenſum, quem præſeferunt, eſſe hæreticas, & damnandas.

IV. His adde, multa ad factum pertinentia Pontifices, & Concilia definiiſſe, eo quod ad fidem Catholicam ſpectet, ea indubitanter credere, ver. gr. quod cum Corpore Chriſti non remaneat ſubſtantia panis in Euchariſtia, quod Chriſtus aquam vino miſcuerit in ultima Cœna, quod Deipara ſemper Virgo permanſerit, quodque ex ſpeciali privilegio etiam venialia vitaverit, quod Eccleſia antiquiſſimis temporibus uſa fuerit Indulgentiis, & ſimilia, quæ Leo X. in ſua Bulla contra modernos hæreticos definivit, ac poſtea etiam Tridentinum, quin hæretici auſi fuerint adverſus has definitiones objicere, quod hæc ſpectent ad factum quia non pertinent hæc facta ad paucos, in quibus ſolum poteſt Pontifex etiam ut Pontifex, ſeu ut habet Pontificiam juriſdictionem, errare, ut docet Bellar. lib. 4. de Pontifice cap. 2. (v. gr. An hic Epiſcopus deponendus ſit ab Epiſcopatu: an jure fuerit promotus: &c.) ſed pertinent hæc facta ad totam Eccleſiam, & ad omnes fideles, a quibus credenda ſunt; & ideo in definitione horum factorum Pontifex indiget aſſiſtentia Spiritus Sancti, ac proinde infallibiliter vera ſunt, prout proponuntur credenda. Atqui pariter hoc factum, quod ſcilicet hæreticæ ſint theſes Janſenii, prout verba præſeferunt, & in ſenſu obvio, quem in Janſenii libro habent, & qui ab eodem Janſenio intentus fuit, ſpectat ad totam Eccleſiam, ut poſſint hanc luem vitare fideles; ergo pariter infallibiliter verum eſt hoc, quod a Pontifice loquente ex Cathedra definitur, quamvis pertineat ad factum.

V. Adde ulterius, Pontifices, & Concilia conſueviſſe olim libros damnare, etiam juxta ſenſum Auctoris, quamvis id ad factum pertineret. Conſtat quippe ex actis Concilii Chalcedonenſis, quod Synodus abſolvere Theodoretum recuſavit, quamvis abjuraſſet hæreſes, quæ in Neſtorii libro continebantur, niſi diſerte diceret anathema Neſtorio, & dogmatibus ejus. Et ſimiliter in prima Synodo Nicæna pro hæreticis habiti ſunt, & exilio mulctati Euſebius, & Theognis, qui quamvis ſubſcriberent condemnationi errorum, qui dicebantur eſſe Arii, detrectabant tamen ipſi Ario dicere anathema, putantes, Arium eos errores non docuiſſe in ſenſu, quo proſcribebantur. Hac eadem ratione Alexander VII. anno 1664. in ſua Bulla decrevit, ut quinque illæ theſes, quæ in libro Janſenii reperiuntur, in ſenſu ab Au-

ctore intento damnarentur . Formula autem ab Eccleſiaſticis omnibus , a Doctoribus , & Licentiatis , a Rectoribus Collegiorum , atque Magiſtris ſubſcribenda hæc habet : *Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocent. X. datæ 31. Maji*] 1653. , *& Conſtitutioni Alexand. VII. datæ die 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me ſubjicio , & quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro , cui nomen, Auguſtinus , excerptas , & in ſenſu ab eodem auctore intento , prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit , ſincero animo rejicio , ac damno , & ita juro . Sic me Deus adjuvet , & hæc ſancta Dei Evangelia .*

VI. Conſtat itaque falſum eſſe , quod ad fidem non pertineat id , quod in ordine ad theſes Janſenii , & ad earum ſenſum a Pontifice ex Cathedra loquente definitur , & quod ab omnibus damnandum præcipitur ſub cenſurarum interminatione . Aliter Eccleſia in ſuis definitionibus turpiter erraret, exercendo dominatum ſupra fidem fidelium , hoc eſt obligando fideles ad credendum , quod fidei adverſentur ea , quæ nullatenus neque immediate , neque mediate fidem lædunt . Incaſſum proinde Queſnellus docet , hæc eſſe parvi momenti , quæ malam ingerunt de Eccleſia opinionem , & pariunt diviſiones . Hoc idem olim Monothelitæ adverſus Sophronium dictitabant , ut poſſent ſuas hæreſes tueri . Quare adverſus Queſnellum Eccleſia exprobrare poterit , quod habetur 3. Reg. 18. *Non ego turbavi Iſrael , ſed tu , & domus Patris tui , qui dereliquiſtis mandata Domini , & ſecuti eſtis Baalim .*

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XCIV.

NOnageſima quarta impudentiſſime de Eccleſia obloquitur , dum vult ab omnibus conſpici , quod ea dominatum exerceat ſupra fidem fidelium , fovendo ſchiſmata propter res parvi momenti , quæ nec fidem , nec mores inficiunt ; ut proinde peſſima de ipſa ingeratur opinio hoſtibus ſuis . Quis hæc audiendo non inhorreſcat ? Quod Eccleſia , quæ eſt norma Sanctitatis , poſſit pravam de ſe opinionem ingerere , & aliis eſſe offendiculo : Quod eadem poſſit dominatum ſuum exercere ſupra fidem fidelium , ac diviſiones fovere propter res , quæ ad ipſam non ſpectant , quis unquam Eccleſiæ infenſiſſimus , ac perditiſſimus hoſtis effutire auſus fuit ? Dominatum ſuum ſupra fidem fidelium exercet Supremus Hierarcha , definiendo tanquam Eccleſiæ Magiſter , quæ ab omnibus credenda ſunt , & quidem præſidio Spiritus Sancti ſuffultus , ita ut errare non poſſit ; quomodo ergo poterit dominatum iſtum cum aliorum ſcandalo exercere ? Hoc equidem in votis habent Heterodoxi , quod in Eccleſia nullus daretur Supremus Controverſiarum Judex , ut cuilibet integrum eſſet ſentire , quod magis arrideat , atque ab interno privato ſpiritu edoceri , ac dirigi . Itaque vel vult Queſnellus , quod Pontifex dominatum ſuum exerceat in iis , quæ ad fidem , & ad mores pertinent ; & cum non poſſit hac in re errare Magiſterio Spiritus Sancti edoctus , nullatenus poterit aliis eſſe offendiculo , ac pravam de ſe opinionem ingerere hoſtibus Eccleſiæ : Vel vult , quod dominatum ſuum exerceat in iis , quæ ad fidem , ac mores non ſpectant ; & in tali caſu erraret enormiter Pontifex , ac Eccleſia cum ipſo ; quod nemo Catholicus poterit de Eccleſia ſentire ; quandoquidem imperare , quod fide divina credantur , quæ ad fidem non pertinent , error eſt intolerabilis . Et ſane ſi Cathedra Apoſtolica huic errori eſſet obnoxia , cur Eccleſia juxta morem antiquiſſimum in dubiis ad fidem ſpectantibus ad oraculum Pontificium ſemper confugit , ut ediceret , ac definiret , quod ab omnibus fidelibus fide divina credendum eſt ? Cur ſuperiore ſeculo univerſi ferme Galliæ Antiſtites ad Chriſti Vicarium Innocentium X. ſupplices miſerunt libellos , ut dignaretur decernere , quid eſſet ab omnibus credendum in iis , quæ ſpectant ad quinque Janſenii theſes ? Quare ſicut Eccleſia , utpote Organum Spiritus Sancti , in rebus fidei , ac morum errare non poteſt ; ita eadem , utpote Una , & Sancta , (ut habetur in Symbolo fidei) quatenus Sancta eſt , non poteſt ita ſe gerere , ut ſcandalum præbeat , ac malam de ſe opinionem ingerat hoſtibus ſuis , turbas excitando propter res parvi momenti , quæ neque ſpectant ad fidem , neque ad mores : Et quatenus eſt Una , nequit diviſiones fovere , ſed unitatem ; ut enim dicitur ad Epheſ. 5. *Unus Deus , una Fides , unum Baptiſma .*

Ex verbis hujus theſis facile eſt advertere , quo collineat Queſnellus , dum has blaſphemias adverſus Eccleſiam eructat . Decrevit Alexander VII. in ſua Bulla edita anno 1664. , quod Eccleſiaſtici omnes jurarent juxta formulam præſcriptam ſe ſincero animo rejicere , ac damnare quinque illas

the-

theſes ex libro Janſenii excerptas in ſenſu ab Auctore intento; & Innocentius XII. eas in obvio ſenſu, quem in Janſenii libro habent, quique ab eodem Janſenio intentus fuit, damnatas eſſe pronunciavit; quod pariter in ſua Bulla edita anno 1705. Clemens XI. confirmavit. Hinc Janſeniani, ut ſuum Anteſignanum ab hac nota liberarent, (quod ſcil. theſes illas edocuerit in ſenſu proſcribendo) in medium adduxerunt, quod definitio iſthæc ſpectet ad quæſt. facti, in qua Pontifex eſt errori obnoxius, non vero ad quæſtionem juris, quæ fidem, aut mores concernat, in qua definitio Pontificia eſt ineluctabilis; & hac de cauſa in hac theſi dicitur Eccleſia exercere ſuum dominatum ſupra fidem fidelium, fovendo diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores. Sed errant, & vehementer errant: quamvis enim Pontifex errare poſſit in iis, quæ ad purum putumque factum ſpectant, & nullatenus ad fidem, v. gr. quod hic ſit, vel non ſit dignus Epiſcopatu; errare tamen non poteſt in iis, quæ ita ad factum ſpectant, ut de eo tota Eccleſia edocenda ſit, ut fidei puritas, ac morum probitas in ea ſervetur. Hinc licet ad quæſtionem facti pertineat, Num Neſtorius fuerit hæreticus? quia tamen de hoc facto edocenda fuit Eccleſia in bonum fidei; idcirco Concilium Chalcedonenſe non ſolum damnavit hæreſes Neſtorianas, ſed etiam voluit, ut Theodoretus poſt abjuratas hæreſes, quæ in Neſtorii libro continentur, diſerte diceret anathema Neſtorio, & dogmatibus ejus, antequam abſolveretur. Et in Concilio Nicæno tanquam hæretici habiti ſunt Euſebius, & Theognis, qui licet hæreſes Arii damnarent, recuſabant tamen anathema dicere Ario, quem dicebant ab iis erroribus immunem, eo quod theſes illas proſcriptas docuerit in ſenſu non proſcribendo. Quare ſimiliter in hac quæſtione facti, Num in ſenſu proſcribendo docuerit Janſenius in ſuo libro theſes proſcriptas, potuit Pontifex definire in bonum fidei, quod theſes illas proſcriberet in ſenſu intento a Janſenio, ut fideles omnes cavere poſſint a lethifera Janſenii doctrina, atque ab ejus Aſſeclis. Propterea Eccleſia exercendo hac in re ſuum dominatum ſupra fidem fidelium, illum non exercet propter res parvi momenti, quæ ad fidem, aut mores non ſpectant, nec fovet diviſiones, nec pravam de ſe ingerit opinionem hoſtibus ſuis. Quod ex eo dilucide conſtare poteſt, quia Conſtitutionem regnantis Pontificis, *Vineam Domini Sabaoth*, in qua hæc omnia confirmantur, & obſequioſum Janſenianorum ſilentium reprobatur, tanquam rem ad fidem ſpectantem Epiſcopi omnes in tota Gallia expanſis ulnis acceptarunt, necnon univerſus cœtus Cleri Gallicani, cui ipſe Eminentiſſimus de Noaglies præerat, approbavit.

PROPOSITIO XCV.

Veritates eo devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum: adeo remotus eſt a ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium: Neque ſatis advertitur, quod hic defectus ſit unum ex ſignis maxime ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos. *Queſnel.* 1. *Cor.* 14. 21. *edition.* 1699.

PROPOSITIO XCVI.

Deus permittit, ut omnes Poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit, niſi Divinæ gratiæ. *Queſnell. Act.* 17. 8. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO XCVII.

Nimis ſæpe contingit, membra illa, quæ magis ſancte, ac magis ſtricte unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia, vel tanquam ab ea ſeparata; ſed juſtus vivit ex fide, & non ex opinione hominum. *Queſn. Act.* 4. 11. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO XCVIII.

Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jeſu Chriſto. *Queſnel. Luc. 22. 37. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO XCIX.

Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit, ut in ea eſſet odor vitæ, ver. gr. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla, &c. *Queſnel. 2. Corint. 2. 16. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO C.

Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejuſque diſcipulos, Tempus hoc advenit..... Haberi, & tractari a Religionis Miniſtris, tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flamma, ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus diabolo Dei ſervum. *Queſnell. Joan. 16. 2. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Citra blaſphemiam dici nequit, quod Eccleſia ſit ſenio confecta. II. Antiquæ hæreſes hic recuduntur.

III. Error, & deceptio in Eccleſiam cadere non poſſunt, cum ea ſit Catholica, ſeu Univerſalis, ſit Sponſa Chriſti, ſit Sancta, Domus Dei, Columna, & Firmamentum Veritatis. IV. In æternum eſt perduratura; unde ſeneſcere, ac deficere non poteſt. V. Ita Patres communiſſime. VI. Et quæ a Patribus adverſus Donatiſtas congeruntur, ea omnia militant adverſus Janſenianos.

VII. Neque Eccleſia deficiet tempore Antichriſti; Neque Synagoga univerſa in fide defecit; Et quamvis hæc potuiſſet deficere, non tamen Eccleſia. VIII. Similitudines Scripturarum non debent in omnibus convenire. Hinc licet Lunæ comparetur Eccleſia, non tamen in ordine ad defectum. IX. Ex quibus deſcendit falſitas omnium, & ſingularum theſium iſtarum. X. Eccleſia debet eſſe Univerſalis ſeu Catholica, Sancta, & Apoſtolica; unde Eccleſia Janſeniana eſt Eccleſiæ figmentum.

I. PErgit Queſnellus in his theſibus Eccleſiam Catholicam contemnere tanquam ſenio confectam, dicens in ea veritates eſſe pleriſque fidelibus tanquam linguam peregrinam, ac modum eas prædicandi remotum eſſe a ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra fidelium captum. Ut autem Janſenianos tanquam legitimos Evangelii Prædicatores commendet, non ſolum Poteſtatibus Eccleſiaſticis, ſed etiam Sæcularibus eſt injurioſus, dicens, utraſque pugnare adverſus iſtos veritatis Prædicatores, ut tandem victoria divinæ gratiæ aſcribatur. Addit, perſæpe deſpici tanquam indignos ut ſint in Eccleſia, homines eidem Eccleſiæ arctiſſime conjunctos, qui tamen Chriſto Domino conformes fiunt, dum tolerant, quod tanquam Hæretici flagitioſi, ac impii habeantur. Docet etiam, ex obſtinatione Paſtorum provenire, quod in odorem mortis mutentur, quæ Deus in Eccleſia poſuit, ut eſſent in odorem vitæ, prout ſunt ex Queſnello libri, exhortationes, ac exempla Janſenianorum. Addit demum, incidiſſe nos in tempora maxime deplorabilia, dum credimus Deum honorari perſequendo doctrinam Janſenianam; & putamus ſacrificare Deo impios, ac veritatis Catholicæ perduelles, dum juſti, ac ſervi Dei ſacrificantur diabolo. Quæ omnia nonniſi ab Heterodoxis per ſummam injuriam Eccleſiæ objecta

jectari poſſunt. Uno tamen ictu ſimul hæc omnia confodienda ſunt, oſtendendo, Eccleſiam ſeneſcere, aut errare non poſſe in iis, quæ ad fidem, aut mores pertinent; erraret autem, ſi theſes iſtæ Queſnellianæ ſubſiſterent, ut eſt in confeſſo.

II. Ut altius inſpiciatur, quod antiquæ hæreſes iterum hic in medium adducantur; ſciendum, Lutheranos, & Calviniſtas putaſſe Eccleſiam jam ſenuiſſe, & indiguiſſe reformatione, ut in priſtinum florem revocaretur. Primis quippe quingentis annis putant illam plene floruiſſe, deinde paulatim incepiſſe deficere a vera fide, ac religione, donec penitus defecerit, ac apoſtatarit; refloruiſſe tamen tempore Lutheranorum, & Calviniſtarum, a quibus Eccleſia Reformata eſt pura, integra, incorrupta, ſublatis Papiſtarum ſuperſtitionibus, & corruptelis. Verum ex oppoſito Catholici ſic adverſus Hæreticos ratiocinantur: Vera Chriſti D. Eccleſia, quæ Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica eſt, errare in fide, ac deficere non poteſt; quamvis enim multi ex Eccleſia poſſint errare, ac de facto errarint, (Ariani negantes Chriſti divinitatem, Neſtoriani aſſerentes duas in Chriſto perſonas, Eutychiani aſſerentes unam in Chriſto naturam, & alii innumeri) Eccleſia tamen univerſalis deficere in fide, ſeu in doctrina morum errare non poteſt; niſi velit quiſquam Chriſtum eſſe mendacem, qui dixit: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*: ergo ſi primis quingentis annis fuit vera Eccleſia, non habens maculam, neque rugam, ut Adverſarii ipſi fatentur, non potuit decurſu temporis ſenio confici, deficere in fide, ac indigere reformatione. Quapropter quæcunque ab Hæreticis adverſus Eccleſiam exprobrantur, & quæ in his theſibus Queſnellus objectat, omnino commentitia ſunt, nec in veram Chriſti Eccleſiam cadere poſſunt; quippe quæ nec ſeneſcere, aut deficere poteſt, nec adverſari Prædicatoribus veritatis, cum ſolum Prædicatoribus falſitatis poſſit eſſe contraria. Nequit etiam contingere, quod qui magis ſancte vivunt, habeantur ab Eccleſia univerſa, & tractentur tanquam indigni, qui in ea ſint; erraret enim Eccleſia ipſa: Sicut etiam ſi tanquam hæreticum, flagitioſum, & impium haberet Chriſti aſſeclam: necnon ſi ex pervicacia, aut præventione obſtinate nollet aliquid examinare, ita ut agnoſcat ſe fuiſſe deceptam; aut ſi in odorem mortis mutaret bonos libros, inſtructiones, & ſancta exempla, quæ Deus poſuit, ut in Eccleſia eſſent odor vitæ; ac demum ſi eo perveniſſet, ut Miniſtri Religionis univerſim poſſent tanquam membra putrida habere, ac tractare homines pios, perſequendo illos flamma, ferroque; ita ut frequenter credatur Deo ſacrificari impius, dum diabolo ſacrificatur ſervus Dei: etenim error hac in re, ſive frequenter, ſive ſemel tantum accidat, ſi a Miniſtris Religionis qua talibus univerſim proveniat, non eſſet error hominis, aut doctoris privati, ſed error, qui ipſi Eccleſiæ tribueretur; quod ex divina Providentia contingere non poteſt: Aliter de veritate fidei, & Eccleſiæ poſſet quilibet prudenter ambigere. Quomodo enim poſſent dici inexcuſabiles, qui non credunt, quæ docet Eccleſia in ordine ad fidem, aut mores, ſi ea poſſet his erroribus ſubjacere?

III. Oſtenditur autem, ſenectutem, defectum, hallucinationem, deceptionem, pervicaciam, obſtinationem, aliaque in hiſce theſibus contenta in Eccleſiam cadere non poſſe. Et primo quidem, quia vera Eccleſia eſt Catholica, ſeu Univerſalis, non ſolum ratione loci, quatenus per totum orbem diffuſa eſt, juxta illud Marci 16. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*; ſed etiam ratione temporis, quatenus ſemper durabit, unde ſeneſcere non poteſt; dicitur enim Danielis 2. *Suſcitabit Dominus Cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur*. Secundo, quia eſt *Sponſa Chriſti*, indiſſolubili vinculo illi conjuncta, juxta illud Oſeæ 2. *Sponſabo te mihi in ſempiternum*; unde Cyprianus lib. de Unitate Eccleſiæ habet: *Adulterari non poteſt Sponſa Chriſti, incorrupta eſt, & pudica*. Tertio, quia eſt *Sancta*, tum quia ejus Sponſus Chriſtus eſt Sanctus Sanctorum, tum etiam quia nemo in illam ingreditur, niſi ſanctificatus per Baptiſmum, juxta illud 1. Cor. 6. *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti, & ſanctificati eſtis*: tum pariter quia omnia ejus inſtituta, Sacramenta, ritus, & doctrina ad ſanctitatem diriguntur, vel ut ſancti efficiamur, vel ut in ſanctitate creſcamus, & conſervemur; adeo ut Calvinus ipſe lib. 4. cap. 1. §. 17. Eccleſiam vocet Sanctam, quia quotidie proficit in ſanctitate, & ad metam ſanctitatis aſpirat. Quomodo autem cum Eccleſiæ ſanctitate cohærere poſſunt, quæ in his theſibus dicuntur, non quidem de malis fidelibus, (qui profecto multi ſunt in Eccleſia, vel ut convertantur, vel ut per ipſos boni exerceantur, ut habet Auguſtinus) ſed de ipſa Eccleſia, quæ proinde dicitur ſenuiſſe? Quarto, quia Eccleſia eſt *Domus Dei*; in qua peculiari modo habitat Altiſſimus, & quam ſibi ædifica-

ficavit ſupra firmam petram nunquam ruituram, ut dicitur Matth. 16. Denique quia eſt *Columna, & firmamentum veritatis*, ut habetur 2. ad Timoth. 3. unde a veritate nunquam aberrare poteſt. Immo ex Calvino ipſo ideo dicitur Columna veritatis, vel quia eſt fida *veritatis cuſtos*, ut habet lib. 1. Inſtit. cap. 1. §. 10. vel quia *veritatem præconio ſuo celebrat, puram & ſinceram retinet, ac ad poſteros tranſmittit*, ut loquitur in Commentario; vel quia *veritatem tuetur, & propagat, ut a poſteris in omne ævum colatur*, ut habet in cap. 43. Iſaiæ. Quomodo ergo ſomniare poterunt Janſeniani, quod Eccleſia ſenuerit, & ideo in eos errores collapſa ſit, qui in his theſibus exponuntur?

IV. Confirmatur primo, tum ex illo Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*; quomodo ergo poterit Eccleſia ſeneſcere, aut deficere? Tum etiam ex illo Iſaiæ 61. *Fœdus perpetuum feriam eis, & ſcietur in Gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes, qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus*. Quare Iſaias Eccleſiam vult eſſe perpetuam, adeo ut ſeneſcere, ac deficere non poſſit; cum dicatur: *Fœdus perpetuum feriam eis*; loquitur enim de Eccleſia viſibili, cum etiam dicatur: *Omnes, qui viderint eos, cognoſcent illos*, &c. Ubi Calvinus ipſe in Commentario habet: *Diſſerit Propheta de propagatione Eccleſiæ, quæ tunc velut in anguſto terræ angulo concluſa erat, & poſtea propaganda per totum orbem, ita ut conſpicua ſit omnibus Gentibus*.

V. Confirmatur ſecundo ex Patrum conſenſu, qui Eccleſiam ſeneſcere, deficere, aut in doctrina fidei, aut morum errare non poſſe uno ore paſſim docent. Auguſtinus exponens verſiculum illum Pſal. 47. *In civitate Domini virtutum, in civitate Dei noſtri*, quem intelligit de Eccleſia Chriſti, habet: *Sed forte iſta civitas, quæ mundum tenuit, aliquando evertetur? Abſit; Deus fundavit eam in æternum. Si ergo Deus fundavit in æternum, quid times, ne cadat firmamentum?* Chryſoſtomus ſerm. 26. in feſto Pentecoſtes diſerte docet, Eccleſiam eſſe ſenectutis, ac rugarum expertem, dicens: *Sanguis Chriſti irrigat Eccleſiam, & ideo plantaria ejus marceſcere non poſſunt, nec amittunt folia arbuſta ejus: Non tenetur temporum qualitate, ſed Spiritus eam Sancti gubernat gratia, & ideo non ſeneſcit, nec contrahitur; & multis impugnantibus non opprimitur*. Ambroſius ſimiliter in lib. de Salomone cap. 4. loquens de Eccleſia habet: *Etſi undarum fluctibus, aut procellis ſæpe vexatur; tamen nunquam poteſt ſuſtinere naufragium, quia in arbore ejus, ideſt in Cruce Chriſti, erigitur, in puppi Pater reſidet gubernator; proram Paraclitus ſervat Spiritus*. Infinitus propemodum eſſem, ſi adderem quotquot hac de re Patres unanimiter enunciant.

VI. Confirmatur demum ex iis, quæ adverſus Donatiſtas docent Patres, quæ pariter militant contra Lutheranos, & Calviniſtas, necnon etiam contra Janſenianos. Donatiſtæ, (ut refert Auguſtinus in lib. de hæreſibus cap. 69.) quia Cæcilianus contra eorum voluntatem ordinatus fuerat Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopus, ſchiſma fecerunt, ac deinde ſchiſma verterunt in hæreſim, dicendo, Eccleſiam Catholicam, quæ prius fuerat toto orbe diſperſa, poſtea periiſſe propter crimina Cæciliani, & in ea ſolum parte Africæ remanſiſſe, quæ Donato adhærebat. Conſimilis poſtmodum fuit hæreſis Lutheranorum, & Calviniſtarum dicentium, Eccleſiam primis quingentis annis toto orbe diſperſam propter Pontificis crimina, (quem Antichriſtum appellarunt) omnino periiſſe, ſed tandem in ea parte Europæ, quæ Lutherо adhærebat, revixiſſe. His erroribus adhærent nunc theſes iſtæ Queſnellianæ dicentes, Eccleſiam ſenuiſſe, denotando, quod ſolum vigeat apud Aſſeclas Janſenii, qui ſunt Prædicatores veritatis, adverſus quos omnes Poteſtates ſunt contrariæ, ut eorum victoria attribui non poſſit, niſi divinæ gratiæ: Eos eſſe arctiſſime Eccleſiæ unitos, quamvis tractentur ut hæretici, ac flagitioſi; idque provenire ex pervicacia, & obſtinatione eorum, qui nolunt agnoſcere ſe fuiſſe deceptos; unde jam venit tempus deplorabile, quo pii homines a Miniſtris Religionis (videlicet ab Eccleſiarum Paſtoribus, & ab ipſomet Pontifice loquente ex Cathedra) paſſione obcæcatis habentur ut membra putrida. Adverſus has blaſphemias adamuſſim quadrant, quæ fuſe congerit Auguſtinus adverſus hæreſim Donatiſtarum. Satis ſit hic referre, quæ habet in lib. de unitate Eccleſiæ cap. 12. *Si quis vobis evangelizaverit præterquamquod accepiſtis, anathema ſit. Evangelizata eſt nobis Eccleſia per totum orbem terrarum futura; hoc in Lege, & Prophetis, & Pſalmis eſſe prænunciatum ipſe Dominus teſtificatus eſt. Aliud autem evangelizat, qui periiſſe dicit de cætero mundo Eccleſiam, & in parte Donati in ſola Africa remanſiſſe: Ergo anathema ſit*. Nos ſimiliter dicimus: Aliud evangelizat, qui Eccleſiam dicit ſenuiſſe, & Prædicatoribus veritatis eſſe contrariam, ac ſolum in parte Janſenii remanſiſſe: ergo anathema ſit. Huc etiam facit, quod habet Auguſtinus tr. 4. in Jo. dicens: *Innumerabiles ſunt, qui ſe vi-*

videntes non ſolum jactant, ſed a Chriſto ſe illuminatos videri volunt; ſunt autem hæretici.

VII. Opponitur autem primo, quia Eccleſia tempore Antichriſti deficiet, ut colligitur ex verbis Apoſtoli 2. Theſſal. 2. *Niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati*; ergo nil mirum, quod Eccleſia jam de facto ſenuerit.

Confirmatur, quia Synagoga Judæorum ſæpe defecit a fide; ergo pariter ſeneſcere, ac etiam deficere poterit Eccleſia. Antecedens probatur; defecit enim Synagoga tempore Moſis, quando omnis populus vitulum adoravit, Exodi 32. Defecit tempore Eliæ, quando ſolum ipſe remanſit fidelis; ut dixit 3. Reg. 19. *Derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, ut auferant eam.* Defecit tempore Iſaiæ, quando omnis populus a Deo receſſit; dicitur enim Iſaiæ 1. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognovit*: Necnon tempore Jeremiæ, qui cap. 2. dixit: *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Defecit etiam in morte Redemptoris, quando lex vetus cum ſuis cæremoniis expiravit.

Reſpondeo, tempore Antichriſti multos quidem fideles defecturos a fide, non tamen omnes, ita ut dicatur Eccleſia defeciſſe, ut conſtat ex verbis illis Matth. 24. *Ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi*: in hoc itaque ſenſu interpretanda ſunt verba laudata Apoſtoli, quamvis nonnulli Expoſitores cum D. Hieronymo epiſt. 151. doceant, iis verbis ſignificari, quod adventum Antichriſti præcedere debeat diſceſſio, non quidem a fide, ſed ab Imperio Romano, quatenus omnes Gentes, quæ Romano Imperio ſubjacent, recedent ab eo. Hæc enim habet Hieronymus: *Niſi fuerit Romanum Imperium antea deſolatum, & Antichriſtus præceſſerit, Chriſtus non veniet, qui ideo venturus eſt, ut Antichriſtum deſtruat.*

Ad Confirmationem, primo falſum eſt, Synagogam univerſam in fide defeciſſe. Nam tempore Moſis Levitæ, & Sacerdotes non defecerunt, ut conſtat ex iis verbis Exodi 32. *Videns ergo Moyſes populum ait: Si quis eſt Domini, jungatur mihi; congregatique ſunt ad eum omnes Filii Levi*; qui, ut habetur Num. 3. erant viginti duo millia. Neque defecit tota ſynagoga tempore Eliæ, Iſaiæ, aut Jeremiæ; etenim non ſolum in regno Juda plures Reges fuerunt probi, & veri Dei cultores, ut Aſa, Joſaphat, Joathan, Ezechias, Joſias, ſub quibus vera religio conſervabatur; (quinimo ſub malis Regibus in templo Salomonis ſemper manſit uſus ſacrificiorum ſecundum legem Moſaicam uſque ad captivitatem Babylonicam) ſed etiam in Regno Jeroboam, in quo idola publice colebantur, plurimi erant veri Dei adoratores. Etenim quando Elias putabat ſe ſolum remanſiſſe, audivit a Deo 3. Reg. 19. *Dereliqui mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal.* Neque demum defecit tempore mortis Chriſti Domini, quia tunc cæremoniis, & ſacrificiis legis veteris ſucceſſit Eccleſia Chriſti, tanquam figuratum ad figuram, & lux ad umbram.

Deinde tranſmiſſo, quod Synagoga potuerit a vera fide deficere, non ſequitur, quod pariter poſſit deficere Eccleſia, quæ promiſſionem habet a Chriſto Domino de ſua firmitate, & ſtabilitate; Præſertim quia Eccleſia ita eſt Catholica, & univerſalis, ut extra illam nemo ſalvus eſſe poſſit; unde ſi tota deficeret, nemo ſalvari poſſet. Contra vero ſynagoga non erat Catholica, & univerſalis; etenim extra illam homines ſalvari poterant, ut Ninivitæ, & alii; unde quamvis tota deficeret, adhuc remaneret modus, quo homines poſſent ſalutem conſequi.

VIII. Opponitur ſecundo id, quod dicitur Danielis 9. *Deficiet hoſtia, & ſacrificium*, quod interpretantur nonnulli de Eccleſiæ defectione.

Confirmatur, quia in ſcripturis Eccleſia comparatur Lunæ; quare cum Luna aliquando deficiat, nil mirum, quod poſſit aliquando Eccleſia ſeneſcere, ac deficere. Quinimo quod de facto ſenuerit, videtur ex eo inferri, quod modus prædicandi veritates ſit veluti idioma incognitum, remotus a ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra captum fidelium.

Reſpondeo, illud Danielis ab Expoſitoribus intelligi de defectione ſynagogæ, prout modo explicavimus, non de defectione Eccleſiæ; cum de fide ſit hanc deficere non poſſe.

Ad Confirmationem; Similitudines non debent in omnibus convenire; ſic Beatiſſima Virgo paſſim comparatur Lunæ, quin tamen illa unquam defecerit, ſicut deficit Luna. Quare in eo Eccleſia Lunæ æquiparatur, quod ſicut luna lumen accipit a ſole, ita Eccleſia lumen fidei, & ſanctitatis a Chriſto: unde Auguſtinus in Pſalm. 10. dixit: *Luna intelligitur Eccleſia, quod ſuum lumen non habeat, ſed ab Unigenito Dei Filio, qui multis locis in ſanctis Scripturis allegorice ſol appellatus eſt, illuſtretur.* Præterea ſicut Luna in principio menſis exigua eſt, ac paulatim

creſcit quo uſque ſit plena, ac perfecta; ita Eccleſia in ſui ortu in exigua orbis parte cœpit, ac deinde in univerſum orbem propagata eſt. Et ideo Auguſtinus exponens illud Pſal. 103. *Fecit Lunam in tempora*, habet: *Intelligimus ſpiritaliter Eccleſiam creſcentem de minimo*. Denique ſicut luna modo lucida eſt, modo tenebroſa; ita Eccleſia modo pace fruitur, modo perſecutiones patitur, ut notat Ambroſ. lib. 4. Hexamer. cap. 2. dicens: *Eccleſia tempora ſua habet perſecutionis, & pacis; nam videtur ſicut Luna deficere, ſed non deficit. Obumbrari poteſt, deficere non poteſt.*

IX. Ex quibus conſtat primo, erroneum eſſe, quod in argumento additur, & habetur in theſi 95. videlicet quod Eccleſia ſenuerit; quod in ea veritates non prædicentur amplius lingua Apoſtolorum. Poſſunt quidem multi in Eccleſia & verbo, & exemplo a veſtigiis Apoſtolorum diſcedere; Eccleſia tamen ab iis diſcedere non poteſt. Etiam quando hæreſis Ariana vigebat, adeo ut, teſte Hieronymo, *ingemiſcens terrarum orbis Arianum ſe eſſe miratus ſit*, Eccleſia Romana fidem ſuam conſervabat, & modum prædicandi veritates ad normam Apoſtolorum. Quare licet multi in concionibus modum prædicandi non raro teneant remotum a ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra captum fidelium, Eccleſia tamen his defectibus ſubeſſe non poteſt.

Conſtat ſecundo erroneam pariter eſſe theſim 96. dum dicit, Deum permittere, quod prædicatoribus veritatis omnes poteſtates ſint contrariæ. Nam ſi nomine Prædicatorum veritatis intelliguntur Janſeniani, falſum eſt; quod veritates prædicent, quando prædicant ſententias ab Eccleſia damnatas, & quas impudenter dicunt eſſe Auguſtini, perperam illum interpretantes: falſum pariter eſt, quod Deus permittat omnes Poteſtates, videlicet Eccleſiaſticas, & ſæculares, eſſe illis contrarias: cum Deus dicatur permittere ſolum peccata, & quæ peccata non ſunt, dicatur velle, ac intendere: eſt autem valde laudabile, quod omnes Poteſtates Janſenianis theſibus ſint contrariæ; unde Deus hoc non permittit, ſed intendit. Quod ſi nomine Prædicatorum veritatis venirent concionatores Evangelici, aut paſtores Eccleſiæ, falſum eſt, quod omnes poteſtates iſtis ſint contrariæ; cum non poſſint eſſe contrariæ veritatibus Evangelicis: alioquin poſſet Eccleſia deficere.

Conſtat tertio, erroneam etiam eſſe theſim 97. dum dicit, nimis ſæpe contingere, quod membra Eccleſiæ unita tractentur tanquam ab ea ſeparata. Falſum quippe eſt, quod Janſeniani, (qui hic denotantur) dum docent theſes ab Eccleſia damnatas, ſint membra Eccleſiæ unita; falſum pariter eſt, quod poſſit Eccleſia univerſa habere tanquam membra a ſe ſeparata, quæ ſunt ſibi conjuncta; ſeu tractare tanquam infideles eos, qui veritates Evangelicas prædicant: quandoquidem in fide erraret. Quod ſi dicatur, nimis ſæpe contingere, non quidem quod Eccleſia univerſa, ſed quod Eccleſiæ Miniſtri, & ipſe Summus Pontifex habeat tanquam membra ſeparata ab Eccleſia, quæ ſunt illi arcte conjuncta: hoc pariter & Eccleſiæ, & Sanctæ Sedi eſt valde contumelioſum, ac aperte falſum; præſertim in materia, de qua eſt ſermo: id quippe mirum quantum divinæ providentiæ erga Eccleſiam Sponſam ſuam dilectiſſimam derogaret.

Conſtat quarto, erroneam ſimiliter eſſe theſim 98. dum dicit maxime meritorium eſſe, quod quis toleret ſe haberi ut hæreticum; falſum quippe eſt, quod poſſit Eccleſia univerſa habere ut hæreticos eos, qui veritates a Deo revelatas ſectantur, ac prædicant ſive verbo, ſive exemplo; & quamvis poſſit aliquando a nonnullis haberi aliquis per ſummam injuriam ut hæreticus, ad divinam providentiam ſpectat, non permittere, quod plerumque, aut nimis ſæpe id contingat, ne error aliquis in fide ſubrepat. Falſum pariter eſt, quod meritorie poſſet quis tolerare, quod ut hæreticus habeatur; cum teneatur quilibet hanc de ſe opinionem ab aliorum mente depellere, tum in obſequium fidei, tum etiam ad ſcandalum vitandum.

Conſtat quinto, erroneam pariter eſſe theſim nonageſimam nonam, quæ vult, ex pervicacia Paſtorum Eccleſiæ, & ex eorumdem obſtinatione (quatenus nolunt aut examinare quod definiunt, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptos) oriri, quod in odorem mortis mutentur, quæ Deus in Eccleſia poſuit, ut eſſent in odorem vitæ: falſum quippe eſt, quod iſthæc pervicacia, obſtinatio, deceptio poſſit in Eccleſiam cadere. Falſum etiam eſt, quod damnari poſſint ab Eccleſia, ſeu a Pontifice ex Cathedra loquente tanquam ſcatentes erroribus ſive in fide, ſive in doctrina morum codices, inſtructiones, aut exempla, quæ revera horum errorum ſunt expertia, & redolent ſanctitatem: In utroque enim caſu portæ Inferi adverſus Eccleſiam prevalerent.

Conſtat denique, erroneam ſimiliter eſſe theſim centeſimam, dum vult adveniſſe jam tempus deplorabile, quo credatur Deus honorari inſectando veritatem, ejuſque diſcipulos; quatenus denotare vult Queſnellus,

quod

quod Eccleſia falſo credat honorari Deum, dum perſequitur doctrinam Janſenianam, ejuſque diſcipulos: Dum etiam vult, quod Miniſtri Religionis, atque adeo ipſa Eccleſia univerſa habere, & tractare poſſit tanquam membra putrida, a quibus aliorum corruptio timeri poſſit, homines pios: Quod ſub prætextu zeli poſſit viros probos flamma, ferroque perſequi: Quod poſſit paſſione propria obcęcari, aut abripi aliena: Quod poſſit nolle examinare, quę ad fidem conſervandam ſpectant: Ac demum, quod poſſit ex hallucinatione ſacrificare Dei ſervum diabolo, dum putat Deo impium ſacrificare. Hęc enim omnia ferrent in Eccleſia ſenectutem, ac defectum, cui ſubeſſe non poteſt, ut jam oſtendimus. Quinimmo nec poſſunt frequenter hęc accidere relate ad particulares Eccleſiæ Miniſtros; ac multo minus relate ad Pontificem, ut oſtendimus, quippe id valde derogaret Divinę providentię. Et quod ſpectat ad theſium confixionem, & ad ſacrificandum Deo pium, declarando ex Cathedra illum eſſe hęreticum, nunquam id accidere poteſt ex aſſiſtentia Spiritus Sancti: præſertim quia locutioni Pontificię ex Cathedra illico accedit conſenſus ſaltem implicitus totius Eccleſię. Unde theſes iſtę Queſnellianę toti etiam Eccleſię ſunt injurioſę.

X. Neque dicant Janſeniani, veram Chriſti Eccleſiam apud ipſos eſſe, & quidem Reformatam, (ut olim Lutherani, & Calviniſtę jactitabant) ſe eſſe Prędicatores veritatis ad captum fidelium; ac ſe a nobis haberi ut hęreticos, cum ſint vere pii, ac pietatem in aliis foveant ſuis doctrinis, & exemplis.

Nam contra eſt, quia vera Eccleſia Chriſti Domini debet eſſe Catholica, & univerſalis, toto orbe diffuſa, quæ ſemper durabit, prout a Chriſto Domino inſtituta eſt: & extra quam nemo ſalvus eſſe poſſit: At cœtus Janſenianorum vix in aliquibus Provinciis reperitur; nonniſi ſexaginta ab hinc annis cœpit luem ſuam ſpargere Janſenius, quamvis hauſtam a Bajo, & prius a Calvino, cum quibus tamen non in omnibus convenit; & extra hunc cœtum homines olim certe ſalvabantur; aliter vera Eccleſia omnino olim defeciſſet, quod adverſatur Chriſti promiſſioni. Quare multifariam conſtat, extra veram Eccleſiam eſſe Janſenianos.

Adde, quod Eccleſia vera debeat eſſe ſancta ratione ſuæ doctrinæ: quænam autem ſanctitas in cœtu Janſenianorum, qui tradunt doctrinam ſanctitati repugnantem? videl. quod poſt peccatum detur generalis impotentia ad quodcunque opus bonum: quod ſine gratia nihil boni operis cujuſcumque generis fieri poſſit; quod peccator non ſit liber niſi ad malum, ſine gratia liberatoris; quod infallibiliter ſalventur, quos Deus vult ſalvare; & quod Chriſtus Dominus nonniſi pro Electis ſanguinem fuderit; quod non poſſit voluntas Gratiæ reſiſtere; & alia hujuſmodi innumera, quæ torporem animo inducunt, & ſocordiam, non vero excitant ad pias operationes; quicquid enim agant Electi, infallibiliter ſalvantur; unde fruſtra conantur, & ſatagunt, ut per bona opera certam faciant ſuam electionem.

Denique vera Eccleſia debet eſſe Apoſtolica, quæ ſcilicet ab Apoſtolis initium duxit, per Apoſtolos diſſeminata eſt per Orbem univerſum, & ſequitur doctrinam Apoſtolorum: At Janſeniana ſecta nonniſi paucis ab hinc annis ortum habuit, nec ab Apoſtolis diſſeminata eſt, & intra arctiſſimos fines continetur. Doctrinæ autem Apoſtolicæ eſt contraria. Nam 2. Petri 3. habetur, in Epiſtolis Pauli eſſe multa difficilia, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas. Janſeniani ex oppoſito docent, Scripturæ lectionem eſſe pro omnibus: Apoſtolus 1. Timoth. 3. dicit Deum velle omnes homines ſalvos fieri; Janſeniani vero, quod ſolum Electos velit ſalvos eſſe. Negant Apoſtoli gratiam neceſſitare, Chriſtum Dominum ſolum pro Electis mortuum eſſe, fidem aliter juſtificare, quam diſpoſitive & alia innumera id genus, quæ Janſeniani docent. Quare extra veram Eccleſiam eſſe dicendi ſunt, & Prædicatores eſſe falſitatis, non veritatis, adeo ut jure merito omnes poteſtates ſint illis contrariæ.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XCV. uſque ad C.

NOnageſimaquinta, & ſequentes uſque ad centeſimam theſim alias plurimas evomunt blaſphemias adverſus Eccleſiam, de qua inter alias audaciſſime dicitur, quod det ſigna ſenectutis, atque adeo vergat ad interitum; cum tamen ex Chriſti promiſſione ea deficere non poſſit. Eo autem, ſi advertatur, videtur his blaſphemiis collineare Queſnellus, ut Eccleſiæ auctoritatem, ac infallibilitatem infringat, quippe quæ ferro, ac flamma inſectatur hæreſes Janſenianas. Hoc autem ex eo fit perſpicuum, quod hæc exarentur in Codice paſſim Janſenizante, quod idem aliis, aliiſque phraſibus non ſemel obtrudatur, quod anſa ad hæc inculcanda arripia-

ripiatur in illorum textuum explanatione, qui nullatenus ad hanc rem faciunt. Quare blaſphemat in hiſce theſibus primo Queſnellus, dum in 95. docet veritates Catholicas pleriſque Chriſtifidelibus eſſe ignotas, ac modum eas edocendi eſſe remotum a ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra captum communem fidelium; addendo, quod hoc ſit ſignum ſenectutis Eccleſiæ. Quod attinet ad veritates neceſſario perdiſcendas, ignotæ quidem illæ ſunt nonnullis, qui voluntarie propriis paſſionibus obcæcantur; ſed pleriſque Chriſtianis non poſſunt eſſe ignotæ; cum Chriſtus Dominus promiſerit ſe daturum nobis Spiritum, qui doceat nos omnem veritatem, dicens Jo. 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Hinc ad Divinam ſpectat providentiam, quod nunquam Prædicatores in Eccleſia deſint, qui modo captui fidelium conſentaneo myſteria noſtræ Religionis edoceant. Deinde quid horribilius fingi, aut excogitari adverſus Eccleſiam poteſt, quam quod in ea dari poſſint, immo quod de facto dentur ſigna ſenectutis? Poteritne Eccleſiæ filius hæc audire, & non excandeſcere? Poteratne Supremus Eccleſiæ Paſtor diſſimulare, dum lues hæc in Codice Queſnelliano propinata per Galliam graſſabatur? Etenim ſi ſeneſcere poſſet, pariter poſſet Eccleſia deficere. Siquidem ex Apoſt. ad Heb. 8. *Quod antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt.* Ea autem deficere non poteſt; cum Chriſtus Dominus dixerit Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.*

Blaſphemat ſecundo in theſi 96. docens Deum permittere, quod omnes poteſtates Prædicatoribus veritatis ſint adverſæ. Janſenianis, utpote falſitatis præconibus, poſſunt Poteſtates omnes tam Eccleſiaſticæ, quam ſæculares adverſari. At præconibus veritatis Catholicæ adverſari nequit Eccleſiaſtica poteſtas. Cum enim Eccleſia ex Apoſt. 2. ad Timoth. 9 ſit *columna, & firmamentum veritatis*, ſolum erroribus poteſt eſſe adverſa: Aliter erraret, & portę inferi adverſus eam prævalerent.

Blaſphemat tertio docens in theſi 97. nimis ſæpe contingere, quod habeatur tanquam indignus qui ſit in Eccleſia, & tanquam ab ea ſejunctus, qui arcto vinculo eſt illi conjunctus. Janſeniani quidem contumaciter adhærentes erroribus Janſenii jure ac merito ab Eccleſia habentur tanquam membra reciſa; at Juſti nequeunt ita nimis ſæpe tractari; cum nequeat hac in re Eccleſia errare præſidio Spiritus Sancti munita. Pervicaciter autem videtur hic ſupponi, quod Janſeniani ſancte, ac ſtricte ſint Eccleſiæ uniti, ac in ejus ſinu recepti.

Blaſphemat quarto docens in theſi 98. ultimam plerumque probationem maxime meritoriam reponi in eo, quod quis toleret ſe haberi tanquam hæreticum. Etenim ad divinam providentiam ſpectat non permittere, ut id plerumque accidat; Et ſi aliquando id permittatur a Deo, tolerantia iſta non eſſet laudabilis; quilibet enim tenetur conari in obſequium fidei hanc de ſe opinionem ab aliis ejectare, juxta doctrinam Hieronymi, qui in cauſa fidei neminem vult eſſe patientem. Porro delirant Janſeniani, ſi credant reddi ſe Chriſto Domino conformes per hoc, quod tanquam hæretici perſecutionem ſuſtineant, nolentes damnare Janſenii theſes ab Eccleſia damnatas.

Blaſphemat quinto docens in theſi 99. poſſe in Eccleſiam cadere in materia fidei deceptionem, necnon pertinaciam, & obſtinationem in nolendo perquirere veritatem; ſicut etiam, quod mutare poſſit in odorem mortis, quæ Deus poſuit in Eccleſia in odorem vitæ ad fidem, & mores ſpectantia, nempe bonos libros, inſtructiones, & ſancta exempla. Mentiturque etiam, dum ſupponit hujuſmodi eſſe libros, & exempla Janſenianorum, quæ ab Eccleſia damnantur.

Blaſphemat ſexto docens in theſi 100. adveniſſe tempus deplorabile, quo Eccleſia veritatem perſequatur. Tempus hoc advenire non poteſt, ſuppoſita Chriſti promiſſione de non deſerenda ſponſa ſua. Erroneas autem Janſenii theſes Eccleſia perſequitur, earumque propugnatores; & in hoc vere Deum honorat.

Blaſphemat denique, dum ibidem vult poſſe Religionis miniſtros habere aliquem tanquam membrum putridum, & a conſortio fidelium ſegregandum, tanquam diſſeminantem verbis, ac ſcriptis, necnon libris in lucem malignam editis doctrinas erroneas, ac hæreſeos nota inurendas, quando doctrina, quæ in vulgus diſſeminatur, non eſt hujuſmodi. Etenim ſi poſſet Eccleſia, ſeu Pontifex ex Cathedra loquens in rebus tanti momenti decipi, deficeret profecto illis infallibilitas in iis, quæ ad fidem, & mores ſpectant. Hinc non poteſt niſi cum ſumma vel temeritate, vel impietate affirmari, quod hac in re Religionis Miniſtri aut propria paſſione queant obcæcari, aut abripi aliena, aut cæco modo, ac nullo prævio examine hujuſmodi res definire, ac ſacrificare diabolo Dei ſervum, putantes Deo impium ſacrificare. Propterea dum Eccleſia, ſeu Pontifex ex Cathedra theſes Janſenianas hæreſeos

nota

nota inurit, ac illarum ſectatores anathematizat, fieri nequit, quominus Spiritus Sancti illuſtratio facem præferat, ne a via veritatis, & a ſemita juſtitiæ aberret; non enim poteſt Chriſtus Dominus ſponſam ſuam, nullam habentem maculam, neque rugam deſerere; cum Oſeæ 2. dicatur: *Sponſabo te mihi in ſempiternum;* nec poſſunt portæ inferi adverſus illam prævalere.

PROPOSITIO CI.

Nihil Spiritui Dei, & doctrinæ JESU Chriſti magis opponitur, quam communia facere juramenta in Eccleſia; quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum. *Queſnel. Matth.* 5. 37. *edit.* 1693. *&* 1699.

SYNOPSIS.

I. Ne Janſeniani cogantur jurare, quod ab ipſis damnetur doctrina Janſenii, reprobat Queſnellus Eccleſiæ uſum exigentis in ſimilibus caſibus juramentum. II. Olim in hoc plures Hetcrodoxi erravunt, perperam Scripturarum ſenſum interpretantes.

III. Nullo jure juramentum vetatur, ubi tres illos comites habeat, Veritatem, Judicium, & Juſtitiam. IV. Uſus Eccleſiæ fert, quod juramenta in gravibus cauſis exigantur.

V. Fit ſatis auctoritatibus Scripturarum, quæ in oppoſitum objectantur, præſertim Chriſti Domini vetantis omnino juramenta. VI. Eſt actus Religionis juramentum, nec de ſe ad peccatum impellit. VII. Non eſt inordinatum, quod cultus Dei ad fidem inferiorem immediatum ordinetur. VIII. Juramentum non debet eſſe frequens, quippe quod non numeratur inter ea, quæ appeti poſſunt citra ullam præviam neceſſitatem, ut eſt Votum, & alia hujuſmodi. IX. Cederet in Dei irreverentiam juramentum, ſi paſſim uſurparetur.

I. QUid mirum, quod ita male ſentiat Queſnellus de juramentis, quæ paſſim ab Eccleſia exiguntur, cum tam male ſenſerit in theſibus præcedentibus de ipſa Eccleſia? Sicut autem in iis docuit Eccleſiam ſenuiſſe, ac tractare ut impios, & hæreticos Prædicatores veritatis, perinde quaſi poſſit deficere, & in materia ad fidem, & mores ſpectante errare; ita in hac ultima docet, Eccleſiam de facto errare in exigendis paſſim juramentis conſuetis; quaſi vero multiplicet occaſiones pejerandi, & laqueos tendat infirmis, ac idiotis, efficiendo, ut Dei Nomen, ac veritas deſerviant conſilio impiorum. In ſole ipſo cæcutit, qui non videt, quid in poſtremis hiſce theſibus Auctor contendat. Animos vult addere Janſenianis, ut contemnant excommunicationes, quibus coguntur injunctæ formulæ ſubſcribere, in qua anathema dicitur quinque theſibus ex libro Cornelii Janſenii excerptis in ſenſu ab Auctore intento; & ideo docet, eas excommunicationes tanquam injuſtas non eſſe metuendas. Injuſtitiam autem harum excommunicationum ſuadere contendit, dum docet, Eccleſiam in hac re non ſine ſcandalo exercere dominatum ſupra fidem fidelium, ac diviſiones fovere propter res nullius momenti, quæ nec fidem lædunt, nec mores, quippe quæ ad factum pertinent, in quo poteſt Eccleſia decipi. Commendat deinde Janſenianos tanquam Prædicatores veritatis, & Eccleſiam contemnit tanquam ſenio confectam, ac oblitam ſimplicitatis Apoſtolicæ in tradenda doctrina fidei, & morum. Docet ex Divina permiſſione Janſenianos veritatis præcones ab omnibus Poteſtatibus exagitari, ac tanquam hæreticos haberi, quamvis arctiſſimam habeant cum Eccleſia neceſſitudinem. Libros Janſenianorum, eorumdemque inſtructiones, & exempla vult eſſe poſita in Eccleſia, ut ſint in odorem vitæ, & mutari in odorem mortis, dum paſſim damnantur, ac prohibentur; idque, quia qui eos proſcribit, ex pervicacia, & obſtinatione aut renuit eos examinare, aut renuit agnoſcere ſe eſſe deceptum. Deplorat proinde præſentem Eccleſiæ ſtatum, in quo a Miniſtris Religionis, & ab ipſomet Pontifice tanquam membra putrida habentur homines pietate conſpicui. Ac poſtremo in hac theſi condemnat Eccleſiæ conſuetudinem in exigendis paſſim communibus juramentis, ut ſic Janſenianos ab omni liberet religione, ſi Eccleſiam jurejurando decipiant, & Apoſtolicæ Sedis providentiam fallant, dum præſcriptæ formulæ ſubſcribunt, ac jurant ſe ſincero animo rejicere, ac damnare quinque theſes ex libro Janſenii excerptas in ſenſu obvio, quem in eo libro habent, & qui fuit ab Auctore intentus, prout eas Sedes Apoſtolica rejicit, ac damnat; quamvis interius non judicent in eo Janſenii libro doctrinam hæreticam contineri. Propterea docet, juramenta hæc dare anſam perjuriis, ac laqueos tendere relate ad infirmos, & idiotas, qui ne-

neſciunt uti reſtrictione mentali Janſeniana: Ac demum efficere, ut nomen, ac veritas Dei deſerviant conſilio impiorum, hoc eſt illorum, qui omnibus viis conantur luem Janſenianam extinguere. Hos quippe omnes pietatis, ac veritatis inſectatores vult eſſe Queſnellus; ipſe profecto cum ſuis Aſſeclis pientiſſimus, ac Apoſtolicæ veritatis buccinator, dum ſeſe Eccleſiæ Catholicæ hoſtem profitetur.

II. Quod Spiritui Dei, & doctrinæ Chriſti opponatur quodcunque juramentum, ſomniarunt olim plures ex Heterodoxis, videlicet Vvaldenſes, Pſeudoapoſtoli, Albanenſes, Cathariſtæ, ſeu Cathari, Anabaptiſtæ, & alii apud Suarium lib. 1. de Juramento cap. 2. Fundamentum hujus hæreſis eſt, quia juramentum in veteri teſtamento videtur expreſſe a Deo vetari; cum dicatur Oſeæ 4. *Neque juraveritis, Vivit Dominus*; Et Zach. 5. *Omnis fur judicabitur, & omnis jurans ex hoc ſimiliter judicabitur*. Chriſtus etiam videtur diſertis verbis quodcumque juramentum prohibere; etenim Matth. 5. habetur: *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua: Ego autem dico vobis, Non jurare omnino*. Quare videtur opponi directe juramentum tam Spiritui Dei, quam doctrinæ Chriſti, qui quodvis juramentum, & in quacumque circumſtantia videtur prohibuiſſe verbis illis: *Dico vobis, non jurare omnino;* Præſertim quia paulo poſt ſubdit: *Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt, Non, non; quod autem his abundantius eſt, a malo eſt:* Quod pariter Jacobi 5. uſque adeo prohibetur, ut videatur præceptum non jurandi omnibus aliis præceptis quodammodo anteferri: dicitur enim: *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum;* Et inculcat deinde Chriſti doctrinam, dicendo: *Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt, Non, non:* Ac demum addit: *Ut non ſub judicio decidatis*; hoc eſt ut non condemnemini in divino judicio. Videtur proinde non vacare culpa quodcunque juramentum, & ideo Spiritui Dei, ac doctrinæ Chriſti adverſari. Hinc Clemens Romanus lib. 6. Conſtit. Apoſtol. cap. 11. habet: *Magiſter noſter præcepit, ut neque per verum Deum juraremus; ut ſermo noſter firmior, credibiliorque ipſo jurejurando haberetur*. Quamvis autem Queſnellus in hac theſi non videatur quodcunque juramentum improbare, ſed ſolum juramenta, quæ paſſim ab Eccleſia exiguntur, ac præſertim juramentum, quod exigitur ab iis, qui præſcriptæ formulæ ſubſcribunt rejiciendo, ac damnando quinque illas theſes Janſenii, nihilominus, cum dicatur in hac theſi, quod juramenta iſthæc adverſentur doctrinæ Chriſti Dom. qui videtur quodcunque juramentum vetuiſſe verbis laudatis Matthæi 5. idcirco Queſnellus antiquam hæreſim in medium adducit, qua docebatur, quodcumque juramentum eſſet illicitum, ſpiritui Dei, ac Doctrinæ Chriſti opponi, & anſam præbere perjuriis: ſi enim juramentum liceat, non eſt cur rejiciantur juramenta iſthæc communia, ſpectata cauſæ gravitate.

III. Oſtenditur tamen falſitas hujus theſis, quia juramentum ſecundum ſe neque jure naturali, neque jure poſitivo, neque in lege veteri, neque in lege gratiæ vetatur; quinimo ſi ſecum habeat adjunctos tres illos comites, de quibus fit mentio Jeremiæ 4. (videlicet Veritatem, Judicium, & Juſtitiam) eſt actus Religionis, & meritorius. Satis ſuperque hæc veritas conſtare poſſet ex uſu, & traditione Eccleſiæ, & ex Sanctorum exemplis: conſtat tamen etiam diſertiſſimis Scripturis. Etenim Deuteron. 6. & 10. dicitur: *Dominum Deum tuum timebis, illi ſoli ſervies, ac per nomen illius jurabis*. Et in Pſ. 62. habetur: *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo*. Hinc paſſim Patriarchæ, & Prophetæ tam in tempore legis naturæ, quam ſcriptæ juramenta adhibuerunt; ut Abraam, Iſaac, & Jacob Geneſ. 26. & 32. Moyſes Deuter. 3. & 4. David, & alii Prophetæ non raro uſurpabant verba illa, *Vivit Dominus*, quę erat jurandi forma. Et ratio a priori eſt, quia juramentum, cum ſit quædam divini Numinis invocatio, procedit ex vera fide, quod Deus ſit prima veritas, quæ nec falli nec fallere poteſt; unde ſi ſecum habeat adjunctos comites, vid. veritatem, juſtitiam, ac neceſſitatem, eſt actus Deo obſequioſus, ac religioſus, & proinde meritorius: Propterea in ſecundo decalogi præcepto (Exodi 20.) non prohibetur juramentum; ſed ſolum prohibetur, ne fruſtra, & in vanum nomen Dei aſſumatur.

Quod autem neque in lege gratiæ ſit vetitum juramentum lege ulla poſitiva, conſtat tum ex eo, quod nullibi reperiatur prohibitum, ut oſtendemus in reſponſione ad textus in contrarium adductos; tum etiam quia paſſim Apoſtolus adhibet juramenta: 2. ad Cor. 1. habet: *Ego autem teſtem Deum invoco in animam meam*: Ad Galat. 1. *Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*: Et ad Roman. 1. *Teſtis enim mihi eſt Deus:* Unde Iſidorus lib. 2. ſent. cap. 31. dicit: *Non eſt contra præceptum Dei jurare, ſed dum uſum jurandi facimus, perjurii crimen incurrimus*. Jurandi quippe conſuetudo exponit ho-

hominem periculo jurandi abſque tribus illis comitibus juramenti, & ideo exponit hominem periculo perjurii.

IV. Confirmatur hoc idem ex Eccleſiæ conſuetudine, adverſus quam diſputare ex Auguſtino epiſt. 118. inſolentiſſima eſt inſania. Sæpe enim ab Eccleſia exiguntur juramenta tam in judiciis, ut videre eſt in Titulis de Jurejurando, & Teſtibus, quam ad abjurandam hæreſim, ut conſtat ex titulo de Hæreticis, & ex Concilio Conſtantienſi in Bulla Martini V. & ex uſu Sanctæ Inquiſitionis; Interdum etiam juramenta exiguntur ad promittendam obedientiam, ad pacem confirmandam, ad confirmandos contractus, & ad ſimiles caſus; unde nequit dici, juramenta, quæ ab Eccleſia exiguntur, opponi Spiritui Dei, & doctrinæ Chriſti. Et ratio ulterior eſt, quia ex Apoſtolo ad Hebr. 6. juramenti neceſſitas habetur, ut omnis controverſiæ ſit finis, & confirmatio; hæc autem neceſſitas etiam in lege gratiæ habetur; unde etiam in lege gratiæ neceſſarium aliquando eſt, & ideo jure merito ab Eccleſia exigitur juramentum.

V. Ad locum ex Oſee adductum in contrarium reſpondet Theodoretus, & Lyranus, ibi non prohiberi fidelibus, ne jurent per Deum vivum, ſed prohiberi illis, qui ad idola colenda declinaverant, ne jurent per illa idola, tanquam per Deum vivum, quia ſic profitentur idolis illis competere rationem Dei viventis. Vel dicas cum Hieronymo, & Cyrillo, quod Deus nolebat a cultoribus Idolorum uſurpari nomen Dei viventis; indigni quippe erant, ut illud pollutis labiis nominarent.

Ad id quod additur ex Zacharia, dicendum, ibi aperte vetari dumtaxat juramentum mendax, non vero quodcunque juramentum; ſtatim enim ſubditur: *Veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo menduciter.*

Quod attinet ad auctoritatem Chriſti D. quæ videtur negotium faceſſere verbis illis, *Nolite jurare omnino*, varii varia. Reſpondet primo Hieronymus, Chriſtum ſolum prohibere juramentum per creaturas, prout conſueverant Judæi jurare, videlicet per Cœlum, per Terram, per Hieroſolymam; cum enim jurans veneretur eum, per quem jurat, ideo Judæi jurantes per creaturas venerabantur illas honore, & obſequio proprio Dei; quod certe prohibendum fuit. Hinc idem Sanctus Doctor exponens locum laudatum Matthæi habet: *Conſidera, quod hic Salvator non per Deum jurare prohibuit, ſed per Cœlum, per Terram, per Hieroſolymam*, &c. Reſpondet ſecundo Chryſoſtomus homil. 17. in Matthæum cum eodem Hieronymo, & Theophylacto, quod Judæis tanquam parvulis juramentum permittebatur, ut veritas jurejurando firmaretur: At in Lege Evangelica omnis ſermo fidelis eſſe debet pro jurejurando, & ideo juramentum prohibetur; Sicut prohibetur circumciſio, & immolatio victimarum in lege Evangelica, quæ in lege veteri erant Judæis conſona. Reſpondent alii tertio apud Suarium loco laudato, prohiberi a Chriſto juramentum in rebus profanis, non in rebus ſacris. Quarta reſponſio D. Bernardi Hom. 65. in Cant. cum aliis eſt, verba laudata Chriſti D. continere conſilium, non præceptum; cum enim facile poſſit jurans labi ad jurandum ſine omnibus tribus comitibus juramenti, ideo conſilium videtur eſſe, abſtinere potius ab omni juramento, quam exponere ſe alicui periculo labendi in juramentum indebitum. Sed quicquid ſit de his reſponſionibus, quæ paſſim a Doctoribus impugnantur, reſponſio communior ex Auguſtino in lib. de mendacio cap. 15., & D. Th. 2. 2. qu. 89. art. 2. eſt, a Chriſto D. prohiberi juramentum non neceſſarium, quia ex juramento non neceſſario fit tranſitus ad facilitatem jurandi, ex facilitate ad conſuetudinem, & ex conſuetudine jurandi in perjurium; & ideo, ut advertit Angelicus, non invenitur, quod Apoſtolus juraverit, niſi ſcribens, ubi conſideratio cautior non habet linguam præcipitem. Quod autem hic fuerit ſenſus verborum Chriſti Dom. videtur conſtare ex iis, quæ addidit dicens: *Sit ſermo veſter, Eſt, eſt, Non, non; quod autem his abundantius eſt, a malo eſt*, indicans, juramentum ſuperadditum ſimplici aſſertioni non eſſe malum, ſed eſſe a malo, hoc eſt oriri a malo, videlicet ab imbecillitate fidei humanæ, in cujus remedium adhibetur juramentum; quod proinde ſe habet inſtar pharmaci ſubvenientis humanis morbis: unde ſicut pharmacum frequens eſt noxium, & ſolum in neceſſitatibus adhibendum eſt, ita juramentum. Quamvis enim per juramentum Deus honoretur profitendo ejus veritatem, dum invocatur in teſtem; nihilominus ſicut in humanis invocatio Regis, aut Principis in teſtem tunc fert venerationem talis perſonæ; quando in neceſſitate invocatur; ſecus vero fert defectum reverentiæ debitæ, ſi levibus de cauſis ea teſtimonia invocentur: ita in caſu noſtro. Unde Chriſtus D. juramenta iſthæc non neceſſaria, & quæ levibus de cauſis fiant, omnino prohibet, non ſolum quia facile ex frequentia jurandi labi poteſt homo in perjurium; ſed etiam quia ſumma re-

reverentia Numini debita poſtulat, ut non de facili in teſtem veritatis invocetur. Quare præceptum Chriſti Dom. ut omnino ab juramento abſtineamus, cadit duntaxat ſuper omne juramentum incautum, & non neceſſarium.

Adde, præceptum hoc Chriſti D. de vitando juramento incauto continere etiam admonitionem, & conſilium, ut abſtineamus etiam a juramentis licitis, quoties non præcipiuntur, propter periculum, ne ex conſuetudine jurandi labamur in perjurium, ut advertit Auguſtinus in epiſt. 104. ad Publicolam, & refertur in cap. 3. 22. qu. 1. ubi habetur: *In novo Teſtamento dictum eſt, ne omnino juremus, quod mihi non propterea dictum videtur, quia verum jurare peccatum eſt, ſed quia pejerare immane peccatum eſt; a quo longe nos eſſe voluit, qui omnino ne juremus admonuit.* Quod pariter docuit Antiochus Abbas homil. 63. dicens, admonitionem, & adhortationem in iis verbis Chriſti Domini contineri, ut non juremus omnino: Sic ex. gr. quamvis pugnare pro veritatibus Catholicis, & diſputare adverſus Hæreticos, ut ad veram fidem reducantur, ſit de ſe laudabile; at jure merito prohibetur indoctis, ne has diſputationes inſtituant, & conſultum eſt, ut abſtineant etiam ab iis colloquiis, quibus non facile Hæretici reducuntur, & periculum eſt, ut indocti in dubitationem aliquam de rebus fidei labantur. Similiter Sacras Scripturas legere, ac ſcrutari de ſe bonum eſt, at indoctis prohibetur, ne Scripturas in popularem linguam translatas legant ſine facultate Epiſcopi, & conſilio Parochi, vel Confeſſarii, eo quod ob hominum temeritatem plus detrimenti, quam utilitatis ex hac lectione hauriatur, ut dicitur in Regula 4. Indicis librorum prohibitorum.

Neque hinc inferas, prohibenda, non præcipienda eſſe ab Eccleſia communia juramenta, quæ pariter paſſim multiplicant occaſiones pejerandi, & laqueos tendunt infirmis, & incautis. Nam ſicut recte ab Eccleſia v. gr. præcipitur jejunium Quadrageſimale, quamvis non raro hominum malitia inde anſam arripiat ad multiplicanda peccata; idemque dicas de aliis plurimis præceptis Divinis, & Eccleſiaſticis; quia ſcilicet ſpectandum a Legislatore, quod eſt de ſe conſonum, non vero quod inde ſequitur per accidens ex hominum malitia; ita prorſus rationabiliter ab Eccleſia paſſim præcipiuntur communia juramenta, quamvis hominum malitia inde arripiat anſam pejerandi, quia de ſe conſonum eſt, ut ſubſidium juramenti in rebus non levis momenti imbecillitati humanæ ab Eccleſia imponatur. Et per hæc patet reſponſio ad locum adductum Jacobi vetantis juramentum quodcunque, ne ſub judicio decidamus: ſicut etiam ad auctoritatem Clementis Romani.

VI. Opponitur, quod vetanda ſint non ſolum quæ de ſe ſunt mala, ſed etiam quæ de ſe impellunt ad malum; quia, ut habetur Eccleſiaſtici 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*; atqui juramenta, quæ communiter ab Eccleſia exiguntur, impellunt ad perjurium: ergo vetanda ſunt. Probatur minor, quia niſi juramenta de ſe ad malum impellerent, non eſſet ratio, cur a Chriſto Domino vetarentur, & a D. Jacobo verbis ſupra laudatis.

Confirmatur, quia intantum juramentum licite adhiberetur, in quantum eſſet actus Religionis intendens de ſe cultum Dei; at juramenta, quæ ab Eccleſia exiguntur, non ordinantur ad Dei cultum, ſeu ad venerandum Deum, per quem juratur, ſed ordinantur ad fines inferiores, puta ad confirmandam humanam veritatem, aut pactum, vel fœdus humanum; ergo juramenta iſta non ſunt actus virtutis religionis, nec habent debitum ordinem ad Deum. Confirmatur ſecundo, quia ſi juramenta iſta eſſent actus Religionis, eſſent ſecundum ſe appetibilia, & exercenda etiam abſque ulla neceſſitate, ſicut votum, quod eſt actus religionis, de ſe meritorie nuncupatur; at juramenta exerceri non debent citra neceſſitatem, vel piam utilitatem; ergo non ſunt actus religionis liciti, ac honeſti.

Confirmatur demum, quia ſecundum ſe licitum, & honeſtum eſt actus religionis frequentare; atqui licitum, & honeſtum non eſt frequentare juramenta; ergo non ſunt actus religionis; unde non debent ab Eccleſia exigi; præſertim quia multiplicant occaſiones pejerandi.

Reſpondeo, communiſſimam eſſe Theologorum doctrinam cum Angelico 2. 2. qu. 89. art. 4., quod juramentum ſit actus Religionis. Etenim Deuteron. 6. dicitur: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen illius jurabis*: unde ponitur juramentum tamquam actus pertinens ad latriam, & ad ſervitutem Deo debitam. Et ratio eſt, quia quamvis motivum inducens ad jurandum frequentius non pertineat ad virtutem religionis, ſed ad firmandam fidem in verbis, vel pactis humanis; nihilominus ſine Dei cultu, ac reverentia juramentum non exercetur; ad reverentiam enim Dei ſpectat, quod ejus ſanctum nomen non invocetur

tur ſine neceſſitate & incaute; necnon quod dum invocatur Deus in teſtem, ejus ſummam veritatem, ac veracitatem credamus, ac profiteamur. Non eſt autem verum, quod juramentum de ſe impellat ad malum, nempe ad perjurium; quamvis ſi quis facile, & ſine neceſſitate contra reverentiam Deo debitam juret, ex conſuetudine iſta jurandi ſine cauſa ſufficienti, facile labi poſſit ad pejerandum: & ideo a Chriſto Domino vetatur juramentum incautum, & non neceſſarium.

VII. Ad primam confirmationem diximus quomodo juramentum ſit actus religionis, quamvis principale ejus motivum non ſit cultus Dei, ſed confirmatio veritatis. Non eſt autem inordinatum quod cultus Deo exhibitus in juramento ordinetur ad finem inferiorem; ſicut non eſt inordinatum, quod Sacrificium Miſſæ v. g. ordinetur ad obtinendam ſalutem ægroti, quia quamvis quod eſt præſtantius ordinetur ad finem inferiorem immediatum; at finis ultimatus, ad quem natura ſua ordinatur tam veritas per juramentum confirmanda, quam valetudo ægroti per ſacrificium obtinenda, eſt Dei gloria.

VIII. Ad ſecundam: Juramentum, ut advertit Angelicus loco laudato, non numeratur inter ea quæ de ſe ſunt appetenda, ſed inter ea, quæ ſunt neceſſaria. ſicut enim medicina quæritur ſolum ad ſubveniendum infirmitati; unde non debet eſſe frequens ejus uſus, nec debet citra neceſſitatem ſumi: ita juramentum quæritur ad ſubveniendum alicui defectui, quo ſcilicet unus homo alteri diſcredit; & ideo non debet eſſe frequens ejus uſus, nec debet citra neceſſitatem adhiberi. Unde Auguſtinus lib. de ſer. Dom. in monte dixit: *Qui intelligit non in bonis, ideſt per ſe appetendis, ſed in neceſſariis jurationem habendam, refrænet ſe quantum poteſt, ut non ea utatur, niſi neceſſitas cogat.* Votum e contra eſt de ſe appetibile; & ideo non requiritur neceſſitas ulla, ut votum nuncupetur, & aliquid Deo gratum promittamus. Illud enim intereſt inter votum, & juramentum, quod in voto aliquid in Dei reverentiam ordinamus, quod de ſe ſemper eſt bonum; at in juramento ordinamus Dei invocationem, & aſſumitur reverentia Divini Nominis ad aliquid confirmandum; & ideo juramentum non eſt appetibile de ſe, ſed ſuppoſita dumtaxat neceſſitate, inſtar pharmaci.

IX. Ad ultimam, ſicut non eſt utile medicinam frequentare, quia ſi deſit neceſſitas prærequiſita, ea eſt noxia; ita non eſt utile, nec honeſtum frequentare juramenta, quia pariter cedit in Divini Numinis irreverentiam, quod citra neceſſitatem paſſim adhibeantur; non ſecus ac in humanis cederet in irreverentiam erga Principem, ſi paſſim citra neceſſitatem invocaretur ad aliquid teſtandum. Hinc Angelicus art. 5. ad 3. dixit: *Quanto juramentum magis eſt venerandum, tanto periculoſius aſſumitur, ſi non cum debita moderatione inducatur;* Ad eum modum, quo pharmacum quo virtuoſius, eo magis nocere poterit, ſi frequentius adhibeatur, quam neceſſarium ſit. At quando aut juxta conſuetudinem, aut juxta præceptum Eccleſiæ adhibentur juramenta, tunc procul dubio actus ſunt religionis, nec carent neceſſitate prærequiſita; unde non carent ſua laudabilitate, honeſtate, ac merito; eſto nonnullis per accidens ex propria eorum malitia cedant in laqueum, & in ruinam.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſum Theſim CI.

CEnteſima prima, quæ poſtrema eſt theſium Queſnellianarum, improbat univerſim juramenta, quæ communiter omnibus, etiam idiotis, præſcribuntur: Cum tamen certum ſit, fuiſſe antiquiſſimum Eccleſiæ morem exigendi a fidelibus juramenta in rebus non levis momenti, puta in Judiciis, in Contractibus, in Abjurationibus, in promiſſionibus de ſtando mandatis Eccleſiæ, & ſimilibus; dum autem conqueritur Queſnellus quod juramenta exigantur in Eccleſia communiter ab omnibus, etiam ab infirmis, qui facile in perjuria labuntur, & ab idiotis, qui neſciunt iniquis cavillationibus veritatem occultare, cæcus eſt, qui non advertit, quod obloquatur de Juramento, quod ab Eccleſiaſticis in Gallia exigitur juxta formulam ab Alex. VII. præſcriptam de rejiciendis, ac damnandis Janſenii theſibus in ſenſu ab Auctore intento. Docet hujuſmodi juramenta Spiritui Dei, ac doctrinæ Chriſti D. maxime adverſari, quippe quæ multiplicant pejerandi occaſiones, & laqueos tendunt idiotis, ac efficiunt, ut venerandum Dei nomen impiorum machinis deſerviat: Ubi illos tanquam impios denotat, qui conantur hac via Janſenianam luem ab Eccleſiæ finibus exterminare.

Errat itaque enormiter primo, dum conſuetum totius Eccleſiæ modum exigendi ab omnibus indiſcriminatim in rebus gravioribus juramenta, perfricta fronte audet condemnare. Etenim, ut Auguſtinus docet epiſt. 118. contra id, quod univerſalis Eccleſia facit, diſputare, *inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.*

Er-

Errat ſecundo docens, juramenta iſthæc Dei ſpiritui adverſari. Etenim quod univerſim Dei Spiritui non adverſentur juramenta, ſuppoſita cauſæ gravitate, nemo eſt, qui dubitet: ea quippe Deus etiam præcepit Deuter. 6. & 10. dicens: *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen illius jurabis.* Et ratio eſt, quia juramentum (dummodo fiat *in veritate, in judicio, & in juſtitia*, ut dicitur Jerem. 4. ſeu in re, quæ putatur vera, ac juſta, & ex gravi cauſa) eſt actus Religionis; unde Pſal. 62. habetur: *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo.* Quinimo Deus ipſe juramento non ſemel uſus eſt in rebus graviſſimis. Dicitur enim Pſalm. 109. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum:* & Luc. 1. *Juſjurandum, quod juravit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis.* Quod vero nec adverſentur Dei Spiritui juramenta, quæ ſolent ab Eccleſia communiter exigi, (ac præſertim juramentum, quod exigitur ab iis, qui ſubſcribere debent formulæ ab Alexandro VII. præſcriptæ in ordine ad rejiciendas, ac damnandas Janſenii theſes) ſatis eſt advertere ad cauſæ gravitatem, propter quam præſcribuntur.

Errat tertio docens, juramenta doctrinæ Chriſti D. eſſe contraria. Etenim ex Auguſt. lib. de Mendacio cap. 15., & ex Angelico 2. 2. q. 89. ar. 2. a Chriſto D. ſolum prohibetur juramentum non neceſſarium, ex quo periculum pejerandi imminet. Hinc juramento non ſemel uſus eſt Apoſtolus, ſed cum maturo conſilio, dicens ad Hebr. 1. *Teſtis enim mihi eſt Deus;* & ad Gal. 1. *Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.*

Errat quarto docens, juramenta, quæ ab Eccleſia rationabiliter exiguntur, multiplicare occaſiones pejerandi, & laqueos tendere infirmis, & idiotis. Etenim non dicitur præbere occaſionem peccandi, quod de ſe valde conducit ad bonum reipublicæ, quamvis inde ſumatur peccandi occaſio ex prava peccantis diſpoſitione. Aliter non deberent vota nuncupari, nec injungi jejunia, quia ſic ex votis, & præcepto jejunii multiplicantur occaſiones peccandi; quæ pariter ex quacunque lege hoc pacto multiplicantur: (quandoquidem, niſi daretur lex, non daretur legis tranſgreſſio, & conſequenter neque daretur peccatum; unde ad Rom. 7. dicitur: *Peccatum non cognovi, niſi per legem.*) At non proinde leges, quæ de ſe reſpiciunt bonum communitatis, non ſunt ferendæ: Ita juramenta, quæ ab Eccleſia ſolent exigi, cum reſpiciant bonum ſive fidei, ſive pacis, ſive aliud bonum, non dicuntur revera multiplicare occaſiones pejerandi, quamvis nonnulli ex propria imbecillitate inde pejerandi anſam arripiant. Scandalum quippe in hoc caſu non eſt datum, ſed acceptum; ſive dicatur eſſe ſcandalum Puſillorum proveniens ex ignorantia, vel infirmitate pejerantis, ſive potius Phariſaicum proveniens ex ejuſdem malitia; unde non habet rationem ſcandali: Sicut non habet rationem ſcandali Divina Miſericordia, quamvis ea multi abutantur, arripiendo peccati occaſionem ex ſpe veniæ.

Errat denique Queſnellus, dum docet juramenta iſthæc efficere, ut nomen, & veritas Dei deſerviant conſilio impiorum. Etenim ſi ad id deſervirent, ſcandalum, ut oſtendimus, non eſſet datum, ſed acceptum, & revera Phariſaicum: ad eum ſcilicet modum, quo ex Chriſti prædicatione anſam Phariſæi arripiebant carpendi ejus dicta; & tamen Chriſti prædicatio erat ſumme benefica; nec dici poterat, quod præberet Phariſæis occaſionem peccandi. Præterquamquod impie dicitur, quod juramenta faveant conſilio impiorum, ſi his verbis denotetur, quod juramenta injuncta ab Alex. VII. faveant eorum conſilio, qui cupiunt hac via Galliam expurgari a lue Janſeniana. Ex quibus omnibus liquet, in omnibus, & ſingulis hiſce Queſnellianis Theſibus non unum duntaxat lethiferum anguem latitare.

FINIS.

Ad Majorem DEI Gloriam, & Deiparæ ſine labe Conceptæ.

IN-

INDICULUS
THESIUM
QUESNELLIANARUM.

1 De peccatore poſt gratiam amiſſam.
2 De Gratiæ neceſſitate ad omne opus bonum.
3 In vanum a Deo præcipi, quod ipſe non dat.
4 Fieri non poſſe, quod Deus non operatur in nobis.
5 Gratiæ exteriores ſine interiori obdurant.
6 De diſcrimine inter Fœdus Judaicum, & Chriſtianum.
7 Deus in novo fœdere donat, quod petit; ſecus in veteri.
8 Gratia novi fœderis operatur, quod Deus præcipit.
9 Ubi adſit gratia, nunquam Chriſtum abnegamus.
10 Effectus gratiæ impediri, aut retardari non poteſt.
11 Gratia facit, quod Deus jubet.
12 Indubitabiliter ſalvatur, quem Deus vult ſalvare.
13 Interiori gratiæ voluntas nunquam reſiſtit.
14 Cedat oportet, quicumque gratia illuſtratur.
15 Gratia operatur quodcunque Deus præcipit.
16 Gratiæ illecebris nemo eſt qui reſiſtat.
17 Nullatenus eſt doctus a Patre, qui non venit ad Chriſtum.
18 Divinum ſemen ſemper affert fructum ſuum.
19 Gratia eſt Omnipotentis Dei voluntas.
20 De vera Idea Gratiæ.
21 Gratiæ operatio imitatur operationem Incarnationis.
22 De concordia Gratiæ cum libero arbitrio.
23 Gratiæ operationem exprimit Creatio.
24 Sicut ſanantur corpora, ita Gratia ſanat animas.
25 Animam Deus ſanat ſola ſua voluntate.
26 Nulla datur Gratia, niſi per Fidem.
27 Fides eſt prima omnium gratiarum.
28 Prima peccatoris Gratia eſt peccatorum remiſſio.
29 Nulla datur Gratia extra Eccleſiam.
30 Infallibiliter ſalvantur, quos Deus vult ſalvare.
31 Chriſti deſideria ſortiuntur ſemper effectum ſuum.
32 Chriſtus ſe morti tradidit propter Electos.
33 Omnia renuncianda ſunt, ut Chriſtum nobis appropriemus.
34 Gratia Adami producebat ſolum merita humana.
35 Debita erat naturæ Gratia Adami.
36 Gratia Adamica, & Chriſtiana eſſentialiter differunt.
37 Gratia Chriſtiana eſt Omnipotens, non Gratia Adami.
38 Peccator ſine Gratia eſt ſolum liber ad malum.
39 Sine Gratia voluntas eſt incapax ad omne bonum.
40 Quicquid amatur ſine Gratia, damnabiliter amatur.
41 Dei cognitio ſine Gratia pravos affectus producit.
42 Nonniſi iniquitas ſine Chriſti Gratia.
43 Baptiſmalis gratia reddit nos peccato mortuos.
44 Inter Charitatem, & Cupiditatem nihil mediat.
45 Regnat carnalis cupiditas, ubi non regnat Dei amor.
46 Uſus ſenſuum fit bonus, vel malus a Charitate, aut a Cupiditate.
47 Obedientia, ſi non profluat ab amore Dei, eſt hypocriſis.
48 Sine Charitate nonniſi aberratio, & peccatum.
49 Nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.
50 Fruſtra eſt Dei invocatio, quæ non fit a Charitate.
51 Fidei operatio juſtificat, & unice habetur

tur per charitatem.
52 Fides non eſt abſque amore, & fiducia.
53 Chriſtianæ operationes unice habentur a Charitate.
54 Sola Charitas Deo loquitur, & ab eo auditur.
55 Deus Charitatem dumtaxat coronat.
56 Sola Charitas Deum honorat, & ab eo remuneratur.
57 Totum deeſt, ubi ſpes deſit; nec datur ſpes ſine amore Dei.
58 Ubi non eſt Charitas, nec eſt Religio.
59 Oratio peccatoris eſt novum peccatum.
60 Pœnitentia orta ex ſolo metu ducit ad deſperationem.
61 Timor ſine amore juſtitiæ manum cohibet, non cor, a culpa.
62 Peccat, qui a malo non abſtinet, niſi timore pœnæ.
63 Qui legem adimplet ex ſolo timore, ſub lege eſt, ſicut Judæus.
64 Sub maledicto legis peccat etiam qui ob timorem peccatum evitat.
65 Moyſes, prophetæ, ac ejus legis Doctores nonniſi mancipia per timorem effecerunt.
66 Non appropinquamus Deo per timorem, ut beſtiæ, ſed per amorem, ut filii.
67 Timor ſervilis Deum repræſentat ut imperioſum, ac injuſtum.
68 Clauduntur omnia in fide, & precibus.
69 Fides, ejuſque uſus, ac præmium eſt donum puræ liberalitatis Dei.
70 Deus nunquam affligit innocentes.
71 Ob ſui conſervationem diſpenſat ſe homo a lege condita in ſui utilitatem.
72 De Eccleſiæ Chriſtianæ notis.
73 Quid ſit Eccleſia?
74 Habet Eccleſia Chriſtum ut caput, omnes Sanctos ut membra.
75 Eccleſia eſt ipſe Chriſtus compoſitus ex pluribus Sanctis, quos ſanctificat.
76 Comprehendit Eccleſia omnes Electos, & Juſtos.
77 Peccator non habet Deum pro Patre, & pro capite Chriſtum.
78 Peccator, non ſecus ac Infidelis, a populo Electo ſeparatur.
79 Sacræ Scripturæ ſtudium utile, ac neceſſarium eſt cuilibet.
80 Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus.
81 Obſcuritas Divini verbi ab ejus lectione non excuſat.
82 Dies feſtus hac lectione ſanctificandus. Damnoſum eſt eam impedire.
83 Etiam a fœminis Sacra Biblia ſunt evolvenda.
84 Claudere Chriſtianis novum Teſtamentum, eſt illis os Chriſti obturare.
85 Vetare hanc lectionem eſt vetare uſum luminis filiis lucis.
86 Vox populi jungenda voci Eccleſiæ, ſi praxim Apoſtolicam ſequi velimus.
87 Sapientia, & Charitas poſtulant, ut ad tempus portetur ſtatus peccati.
88 Ex ignorantia peccati provenit, quod velimus ſtatim illud excutere.
89 Peccator poſt reconciliationem jus habet aſſiſtendi Sacro.
90 De conſenſu ſaltem præſumpto Eccleſiæ excommunicatio ferenda eſt.
91 Excommunicatio injuſta contemnenda. Non ſeparat ab Eccleſia Deo conjunctos.
92 Imitatur Apoſtolum, qui patitur potius anathema injuſtum, quam prodat veritatem.
93 JESUS fanat vulnera a Paſtoribus inflicta zelo inconſiderato.
94 Mala opinio de Eccleſia ingeritur, dum foventur diviſiones, &c.
95 Modus prædicandi veritates eſt unum ex ſignis ſenectutis Eccleſiæ.
96 Omnes Poteſtates ſunt contrariæ Prædicatoribus veritatis.
97 Nimis ſæpe contingit, membra unita Eccleſiæ tractari tanquam indigna.
98 Ultima plerumque probatio eſt, haberi tanquam hæreticum.
99 Pertinacia quotidie fert, ut in odorem mortis mutentur, quæ ſunt odor vitæ.
100 Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, dum Dei ſervum diabolo ſacrificamus.
101 Doctrinæ Chriſti adverſatur, communia facere juramenta in Eccleſia.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hoc Opuſculo continentur.

Prior numerus Theſim confixam deſignat,
Alter numerus marginalem.

A

Abſolutio canonica a cenſuris & pœnis, & abſolutio Sacramentalis a peccatis quandonam olim conferebatur? Propoſit. 87. *num.* 5.

Abſolutio Sacramentalis num, & quando differri poſſit? Propoſ. 79. *num.* 2.

Actus morales indifferentes in individuo num ſint poſſibiles? Propoſ. 44. *num.* 5.

Adami gratia non producebat merita humana. 34. 1. *Nec erat debita naturæ ſanæ, ac integræ.* 35. 1. *Solum erat debita naturæ prout elevatæ ad finem ſupernaturalem.* 35. 13.

Adami gratia, & gratia Chriſti Domini non differunt eſſentialiter, ſed ſolum ex variis titulis accidentaliter. 36. 1. & 37. 3.

Adjutorium quo, ſeu gratia efficax, & Adjutorium ſine quo non, ſeu gratia ſufficiens in utroque ſtatu naturæ datur tam integræ, quam lapſæ. 24. 3. 35. 12. & 36. 11.

Adjutorium ſine quo non, ſeu gratia ſufficiens nulli deeſt in pœnam peccati. 4. 7.

Afflictiones, & ærumnæ hujus vitæ non deſerviunt ſolum ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem. 70. 1.

Amare Deum intuitu retributionis non eſt malum. 36. 3.

Amare Deum ex toto corde quid importet? 44. 10.

Amor amicitiæ erga Deum, & amor concupiſcentiæ non pugnant ad invicem. 44. 14.

Amor Dei naturalis poſſibilis eſt in ſtatu naturæ lapſæ. 53. 3. *Non tamen amicitiæ naturalis cum Deo.* 53. 6.

Amor Dei perfectus, & amor Mundi, ac ſuimet malus non ſunt unica origo noſtrarum volitionum, & actionum. 44. 1.

Amor Dei poteſt non regnare in corde peccatoris, quin eatenus regnet carnalis cupiditas, quæ omnes actiones corrumpat. 45. 1.

Amor Dei ubi deſit, non aderit illico amor proprius peccaminoſus, 49. 1.

Amor proximi, quamvis non profluat a charitate erga Deum, adhuc eſt laudabilis. 44. 8.

Amor ſuimet quandonam ſit vitioſus, & quando laudabilis, licet non ſit propter Deum. 49. 9.

Angeli an Eccleſiam conſtituant? 72. 15.

Apoſtatæ non ſunt membra Chriſti, & Eccleſiæ. 72. 9.

Apoſtoli nonniſi Hebraice, ac Græce, & ad ſummum Latine ſcripſerunt. 79. 3.

Auxilia gratiæ ſunt nobis intrinſeca. 19. 5. *Quomodo differant in ſtatu naturæ innocentis, & lapſæ?* 36. 5.

Auxilium inefficax a Deo confertur ut ſufficiens, non ut ineffícax. 11. 8.

Auxilium ſufficiens num denegetur a Deo aliquibus poſt certum numerum peccatorum? 48. & 30. 13. *Vide Gratia ſufficiens.*

B

Baptizatus non eſt ſub lege, ſicut Judæus, ſi legem adimpleat ex ſolo timore. 63. 1.

Baptiſmalis gratia poteſt per peccatum amitti, ſicut etiam fides. 43. 3.

Baptiſmalis gratiæ effectus non eſt, ut homo non habeat plus vitæ pro peccato, quam mortuus pro rebus mundi. 43. 1.

Bona operatio Deo magis tribuenda eſt, quam voluntati ad illam ſe determinanti. 69. 10. *nec non* 10. 8.

Bonorum terrenorum renunciatio non eſt ad ſalutem neceſſaria. 38. 8.

C

CAlvinus, & Lutherus diverſimode errarunt circa arbitrii libertatem. 10. 5.
Cæcitas corporis in quo differat a cæcitate cordis. 4. 5.
Cenſura pluribus de cauſis poteſt eſſe nulla, aut injuſta. 9. 2.
Charitas cuinam cupiditati opponatur, & cupiditas charitati. 1. 2.
Charitas, & cupiditas quonam pacto adverſentur. 46. 1.
Charitatis ſpiritu deficiente non fruſtra clamamus, Pater mi. 50. 1.
Charitas non eſt ſola, quæ facit actiones chriſtianas. 53. 1. Nec eſt ſola, quę Deum alloquitur, & quam Deus audit. 54. 1. Neque charitatem dumtaxat Deus coronat. 55. 1. Neque ſolam Deus honorat. 56. 1. Neque peccatori totum deeſt, ſi deſit ſpes, poteſtque ſpes eſſe ſine charitate. 57. 1. Poteſt etiam religio a charitate ſeparari. 58. 1.
Chriſtianum fœdus, & Judaicum quomodo differant. 6. 1.
Chriſti deſideria non ſemper habent effectum ſuum. 31. 1.
Chriſti reſurrectio quomodo ad noſtram juſtificationem conferat, & Chriſti paſſio ad peccatorum remiſſionem. 36. 1.
Chriſtus D. quodnam juramentum prohibuerit. 101. 5.
Chriſtus oravit etiam pro Reprobis. 31. 4. & 9.
Chriſtus non pro ſolis Electis mortuus eſt. 32. 1.
Chriſtus quomodo ſit Eccleſiæ caput, & quænam ſint ejus membra. 72. 7.
Cognitio Dei ſine gratia non parit præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum. 41. 1.
Concordare libertatem arbitrii cum efficacia gratiæ quare ſit arduum? 11. 5. Concupiſcentiæ amor, quo quis Deum ſibi amat, eſt honeſtus. 33. 6.
Concupiſcentiæ motus, & affectus turpes ineficaces, ubi ſunt neceſſarii, culpa vacant. 33. 12. & 43. 14.
Conjugium ſpirituale inter Deum, & animam juſtam ſolum ex parte ſponſæ repudiari poteſt. 14. 3.
Concupiſcentiæ dominatui quomodo quis ſubjiciatur. 1. 9.
Cooperatio cum auxiliis gratiæ Deo tribuitur. 13. 9. & 25. 5.
Creatio non eſt gratia antonomaſtice dicta. 24. 6.
Creatura rationalis condi poteſt ſine gratia. 34. 1.

D

DÆmones in Inferno phyſice ne, an ſolum moraliter neceſſitentur ad peccandum? 1. 6.
Dæmonis tyrannidi quomodo peccator ſubjiciatur. 1. 9.
Delectatio ſive charitatis, ſive cupiditatis non eſt victrix cum violatione libertatis a neceſſitate. 20. 1. & 20. 7.
Deus eſt, qui nos diſcernit, quamvis voluntas ad bonam operationem ſe determinet. 10. 7.
Deus eſſet peccati auctor, ſi homo neceſſario peccaret. 38. 11.
Deus impoſſibilia non præcipit, ne in pœnam quidem peccati. 15. 5.
Deus in quonam ſenſu, quem vult, induret. 4. 6. Et in quonam ſenſu diſcernat Electos a Reprobis. 68. 10.
Deus in hac vita etiam innocentes affligit ob fines altiſſimos ſuæ Providentiæ. 70. 1.
Deus non eſt peccati Auctor, quamvis culpam prævideat, & non impediat. 10. 10.
Deus non permittit, ut poteſtates omnes ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis. 96. 1.
Deus non poteſt in omnibus Decalogi legibus diſpenſare. 71. 2. In aliquibus naturalibus ſolum poteſt materiam variare. ibid.
Deus prædefinit omnes actus ſalutares ſub circumſtantiis ſuis. 12. 9.
Deus providit infantibus de remedio ad ſalutem. 30. 12.
Deus quonam pacto donet nobis bonam operationem. 7. 2.
Deus quomodo operatur in nobis velle, & perficere. 13. 9.
Deus quomodo poſſit ineluctabiliter obtinere a creatura aſſenſum liberum. 10. 6.
Deus vult omnium omnino ſalutem. 12. 1. & 30. 1.
Deus ita vult omnes ſalvare, ut tamen non omnes ſalventur infallibiliter. 30. 1. & 31. 2.
Diabolo non ſacrificatur frequenter Dei ſervus, dum credimus ſacrificare Deo impium. 100. 1.
Dilectio. V. Amor Dei.
Dives difficultatem quidem habet aſſequendi ſalutem, ac perfectionem, non tamen impoſſibilitatem. 33. 12.
Doctus, & illuſtratus a Patre vi gratiæ interioris poteſt non diſcere, nec venire ad Filium. 13. 1.
Donatiſtas imitantur Janſeniani. 95. 6.

E

ECcleſia deficere non poteſt, nec ſeneſcere. 95. 1.

Eccleſia eſt Catholica, Sancta, Sponſa Chriſti, Columna, & Firmamentum veritatis. 95. 4.
Eccleſia eſt ſancta, quamvis innumeros peccatores contineat. 72. 13.
Eccleſia eſt Cœtus vocatorum. 72. 3. *Complectitur homines veram fidem profitentes, ac utentes Sacramentis a Chriſto D. inſtitutis ſub regimine Paſtorum, ac Vicarii Chriſti.* 72. 5. *Complectitur etiam peccatores, & reprobos.* 72. 13.
Eccleſia non fovet Schiſmata, dum damnat ſilentium obſequioſum Janſenianorum. 94. 1.
Eccleſia quomodo oret pro omnium ſalute. 30. 11.
Eccleſia non comprehendit ſolum Electos. 26. 2.
Eccleſiæ Chriſtianæ quænam ſint notæ. 72. 1. & 95. 1. *Ea non eſt cœtus filiorum Dei dumtaxat.* 73. 1. *Nec eſt integer Chriſtus tanquam caput, & Sancti ut ejus membra.* 74. & 75. 1. *Nec complectitur ſolum electos, & juſtos.* 76. 1.
Eccleſia non eſt duplex, altera Militans, altera Triumphans, ſed una diverſis temporibus. 72. 10.
Eccleſiæ membra ſtricte illi unita non ſæpe contingit, ut tanquam indigna tractentur. 97. 1.
Eccleſiæ praxis in abſolvendis peccatoribus tam a peccatis, quam a cenſuris. 87. 4.
Eccleſia quomodo lunæ comparetur. 95. 7.
Eccleſiæ uſus in divinis officiis peragendis. 79. 3.
Efficáciam gratiæ cum libertate arbitrii quare ſit arduum conciliare. 11. 5.
Efficax gratia neceſſaria quidem eſt, ut ponatur, non tamen ut poni poſſit bona operatio. 3. 12. & 11. 7.
Efficax gratia quid ſit. 3. 12. & 13. *Quomodo ejus infruſtrabilitas cum libertate voluntatis concilietur.* 23. 3.
Electi a Reprobis a Deo diſcernuntur principalius. 3. 12. & 10. 8.
Electi in quonam ſenſu ſalventur indubitabiliter. 12. 1.
Ethnici extra Eccleſiam aliquid boni operari poſſunt. 38. 6.
Excommunicati ad Eccleſiam non ſpectant, ſicut nec Schiſmatici, Apoſtatæ, & Hæretici; ſpectant tamen ad illam peccatores. 72. 9.
Excommunicatio ut feratur, non requiritur conſenſus præſumptus totius Eccleſiæ. 90. 7.
Excommunicatio etiam injuſta timenda eſt. 91. 3. *Qui illam non timet, erigit ſe contra Eccleſiæ auctoritatem, & Saulum, non Paulum imitatur.* 92. 14. *Chriſtus non ſanat vulnera, quæ a Paſtoribus per excommunicationem infliguntur, quamvis videantur zelo inconſiderato ea infligi.* 93. 15.
Excommunicatio ceſſante contumacia non ceſſat. 89. 1.
Exhortationes. V. Gratiæ exteriores.
Exprobrationes fruſtra fierent peccantibus, ſi deeſſet illis auxilium ſufficiens. 16. 4.

F

Fides dæmonum in quonam ſenſu fidei impiorum aſſimiletur. 68. 7.
Fides, & preces non ſatis ſunt ad ſalutem. 68. 1.
Fides informis poteſt eſſe ſupernaturalis. 12. 5. *Eaque vera virtus eſt, quamvis Ariſtoteli ignota, & quomodo. ibid.*
Fides non eſt prima omnium gratiarum. 27. 1.
Fides non prærequiritur ad obtinenda auxilia gratiæ. 26. 1.
Fides num ſola ad ſalutem ſufficiat. 51. 9.
Fides quomodo juſtificet, & quomodo per charitatem operetur. 51. 1.
Fides ſupernaturalis nequit eſſe formidoloſa, quamvis poſſit eſſe modica. 52. 9.
Fides, uſus, augmentum, & præmium fidei non ſunt donum puræ liberalitatis Dei. 69. 1.
Fidei actus naturalis num ſit poſſibilis? 53. 7.
Fidei materiale objectum num ſit Concluſio Theologica? 94. 3.
Fidei lumine deſtituti non ſemper peccant. 48. 1.
Fidem præire debet pia affectio ſupernaturalis imperans illam. 52. 2. *In fide non continentur omnia alia ſalutis media, & poteſt fides eſſe abſque amore, & fiducia.* 52. 1. *Ex fide juſtus in quonam ſenſu vivat.* 51. 6.
Fomes concupiſcentiæ per Baptiſmum non extinguitur - 43. 13. *Non eſt peccatum proprie, ſed vocatur ab Apoſtolo peccatum, quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. ibid.*

G

Gentiles in quo differant a Judæis. 6. 9.
Gloriari poſſumus in Domino de bonis noſtris operationibus. 69. 11.
Gratia Adamica, & Chriſtiana non differunt eſſentialiter. 36. 1. & 37. 3.
Gratia conceditur etiam extra Eccleſiam. 29. 1.
Gratia baptiſmalis. V. Baptiſmalis gratia.
Gratia deſtitutus poteſt aliquid amare, & non in ſuam condemnationem. 41. 1. *Neque in eo eſt ſolum impuritas, & indignitas.* 42. 1.
Gratia efficax. V. Efficax Gratia.
Gratia in quonam ſenſu faciat nos facere. 69. 9.
Gratia num requiratur ut poſſit bonum opus fieri. 2. 1.

Gratia non eſt imitatio Dei Incarnantis, ac Reſuſcitantis Filium ſuum. 21. 1. *Neque adumbratur per creativam operationem.* 23. 1. *Nec ſanat animas a cupiditate, ſicut corpora ſanantur a morbis.* 24. 1.
Gratia non eſt Dei voluntas nobis extrinſeca. 11. 2. & 16. 1.
Gratia non neceſſitat phyſice. 14. 1.
Gratia novi Teſtamenti, ac veteris in quonam differant. 8. 6.
Gratia prædiți æquali Pharao, & Nabuchodonoſor, hic conſenſit, ille diſſenſit. 20. 6.
Gratia prima, quæ peccatori conceditur, non eſt peccatorum remiſſio. 28. 3.
Gratia ſufficiens ad ſalutem datur omnibus. 3. 5. & 13. 12. & 30. 13. *V. Auxilium ſufficiens, & Adjutorium ſine quo non.*
Gratia ſufficiens ad legem implendam non deeſt iis, qui peccant. 4. 1. & 11. 3.
Gratia ſufficiens quare a Janſenianis dicatur eſſe perniciosa? 3. 8. & 5. 4. *Ea datur omnibus indiſcriminatim.* 26. 6.
Gratiæ collationis prima cauſa eſt a Deo, Gratiæ defectus prima cauſa eſt ex nobis. 30. 3.
Gratiæ actualis quænam ſint proprietates ex Auguſtino, & in quo ſenſu. 43. 7.
Gratiæ interiori poteſt voluntas reſiſtere. 8. 2. & 9. 1. *V. Gratiæ operatio.*
Gratiæ illuſtratio non neceſſitat ad bonam operationem. 25. 4.
Gratiæ operationem poteſt voluntas impedire, & retardare. 10. 2. & 13. 1. *V. Gratia interior.*
Gratiæ illecebris poteſt voluntas reluctari. 16. 1. & 17. 1. & 18. 1.
Gratia pertinens ad ſtatum naturæ integræ, & lapſæ. 3. 4.

H

Hæretici ad Eccleſiam non ſpectant, ut nec Schiſmatici, Apoſtatæ, & Excommunicati, licet ad illam ſpectent peccatores. 72. 9.
Hæretici vera falſis paſſim permiſcent, ut decipiant. 12. 1.
Hæreticum, flagitioſum, ac impium haberi, non eſt plerumque probatio maxime meritoria. 98. 1.
Homo ob ſui conſervationem nequit ſe diſpenſare a legibus conditis in ſui utilitatem. 71. 1.

I

Janſeniani Donatiſtas imitantur. 95. 5.
Janſeniani admittunt in peccantibus tenuem quandam gratiam interiorem, inſufficientem tamen ad bene operandum. 16. 4.
Janſenius inepte Tridentinum interpretatur; quod diſerte docet dari in natura lapſa libertatem indifferentiæ. 23. 6.
Illuſtratio gratiæ non neceſſitat ad conſentiendum. 24. 4.
Infantes, etiam poſt baptiſmum, obnoxii ſunt ærumnis hujus vitæ, idque ob fines altiſſimos Providentiæ. 70. 4.
Infantium ſine baptiſmo decedentium ſalutem Deus quomodo velit? 30. 12.
Infideles non deſtituuntur gratiæ auxiliis. 29. 1. *Poſſuntque laudabiliter operari.* 38. 6. & 53. 16.
Innocentes, etiam in hac vita, a Deo affliguntur. 70. 1.
Judæ in quonam ſenſu bonum erat, ſi natus non fuiſſet. 50. 10.
Judæi quomodo ducerentur ſpiritu ſervitutis, non ſpiritu filiorum Dei. 6. 5. *Innumeri ex Judæis, non ſicut mancipia per timorem, ſed ſicut filii per amorem legem implebant.* 60. 15. *Judæis non deerat gratia ſufficiens ad legem implendam.* 6. 2. & 7. 7. *Non defuit iis gratia ſufficiens ad ſalutem.* 26. 7. *Judæi obdurati in quonam ſenſu non poterant credere?* 4. 4.
Judæorum Synagoga num defecerit aliquando in fide? 95. 7.
Judaicum fœdus in quonam differat a fœdere Chriſtiano? 6. 1 & 7. 1.
Judaicæ legis ſcopus quinam fuerit ex Janſenio inepte Auguſtinum interpretante? 7. 5. & 8. 4.
Juramenta communia facere in Eccleſia non opponitur Spiritui Dei, & doctrinæ Chriſti. 101. 1.
Juramentum ſecundum ſe neque jure naturali, neque poſitivo prohibetur. 101. 3. *Quodnam juramentum Chriſtus D. prohibuerit omnino?* 101. 5. *Juramentum eſt actus Religionis.* 101. 6
Juſtificari nos gratis per fidem quid importet? 68. 8.
Juſtus quam ob cauſam a Deo crucietur in hac vita? 70. 11.
Juſtus quomodo ex fide vivat? 51. 6.

L

Leges conditas in noſtram utilitatem nequit homo ob ſui conſervationem violare. 71. 1.
Libertas abſtinendi a peccato non eſt libertas a ſervitute peccati. 2. 7.
Libertas in cauſa non ſufficit ad peccatum formale. 1. 6. & 24. 10. & 38. 3. *Nec libertas a coactione.* 7. 3. & 21. 3. & 38. 3.
Libertas indifferentiæ requiritur ad meritum,

ac demeritum. 11. 8. *Eaque datur in natura lapſa*. 22. 3. & 23. 5.
Libertas ad declinandum hoc, vel illud vage peccatum, niſi ſit etiam ad declinandum quodcumque peccatum, axcuſat a culpa. 38. 4.
Libertati ex Janſenio ſola vis, & coactio adverſatur. 15. 4.
Libertatis concordia cum omnipotenti operatione Dei non demonſtratur in Incarnatione. 21. 1. *Quomodo explicetur hæc concordia in ſententia Societatis?* 23. 3.
Liberum arbitrium per peccatum eſt ſolum viribus attenuatum, & inclinatum. 2. 5.
Literam occidere, ac Spiritum vivificare quid importet? 11.
Lutherus, & Calvinus circa libertatem arbitrii errarunt diverſimode. 10. 5.

M

Mercedis æternæ intuitu operari non eſt malum. 33. 5.
Merita in ſtatu naturæ innocentis tribus de cauſis dicuntur merita humana, quamvis ſint dona Dei, ſicut ſunt merita in ſtatu naturæ lapſæ. 34. 13.
Metus quomodo pariat involuntarium? 60. 6.
Miraculis, & gratiis exterioribus annectit Deus gratias interiores. 20. 5.
Miſeria pœnalis debet culpam conſequi, non miſeria naturalis. 70. 9.
Miſſæ Sacrificium Latreuticum eſt, Propitiatorium, Euchariſticum, & Impetratorium. 89. 5. *Huic Sacrificio jus habet aſſiſtendi etiam peccator*. 89. 1.
Moyſes, Sacerdotes, Prophetæ, aliique Legis Doctores dederunt Deo filios, & non mancipia dumtaxat per timorem. 65. 1.

N

Natura ſana, ac natura ægrota in quonam differant; & quomodo differant gratia ſanitatis, & gratia medicinalis? 36. 9.
Naturæ ſtatus multiplex, videlicet puræ, integræ, innocentis, lapſæ, ac reparatæ, explicatur. 34. 2.
Naturæ ſtatus ante legem, ſub lege, & ſub gratia quid importet? 7. 9.
Neceſſario erit, ſed non neceſſarius conſenſus a Deo prædefinitus ſub principiis indifferentibus. 12. 11.
Neceſſitas dicti, & neceſſitas rei quid importent? ibid.
Neceſſitas phyſica evertit meritum, ac demeritum, 16. 2.
Neceſſitas peccandi differt a ſervitute peccati. 2. 5.

O

Obdurati Judæi in quonam ſenſu non poteraut credere? 4. 4.
Obduratis, & obcæcatis confert Deus gratiam ſufficientem ad reſipiſcendum. 4. 2. *Iiſdem gratia ſufficiens non confertur in pœnam*. 3. 11.
Obdurationis cauſa quænam ſit? 5. 10.
Obedientia poteſt eſſe laudabilis, quamvis non profluat a charitate. 47. 1.
Obſcuritas divini Verbi unde oriatur? 79. 10. *Ea eſt ratio ſufficiens, cur laici a lectione divinarum Scripturarum ſe diſpenſent*. 81. 1.
Operatio honeſta cur Deo magis tribuenda ſit, quam voluntati illam eligendi. 10. 8. & 69. 10.
Orare oportet, quando id, quod præcipitur, eſt moraliter impoſſibile. 15. 8.
Orandi formula in quonam ſenſu ſit regula credendi? 7. 10. & 30. 11.
Orandum non eſſet pro eo, de quo ſciretur, quod eſſet certo damnandus, ſicut nec oramus pro diabolo. 31. 10.
Oratio impiorum non eſt novum peccatum. 59. 1.
Oratio annexa fidei non ſufficit ad ſalutem. 68. 5.
Originalis culpa non fert ſe ſola adultorum damnationem. 30. 6.

P

Paſtorum pervicacia non eſt cauſa, cur quotidie mutentur in odorem mortis, quæ Deus poſuit in odorem vitæ. 99. 1.
Peccati pondus ille agnoſcit, & experitur, qui vult illico a ſe illud excutere. 88. 1.
Peccati ſtatum ſentire, & cum humilitate portare, non eſt modus ſapientia, lumine, & charitate plenus. 87. 1.
Peccati ſervitus non connectitur cum neceſſitate peccandi. 2. 5.
Peccator poſt gratiam amiſſam non remanet impotens ad omne bonum opus. 1. 3.
Peccator non eſt membrum reciſum ab Eccleſia, quamvis ſit mortuum. 82. 2. *Non eſt liber ſolum ad malum ſine gratia Liberatoris*. 38. 1. *Per peccatum non ceſſat habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro capite*. 77. 1. *Nec ſeparatur ab Eccleſia, ſicut infidelis*. 78. 1. *In quonam ſenſu dicatur eſſe mortuus per peccatum*. 23. 7.
Peccatores etiam, ac Reprobi ad Eccleſiam ſpectant. 72. 10.
Peccatori non deeſt totum, ſi deſit ſpes; & poteſt ſpes eſſe ſine Dei amore. 57. 1.

Peccatum, quod ſimul eſt pœna peccati, non eſt peccatum formale; ſi caveri non poteſt. 38. 9.
Peccat univerſim nemo in eo, quod non poteſt declinare. 3. 7.
Peccatum, & mendacium dumtaxat habere hominem de ſuo, in quonam ſenſu dicatur. 3. 11.
Petitiones noſtræ non ſunt fruſtraneæ, quamvis Deus promiſerit nobis auxilium ſufficiens. 13. 6. & 24. 3. & 30. 11.
Pœnitentiæ dilatio fert proclivitatem ad novas culpas. 87. 3.
Pontifex quandonam poſſit relate ad factum decipi. 90. 13. & 94. 2.
Præceptum Dei non eſt vanum, quamvis Deus non det id, quod præcipit. 3. 1.
Præceptumne ſit, an conſilium, quod ſtatim homo poſt commiſſum peccatum conteratur? 87. 5.
Præcepta divina, ſi eſſent de re impoſſibili, eſſent inutilia. 15. 6.
Prædefinit Deus omnes actus honeſtos ſub ſuis adjunctis temporis, & loci. 12. 9.
Prædeſtinatio quid importet? 3. 13.
Prædeterminatio phyſica Thomiſtica toto cœlo differt a gratia medicinali Janſeniana. 9. 1. & 22. 4.
Prædicatoribus veritatis non adverſantur Poteſtates omnes. 96. 1.
Proprietates gratiæ actualis quænam ſint ex Auguſtino? 43. 7.

Q

Queſnellianæ theſes Janſenii confixas theſes recudunt. 1. 1. & 2. 9.
Queſnellus de medio tollit cooperationem voluntatis cum gratia. 8. 1. & 12. 2. & 21. 1.
Queſnelli Aſſeclæ inaniter illum excuſant. Vide in calce theſis. 7. 9. 10. 19. 20. 22. 30. 33. 42. 43. 51. 52. 72. 78. 89. 90.
Queſnellum juridice damnat, ac punit Archiepiſcopus Mechlinienſis. 2. 9.

R

Regula traditur ad dignoſcendam vim theſium confixarum, quando ſunt indefinitæ. 90. 6.
Regula credendi in quonam ſenſu legem ſtatuat ſupplicandi. 7. 10. & 30. 11.
Religionis virtus poteſt eſſe ſine charitate. 58. 1.
Renunciatio terrenorum bonorum non eſt ſimpliciter ad ſalutem neceſſaria. 33. 8.
Reprobi non poſſunt Deo conqueri, quod gratia efficaci deſtituantur. 10. 9.
Reprobi, ac peccatores etiam ad Eccleſiam ſpectant. 72. 10.
Reproborum etiam vult Deus ſalutem efficaciter, quantum eſt ex ſe. 12. 3. & 30. 1.
Reſiſtere poteſt voluntas divinæ gratiæ interiori, quamvis non poſſit omnino impedire effectum abſolute volitum, & efficaciter prædefinitum a Deo. 10. 6. & 31. 11.
Reſiſtentiam voluntatis gratiæ interiori ſufficienti nuſquam admiſit Queſnellus. 10. 11.

S

Sacrificio jus habet aſſiſtendi etiam peccator. 89. 1.
Satisfactio non eſt neceſſario præmittenda reconciliationi cum Deo. 87. 2.
Scientia conditionalium in Deo negari non poteſt. 2. 13.
Scripturæ Sacræ ſtudium non eſt omnibus, ac ſemper neceſſarium. 79. 1. *Ejuſdem lectio non eſt pro omnibus.* 80. 1. *Obſcuritas divini Verbi eſt ratio ſufficiens, cur Laici ſe ab hac lectione diſpenſent.* 81. 1. *Dies Dominicus non eſt ab omnibus hac lectione ſanctificandus.* 83. 1. *Nec eſt opus, quod fœminis notitia myſteriorum fidei lectione ſacrorum Bibliorum communicetur.* 83. 1. *Clauſum tenere idiotis novum Teſtamentum non eſt illis os Chriſti obturare.* 84. 1. *Nec eſt interdicere uſum luminis filiis lucis.* 85. 1. *Id non adverſatur praxi, & intentioni Dei.* 86. 1.
Semen Verbi, quod Deus irrigat, non ſemper affert fructum. 18. 1.
Sententia Paſtoris, etiam injuſta, timenda eſt. 90. 3.
Silentium obſequioſum Janſenianorum merito damnatur. 94. 1.
Spei noſtræ timor adjungendus, non quidem ne gratia deſit nobis, ſed ne nos deſimus gratiæ. 13. 5.
Spes Theologica omnibus præcepta ſatis oſtendit, dari omnibus auxilium ſufficiens ad ſalutem. 13. 2.
Superiori obtemperandum eſt, quoties non conſtet ſubeſſe culpam in re præcepta. 90. 12.
Synagoga Judæorum num in fide unquam defecerit? 95. 7.
Synagogæ non promittebantur a Deo bona dumtaxat temporalia. 6. 4.

T

Teſtamenti veteris, ac novi diſcrimen. 79. 10.
Teſtamentum novum. V. Scriptura ſacra.
Theſes proſcriptæ, ſi ſint indefinitæ, quomodo explicandæ. 90. 6.

Theologicæ Concluſio an ſit objectum materiale fidei? 94. 3.
Thomiſtica doctrina adverſatur Janſenianæ. 9. 2.
Timor gehennæ eſt ſupernaturalis, atque adeo bonus, & rectus. 60. 2.
Timor quomodo reddat actum involuntarium? 60. 6.
Timor pœnæ, ſi retrahat a culpa, non reddit hominem coram Deo reum. 62. 1.
Timor ſervilis animans pœnitentiam non ducit ad deſperationem. 65. 1.
Timor ſervilis non ſolum manum a culpa cohibet, ſed etiam cor, quamvis deſit amor. 66. 1.
Timor etiam ſervilis facit nos Deo appropinquare. 66. 1.
Timor ſervilis non repræſentat Deum imperioſum, injuſtum, & intractabilem. 67. 1. *Nec eſt actus inordinatus reponens finem ultimum in creatura.* 60. 14. *Quamvis qui culpam propter pœnam deteſtatur, magis eo actu odio habeat pœnam, quam culpam, non proinde ceſſante timore pœnæ vellet peccare.* 60. 14.
Timor ſupernaturalis ſpei annectendus eſt, timendo ne Deum nos deſeramus, non vero ne Deus nos deſerat. 13. 5.

V

Virtutes morales a Janſenianis diſtinguuntur ſolum ratione diverſorum officiorum, non ratione diverſorum formalium objectorum. 44. 2.
Virtutes ſupernaturales, etiam morales, a charitate diſtinctæ dantur de facto. 52. 8.
Vita æterna non eſt merum donum liberalitatis divinæ in natura lapſa. 69. 9.
Voluntas gratiæ cooperatur. 11. 2. & 21. 1. *Sine gratia non eſt incapax ad quodvis bonum.* 39. 1. *Relate ad gratiam non ſe habet mere paſſive.* 21. 4.
Voluntatis cooperationem cum gratia de medio tollit Queſnellus. 8. 1.
Votum non infringit, qui illud commutat in melius. 71. 5.

Sit autem hic hujus Operis (Sed oh ubi Æternitatis!)

FINIS.

EMINENTISSIMO, E REVERENDISSIMO SIGNORE.



NIccolò Pignatelli Stampatore Arciveſcovile eſpone umilmente a Voſtra Eminenza, come deſidera fare riſtampare con alcune conferme delle medeſime dottrine il Libro ſtampato ne' meſi paſſati col ſuo benigniſſimo permeſſo, intitolato: *Trutina Theologica Theſium Queſnellianarum, Auctore P. Dominico Viva Societatis JESU.* Supplica pertanto Voſtra Eminenza a degnarſi del reſcritto nel modo, e forma, che comanderà. Ut Deus, &c.

Reimprimatur. Datum in Oppido S. Jo. in Galdo meæ Diœceſis 3. *Julii* 1717.

Frater Vincentius Maria Cardinalis Urſinus Archiepiſcopus.

9 prætereà .de cen. cum ſi. †Circa ſecundũ quibus rebus imponatur Reſpondeo quod dupliciter poteſt imponi, videlicet perſonis,& rebus,vt in.l.ætatem. cum l.ſeq.ff.de cen.licet de iure canonico impona tur rebus tantum,vt colligitur in d. cap.accepimus.& in c.prætereà.

10 †Quo autem ad tertium,dic quod de iure can.aliquando en[illegible] cẽſus in ſignũ ſubiectiõis,vt in ca. de cẽſ.& facit l.j.cũ ſeq.C.de cẽſi.li. xj.Aliquãdo eſt ſignũ percepte liber tatis,puta quãdo eccleſia aliqua dat papæ piper,vel aliud p cẽſu,quo ca ſu videtur exempta à ſubiectione epiſcopi, & immediate ſubiecta ipſi papę. Aliquando eſt ſignum aſſumptæ ſolius protectionis, quæ tamen ẽt modicæ vtilitatis, vt hęc habentur, & no.per gl.in c.accepimus.de priuileg. & in c.ex parte

11 tua. eo.ti. †Sed quid ſi emphyteuta ſoluit cenſum,rem tamen emphyteuticam deterioret, an poterit expelli, videtur quòd non cùm fit ius ſingulare in eccleſia tantum ergo in priuato erit contrarium.argum.in l.ius ſingulare.ff.de le.Iac. de bel.determinat idem iuris eſſe in vtroq; ar.l.edem.in fi.C.lo.cum paritas [illegible] expoſcat.l.illud.ff.ad l.acqui.cum ſi.

[illegible] vide Ab. c. dilectus.a. offic.or.loca.in c.per uenit.de cẽſi. ſpe.ii.de fen. in§.j.

EPITOME.

1 *An poßit peti ab emphyteuta, vt ſi. ctum ſoluat,& à re cadat.*

2 *Domino an liceat propria auctoritate emphyteutam non ſoluentem deijcere.*

NEC NON .DMIT- 1
tẽdum. †Solet dubitari,an 2
vtrumq; poſſet eodem libello ſimul peti, videlicet quòd deijciatur à re,& quòd fictum ſoluat,& gl.in d.l.ij.C.de iur.emphy. tenet quòd non.Alij contra, vt refert ibi Cy.diſtingue vrius ſecundum Iac. de are aut dominus primo deiecit.poſteà poſſeſionem petit, & tunc auditur,vt in auth. de non alie. §.ſcire, & in auth.de alie.& emphy.§.ſi verò. & l.colonus.ff.lo.ſicut & aliàs dicitur quòd petitio pœnæ non præiudicat petitioni rei, vt ff.de arbi.l.ſi rem.aut primo penſionem exigit, & poſteà deijcere vult. e- tunc aut conſequutus eſt penſionem temporis præteriti, aut futuri. Primo caſu aut conſequutus eſt ſimpliciter ſine aliqua proteſtatione,& non poterit deijcere,quaſi mora ſit purgata. arg.ff. ſi quis cau.l.ij. & l.ſi.ff.de eo quod cer.lo.aut exigit cum proteſtatione, ſaluo iure &c. Et tunc poterit deijcere, ar.l.ſi debito .ff. qui.mod.pig.vel hypo.ſol.Secundo caſu quando recipit pro futuro,tunc indiſtinctè non poterit deijcere, arg.l.qui in futurum.ff.de pact.& de do.exce.l.ij.§.non malè.& d.l. poſt diem. de l.

2 commil. †Circa hoc quæritur, an domino liceat ſua propria auctoritate ſine iudicis licentia emphyteutam non ſoluentem deijcere, & gloſ. dicit quòd ſic. in d.l.ij.C.de iur.emphy.licet conſultius fieret, ſi cum iudicis auctoritate deijceret, arg.l.creditores.C. de pig.Pe.autem dicit quòd non licet,per l.non eſt ſingulis.cum ſi.de re. iur.licet ſimplex colonus qui nullum ius habet in re, poſsit propria auctoritate per dominum expelli.dic vt ibi per Cynum & plenius per Spe.tit.de loca.ver.xlviij.

EPITOME.

1 *Quæ comprehendantur appellatione melioramentorum.*

2 *Emphyteuta an poßit alienare melioramenta domino irrequiſito.*

3 *Emens melioramenta,domino ſoluere debet quinquageſimam,& accipere ab eo poſſeßionem.*

4 *Eccleſia decepta in conceßione rei emphyteutica,an poſſit petere reſcißionẽ contractus.*

5 *Non eſt ius quæſitum eccleſiæ,quantumcunque ſit dictum in alienatione,quòd omni anno ſoluatur tale quid tali eccleſiæ.*

CVM OMNI ſuo melioramento. Iſta melioramenta appellantur in iure emponemata,vt habetur in l.ij.C.de iur.emphyteut.

1 †Quæritur quæ comprehendantur melioramentorum appellatione.Dic breuiter quòd omnia ædificata,plantata,vel ſata.alia autem poſita ad tempus,non affixa ſolo,vel ædibus,vt puta bancha, vaſa,currus,& ſimi.non includuntur inter melioramenta, vt probatur in l.fundi.§.

2 ſi rura.ff.de actio. empti. †Poſteà quæritur an hæc melioramenta poſsit emphyteuta irrequiſito domino alienare. Dic quòd non,ſed eius conſenſus requiritur,vt d.l. fina. in princip. C.de iur.emphyteut.& fieri debet alienatio in perſonam non prohibitam, vt ſunt ſeruus,eccleſia,valuaſores,locus religioſus & alij inhabiles difficultate conueniendi,& à iure priuilegiati. †Et nota quod is,in quem fit alienatio

3 debet ſoluere domino quinquageſimam partem præcij,& ipſe dominus debet per ſeipſum ponere in poſſeſsionem,vt in dicta lege fina.& ſi forſitan iſte nouus emptor voluerit poſteà alienare debebit primum dominum requirere, vt nota per gloſſam & docto.in dicta lege fina. & Bertol.in lege ſi domus.§.fina.ff.de lega.j.

Quæro


Viua
Trutina
Theolog.
Thesium.
t. 2.
29
638